19
17
C-20

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 D
26
C. 3.
675
13-17. e.20
Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S.J.

Digitized by Google

Digitized by Google

FLAVII CHERVBINI ROMANI V.I.D. ET COLLEGIATÆ ECCLESIÆ S. MARIÆ IN VIA LATA DE VRBE CANONICI,

COMPENDIVM BVLLARII A LAERTIO CHERVBINO PATRE NVPER EDITI,

A B. Leone Primo vſque ad Paulum Quintum.

In tres Tomos diſtinctum: iuxta ſeriem eiuſdem Bullarij diſpoſitum: Scholiis duobus ad ſingulas cuiuſque Pontificis Sanctiones auctum: & copioſiſſimo Indice ditatum, in lucem prodit.

TOMVS PRIMVS.



LVGDVNI,

SVMPTIBVS LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXIV.

PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtri, & Magnanimo

FRANCISCO DE GALLES D. DV BELLIERS,

ET DE LA BVISSE, BARONI MIRIBELLEI, CHRISTIANISSIMÆ MAieſtatis Ordinis Equiti, eiuſdem ex intimis & optimatibus Conſiliario, Quinquaginta Cataphractorum Equitum Apici, Italicarum copiarum in Galliis, & Legionariorum Delphinalium, Prouincialium, & Hebdomadariorum generali Tribuno, necnon regiorum Exercituum Mareſcallo vigilantiſſimo, ſolertiſſimo, lectiſſimo,

LAVRENTIVS DVRAND Ciuis & Bibliopola Lugdunenſ. Gallicus, Rhodanicus, Araricus,

Libens, volens, meritò dedicat, conſecratque.

PRODIIT *iam anteà Quirinalibus typis mandatum hoc tam ſanctum, pium, laborioſum, & Uniuerſo adeò excolendum, memorandum, & celebrandum opus, nimirum ex Sanctionibus, Conſtitutionibus, Diplomatis, ſeu Bullis Apoſtolicis, quas extra Codices iuris Pontificij, Decretorum, Decretalium, Clementinarum, Extrauagantium poſitas, compertas, conquiſitas in pluribus iiſque remotis Orbis locis ſparſim diſſitas, vagas, propè Cimmeriis tenebris obuolutas, Ægyptiaciſque noctibus & latebris circumuolutas, obſeſſas, circunfuſas, recolundo ſtudio, mirâ induſtriâ, non modico forſan ſumptu, ſummo labore, incredibilibus vigiliis* LAERTIVS

CHERVBINVS *Italus, vir alioquin ingenuus, induſtrius, doctus ſelegit, & in vnum (vt videt) corpus communibus alienigenarum, tum Italorum, tum Hiſpanorum, & Germanorum Chriſtigenarum plauſibus, gratulationibus & acclamationibus exceptum* (BVLLARIVM *ita appellatum*) *redegit, congeſſit, compilauit, coaceruauit.*

Hoc poſteà FLAVIVS CHERVBINVS *eius filius paternarum virtutum æmulus, & gloriæ fautor memorandis* SCHOLIIS, *annis proximè elapſis, in lucem emiſſis, ac Sacris Illuſtriſſimi* LVDOVICI LVDOVISII *S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopi Bononienſis, & fel. mem. Sanctiſſimi D. N. Gregorij xv. P. M. ex fratre Nepotis, Inſulis conſulto genio conſecratis adornauit, auxit, inſtruxit, inſignivit, ampliauit.*

Sed nunc ingeniti Numinis auſpiciis, licèt meo ære, vtriuſque Patris, & Filij opera ſimul combinatæ ſub prælis Gallicis feliciter commiſſæ, tuis verò, HEHOVM FORTISSIME, *felicioribus, melioribus, intrepidis, fortunatioribus, inuictioribus armis, animis, numinibus, nominibus, luminibus, ſtemmatis, aris, præſidiis, armamentariis, criſtis, galeis, loricis, tunicis, ſcutis, clypeis, vmbonibus, parmis, balteis, faſciis, ocreis, paludamentis, gladiis, enſibus, haſtis, haſtilibus, iaculis, malleis, machinis, catapultis, tormentis, globis, globulis, ſclopis, ſignis, claſſicis, tubis, lituis, cornibus, buccinis, tympanis, armillis, torquibus, corollis, phaleris, Præfectis, Quæſtoribus, Spiris, Pilis, Primopilaribus, Anteſignanis, Poſtſignanis, Centuriis, Centurionibus, Tribunis, Velitibus,* Haſta*tis, Triariis, Vragis, Allectis, Subitariis, Subſidiariis, Metatoribus, manipulis, cuneis, turmis, cohortibus, alis, legionibus, aciebus, coronis, forficibus, turribus, ſerris, roſtris, omnibus denique tuarum armaturarum & munitionum generibus dedicatæ, & in hoc vno volumine concluſæ æternùm ſecuriores (ſi placet) quàm feliciſſime prodeunt.*

Vt enim Æuigenis olim Ioue ſupremo tonante, excandeſcente, furente, fulminante, in dirius, & furentius Gigantæum genus. Vt magno Herculi Leonis exuuio, clauo, cæleſti igni, & Iouis ope in angues, hydras, colubros, leones, Diomedas, Erymantheos apros, Buſiridas, Anteos, Peryonas, Cacos, Lacinos, Centauros, Harpyas, & Cerberos. Vt forti Theſeo conſiliis, auxilio, & glomere Ariadnæ virginis in Minotauros,

denique

Digitized by Google

denique vt Iaſoni ad rapiundum optatum Vellus aureum in Cuſtodem Dracona Typhi, Argonautis, inſtructo nauigio, & ſagaciſſima Medeæ arte opus erat: Ita huic operi Sanctionibus pontificiis inſtructiſſimo opus foret fortiſſimo, æquiſſimo, prudentiſſimo, inuictiſſimo, vigilantiſſimo, ſapientiſſimo, acerrimo in procaces hæreticos, in graſſantes perduelles, in irrepentes Deiſtas, in fœdantes & omnia peſſundantes Atheos, in frementes Iudæos, in Sycophantas, & furentes Turcas, in inſanientes: & Eccleſiam orthodoxam infamantes Schiſmaticos, Suſceptore, Sponſore, Propugnatore, Actore, Tutore, Curatore, Defenſore.

Siquidem in ea Galli (pro dolor!) incidimus tempora, vt quæ ſpecioſa & egregia à primæuis Chriſtigenis & maioribus CLODOVEIS, PIPINIS, CAROLIS, LVDOVICIS, *& eorum ſequacibus anteſignanis noſtris lignigeris, liligeris, Eccleſiæ protoſatis filiis, monſtrorum Domitoribus, Iuſtitiæ cultoribus, quietis publicæ fundatoribus, fidei Chriſtianæ propagatoribus, Cæli deliciis, illibatæ Religionis cuſtodibus, lectiſſimis ingeniti flaminis organis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ potentiſſimis, expeditiſſimis, promptiſſimis Defenſoribus fortiter, ſanctè, piè, & religioſè, vtpote* CHRISTI *fides, Sacramenta, Eccleſia, vita, Pax, Iuſtitia, ſedes, leges, Iudicia, Doctrina, Pneuma, amor, timor, ſpes, opera, fortitudo, prudentia, temperantia, intellectus, ſcientia, & id genus virtutes, Crux, cruor, mors, genus electum, regale Sacerdotium, Iconiſmi, Icones, altaria, ſana, templa, aræ, dogmata, Traditiones, laudata, exculta, & obſeruata fuerunt, nunc (eheu!) in primis omnium veræ Pietatis cultorum, obſeruatorum, amatorum luctu exoleuerint. Abs* CHRISTO *exchriſtiani, exdij, exleges, exortes, impiiſſimè impij viuimus Galli! Atque vt cætera omittam. Enimuerò veriſſimè compertum eſt, aureis, marmoreis, argenteis, & æreis tabulis teſtatum, annalium faſtis comprobatum, plurimo regali ſanguine nobis, & poſteris conſignatum olim* REGES ET IMPERATORES NOSTROS CHRISTIANISSIMOS *biſſeptem vicibus armatis in aduerſas irrumpentium hoſtium Chriſtiani nominis acies copiis & aperto Marte feliciùs ſemper victores, reduces, ſoſpites aut ad ſtabiliendum, aut ad propugnandum, aut ad reſtituendũ Romani apicis Prodei, Prochriſti, Propetri Nomen, Numen, lumen, ſedem certaſſe, propu-*

gnaſſe, dimicaſſe, deſcendiſſe, irrupiſſe. Quin eoſdem auguſtiſſimos & potentiſſimos Principes Romanæ Eccleſiæ (vt pluribus immenſi) immenſos theſauros, & aut proprias, aut ab hoſtibus vendicatas prouincias, caſtra, vrbes contuliſſe, atque eius PROCHRISTOS *tanquam legitimos Petri Apoſtolorum principis Succeſſores palàm & publicè coluiſſe audimus? Quippe intelligebant humaniſſimi Reges & Chriſtianiſſimi Imperatores ſummum illud eſſe decus, ſummum lucrum, ſummum commodum, ſummum ius, ſuauiſsimum iugum quibuſuis impenſis, quibuſuis laboribus, quouis diſcrimine, quibuſuis iacturis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vtilitati & dignitati ſapienter proſpicere, & eiuſdem (vt à qua dependeat Totius lumen ſalus & culmen) fortiter conſulere neceſſitati. Et quamuis hi regiâ Maieſtate ſublimiores, excelſiores, auguſtiores, præpotentiores, tamen præ incredibili* CHRISTI *amore, ſingulari fide, firmiſſimâ religione, humiles corde & mites æſtimabant ſe præbere præauguſtiori* DEO PATRI *qui in cælis eſt, quæcunque* PROCHRISTO, PRODEO, PROPATRI *in terris, publica præſtarent officia, munera, obſequia,* CHRISTVMQVE VERVM DEVM & HOMINEM, *vt in ſeipſum collata accipere. Contra noſtri æui procaciores Nouatores, turbulentiores antichriſti, nequiſſimi Schiſmatici, letiferi Eccleſiæ perſecutores, Summi Pontificis hoſtes, neſcio quibus Lutherianis, & Caluinianis poculis, venenis, Circæis incantamentis, dogmatis, philtris, maledictis, artibus, allecti, illecti, poti, cæcutientes, haud diſpares vagis & aſsilientibus in firmiſsimos, & ſtabiliſſimos quoſque ſcopulos fluctibus mox ruituri, Catholicam infeſtantes infamantes, depopulantes, deprædantes, deuaſtantes, oppugnantes, obſidentes, turbantes, caninis, leoninis, lupinis veluti dentibus hinc inde proſcindentes, lacerantes, dilaniantes, cruciantes Eccleſiam, (queis malè oleant Sacra Chriſtianiſsimorum Regum ſuauiſsimo* CHRISTI *odore fragrantia lilia,) quàm poſſunt tenacioribus modis, totis viribus deturpando glorioſiſſimos Reges & inuictiſsimos Principes qui hæc fecere, & Summorum ſemper Pontificum Sanctiones, Inſtitutiones, Diplomata, & Bullas præcipuè, ſanctiùs, firmiùs, & inuiolabiliùs obſeruauere, calumnioſiùs Summos Sanctæ Sedis Apices, (quibus hæc facta ſunt) appellantes Antichriſtos, Succeſſores eius videlicet Petri quem* CHRISTVS DOMINVS *ante exitiale*

ligni

ligni fætum Totius fundamentum ſtabiliuit, cuique idem CHRISTVS *redux à leto curam adminiſtrandi, & paſcendi vniuerſi Chriſtiani ouilis ſub ſynonymis Agnorum & ouium commiſit, infamant. O ſæcula! ô Mores! Pro dolor. Ita Nouatores latrantes, contumelioſi, blaſphemi, infamantes Chriſtianiſſimos Reges & anguſtiſſimos Imperatores, nec Deo ipſi rerum omnium auctori & moderatori, nec* CHRISTO *eius, Soteri noſtro, nec Summis Pontificibus in terris Chriſti vicariis & legitimis Petri Succeſſoribus parcunt.*

Tibi ego, HEROVM GENEROSISSIME, *Tibi inquam increati Numinis obſeruantiſſimo, Sanctorum amantiſſimo, Summis Pontificibus fideliſſimo, Regum, legum, Pietatis, Iuſtitiæ, antiquæ fidei, veræ & orthodoxæ religionis, Sacramentorum, altarium, Sacrorum, fanorum, Chriſti cruoris, Crucis, Tropæi, Myſtarum, viduarum, inopum, virtutum & bonorum operum ſapientiſſimo, prudentiſſimo & ſpectatiſſimo, Adminiſtro, Miniſtro, Obſeruatori, Cultori, hoc licèt alienum opus libens volens dedicandum, conſecrandùm, deferendum meritò putaui. Darem hanc conſecrationem Patriæ amori, quòd tuus ſum, tuóque fortaſſe natus in ſolo, & vetuſtiore educatus patrimonio, ſaltem iuxta illud, quódque plurimùm debeo tuæ laudabiliori & propenſiori in fratres meos, & me præcipuè, domúmque totam voluntati, quam ingenuè fateor non verbis modò comitatam humaniſſimis, ſed rebus & factis officia verborum exæquantibus in dies magis magiſque (quod tibi proprium & innatum eſt) confirmatam; darem præterea Splendori Nominis tui, tuæque dignitati, & amplitudini. Sed tuæ inuictæ, & incomparabili fortitudini, tuæque, ſingulari Pietati, Religioni, & fidei concedendum eſt quod offero. Illa ſcilicet fortitudine à Maiòribus non degener, nulli Martigenarum animi magnitudine inferior à quoquam ſuperari non pateris virtute & gloriâ, nec in manipulariis præliationibus, nec in apertis martibus, nec in acierum occurſionibus, oppugnationibus, concurſibus, congreſſibus, nec in Vrbium & Caſtrorum obſidionibus, nec in ſolennibus locorum expugnationibus, necin ſingularibus certaminibus. In quibus tu cum generoſo*

† 4 *quon*

quondam & chariſsimo fratre tuo D. DE LA BVISSE; *quid virtus, fortitudo, conſilium, & ſapientia poſſent, etiam ſtupente Sole, tremente Solo, & cæli ſtante coronâ poſteris ſectandum exemplar propoſuiſtis, tradidiſtis, præbuiſtis. His nempè tuis Pietate, Religione, & fide nè vinci quidem ab aliis te ſinis, ſicut nec reliquis virtutibus. Rectum de* DEO *ſenſum habes (quatenus hominibus datum eſt) ante omnia Summum illud Numen noſcis, & cognitum infinitum, immutabile, inacceſsibile, increatum, immotum licet omnia mouens, videns, & ſentiens, ſolutum, liberum, ſegregatum ab omni concretione, & materia, piè, purè, & religioſè ſtatis legibus ab Eccleſia obſeruatiſque cerimoniis in animo, & ex animo venerari. Fidem, quam ſemel in lauacro regenerationis per Suſceptorem adhuc infantulus profeſſus es, firmiſsimè nec vagus, nec mutabilis tenes, antiquæ Pietati & Religioni, Summo Pontifice ſemper apice, & totius ædificij à* CHRISTO *primo lapide angulari, fundamento cohæres. Admirantur plures in te natum regendis populis, Militibus dirigendis, & fabricis conſtruendis ingenium, & alij magnam potentiam pari moderatione temperatam memorant, nonnulli conſtantiam, ac promiſſorum tenorem (quæ rarior eſt hodie hæc virtus mortalibus, quibus colorem & fucum pro re nata inducere paratum ſit) celebrant; hi hoc, illi illud in te ſuſpiciunt. Ego Religionis propagandæ & fidei Chriſtianæ Vniuerſo reſtituendæ ſtudium ſingulare demiror. Quoties ingemiſcentem te, & vices Nouatorum dolentem audiui & vidi! Hi vtinam (dicebas) ſaperent, ac nouiſsima prouiderent! Altaria, fana, Imagines deſtruxerunt! Sacra polluerunt! prophetas, & Sacerdotes gladiis & ſclopis occiderunt! Deum, Reges, leges, & Traditiones dereliquerunt! Summos Pontifices deturbarunt! Reliquias Diuorum incenderunt! Et quid reſtat ampliùs niſi vt cum Helia conquerenti moriar? Hæc & alia audiebam. Tibi iam ſoſpiti & ſuperſtiti hoc gratum munus ferens pro laurea & palma, veluti alteri Vlyſſi glorioſiùs cano:*

Syrenum cantus & Circæ pocula noſti,

Quæ

Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupidúſque bibiſſes,
Sub Domina meretrice fuiſſes turpis & excors,
Vixiſſes canis immundus, vel amica luto ſus.

Quinimò fideliùs cum Paulo & glorioſis Sanctorum agminibus bonum certamen certanti, curſum conſummanti, fidem ſeruanti repoſitam eſſe coronam Iuſtitiæ ſpondeo, quam tibi tandem reddat Dominus (hoc opto) æquiſſimus Iudex. Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris VIII. *Cal. Feb. An.* CIↃ IↃCXXIV.

AD

AD EVNDEM ILLVSTREM ET MAGNANIMVM HEROA,

Carmen.

VT noctes, & Libra dies mortalibus æquat,
Æquos nocti Aries reddit in Orbe dies.
Jlla autumnali Septembri purpurat vuas:
Hic placidas profert vere tepente roſas.
Aſt ſi Iuſtitiam Signum præſignat vtrumque;
Huius quàm meritò nobile nomen habes.
Qui pius, & prudens, vrbanus, fortis, & æquus,
Quique ſacræ, & veræ Relligionis amans.

Ad eundem in ſuum Anagramma.

FRANCISCVS DE GALLES.
SED SIC, GALLE, FRANCVS?

Carmen.

GAllorum immenſo præluxit clarior olim
Fama adeò, vt Gallis cederet Oceanus.
Et meritò: firmata quibus pietáſque, fidéſque,
Iuſtitia, Ingeniti Numinis idque timor.
Tanta erat integritas Francorum ab origine, ab ipſis,
Vt qui præſtaret nomine, Francus erat.
Sed lapſi (miſerùm) ſumus hæc in tempora Galli,
Vt ſpreto Gallus Numine cantet auis.
Hæreſis, Impietas, Venus, Inconſtantia, Bacchus,
Sunt hæc Gallorum nunc iterandus honor.
Sed non quem videas inter tot nubila Gallum,
Qui ſit cum Priſcis Relligionis amans?
Galleſum cernas inter duo neſcia Circæ
Millia, qui nuſquam colla dedere Baal,

Ad

Ad Flauium Cherubinum.

IN LAERTII CHERVBINI PATRIS BVLLARIVM, ET SVA IN IDEM BVLLARIVM SCHOLIA.

Quod felix, fauſtúmque.

Carmen.

NAturalis ineſt nobis mortalibus hæc mens,
Vt nuſquam ſiſtant animos, cæleſtia ſeruent,
Principium, cauſſam, finem quærántque creatis
Res inueſtigent, & iungant Orbibus Orbes.
Quippe intellectus ſubitò delatus in altum
Concipit, & nunquam conceptibus vltima ponit,
Iuxta ſe poſita, atque extra videt; æquora tranat,
Dinumerat piſces, Delphinas, & ardua Cete:
In vacuo volitat ſuperans concurſibus Euros;
Militat in ſtellis, & lunâ, in Sole laborat,
Concurrit ſphæris, plureſque his procreat ignes;
Primum tranſcendit cælorum mobile, quærit
Vnde citum capiens ferat inferioribus: Orbis
Ingenitam quærit cauſſam: Hinc ſed longiùs impar
Quàm poſſit dici ſe cernens; atque Deorum
Proſpiciens ſuperas poſitas miro ordine claſſes
In terris mirandum apicem ſe ſiſtit, & altum
„ Dum ſapit, in terris religari cogitur index
„ Cunctorum quæ terra capit, quæ claudit & æther.
Haud aliter Iouis ales ad hos ſe promouet aulæ
Cælorum ſaltus, Solem intuiturus, & Orbes,
Sed demùm materna redit turbatus ad antra.
Verùm mens hominum (intellectum intellego) dum ſic
Cogitur includi terrenis corporis extis,
Vt iuris, luciſque capax, cælique propago
In terris præſtare parat, quod ab æthere quondam
Rerum hominúmque Sator cælum, terrámque creando
Præſtitit, (hoc fruſtra licèt) intellectus eàdem

Quâ

Quâ virtute Deus præſtat, non præſtat: imago
Sit licet Ingeniti. Verùm ſi mentis, & actus
Conceptúſque forent Subſtantia, plura profectò
Sidera, iam plures Orbes, plura æquora, plures
In vacuo mundos, atomos quàm proferat aër
Proſpicerem; Ecce forent mutata quadrata rotundis.
Ad nihilum ergo vides mortalia ſenſa reduci,
Vno ſtare modo Immenſum, nec tempore labi.
Ædificant homines vrbes, pomaria, vites,
Fana, Sacella, domos, antiquis vrbibus addunt
Præſidia, ac muros, cupiúntque per arma videri
Dij, qui mortales pereunt, vrniſque teguntur.
Hos Reges meritóque Duces dixiſſe ſatis ſit.
Sunt alij qui geſta notant, monumenta parentum
Marmoribus cælant, argento, auróque reponunt.
Sunt quibus auditum cumulare volumina, libros
Edere, & inuentis noua iungere. Sic miſeris Diis
„ Terrigenis nullus finis; labor omnibus æquus.
Nos Decretales veterum Decretáque Patrum
Ante legebamus. Genitor Bullaria prompſit,
His Scholia adiungis. Conſurget hómuncio quondam
Cui Scholiis Scholia, & Bullis coniungere Bullas
Gratum erit. Intellectus ita eſt mortalibus, & mens
Magna adeò, vt ſemper plura infinitaque quærat.
Sed ſiſtet quando infinitâ mente fruetur,
Nempe Deo, tunc finis erit, tunc meta laborum,
Huc properare licet. Mihi letum cætera ſunto.

Ad eundem Flauium Cherubinum in ſuum Anagramma.

FLAVIVS CHERVBINVS.
BINVS HERCVLI FAVVS.

Diſtichon.

CHerubine, ſacris Scholiis per tempora viuens
Herculeis binus faucibus vſque fauus.

BENEVOLO LECTORI.

VNIVERSVM Orbem notis litoribus concluſum credidiſſes vtique, niſi ſcrutator illius Columbus, regionibus ab aliis perluſtratis non contentus, penetralia quæque perquirens, fortunæ, & nauigio fretus, Mari, & Cælo conſultis, retuliſſet tandem, alium ferè Orbem adinuentum, auro onuſtum, & argento, atque his pretioſioribus abundantem. Vniuerſum ius Pontificium Decretorum, Decretalium, Clementinarúmque, & Extrauagantium voluminibus diuulgatis credidiſſes etiam terminatum, niſi Laërtius Pater meus alias Pontificias Conſtitutiones in obſcuro exiſtẽtes, ex omnibus Mundi partibus exquiſiuiſſet, adinueniſſet tandem, congeſſiſſet quoque, & ad communem omnium vtilitatem edidiſſet, & ſi non Mundi nouas Regiones, noua ſaltem Pontificiarum legum volumina, quibus Mundus ferè totus regitur, in lucem dediſſet. Cæterum ſicut non defuere generoſi ingenij homines, qui Columbi incœptum vlterius perſequendo, perdifficilem illam ad nouas regiones apertam ab eo viam, breuiorem, faciliorémque reddiderunt, & vtilitatem commoditate ampliarunt: Ita ego qualiſcunque videar, ad Patris vigilias dormire, & ad eiuſdem labores oſcitare non paſſus, ſed inſtitutum eius proſequens, ad ampliſſimum illum Pontificiarum Conſtitutionum ab eo editarum Oceanum, quem ſine maxima difficultate pertranſire forſan non licebat, viam tibi præbui breuiorem, dum illarum cognitionem compendioſè demonſtraui, & eiuſmodi Maris vndam, quæ forſan amaritudine laboris inſperſa tibi viſa eſt, aliqua induſtria mea diſtillatam, in facilem hauſtum reduxi, non tamen ita exiguũ, vt ſitim trudere non poſſit. Adiectæ ſunt per modum SCHOLII ſingulis illis legibus duæ dubitationes, quarum ſolutiones ex tẽpore ſubieci, nequid eſſet in ambiguo, paucis tamen Doctorum authoritatibus probatas, ne COMPENDIO appendix adiungeret prolixitatem. Tu beneuole Lector, ſi quid vltra eiuſmodi breuiloquium deſideras, peritiorum ingeniorum ſtudia perquiras, ſed interim authorem habeas ex authore natum, ac ex opere opus, vtrumque tibi commendatum. Vale.

APPRO

APPROBATIONES.

PERLEGI attentè opus inſcriptum, *Compendium noui Bullarij*, à D. Flauio Cherubino I. V. D. cum iudicio, & ingenti ſtudio, ac labore collectum, & digeſtum, atque inſuper Scholiis opportunis illuſtratum. Et quia deprehendi nec in ipſo Compendio, nec in adiunctis Scholiis quidquam contineri, quod aduerſetur fidei Catholicæ, aut Chriſtianis moribus, quin potius totum opus, prout ab auctore elaboratum, Eccleſiæ Dei fructum, & vtilitatem allaturum; idcirco dignum cenſeo, quod typis excuſum in publicum edatur. Datum hac die vltima menſis Septembris anno Chriſti Domini 1618.

PETRVS LOMBARDVS *Archiepiſcopus Armacanus Primus Regni Hyberniæ.*

OPVS aureum *Compendij Bullarum Summorum Pontificum*, ab V. I. D. D. Flauio Cherubino compilati, ac ſingularibus Scholiis illuſtrati, perlegi: illúdque digniſſimum exiſtimo, vt typis mandetur: nihil enim in eo reperi, quod ſanctæ fidei, aut bonis moribus aduerſetur, ſed innumera adeò vtilia toti Eccleſiæ, ac præcipuè perſonis Eccleſiaſticis neceſſaria continet, vt hortus deliciarum Eccleſiaſticorum iure dici poſſit. Et in fidem, &c. Dat. Romæ die 23. Octobris 1620.

MARCVS ANTONIVS GENVENSIS *Epiſcopus Iſerntenſis.*

IVSSV Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Millini S.D.N. Vicarij, legi totum opus *Compendij Bullarij noui*, à D. Flauio Cherubino I. V. D. concinnatum, & nihil in eo reperi contra fidem, aut contra bonos mores; & ideo imprimi poſſe cenſeo. Romæ 15. Aprilis 1620.

Fr. MARCVS ANTONIVS CAPPELLVS *Ord. Min. Conuent. S. T. D.*

EGo ANGELVS LVCIANVS V. I. D. & in Almo Vrbis Gymnaſio Iuris Ciuilis publicus Profeſſor, facultate mihi facta à Reuerendiſſimo Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro, vidi, diligentérque perlegi D. Flauij Cherubini I. V. D. opus inſcriptum, *Compendium Bullarij noui*, in quo, præter miram, exactiſſimámque diligentiam in certa quædam capita reſtringendi Bullas Summorum Pontt. habentur reſolutiones multarum difficultatum, ex quibus & d. D. Flauij pieta-

tem,

cem, & multiplicem eruditionem deprehendes, vt hoc vno opere perlecto, multorum eruditorum libros legiſſe videaris. Ideo cùm opus & pietatem Chriſtianam redoleat, & optimi tum Iureconſulti, tum Hiſtorici partes exequatur, dignum eſſe iudico pro communi ſtudioſorum commodo, vt in publicum edatur. Romæ die 18. Iulij 1619.

Angelvs Lvcianvs *I. V. D. & publicus Ciuilis facultatis Profeſſor.*

Imprimatur.

Fr. Vincentivs Martinellvs Socius Reuerendiſſimi P. F. Nicolai Rodvlfii Ord. Præd. Sac. Apoſtolici Pal. Magiſtri.

Le Procureur du Roy en la Ville & Seneſchauſſee de Lyon, n'empeſche qu'il ſoit loiſible à Lavrens Dvrand Marchand Libraire en cette ville, d'imprimer, ou faire imprimer le liure appellé, *Compendium Bullarij Romani authore Flauio Cherubino*, partie en trois tomes. En obtenant par ledit Dvrand la permiſſion du Magiſtrat. Faict audit Lyon le 10. iour d'Auril 1623.

DEPOMEY.

Librvm hunc cui inſcriptio eſt, *Flauij Cherubini, Romani V. I. D. Compendium Bullarij*, à Laërtio Cherubino patre nuper editi, ab Leone I. vſque ad Paulum V. à L. Dvrando Bibliopola Lugdunenſi in lucem dari permittimus, ac ſimul ne quis citra factam ei poteſtatem denuò excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 10. menſis Aprilis anno 1623.

DE CHAPONAY.

INDEX

INDEX
NOMINVM SEXAGINTA ET NOVEM ROMANORVM PONTIficum, quorum Conſtitutiones in toto hoc Opere habentur in Compendium redactæ, vnà cum illarum numero, iuxta temporum ſeriem diſpoſitus.

In primo Tomo.

1	LEO Primus Italus *habet*	conſt.	2.	*fol.* 1.
2	Gelaſius Primus Aphricanus	conſt.	1.	2.
3	Pelagius Secundus Romanus	conſt.	1.	2.
4	Ioannes Decimus quintus Romanus	conſt.	1.	3.
5	Leo Nonus Germanus	conſt.	2.	3.
6	Alexander Secundus Italus	conſt.	1.	4.
7	Gregorins Septimus Italus	conſt.	1.	5.
8	Vrbanus Secundus Gallus	conſt.	1.	5.
9	Paſchalis Secundus Italus	conſt.	3.	5.
10	Calliſtus Secundus Gallus	conſt.	1.	7.
11	Honorius Secundus Italus	conſt.	1.	7.
12	Innocentius Secundus Romanus	conſt.	2.	7.
13	Eugenius Tertius Italus	conſt.	3.	8. *& in App.* 119
14	Anaſtaſius Quartus Romanus	conſt.	2.	9.
15	Alexander Tertius Italus	conſt.	9.	10.
16	Vrbanus Tertius Italus	conſt.	1.	13.
17	Gregorius Octauus Italus	conſt.	1.	*in Append.* 119
18	Cæleſtinus Tertius Romanus	conſt.	3.	13.
19	Innocentius Tertius Italus	conſt.	12.	15.
20	Honorius Tertius Romanus	conſt.	8.	19.
21	Gregorius Nonus Italus	conſt.	14.	23. *& in App.* 120
22	Innocentius Quartus Italus	conſt.	21.	27. *& in App.* 120
23	Alexander Quartus Italus	conſt.	23.	36.
24	Vrbanus Quartus Gallus	conſt.	8	47. *& in App.* 121
25	Clemens Quartus Gallus	conſt.	14.	50. *& in App.* 122
26	Gregorius Decimus Italus	conſt.	3.	55. *& in App.* 122
27	Nicolaus Tertius Romanus	conſt.	2.	56.

28 Mar

28	Martinus Quartus Gallus *habet*	conſt. 1	*fol.* 57.
29	Honorius Quartus Romanus	conſt. 1.	57.
30	Nicolaus Quartus Italus	conſt. 6.	58.
31	Cæleſtinus Quintus Italus	conſt. 1.	61.
32	Bonifacius Octauus Italus	conſt. 10.	62. *& in Append.* 123
33	Benedictus Vndecimus Italus	conſt. 2.	*in Append.* 123
34	Clemens Quintus Gallus	conſt. 4.	65.
35	Ioannes XXII. Gallus	conſt. 15.	67. *& in Append.* 124
36	Benedictus Duodecimus Gallus	conſt. 7.	73.
37	Clemens Sextus Gallus	conſt. 5.	77.
38	Innocentius Sextus Gallus	conſt. 2.	79.
39	Vrbanus Quintus Gallus	conſt. 2.	80.
40	Gregorius Vndecimus Gallus	conſt. 10.	81.
41	Vrbanus Sextus Italus	conſt. 3.	85.
42	Bonifacius Nonus Italus	conſt. 5.	86.
43	Innocentius Septimus Italus	conſt. 1.	88.
44	Gregorius Duodecimus Italus	conſt. 3.	89.
45	Ioannes Vigeſimustertius Italus	conſt. 1.	91.
46	Martinus Quintus Romanus	conſt. 16.	91. *& in Append.* 124
47	Eugenius Quartus Italus	conſt. 29.	98.
48	Nicolaus Quintus Italus	conſt. 4.	113.
49	Calliſtus Tertius Hiſpanus	conſt. 4.	115.
50	Pius Secundus Italus	conſt. 11.	116.
51	Paulus Secundus Italus	conſt. 7.	122.
52	Sixtus Quartus Italus	conſt. 24.	125.
53	Innocentius Octauus Italus	conſt. 19.	137. *& in Append.* 125
54	Alexander Sextus Hiſpanus	conſt. 12.	145.
55	Iulius Secundus Italus	conſt. 31.	151.
56	Leo Decimus Italus	conſt. 47.	167. *& in Append.* 126
57	Adrianus Sextus Germanus	conſt. 5.	193. *& in Append.* 127
58	Clemens Septimus Italus	conſt. 41.	195.
59	Paulus Tertius Romanus	conſt. 49.	216. *& in Append.* 127
60	Iulius Tertius Italus	conſt. 25.	241. *& in Append.* 127
61	Paulus Quartus Italus	conſt. 21.	251.

Digitized by Google

In Secundo Tomo.

62 Pius Quartus Italus.	conſt. 106. 1.
63 Pius Quintus Italus	conſt. 151. 59. *& in Append.* 128
64 Gregorius XIII. Italus	conſt. 102. 138. *& in Append.* 129
65 Sixtus Quintus Italus	conſt. 107. 193. *& in Append.* 131
66 Gregorius XIV. Italus	conſt. 19. 249.
67 Innocentius Nonus Italus	conſt. 2. 258.

In Tertio Tomo.

68 Clemens Octauus Italus	conſt. 123. 1.
69 Paulus Quintus Romanus	conſt. 98. 69. *& in Append.* 10

INDEX.

Digitized by Google

INDEX NOMINVM SEXAGINTA ET NOVEM ROMANORVM

Pontificum; quorum Conſtitutiones in toto hoc Opere habentur in Compendium redactæ, vnà cum illarum numero, alphabetico ordine digeſtus.

Tom.			
1	Adrianus VI. Germanus *habet*	conſt.	5. *fol.* 193. *& in Append.* 127
1	Alexander Secundus Italus	conſt.	1. 4.
1	Alexander Tertius Italus	conſt.	9. 10.
1	Alexander Quartus Italus	conſt.	23. 36.
1	Alexander Sextus Hiſpanus	conſt.	12. 105.
1	Anaſtaſius Quartus Romanus	conſt.	2. 9.
1	Benedictus Vndecimus Italus	conſt.	2. *in Append.* 123
1	Benedictus Duodecimus Gallus	conſt.	7. 73.
1	Bonifacius Octauus Italus	conſt.	10. 61. *& in Append.* 123
1	Bonifacius Nonus Italus	conſt.	5. 86.
1	Cæleſtinus Tertius Romanus	conſt.	3. 13.
1	Cæleſtinus Quintus Italus	conſt.	1. 61.
1	Calliſtus Secundus Gallus	conſt.	1. 7.
1	Calliſtus Tertius Hiſpanus	conſt.	4. 52.
1	Clemens Quartus Gallus	conſt.	14. 50. *& in Append.* 122
1	Clemens Quintus Gallus	conſt.	4. 65.
1	Clemens Sextus Gallus	conſt.	5. 77.
1	Clemens Septimus Italus	conſt.	41. 195.
3	Clemens Octauus Italus	conſt.	123. 1.
1	Eugenius Tertius Italus	conſt.	3. 8. *& in Append.* 119
1	Eugenius Quartus Italus	conſt.	29. 98.
1	Gelaſius Primus Aphricanus	conſt.	1. 2.
1	Gregorius Septimus Italus	conſt.	1. 4.
1	Gregorius Octauus Italus	conſt.	1. *in Append.* 119
1	Gregorius Nonus Italus	conſt.	14. 23. *& in Append.* 120
1	Gregorius Decimus Italus	conſt.	3. 55. *& in Append.* 122
1	Gregorius Vndecimus Gallus	conſt.	10. 81.
1	Gregorius Duodecimus Italus	conſt.	3. 89.
2	Gregorius Decimustertius Italus	conſt.	102. 138. *& in Append.* 129

1	Gregorius Decimusquartus Italus	conſt.	19.	*fol.* 249.
1	Honorius Secundus Italus	conſt.	1.	7.
1	Honorius Tertius Romanus	conſt.	8.	19.
1	Honorius Quartus Romanus	conſt.	2.	57.
1	Innocentius Secundus Romanus	conſt.	2.	7.
1	Innocentius Tertius Italus	conſt.	12.	15.
1	Innocentius Quartus Italus	conſt.	21.	27. *& in Append.* 120
1	Innocentius Sextus Gallus	conſt.	2.	79.
1	Innocentius Septimus Italus	conſt.	1.	88.
1	Innocentius Octauus Italus	conſt.	19.	137. *& in Append.* 125
2	Innocentius Nonus Italus	conſt.	2.	258.
1	Ioannes XV. Romanus	conſt.	1.	3.
1	Ioannes XXII. Gallus	conſt.	15.	67. *& in Append.* 124.
1	Ioannes XXIII. Italus	conſt.	1.	91.
1	Iulius Secundus Italus	conſt.	31.	151.
1	Iulius Tertius Italus	conſt.	25.	241. *& in Append.* 128
1	Leo Primus Italus	conſt.	2.	1.
1	Leo Nonus Germanus	conſt.	2.	3.
1	Leo Decimus Italus	conſt.	47.	167. *& in Append.* 126
2	Martinus Quartus Gallus	conſt.	1.	57.
1	Martinus Quintus Romanus	conſt.	16.	91. *& in Append.* 124.
1	Nicolaus Tertius Romanus	conſt.	2.	56.
1	Nicolaus Quartus Italus	conſt.	6.	58.
1	Nicolaus Quintus Italus	conſt.	4.	113.
1	Paſchalis Secundus Italus	conſt.	3.	5.
1	Paulus Secundus Italus	conſt.	7.	122.
1	Paulus Tertius Romanus	conſt.	49.	216. *& in Append.* 127
1	Paulus Quartus Italus	conſt.	21.	251.
3	Paulus Quintus Romanus	conſt.	98.	69. *& in Append.* 134
1	Pelagius Secundus Romanus	conſt.	1.	2.
1	Pius Secundus Italus	conſt.	11.	116.
2	Pius Quartus Italus	conſt.	106.	1.
2	Pius Quintus Italus	conſt.	151.	59. *& in Append.* 128
1	Sixtus Quartus Italus	conſt.	24.	125.
2	Sixtus Quintus Italus	conſt.	107.	193. *& in Append.* 131
1	Vrbanus Secundus Gallus	conſt.	1.	5.
1	Vrbanus Tertius Italus	conſt.	1.	13.
1	Vrbanus Quintus Gallus	conſt.	8.	47. *& in Append.* 121
1	Vrbanus Quartus Gallus	conſt.	2.	80.
1	Vrbanus Sextus Italus	conſt.	3.	85.

LEO

LEO PRIMVS ITALVS, CREATVS ANNO 440.

CONSTITVTIO I.

Edita Anno 447. OCcasio ſpecialium querelarum, & infra pag. 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Chalcedonenſi, cui hic Pontifex præſidebat, Concilio querelæ auditæ ſunt, quod quidam Epiſcopi Siciliæ, bona Eccleſiæ diuerſimodè alienabant. §. 1. Præcepit ergo, ne quicquam de eis alienarent, abſque conſenſu totius Cleri, & euidenti Eccleſiæ vtilitate. §. 2. Clericis contrauenientibus pœnas indicit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Cur Genitor tuus ab iſto diplomate, vnde hactenus ſumptus fuit tex. cap. ſine exceptione. 52. cauſ. 12. quæſt. 2. exorſus eſt ſuum opus noui Bullarij?

RESPONDEO. Hoc vnum cæteris diplomatibus, vnde tex. in corpore iuris redacti fuere, antiquius ſine mendo repertum, ſui operis initium eſſe voluit, vt ſi quandoque ex huiuſmodi ſua bullarum collectione Septimus Decretalium (vt aiunt) compilandus erit, antiquus compilandi modus ex lectura huius diplomatis, & textus inde ſumpti, dignoſci valeat. Vetuſtatis etenim mos, cuius magna eſt authoritas, hac in re ſedulo retinendus eſſet. l. 2. §. tanta autem, & ibi ſcribb. C. de vet. iur. enucl. cap. anteriorum. 38. §. illud. cauſ. 2. qu. 6. & l. teſtamenta. 18. cum ibi not. C. de teſtam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Habetne ſanctio iſta locum in repudiatione rei legatæ Eccleſiæ, ſi adhuc legatum non ſit acceptatum?

RESP. Negatiuam opinionem aliàs tenuit Rota in deciſ. Putei 519. lib. 2. num. 2. & ſeq. ſecundum penult. impreſſ. & in deciſ. Fabij 231. num. 6. & 284. num. 9. par. 3. diuerſor. lib. 3. Contrariam deinde ſententiam firmauit Rot. in deciſ. Caputaq. 359. par. 2. vbi de communi teſtatur. Hæc enim prohibitio alienationis non eò directa eſt, vt minuantur facultates Eccleſiæ, quo caſu procedere poſſet prima opinio, ſed vt augeantur, eidémque ſit Eccleſiæ vtilitas: & tunc largo modo intelligitur alienatio, vt comprehendat eiuſmodi repudiationem. l. magis puto 5. §. fundum. ff. de reb. eor. vt egregiè oſtendit M. Antónius Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ in ſuo quem nouiſſimè edidit tract. de Practicabil. Eccleſ. cap. 150. num. 2. vbi alios congerit, quibus conuenit Lambertin. de iure patron. lib. 3. artic. 9. quæſt. 2. num. 21. vbi bene loquitur, ſic diſtinguendo.

CONSTIT. II.

OMnem quidem fraternitatem, & infra pag. 1. Bullarij. Edita Anno 451.

COMPENDIVM.

Approbat Concilium Chalcedonenſe in rebus fidei tantum. §. 1. Damnat ſectatores Neſtorij, Eutychetis, & Dioſcori. §. 2. Præcipit obſeruantiam Concilij Niceni. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Cur confirmat Pontifex hoc Concilium in rebus fidei tantum?

R E S P. Quia in hoc Concilio Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus fuerat Patriarcha, & tributus ei fuerat primus locus poſt Romanum Pótificem, vt conſtat ex eiuſdem Concilij Can.28. & ex Epiſtola eiuſdem Concilij ad hunc Pontificem. Cæterum vtrumque priuilegium repugnabat Canonibus Concilij Niceni; & ideo iſta priuilegia Papa reprobauit, vt conſtat ex iſtius Bullæ §.3. & in pleriſque aliis eius Epiſtolis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Horum improbotum hæreſes quæ erant?

R E S P. Sicut conſtat ex Conciliis Epheſino primo, & Chalcedonenſi, plures erant, eæque ſignanter contra fidem Catholicam de duabus Chriſti naturis coniunctis in vna perſona verbi Dei, tametſi inter ſe valde eſſent diſſidétes iſtæ hæreſes; ná Neſtorius ponebat in Chriſto non tantum duas naturas, ſed etiam duas perſonas, eáſque coniungebat ſolo amore, & affectu. Eutyches è contra non tantú negabat in Chriſto duas perſonas, ſed etiam duas naturas. Eccleſia contra vtrumque in hoc Concilio diffiniuit, eſſe in Chriſto vnam tantum perſonam, Diuinam ſcilicet, & duas naturas, hoc eſt, Diuinam, & humanam.

G E L A S I V S I.

Aphricanus, creatus anno 492.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 495. VAlde mirati ſumus, & infra pag. 2. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Probat quod damnato Eutychete, & eius hæreſi, eius ſectatores damnati cenſentur. §. 1. Idémque de Sabellio, & aliis. §. 2. & ſeqq. ac §. 19. & ſeq. Quódque ſedis eſt Apoſtolicæ, Concilia approbare. §. 6. Et omnes ipſa iudicat, & à nemine iudicatur, nec ab ea appellatur. §. 11. & ſeqq. Recenſet improbitates Acacij hæretici, iuréque eum damnatum fuiſſe. §. 7. 23. & ſeqq. Oſtendit Conſtantinopolitanam Eccleſiam cæteris Patriarchalibus non eſſe maiorem. §. 26. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Antiquiorne Pontifex pronunciauit, quod iſte pronunciat Pont. de Sede Apoſtolica in §. 6.

R E S P. Syluester Primus hæc eadem ſcripſit in eius Epiſtolis, quæ inter Decretales cuſæ ſunt, & Innoc. I. in cap. nemo. cauſ. 13 quæſt. 3. Poſtea hic idem Gelaſ. in cap. ſequ. ad omnes Epiſcopos, vt in alio cap. ſubſeq. particulæ huius hic poſitæ Conſtitutionis habetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſtantinopolitana Eccleſia eſtne cæteris maior poſt Romanam?

R E S P. Pro certo hoc habeas, ſic enim conceſſum eſt ab Innocentio III. in Concilio Lateranéſi cap. 5. vnde ſumptus eſt tex. in cap. antiqua. 23. de priuileg. & ab Eugenio IV. infra in ſua conſtit. 17. Lætentur. §. 9. pag. 285. in primo tom. Bullar.

P E L A G I V S II.

Romanus, creatus anno 579.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 589. MAnifeſtò ſicut optauimus, & infra pag. 7. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus vniuerſalem ſe ſcribere, & Conſtantinopolitanam Synodum vocare generalem, aliósque Epiſcopos ad eam cónuocare præſumpſit. §. 1. Illam ergo hic Pontifex irritat, & ius generalis Synodi conuocandæ, ad Romanum dumtaxat Pontificem ſpectare aſſeuerat. §. 2. Id aliis Epiſcopis præſumere interdicit. §. 3. Ioannem, & prædeceſſores propriis eorum ſcriptis Primatum Romani Pontificis affirmaſſe, & nihil de illius priuilegiis vnquam vſurpare, anathematis vinculo ſe aſtrinxiſſe refert. §. 4. Idcirco eos excommunicatos eſſe, & niſi Ioannes citò ſe emendauerit, ab ipſo etiam excommunicádum fore decernit. ibid. Patriarcharum quémquam ſe generalem nominare prohibet. §. 5. Ioannis præfati auerſionem à bono dolenter enarrat. §. 6. Romanam Eccleſiam à Domino eſſe inſtitutam, & caput omnium Eccleſiarum affirmat. §. 7. Conſultationibus ſupradictorum Epiſcoporum reſpondet. §. 8. Paſtorales

ſtorales quaſdam admonitiones eiſdem ſubiungit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Vocabulum vniuerſitatis Patriarchis vetitum in §.5.quo pacto intelligendum?

RESP. Longo ſermone opus eſſet pro eius plena explicatione,te igitur remitto ad perlegendam Epiſtolam 206. Innocentij III. lib. 2. Epiſtolarum, quæ incipit,*Apoſtolicæ Sedis*, adnotationéſque ad tex.in cap. vlt.diſtinct.99. & quæ ibi, & in cap.præcedenti ſcripſit Turrecrem. poſt alios antiquiores Canoniſtas.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Nunquid Patriarchæ Reuerendiſſimi appellari poſſunt?

RESP.Non eſt dubium,vt habetur in cap. Conſtantinus. cauſ. 13. diſtinct. 96. & ſcribit Iacobat. de Concil.lib.1.art. 1. num. 155.

IOANNES XV.

Romanus, creatus anno 985.

Edita Anno 993.

CONSTIT. I.

CVm conuentus eſſet factus, & infra pag. 9. Bullar.

COMPENDIVM.

Lectus fuit coram iſto Pontifice liber vitæ Vldarici Epiſcopi ciuitatis Auguſtanæ, in.princ. Et etiam miraculorum. §.1. Proinde idem Pont.Vldaricum Sanctum pronunciat. §. 2. Eius decreto contrauenientibus pœnas indicit. §. 3. Obſeruatores benedicit. §.4. Eidem decreto Epiſcopi, & Cardinales ſubſcribunt.

Scholion primum.

Quæro. Huius ſancti Epiſcopi vitæ & miraculorum acta, in iſta Conſtitutione à Pontifice non deſcripta, vbi quærenda?

RESP. Apud Baronium,Abbatem,& Surium de vita Sanctor. tom. 4.ſub die 4. Iulij, necnon apud Trithemium de Viris Illuſt. S. Benedicti lib. 3. cap. 223. & lib.4.cap.222.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur primo loco Epiſcopi, & deinde Cardinales conſtitutioni huiuſmodi ſe ſubſcripſerunt?

RESP. Quoniam poſtea, anno ſcilicet 1059. Nicolaus II. in Concilio Romano eam edidit conſtitutionem, qua cauetur, electionem Romani Pontificis ſpectare ad Cardinales, vt inquit Ioan.à Capiſtran.de Author. Papæ par. 2.primæ par. princ. & Gundiſalu. Villadieg. de Origin. Cardinal. q.5. num.18. Baron. in ſuis Annal. tom. 11. pag. 255. Hinc ergo aucta eorum dignitate, Epiſcopis,& aliis Prælatis de cætero præeminentes fuerunt, vt ex Petro Damian. inquit Sigon. in hiſtor. de Regno Italiæ anno 1059. & clarè dignoſcitur ex ſubſcriptionibus eorum in Bullis poſtea editis.

LEO IX.

Germanus, creatus anno 1049.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1053.

QVia authore Deo, & infra pag. 10. Bullar.

COMPENDIVM.

Damnat Auximanorum abuſum inuadendi domos Epiſcoporum, diripiendique eorum bona. §.1. & 2. Temeratoribus excommunicationem indicit. §.3. & 4.Obſeruatoribus verò honorem & gloriam. §. 5.

Scholion primum.

*Quæro.*Cur Auximani, quibus hoc dirigitur decretum, in bona defuncti eorum Epiſcopi irruerunt?

RESP. Ex Petri Damiani epiſtolæ quadam ad Clementem Papam, inquit Baron. in ann. Eccleſ. tom. 11. pag. 179. quod facinoroſus fuerat ille Epiſcopus, Eccleſiæque vt tyrannus, non vt paſtor præfuerat, vnde ciuium animi exaſperati, furorem in illios bona conuerterunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Epiſcopum ipſum populus offenderet, vel interficeret?

RESP. In primo caſu offenſionis, pœnam excommunicationis in Concilio Viennenſi edixit Clem. V. in clem. 1. de pœn.refert Clar. quæſt. 77. num. 23. In ſecundo autem caſu interfectionis, priuatur etiam honore & dignitate Epiſcopali, cap. ita nos. cauſ.25. q. 2. Iaſ. in l. 2. C. de inoff. teſtam. num.4. Plaza in Epit. delict. lib. 1.cap.22.num.22.verſ.his omnibus,vbi ſubdit, quod hæc pœna têporalis eſt, ideo ex iuſta cauſa etiam innocentes eam pati poſſunt. Quod Bald.

in l. 3. C. de furt. num. 4. limitat ſi Epiſcopus ſit ſolummodo electus,& ſequuntur Iaſ. & Plaz. iam citati.

II.

Edita Anno 1053. CVm ex venerabiliū canonum, & infra pag. 10. Bullar.

COMPENDIVM.

Epiſcopum Carthaginenſem declarat eſſe primum Archiepiſcopū, præter Romanum Pontificem, totiúſque Aphricæ eſſe maximum Metropolitanum. §. 2.& 3. Pontificem quoque Romanum, & non alium,vniuerſale Concilium conuocare, & Epiſcopos condemnare poſſe, prout in ſacris Canonibus conſtitutum eſt, & ſacra Scriptura demonſtrat.§.4.

Scholion primum.

Quæro. Num ante hunc Pontificem, alij quoque hæc eadem hic diffinita decreuerunt?

RESP. Marcellus I.qui Pontifex die 21.Decembris anni 304.creatus fuit,necnon Iulius I.die 16.Ianuarij 336.ad Pōtificatum euectus, hæc edixerunt, vt habetur in cap.1. & 2. diſt.17. de quibus meminit Iacobat.de Concil. lib.3. num.279. & Marcus Mantua in ſuo Dialogo de Concil. num. 36.& ſcribit etiam Ciacon. de vit. & geſt. dictorum Pontific.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore ortum habuerunt Concilia generalia?

RESP. Quamplures ſunt de hoc opiniones,quas recenſet Iacobat.de Cōcil.lib.1.art.1.n.69.& ſeqq.Mihi ea magis placet, quod Nicenum Concilium tempore Silueſtr. I. actum, magis propriè dici poſſit generale:eo quod illud primū cum Epiſcopis vniuerſi Orbis celebratū fuit, tunc ſi quidem à Conſtantino Imperatore id permiſſum fuit, & nō antea, ob Eccleſiæ perſecutiones, vt poſt alios refert Iacob.vbi ſupra.

ALEXANDER II.
Italus, creatus anno 1061.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1072. NVlli fidelium, & infra pag. 10. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Cōgregationem Monachorum Eremitarum Camalduléſium Ordinis S. Benedicti.§.1. Enunciat loca Eremi Camald. §.2.Perturbari vetat. §. 3. Præcipit eis perſeuerantiam in celſitudine vitæ contemplatiuæ. §. 4. & ſeq.Perturbatores excommunicationem incurrrere decernit. §. 6. Obſeruatoréſque benedictionis gratiam, & vitam æternam mereri. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. A quo,& de quo tempore iſta Congregatio fuit inſtituta?

RESP. Anno circiter 1012.à S. Romualdo nobili Rauennate in Italia ſub Pontificatu Benedicti VII. qui dicebatur VIII.In Eremo Camaldulenſi ſic à Camaldulo loco ipſo nuncupata,inſtituta fertur à Marco Ant.Marſil. in tract.de Eccleſ. reddit. cap. 16. num.7. & latius à Ciacon.de vita & geſt.Bened. VII. in princ. Et quamuis Remund. Fraguier. in tract.de Relig.ſect.in verſ. Camaldulenſes,aſſerat inſtitutā fuiſſe ſub anno 1033. ſub Bened. IX. id tamen ineptè dixit,cū Bened. IX. anno 1303. in Pontificem aſſumptus fuerit; antea inſuper an. 1022. ſub eod. Bened. VIII. B Romualdi,eiuſque Monachorum ſanctæ vitæ inſtitutionem, ſanctumque eiuſdem cum Henrico Imperatore, qui eo anno in Italiam aduenerat,colloquium habitum,recenſet ex Petro Damiano Baronius in Annal. Eccleſ. tom.11. pag. 69.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Scio hunc Pontifieem Alexandrum Monachis intra clauſtra Monaſteriorum morari, & à prædicatione ceſſare præcepiſſe, cap. iuxta 16.q.1. Sed dic amabo,an ante, vel poſt eiuſmodi regulæ approbationem id fecit?

RESP. Anno 1063. id egiſſe ſcribit Baron. mox citatus pag. 344.apud quem etiam videre poteris, quamobrem id ab eo tunc factum fuerit.Conſule etiam Azorium de huius Congregationis inſtitutione, & hac Pontificis confirmatione agentem Inſtitut.Moral.tom.1.lib.11.cap. 21. pag. 1568.

GREGORIVS VII.
Italus, creatus anno 1073.

CON

Digitized by Google

Edita Anno 1073. & 1080. CONSTIT. I.

BEate Petre, & infra pag. 12. *Item.* Si literas. ibid. *Item.* Quoniam. pag. 13. Bullar. *Item.* Beate Petre. ibid.

COMPENDIVM.

Deponit, & excommunicat Henricũ Quartum nuncupatum Imperatorem. §. 1. in 1. conſtit. Abſoluit vaſſallos à iuramento fidelitatis. §. 2. Præcipit Prælatis & aliis, vt ſtudeant eius conuerſioni, in 2. conſtit. in princ. Iubet alium Imperatorem eligi, eo non redeunte. §. 2. ibid. Illum poſtea redeuntem abſoluit, in cõſtit. 3. §. 1. Recipit ab eo iuramentum. §. 4. Queritur de illius reincidentia in ſubſeq. conſtit. §. 3. Ipſum iterato declarat excommunicatum cum ſuis fautoribus. §. 6. & ſeq. Confirmat electionem Rodulphi. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Henrici exitus quis fuit?

RESP. Audi Baronium tom. 11. Annal. pag. 540. in fine, ſic reſpondẽtem. Qui Gregorium Papam patrem contempſit, à filiis ſuis ipſe deſpectus, atque regno pulſus, in exilio mori coactus eſt, infelix priuatúſque regno deceſſit, quem Apoſtolicæ ſedis ſententia regni abrogatione mulctauit, &c.

Scholion ſecundum.

Quæro. Rodulphi electio fuitne ab iſto Pontifice promota; vel eius partes adiutæ?

RESP. Quicquid alij ſcribant, veriſſimum videtur, ſine eius conſilio id actũ fuiſſe, ne mendacem firmemus eſſe hunc Pont. id apertè negantem in hac Henrici damnationis conſtitutione. §. 3. pag. 13. Quam veritatem multis comprobat argumentis Baron. in ſuis Annal. Eccleſ. tom. 11. pag. 509. & ſeqq. & conueniunt ſcripta à Ciacon. in vita huius Gregorij.

VRBANVS II.

Gallus, creatus anno 1088.

Edita Anno 1090. CONSTIT. I.

CVm vniuerſis, & infrà pag. 14. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Congregationem Monachorum Vallis Vmbroſæ Ordinis S. Benedicti. §. 1. Elargitur aliqua priuilegia. §. 2. & ſeqq. Conſtituit caput d. Congregationis Monaſterium Vallis Vmbroſæ. §. 7. Perturbatoribus pœnam, & obſeruatorib. ſalutẽ indicit. §. 9. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore initiata fuit iſta Congregatio? & à quo?

RESP. A Beato Ioanne Gualberto Ciue Florentino inſtitutam non ambigitur, ſed inſtitutionis tempus eſt in magna controuerſia, ſiquidem Marc. Ant. Marſil. de reddit. Eccleſ. cap. 16. num. 8. & Ciacon. de vita & geſt. Ioan. XIX. affirmant B. Ioannem Gualbertum eo ſub Pont. & anno 1030. fundaſſe iſtam Congregationem, horum autem aſſertio veritati non cohæret, ſi credimus Baron. in Ann. Eccleſ. tom. 11. pag. 177. dicenti, B. Ioãnem Gualbertum Monachum in Monaſterio Paſſiniano in Hetruria duos piſces eius iuſſu mirabiliter captos Leoni IX. illac tranſeunti obtuliſſe, & deinde noui Ordinis Monachorum Vallis Vmbroſæ inſtitutorem factum fuiſſe. Et conuenit Eman. Rodr. de quæſt. regul. par. 1. q. 3. art. 4. dicens, circa annũ 1060. iſtam Congregationem à B. Io. Gualberto exordium habuiſſe. Habemus etenim ex Baron. præcit. pag 344. quod de anno 1063. Monachi Vallis Vmbroſæ quemdam Theuto eorum Monachum beatum colebant, & hinc patet quod ineptè locutus eſt Remund. Frag. de religioſ. ſect. aſſeuerans ſub Alex. II. 1070. B. Ioannem authorem fuiſſe huius Congregationis poſtea approbatæ à Gregor. VII.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Vallis Vmbroſa qua in parte Hetruriæ eſt?

RESP. In parte montis Apennini, prope Ciuitatem Florentiæ ad duo milliaria, teſte Eman. Rodr. vbi ſup. & eſt certiſſimum.

PASCHALIS II.

Italus, creatus anno 1099.

CONSTIT. I. *Edita Anno* 1100.

DEſiderium quod ad Religioſum propoſitum, & infra pag. 15. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suſcipit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ Monaſterium Ciſtercij. §. 1. Perturbari prohibet. §. 2. Confirmat concordiam initam cum Monaſterio Moliſmenſi. § 3. Hortationem paſtoralem ſubiicit. §. 4. Contrauenientibus pœnam indicit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Hæc Ciſtercienſium Monachorum Congregatio, quæ ſexta eſſe dicitur Ordinis S. Benedicti, iam diu forſan inſtituta fuit?

RESP. Attende Baron. ſic dicentem in Annalib. Eccleſ. tom. 10. pag. 714. in fin. Hoc ipſo anno, nempe ſalutis noſtræ 1098. & Vrbani II. Pont. 11. Sedis apoſtol. authoritate iacta ſunt prima fundamenta Ciſtercienſis Ordinis, ex quo tanquam è fonte, riui vniuerſum Occidentalem Orbem donis cæleſtibus irrigarunt. Hoc idem habet Surius de vita Sanct. ſub die 29. Aprilis, & Ciacon. de vita & geſt. Vrb. II. verſ. Sexta, & Azor. de inſtitut. moralib. tom. 1. lib. 12. pag. mihi 1569. Aberrauit ergo Remund. Fraguier. de relig. ſect. verſ. Ciſtercienſes, ſcribens anno 1097. hunc Ordinem à d. Pont. approbatum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Ciſtercienſis Cõgregatio nuncupatur? & à quo inſtituta fuit?

RESP. Quæſito ſatisfaciunt iam citati authores, dum affirmant, S. Robertum Abbatem Monaſterij Moliſmenſis ſiti in Epiſcopatu Lingonienſi, impulſu cuiuſdam Ardhinghi eius Monachi vna cũ aliis viginti vno, Ciſtercium locum ipſius Ardhinghi, in vaſta Eremo diſtrictus Burgundiæ Cabilonenſis agri, ad maiorem Monaſticæ vitæ profectum migraſſe. Quæ autem concordia inter duo antedicta Monaſteria poſtea ſecuta fuerit, & ab iſto Paſch. II. in hac eius conſtit. approbata, etſi à me non quæris, ab eiſdẽ tamẽ authoribus recẽſita perlege re poteris.

II.

Edita Anno 1106. **Q**Vanto Lateranenſis Eccleſia, & infra pag. 16. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit Canonicis Lateranenſis Baſilicæ S. Saluatoris de Vrbe, parochiam certis finibus deſignatam. §. 1. & 2. Alia pia loca ibi conſtrui vetat. §. 3. Perturbatoribus pœnam, & obſeruatoribus benedictionẽ ſubiicit. §. 4. & ſequẽtibus.

Scholion primum.

Quæro. Ordo iſtorum Canonicorum quando initiatus, & à quo?

RESP. Originem à SS. Chriſti Apoſtolis primum traxiſſe, & à S. Auguſtino poſtmodum eorum Congregationem ordinatam dicunt, Boër. de ſtatu & vita eremitar. numer. 2. Remund. Fragu. de relig. ſect. col. 1. verſ. Succeſſit, & poſtremò Eman. Rodr. de quæſt. regul. quæſt. 3. artic. 1. & enarrat Pius IV. in conſtit. 75. *Sedis.* vbi his Canonicis præcedentiam ante Monachos deberi diffiniuit. Sed in his conſule Azor. de Inſtit. moral. lib. 12. c. 22. pag. mihi 1570.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quare hæc Baſilica S. Saluatoris, nuncupatur Lateranenſis?

RESP. Ab Ædibus Laterani, quæ, vt Publi. Vict. ſcribit, erant in regione ſecunda Cælimontana nuncupata, quas magnificentiſſimas fuiſſe teſtatur Iul. Capit. in M. Aurel. Imper. & Victor. in Seuero. Fuit autem poſtea dicta, Baſilica Conſtantiniana, eo quod Cõſtantinus Imper. eas in Eccleſiam mutarit, auxerit, ornaritque, vt hæc omnia ſcribit Baron. in Martyrolog. ſub die 9. Nouembris, quo eius baſilicæ feſtum dedicationis celebratur.

III.

Edita Anno 1110. **D**Ominum excelſum habentes præ oculis, & infra pag. 16. Bul.

COMPENDIVM.

Canonizat Petrum Epiſcopum Ciuitatis Anagniæ in prouincia Campaniæ pro S. Confeſſore. §. 1. Eius miracula à Brunone Signenſi Epiſcopo adnotata eſſe indicat. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Vbi vitam, & miracula huius Sancti, in iſta conſtitutione non relata, addiſcam?

RESP. Extant de hoc tabulę Eccleſię Anagninę, eiuſque præclara acta ſcribit S. Bruno eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus.

Scholion ſecundum.

Quæro. An Epiſcopo in ſua diœceſi liceret hoc tempore aliquem Sãctum canonizare?

RESP.

R E S P. Negatiuam ſententiam libentius amplecterer, nam quamuis poſtea Innocent. III. hoc Epiſcopis vetuerit in cap. 1. de rel. & ven. Sanctor. non tamen inde ſequitur antea Epiſcopis licere, ſecundum Butr. Imol. Abbat. Anchar. Hoſtienſ. & alios relatos à Troil. Maluit. de Canon. Sanctor. in 2. dub. num. 5. & ſeqq. vbi latè de hoc articulo differit.

CALLISTVS II.
Gallus, creatus anno 1119.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1122. OMnipotenti Domino, & infra pag. 17. Bullar. *Item.* Ego Calliſtus. ibid.

COMPENDIVM.

Lætatur cum Henrico V. Imper. de eius cum S.R.E. reconciliatione. §. 1. Qui Henricus Eccleſiæ inueſtituras reſtituit in ſeq. diplomate. Et Papa deinde illi regalia retroceſſit in alio ſubſeq. reſcripto.

Scholion primum.

Quæro. Quando, & à quo fuit anathemate alligatus Henricus iſte?

R E S P. Anno 4. Paſchalis II. Pont. anno 12. in pluribus Conciliis, & rurſus anno 1119. à Calliſt. Pap. II. ſuo Pontif. 1. in generali Concilio Rhemenſi, vbi præſentialiter ſe contulit, vt diſertiſſimè omnia enucleat Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 89. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quamobrem prædictus Henricus depoſitus fuit, & excõmunicatus?

R E S P. Tot tantaque ſcelera ille admiſit, vt libello hic opus eſſet, pro eorum aliquali relatione, perlege itaque Baron. mox citatum, qui fusè omnia enarrat.

HONORIVS II.
Italus, creatus anno 1124.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1130. CHariſſimus frater noſter, & infra pag. 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Concilium Turonenſe, & eius obſeruantiam præcipit in princip. Damnat quaſdam prauas conſuetudines Regni Britanniæ, diripiendi bona poſt naufragium ad portum perducta, vſuſque poteſtatis ſæcularis auferendi bona mobilia viri, vel vxoris præcedentis. §. 1. Comprobat leges ciuiles circa bona naufragantia. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. In eo regno Britanniæ, vbi tot prauæ aderant conſuetudines, ſciſne è contrario aliquam tunc extitiſſe conſuetudinem laudabilem?

R E S P. Tertiam partem bonorum mobilium tenebantur Britanni relinquere in morte, conuertendam in vtilitatem Eccleſiarum, & pauperum, Abb. poſt alios in cap. Apoſtolicam 42. de Simon. num. 4. Gemin. conſ. 139. num. 6. Redoan. de Simon. par. 3. cap. 25. num. 32. Præterea vſque ad tempora Alexandri III. præſtabant Anglici quoſdam denarios Romanæ Eccleſiæ, faciebantque collectam denariorum, propter B. Petri viſitationem, vt habetur in cap. ex quæ 12. iuncta gloſ. in 5. collectam, de cenſib.

Scholion ſecundum.

Quæro. Britones ſuntne iidem, qui Britanni?

R E S P. Sic arbitror, cum à Britone Rege Britannia appelletur, & ita ſentit Alber. in ſuo Dictionar. vbi ſubdit, Britannos nobiles reputari, eo quod à ſanguine Troiano originaliter deſcẽderint, quod antea ſcripſerat Henric. Boich. in cap. Venerabilis 37. de præbend. num. 2. quem citat etiam Gamb. de auth. leg. lib. 7. num. 175.

INNOCENTIVS II.
Romanus, creatus anno 1130.

CONSTIT. I.

DIuinis reſpondentes beneficiis, & infra pag. 18. Bullarij. *Edita Anno 1134.*

COMPENDIVM.

Enunciat canonizaſſe S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum in princ. Iubet Guidoni Carthuſien. Priori, vt eius vitam & miracula deſcribat. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Hugo iſte, qui migrauit ad Domi-

Dominum anno ſuperiori 1132.1. Aprilis, vt præfatus Guido Carthuſiæ Prior, & alij ſcribunt, cur tam breui temporis interuallo inter Sanctos refertur hoc anno 1134. vt firmat Baron. in Annal.Eccleſ. tom. 12. pag. 223. & 229. in fin. cum canonizatio longa temporum ſerie differri ſoleat,pro indaganda veritate circa ſanctitatem,& miracula canonizandi, reſte Chryſoſt. homil. 53. in Matth. 15. tom. 2.

RESP. Colligitur reſponſio à Baron. mox citato,aſſerente, quod canonizatio fuit promulgata ab iſto Innoc. II. Piſis adhibito conſilio Prælatorum, qui Generali Concilio illic congregato interfuere.

Scholion ſecundum.

Quæro. Indica quæſo vbi perlegam eius vitam, & miracula.

RESP. Apud præfatum Guidon. & Sur. ſub die prima Aprilis,& 5.Octobris in vita S. Brunonis, necnon Petr. Cluniac.lib.2.cap.28.& Vinc. lib. 27.cap.8.& 14. vt me docet Baron. in Martyrolog. ſub hac eadem die prima Aprilis.

Edita Anni 1139.

II.

PEr præſentia ſcripta, & infra pag. 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit carceribus mancipari in religioſis locis Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia hæreticos. §.1. Eorúmque libros publicè concremari, in fin.

Scholion primum.

Quæro. Quæ præcipua erat hæreſis iſtorum?

RESP. Perſtringendo enormes Petri errores, S. Bernardus ſic ſcripſit in eius epiſt. 192. Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arrium, cum de gratia, ſapit Pelagium, cum de perſona Christi, ſapit Neſtorium, &c. ſic refert Baron. in Annal. eccleſ. tom.12.pag.291.Arnaldus autem D. Petri diſcipulus fuit, & Clericorum,Epiſcoporum, & Monachorum perſecutor appellatur à Baron.ibid.pag.281. vbi aliqua de eo impia refert.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis prædictorum exitus fuit?

RESP. Impar proculdubio.Petrus náque eiuratis erroribus, monaſticam amplectitur diſciplinam, & ſancto fine vitam claudit in monaſterio Cluniacenſi. ſic ſcribit Petr. Cluniac. lib. 5. epiſt. 20. & Baron. in dictis Annal. tom. 12. pag. 292. Arnaldus verò in manus tandem Adri IV. Pontificis deuenit, deinde à Præfecto Vrbis ad rogum damnatur, comburitur, & cinis in Tyberim ſpargitur,ne à ſtolida plebe eius corpus venerationi haberetur,vt ex Ottone Friſinghi Baron. vbi ſupra recenſet pag. 390.

EVGENIVS III. Italus, creatus anno 1145.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1152.

SIcut per literas, & infra pag. 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iuſſerat ſuis legatis, vt de vita S. Henrici Regis inquirerent, in princ. Relationem de eius miraculis habuit.§.1. Sanctorum catalogo eum aſcribit. §. 2. Eiuſque feſtum agi iubet. ibidem.

Scholium primum.

Quæro. In conſtit. 1. Greg. VII. ſupra pag. 3. agitur de excommunicatione Henrici IV. Imperat. Quo igitur pacto hic Henricus I. Imperator appellatur?

RESP. Ille verè erat Rex,& non propriè Imperator, eo quòd à Sede Apoſt. non fuit vmquam coronatus. cap. Per venerabilem 34. de elect. & incuria impreſſoris deficit ibi verbum(dictus.)Hic ergo verè primus fuit hoc nomine Imperator, quia, vt refert Baron.in Annal. tom. 11. pag. 8. à Bened. VIII. Romæ coronatus fuit anno 1014.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huius Imperatoris vitam, & miracula quis deſcripſit?

RESP. Plures quidem recenſiti à Baron. in Martyrolog. ſub die 14. Iulij, qua huius Sancti feſtum agitur, & ipſe quoque multa de eo ſcripſit in Annalib. loco nunc citato.

II.

Edita Anno 1152.

SAcroſancta Romana Eccleſia, & infra pag. 19. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat ſtatuta edita ab Ordine Ciſtercienſi Monachorũ S. Benedicti.§.1. & 7. Refert quædam eorum ſtatuta. §.2. & ſeqq.

Digitized by Google

& ſeqq. Et ſignanter quod in omnibus locis obſeruetur Regula S. Benedicti. §. 3. Et quod non obligatur Abbas de alio Ordine. §. 6. Monachique non trahantur ad iudicium ſeculare. §. 10. Perleguntur alia poſt ipſam conſtitutionem.

Scholion primum.

Quaero. Inter hæc ſtatuta, eſtne prohibitio nutriendi comam, & barbam?

R E S P. Ex eorum lectura, negatiua reſponſio probatur, nec quidem neceſſaria fuit, cum iam diu clericis omnibus interdictum id fuiſſe legatur in Concil. Carthag. 4. cap. 44. & refert Baron. in Annalib. tom. 5. pag. 64. Quamuis huius Canonis lectio varia ſit, & pleraque manuſcripta habeant, neque barbam radat, nec tondeat, vt notat Binius in editione Concil. Coloniæ Agrippinæ.

Scholion ſecundum.

Quaero. Ab iſtis regulis, & ſtatutis, abſolutuſne remanet Monachus, ſi fiat Epiſcopus?

R E S P. Abſoluitur ab officio monachali, ſi ſit factus Epiſcopus Eccleſiæ ſecularis, quia debet eam Eccleſiam regere ſecundum officium Clericorum ſecularium. gl. in clem. 2. de celebrat. miſſar. Abſoluitur à vigiliis indictis à regula. gl. in cap. 3. cauſ. 16. q. 1. Non tamen abſoluitur à continentia, & voto paupertatis, vt nihil ſibi ipſi acquirat, quod de eo in morte diſponere poſſit, Bald. in cap. Clerici. 15. de vita, & honeſt. cleric. num. 7. & latius Abb. num. 19. Et neque abſoluitur à delatione habitus monachalis, vt inquit idem Abb. & eſt communis opinio, quam ſecutus eſt Zabar. in Clem. 1. de ſtatu monach. in fin. & Bertach. in ſuo tract. de Epiſcopis lib. 4. par. 1. in princ. & lib. 2. quæſt. 26.

ANASTASIVS IV. Romanus, creatus anno 1153.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1154. POteſtatem ligandi, & infra pag. 21. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat Canonicos regulares in ſacroſancta Lateranenſi Eccleſia S. Saluatoris de Vrbe. §. 1. & 2. Dat formam eligendi futurum Priorem. §. 3. Elargitur aliqua priuilegia. §. 4. & ſeqq. Et præcipit qualibet hebdomada Capitulum celebrari. §. 16. Sanctionem pœnalem apponit. §. 11.

Scholion primum.

Quaero. Cur dedicatio huius baſilicæ dumtaxat in vniuerſali Eccleſia quotannis die 9. Nouembris celebratur?

R E S P. Optimo quidem iure, cum illa ſit parens, & caput omnium Eccleſiarum, teſte Baron. in Martyrol. ſub dicta die, & vſque in hodiernum diem, in capella Sanctiſſ. Saluatoris d. Baſilicæ, inſcriptus legitur hic verſus. *Non eſt in toto ſanctior Orbe locus.*

Scholion ſecundum.

Quaero. Quam ob rem confirmatio iſtorum Canonicorum in d. Baſilica edita fuit?

R E S P. Quia anno 312. Conſtantinus Imperator regias domos, quas Laterani conſtruxerat, & intra quas baſilicam pro Chriſtianæ religionis cultu ædificauerat, Melchiadi Papæ I. largitus fuit, prout ſcribit Optatus Mileuitanus contra Parmenianum lib. 1. & Baron. in Annalib. tom. 3. pag. 91. & 149. litera B, & deinde Benedictus Papa I. eamdem baſilicam dedit Monachis S. Benedicti. Gregorius dial. lib. 2. in princ. & Baron. in Annal. Eccleſ. tom 7. pag. 551. in princ. Poſtea habuerunt ſeculares, & poſtremò regulares à Paſch. II. conſt. 2. ſup. pag. 4. quorum eiectio iuſtè timebatur ab eiſdem, ſicut poſtea euenit, vt ibi Genitor meus indicauit in rubrica d. conſt. 2. Bull. pag. 16.

II.

CHriſtianæ fidei religio, & infra pag. 22. Bullarij. *Edita Anno 1154.*

COMPENDIVM.

Commendat hoſpitalitatem in princ. Recipit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ hoſpitale Hieroſolymitanum. §. 1. Permittit eidem acquiſitionem bonorum ſtabilium. §. 2. Concedit priuilegia, & exemptionem à decimis. §. 3. & ſeqq.

Scholion primum.

Quaero. Cur hoc nomine iſtud hoſpitale nuncupatur?

R E S P. Hieroſolymis etenim inſtitutum fuit, & S. Ioanni Baptiſtæ ſacratum, non longe à Sepulchro Chriſti, quia poſt

recuperatam Hieruſalem cœnobia infinitæ affluenti multitudini non ſuppetebat; Rectorque illius poſt aliquot annos, vna cum ſociis ſuis habitum religionis aſſumpſit, crucemque albam in pectore gerere, certa ſe aſtringens vitæ diſciplina inſtituit. ita Ciacon. de vita, & geſt. Paſchal. II. verſ. anno. & ante eum Polyd. Virgil.de inuent.rerum. lib. 7.cap.5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo igitur pacto iſti Hoſpitalarij, dicuntur milites Hieroſolymitani, Rhodij, & Melitenſes?

RESP. Hieroſolymitani,quia plerique eorũ ſtudio rei militari ſe dederunt, vt defenderent peregrinos ad Hieruſalem proficiſcentes aduerſus Saracenos, qui illis admodum infeſti erant, ſed à Saracenis Hieruſalem occupata, Rhodij, & Melitenſes nuncupati etiam fuere, quia ad eam Inſulam Rhodij primum,& ea per Solimanum 12. adempta, ad Melitenſem Inſulam poſtremò eorũ ſedes tranſducta fuit,vbi contra infideles ſtrenuè pugnant, vt recenſent præcitati authores, ac etiam Eman. Rodr. de quæſt. regular. lib. 1. quæſt. 5. art. 2. & Azor. de Inſtitut. moral. tom. 2. lib. 13. cap. 5. pagina mihi 5612.

ALEXANDER III.

Italus, creatus anno 1159.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1165. Illius deuotionis conſtantiam, & infra pag. 23. Bullarij.

COMPENDIVM.

Henricus Rex Angliæ, illiuſque Regni Prælati, apud Pontificem inſtiterunt, pro canonizatione Eduardi Regis Angliæ. §. 1. Qui attentis illius meritis, & miraculis, inter ſanctos Confeſſores illum adſcribit. §. 2. Hortatur Prælatos,& alios ad illius venerationem. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quis deſcripſit vitam & miracula huius Regis?

RESP. Alredus Abbas, & retulit Sur. de vita Sanctorum tom. 1. & in append. ad vitam S. Eduardi tom. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quanto tempore poſt eius obitũ Rex iſte inter Sanctos relatus fuit?

RESP. Elapſis centum ferme annis, vt arbitratur Baron. in Annal. tom. 12. pag. 467. litera C. Quod quidem eueniſſe ſcimus etiam in canonizatione S. Staniſlai, qui anno 175. poſt martyrium catalogo Sanctorum fuit adſcriptus ab Innoc. IV. inf. in ſua conſtit. 13. vbi de cauſa, ob quam magno tempore Romani Pontif. eiuſmodi canonizationes differre ſoleant dicetur.

II.

Contigit olim, & infra pag. 25. Bullarij. *Edita Anno 1164.*

COMPENDIVM.

Quamplurimi apud hunc Pontificem poſtularunt, Bernardum Abbatem Clareuallenſem canonizari, vt in princ. Qui multis miraculis claruit. §. 1. Ideoque is Pontifex illius meritis, & miraculis cognitis, inter SS. Confeſſores refert. §. 2. Eiuſque feſtum agi iubet. ibid.

Scholion primum.

Quæro. De morte abs te, de meritis & miraculis huius Sancti.

RESP. Guillelmus Abbas Bonæ vallis, & Godrefidus Monachus Clareuallenſis, quiaque libris ea digeſſerunt, & diſertiſſime etiam Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 177. & perſæpe vſque ad pag. 385.

Scholion ſecundum.

Quæro. Migauit ex hac vita B. Bernardus an. 1153. Cur ergo tam breui temporis ſpatio, anno ſcilicet 1164. hic Pont.promulgauit eius canonizationem, quæ in annos plurimos differri ſolet, vt mox ſupra etiam dictum fuit?

RESP. Quia ſummis Pontificibus,& Senatui Apoſtolico cuncta, & mirabilia quidem eius geſta pro Republica Chriſtiana, & orthodoxæ fidei ampliatione, ſequentibus ſignis, geſta notiſſima, luceque meridiana erant clariora, vt ſcripta præfatorum authorum perbellè omnes docent.

III.

Quanta vniuerſæ Eccleſiæ Dei, & infra pag. 24. Bullarij. *Edita Anno 1169.*

COMPENDIVM.

Refert mala euentura ex diſſenſione inter Regem Francorum, & Regem Anglorum,in princ. Ideoque mandat Card.

Sed.

Sed. Apoſtol. Legatis, vt eam æqua lance tractare curet. §. 1. Prohibetque ne intret Regnum Angliæ, niſi præuia reconciliatione Thomæ Archiepiſcopi Cantuarien. cum Rege Angliæ. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Nonne inter Ludouicum nempe Francorum, & Henricum Anglorum Reges illos, anno 1162. hic idem Pontifex ad Galliam profectus, pacis medio, paſchali tempore, diſſidia compoſuit, illique præterea eidem humili obſequio inſeruierunt?

R e s p. Fateor, ſic etenim ſcribit Robert. in Chronic. & Baron. tom. 12. pag. 478. litera B, ſed ſuperſeminante humani generis hoſte zizaniam, diſſenſiones reiteratæ ſunt, Baron. vbi ſup. pag. 577. in princ. quæ tamen non longe poſtea extinctæ fuerunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. De reconciliatione autem S. Thomæ, quid?

R e s p. Longa oratione opus eſſet, vide ergo ea omnia ſcripta à Baron. tom. 12. ab anno 1162. vſque ad 1170. quo S. Thomas crudeliter occiſus, martyr Chriſti euaſit glorioſiſſimus d. anno 1170. & ab iſtomet Pontifice deinde Martyrum albo aſcriptus, vt legitur in conſtit. ſeq.

IV.

Edita Anno 1173.

Redolet Anglia, & infra pag. 24. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

S. Thomæ Cantuarienſis merita, & miracula magna fuerunt, in princ. Ideòque hic Pont. aſcribit catalogo ſanctorum Martyrum B. Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem. §. 2. Iubet eius feſtum agi die ſui martyrij. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quod genus martyrij fuit?

R e s p. Baron. præclarè, & piè in Annal. tom. 12. pag. 640. ex Roger. quem citat in annal. Anglican. truncato recenſet expiraſſe capite, quod ille in modum orantis, quatuor carnificibus inclinauit, ſummæ conſtantiæ paſtoris relinquens exemplum, certandi vſque ad mortem pro libertate Eccleſiæ vindicanda.

Scholion ſecundum.

Quæro. An in canonizatione Martyris, miraculorum inquiſitio neceſſaria ſit?

R e s p. Non equidem, vt exempla habemus S. Ioannis Baptiſtæ, & SS. Innocentum, vt tradit Aug. Triumph. de poteſt. Eccleſ. quæſt. 16. art. 3. Sed ne credas S. Thomam miraculis non claruiſſe, illud vnum refero, quod Roger. de martyrio & ſepultura S. Thomæ ſcribit, dicens; Expletis per Monachos circa eius corpus obſequiis humanitatis, cum iam in choro iaceret ſuper feretrum, circa auroram leuata manu dextera, dedit benedictionem.

V.

Edita Anno 1175.

Benedictus Deus in donis ſuis, & infra pag. 25. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enunciat in Hiſpaniis quoſdam nobiles viros, ſub vnius Magiſtri obedientia ſtare cœpiſſe, militiam S. Iacobi de Spatha conſtituentes. §. 1. & 2. Recipit eorum Ordinem ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 3. Concedit facultatem cõſequendi bona. §. 4. Vetat eiſdem proprietatem. §. 5. Permittit matrimonium. §. 6. Prohibet receſſum ab Ordine. §. 7. Dat formam cogendi Capitulum generale, & eligendi Magnum Magiſtrum. §. 8. Ac viſitatores. §. 9. Deſignat victum, & veſtitum. §. 10. Præſcribit munus Commendatoris. §. 11. Committit curam hoſpitum, & indigentium. §. 12. Elargitur priuilegia. §. 13. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quibus inſigniis vtitur Ordo iſte?

R e s p. Ciacon. de vita, & geſt. huius Pont. inquit, vti enſe rubro in pectore geſtando, proptereaque nuncupatur Ordo militaris S. Iacobi Enſigeri, à qualitate inſigniorum. & concordat Petr. Gregor. de Syntag. Iur. par. 2. libro 15. cap. 35. num. 9. ſed Azor. de inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 5. pag. mihi 1613. inquit, quod inſigne his Militibus eſt, in veſte candida Crux rubra, in gladij militaris modum conformata.

Scholion ſecundum.

Quæro. Suntne re vera religioſi, iſti quibus à ſummo Pontifice permiſſum eſt coniugium?

R e s p. Negatiuam ſententiam tenet S. Thomas 2. 2. quæſt. 186. art. 4. verſ. ad tertium, dicens quod non ſunt ſimplici-ter

ter & abſolutè loquendo, religioſi, ſed ſecundum quid, in quantum participant aliqua ad ſtatum religionis pertinentia, & S. Thomam ſequuntur alij Theologi. Veruntamen contraria opinio ſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis verior videtur, cum hi religioſi promittant paupertatem, caſtitatemque coniugalem ordinatam ad eundem ſtatum militarem, ac obedientiam magno Magiſtro, vt eruditè oſtendit Nauar. de reddit. Eccleſ. quæſt. 1. monit. 55. per tot. & quæſt. 3. monit. 27. & ſeqq. & nouiſſime Eman. Rod. qq. regul. lib. 1. quæſt. 1. artic. 6. vbi cæteros allegat.

V I.

Edita Anno 1175.

APoſtolicæ Sedis, & infra pag. 27. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Approbat Ordinem Monachorum S. Baſilij in monaſterio S. Saluatoris in Ciuitate Meſſanen. §. 1. & 2. Comprobat largitiones Rugerij Regis Siciliæ. §. 3. Enumerat loca ordinis in Sicilia, & Calabria. §. 4. Præſcribit munus Archimandritæ, eiuſque authoritatem, & electionem. §. 5. & 6. & 13. Elargitur his Monachis poteſtatem acquirendi bona, recipiendi religioſos, & exemptionem à decimis. §. 7. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. S. Baſilij regula nonne eſt antiquior regulis S. Benedicti, & aliorum Monachorum approbatis?

R E S P. Ita proculdubio, vt deducit Caccialup. in conſ. 4 num. 39. impreſſo poſt conſ. Zabar. & Caſſ. de glor. mund. par. 4. conſiderat. 54. poſt D. Ant. Florentin. in 2. par. ſuæ Hiſtoriæ tit. 15. cap. 12. in fin.

Scholion ſecundum.

Quæro. Archimandritæ nomen, de quo in §. 5. & ſeqq. vnde ſumptum?

R E S P. A verbo Græco Archos, id eſt Latinè Princeps, & Mandros, quod eſt ouis, ſic inquit Accurſ. in l. 4. alias in epiſtola. Nos reddentes. §. Manifeſtum. Cod. de ſumm. Trinit. & fide Catholica, quem ſequitur Alber. in ſuo dictionar. in V. Archimandrita: vel ab Archos, & Mandra, hoc eſt, ſpelunca, ſiue cauerna, eo quod Monachorum regularium duces ſint, qui eremos, & ſpeluncas incolebant, vt ſcripſit M. Antonius Marſil. de reddit. Eccleſiaſt. cap. 15. num. 10. de quo meminit Gregor. Tholoſan. in ſuis Syntagmat. iuris vniuerſ. lib. 15. cap. 13. n. 5.

V I I.

Edita Anno 1176.

CVm vos per Dei gratiam, & infra pag. 28. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Approbat Ordinem Fratrum Carthuſianorum. §. 1. Iubet Ordinem non perturbari. §. 2. Prohibet prope eos aliorum Religioſorum domos conſtrui. §. 3. Eorumque bona diminui. §. 4. Contrauenientibus pœnas indicit. §. 5. Fautoribus pacem. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quam regulam ex approbatis à Sede Apoſtolica Ordo profitetur?

R E S P. Non ſubeſt alicui regulæ, ſed ſuis pro regula vtitur conſtitutionibus, & habetur in magna veneratione, vt ſcribit D. Anton. Flor. par. 3. ſuæ Summæ. tit. 16. cap. 1. §. 6. & ſequitur Caſſan. de glor. mund. par. 4. conſid. 62. & etiam Eman. Rodr. lib. 1. quæſt. regul. quæſt. 3. art. 8. & Azor. de inſtit. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1665.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne laudabilis Ordo iſte?

R E S P. A Sancto Brunone Colonienſi Theologo, & Canonico Rhemenſi arctiſſimum vitæ inſtitutum prodiit, ſub perpetuo fere ſilentio, & commendatur admmodum de arcto huiuſmodi ſilentio, magnis vigiliis, prolixitate officij, & auſteritate à S. Bernardo Abbate Clareuall. & Petro Abb. Cluniacen. vt ſcribit Baron. in Annal. tom. 11. pag. 21. littera D, & Nauar. de regular. comment. 4 num. 31.

V I I I.

Edita Anno 1177.

EXigunt gratiſſimæ deuotionis obſequia, & infra pag. 29. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert pacem ſibi, & S. R. E. redditam à Friderico Theutonicorum Imperatore in ciuitate Venetiarum die 21. Iulij 1177. §. 1. & ſeq. Dictum Imperatorem ſchiſmati renunciaſſe. §. 2. Maximumque honorem & reuerentiam ſibi Pont. præſtiſſe.

ſtitiſſe, eique deuotè dextraſſe. §. 3. & 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſibi vult illud verbum dextraui, de quo in §. 3. & 4.

RESP. Dextrare, eſt Papæ incedenti, dexterum brachium, & latus ſuſtinere.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fabulantur ergo, qui aſſerunt, hunc Pontificem, perhorreſcentem Venetiis Imperatoris exercitum, coqui ſui veſtibus indutum, eo in habitu Venetias profugiſſe, & ad Diuæ Virginis de Charitate monaſterium profectum, ibique receptum, horto præpoſitum fuiſſe.

RESP. Proculdubio fabulantur, vt vides ex hoc textu, ad ampliorem tamen ſaturitatem perlege præclariſſima de eiuſmodi impoſtura, ſcripta Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 690. & ſeq. & antea Roger. de Houed. in Annal. Anglican. cui adhæret Seuerin. Ben. in ſua 1. not. ad generale Concil. Lateranenſe 3.

IX.

Edita Anno 1178. QVoniam in agro Domini, & infra pag. 29. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat vrgentiſſimas cauſas, ob quas Concilium generale Lateranenſe celebrandum ſit. §. 1. Indicit prædictum Concilium. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Fuitne illo anno 1179. d. Concilium celebratum?

RESP. Vuilhelmus Archiepiſcopus Tyri, qui d. Concilio interfuit, & acta deſcripſit, affirmat fuiſſe celebratum anno 1180. die 5. Martij, vt recenſet Baron. in Annal. to. 12. pag. 727. litera B. Et hinc corrigendi ſunt Ciacon. & alij ante illum dicentes, iſtud Concilium actum fuiſſe dicto anno 1179.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nonne verum eſt, Concilium generale quolibet decennio celebrari debere iuxta decretum Concilij Conſtanſienſis?

RESP. Dictum decretum non fuit vſu receptum, quia nunquam fuerunt obſeruata interſtitia temporum: ſed pro exigentia cauſarum congregari conſueuit, vt ſcribit Iacobat. de Concil. libro 4. artic. 1. numer. 9.

VRBANVS III.

Italus, creatus anno 1186.

CONSTIT. I.

CVm anteceſſor tuus, & infra pag. 29. Bullarij. *Edita Anno* 1187.

COMPENDIVM.

Recipit ſub protectione Sedis Apoſt. Hoſpitale Fratrum ordinis Cruciferorũ in Ciuitate Bononiæ, in princip. Concedit exemptionem à decimis, & alia quædam priuilegia. §. 1. Et facultatem alios ad Ordinem recipiendi. §. 2. Perturbari vetat. §. 3. Licentiam erigendi Oratoria conceditur. §. 4. Chriſma, & alia Sacramenta ab Epiſcopis recipi decernit. §. 5. Annuam præſtationem Sedi Apoſtolicæ dari iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quo authore Genitor tuus ſcripſit in Rubr. huius bullæ fol. 29. in Bullario, hunc Ordinem à B. Cleto fuiſſe inſtitutum, & à Pio II. habitum cærulei coloris præfinitum?

RESP. Primum probat, eo quod ſic enunciauit Greg. XIV. per eum allegarus, nec ſui inſtituti munus fuit, authores citare vnquam pro declaratione, aut intelligentia conſtitutionum. Hoc tamen ſcripſit Eman. Rodr. lib. 1. quæſt. regular. quæſt. 3. art. 11. & Azor. de inſtit. moral. to. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1661. Secundum probant Rodr. & Azor. vbi ſupra. Qui Azor. alia de huius Ordinis initio ibidem ſcripſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliudne Monaſterium eiuſdem Ordinis proximis annis fuerat alibi, quàm Bononiæ erectum?

RESP. Anno 1169. Alexander. III. in Ciuitate Beneuenti Ordinem fratrum Cruciferorum S. Mariæ Formauerat, qui Xenodochiorum curam maximo pietatis ſtudio ſibi aſciuerant, ac magnam ob id apud homines gratiam conciliarant. ita ſcribit Ciacon. in vita D. Alex. III.

CÆLESTINVS III.

Romanus, creatus anno 1191.

CONS

CONSTIT. I.

Edita Anno 1192. **B**Enedictus Deus in donis ſuis, & infra pag. 30. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Vbaldum Epiſcopum Eugubinum iuſtam, piamque vitam duxiſſe, & miraculis claruiſſe, in princ. Adiungit ergo numero SS. Confeſſorum. §. 1. Inſtituit eius feſtum pro die 16. Maij. §. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eius res geſtas quis deſcripſit?

R E S P. Surius de vit. Sanct. to. 3. die 16. Maij in impreſſione de anno 1572. & alij quos recenſet Baron. in Martyrolog. vbi non bene legitur Sanctum Vbaldum vixiſſe in Epiſcopatu vſque ad tempora Alexan. IV. Ille enim fuit longe poſtea ad Pontificatum aſſumptus anno 1254. Prout corrigendus videtur Sur. vbi ſup. dicens S. Vbaldum floruiſſe vſque ad annum 1210. quia, vt vides, hoc anno 1192. inter SS. relatus eſt, ita aduertit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 852. litera B.

Scholion ſecundum.

Quæro. Miracula in eiuſmodi canonizationibus quomodo ſunt examinanda?

R E S P. Summa quidem diligentia ob plurimas, quæ deſuper exoriri ſolent difficultates, vt diſcernantur vera à ludificatoriis, & ideo Concil. Trident. in admiſſione nouorum miraculorum, Epiſcoporũ, Theologorũ, & aliorum piorum virorũ operam requirit. ſeſſ. 25. de Reliq. SS. prope finem. Teſtes adhibendi de circumſtantiis miraculorum diligenter interrogandi ſunt, conteſtes de eadem re eſſe, cauſamque ſcientiæ explicare debent. cap. Venerabili, cum ibi not. 52. de teſtib. Archid. in cap. Nec mirum. cauſ. 26. quæſt. 5. num. 7. Alex. conſ. 100. lib. 5. num. 5. Bal. in l. 3. Cod. de teſtib. num. 23. Curt. in tract. de teſtib. num. 80.

II.

Edita Anno 1193. **G**Loriosus Deus in Sanctis ſuis, & infra pag. 31. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat B. Ioannem Gualbertum inſtituiſſe Congregationem Monachorum Vallis Vmbroſæ, & miraculis claruiſſe. §. 1. Aſcribit eundem albo SS. Confeſſorum. §. 2. Iubet eius feſtum celebrari. §. 3. Refert miraculum inclinationis Crucifixi. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Extantne tabulæ rerum geſtarum huius Sancti?

R E S P. Extant res geſtæ ac fideliſſimè ſcriptæ, quas refert Sur. de vita SS. tom. 4. teſte Baron. in Martyrolog. die 12. Iulij, vbi ſubdit, hunc Sanctum è vita migraſſe anno 1073. Vnde liquet, eius canonizationem dilatam fuiſſe vſque ad hanc diem 6. Nouemb. 1193. Vnde corrigendus videtur Ciacon. in vita huius Pont. dicens canonizationem peractam Kal. Septembris eiuſdem anni.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt hiſtoria miraculi indicati in §. 4.

R E S P. Audi Baronium in Annal. Eccleſ. in princ. anni 1051. ſic de eo dicentem. Ante decennium (vt eius habent acta) innoteſcere Orbi cœpit egregia ſanctitate ipſe Ioannes, dum parcens inimico, veniam in nomine Chriſti crucifixi petenti, ſibi oranti, Crucifixi imaginem inclinare caput, in ſignum gratæ ſibi admodum actionis aſpexit; cum tanta victus diuina clementia, monaſticæ vitæ arripuit inſtitutum, quam hiſtoriam fuſius deſcribit Azor. de inſtit. mora. tom. 1. lib 12. cap. 21. pag. 1568.

III.

REligioſam vitam eligentibus, & infra pag. 31. Bullarij. *Edita Anno* 1197.

COMPENDIVM.

Recipit Congregationem Monachorum Montis Virginis. §. 1. Iubet ab eis obſeruari regulam S. Benedicti. §. 2. Concedit acquiſitionem, & retentionem bonorum. §. 3. Enunciat ea quæ d. Monaſterium poſſidet. §. 4. Elargitur exemptionem à decimis, & alias gratias. §. 5. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Circa hanc exemptionẽ iſtine, vel alij Monachi fraudem commiſerunt, ſi vicinorum animalia immiſcuerunt cum ſuis, vt fruantur exemptione?

R E S P. Clemens V. eiuſmodi fraudem committentibus certas pœnas inflixit in clem. 1. de Decim. vbi ſcribb. vberrimè de hoc agunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad dictam pœnam conſequẽdam,

dam, ſatiſne eſt probare contrauentionem d. clem. vel etiam probandum eſt, quod dolo ſit contrauentum?

R E S P. Satis eſt probatio actus, abſque probatione doli, cum religioſi habeant contra ſe ius commune, cap. Ad decimas, cum ibi not. de teſtit. ſpoliat. Et hoc dummodo, niſi aliqua rationabilis præſumptio pro religioſis deducatur, vt aduertit Bellam. in repet. d. clem. num. 206. & Zabar. ibid. num. 3.

INNOCENTIVS III.
Italus, creatus anno 1198.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1198. OPerante diuinæ diſpoſitionis clementia, & infra pag. 33. Bullarij.

COMPENDIVM.

Regulam fratrum Trinitatis redemptionis Captiuorum à Fr. Ioanne Miniſtro propoſitam examinari fecit. §. 1. Illam approbat. §. 2. Eiuſque capitula in ſua conſtit. inſerit cap. 1. & ſeqq. Inſtitutum Ordinis eſt, incarceratos pro fide Chriſti à Paganis redimere, & quod pro hac redemptione exponatur tertia pars bonorum vndequaque prouenientium. ibid. Aliquæ conſtitutiones pro Ordinis meliori directione ſubſequũtur.

Scholion primum.

Quæro. Quod cognomen erat Ioanni, qui huius regulæ author dicitur in §. 1.

R E S P. Ioannem de Mata inquit Ciacon. in vita hnins Pont. & Azor. de inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1660. vbi egregiè hiſtoriam inſtitut. huius Ordinis enarrat, quam veriorem puto. Sed aliter eam refert Eman. Rodr. lib. 1. quæſt. regular. quæſt. 3. art. 12. Ioannemq; Merencis nuncupatum affirmat, ſubdens fuiſſe ſocium Vuilhelmi Ducis Aquitanię & Comitis de Pictauia, qui iamdudum temporibus Anaſtaſ. IV. & Adrian. IV. zelo redemptionis captiuorum accenſus aliquas confraternitates ad huiuſmodi pium miniſterinm inſtituerat in Regno Galliæ, quod vltimnm tenet etiam Caſſan. de glor. mund. par. 4. conſid. 63.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne opus redemptionis, quod valde pium ab omnibus reputatur, aliquo priuilegio à lege decoratum?

R E S P. Multis qnidem, ſed vno ſis modo contentus, nempe quod ſtatutum, quo mulierum, vel minorum contractus abſque certa initi ſolennitate irritantur, non habet locum, ſi fiant pro redimendis captiuis. l. penult. cum ibi not. C. de donat. Rom. conſ. 316. in fin.

II.

QVia pietas promiſſionem habet vitæ, & infra pag. 35. Bullarij. *Edita Anno 1198.*

COMPENDIVM.

Pro canonizatione duo requiri inquit opera pietatis in vita canonizandi, & miracula poſt mortem. §. 1. Hæc duo in perſona S. Homoboni probata fuerunt. §. 2. Illum propterea inter SS. Confeſſores canonizat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Cur exactè hæc duo in canonizatione SS. requiruntur?

R E S P. Quia cauſa canonizationis eſt de maioribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponuntur, gl. & ſcribb. in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor. in 6. & poſt alios Troyl. Malu. in ſuo tract. de Canoniz. SS. 2. dub. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Præter in hac bulla recenſita, aliane extant præclara geſta huius Sancti?

R E S P. Extant quidem edita à Collegio Eccleſiæ Cremonenſis, & habentur apud Sur. de vita Sanctor. tom. 6. vt inquit Baron. in Martyrolog. die 13. Nouembris.

III.

EX eo te radicatum in fide Catholica, & infra pag. 36. Bullarij. *Edita Anno 1199.*

COMPENDIVM.

Refert Gregorium Catholicum Armeniorum Epiſcopum, agnoſcere primatum Petri. §. 1. Papamque eius caput, & Epiſcopos eius membra. §. 2. Lætatur ſecum de ſupradictis. §. 3. Hortatur eundem ad perſeuerantiam. §. 4. Exercitium parari ſubdit pro ſubuentione Terræ ſanctæ. §. 5.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Quot modis conſtat de eiuſmodi primatu Petri,& Succeſſorum eius?

R E S P. Ex pluribus locis Euangelicę hiſtoriæ,& alibi,necnon tex.& ſcribb. in extrauag.*Vnam ſanctam*, in tit.de maiorit.& obed.in qua Boniſac.VIII hanc veritatem diffiniuit, & ſuper ea habemus optimum Commentar. Pegn.in Direct. inquiſit. par. 1. comment. 8. Nec omittas videre epiſt. à Greg. IX. antea ſcriptam ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum die 26. Iulij 1232. & alteram die 18. Maij anni ſubſeq. quas an. 1586. ex Vaticano deſcriptas, in lucem edidit Gerard. Voſſius,qui eas eruditiſſimis ſcholiis illuſtrauit. Perlege etiam B. Ioan. à Capiſtr. in ſuo tract. de Author. Papæ par. 2. par. 2. & Simanc. de cathol. inſtitut. tit. 45. per tot.

Scholion ſecundum.

Quæro. Veritatine cohæret, in Armenia S. Bartholomæum viuum à barbaris decoriatum fuiſſe?

R E S P. Verum id affirmatur in Martyrol. Rom.edito per Baron. vbi habetur etiam Aſtyagis Regis iuſſu die 25. Aug. capitis decollatione martyriũ cõpleuiſſe.

Edita I V.

Anno IN Eccleſiam ſuam congregatam,

1199. & infra pag. 37. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Authoritaté Romani Pontificis ſuper omnes in toto Orbe demõſtrat in princ. Quam refert agnouiſſe Leonem Regem Armeniorum,ideoque inſtructionem doctrinæ Chriſtianæ, & coronationem ab Epiſcopo Moguntino recepiſſe. §. 1. Quã ipſe Põtifex cõfirmat. §. 2. Eadẽ hortatur ad expugnandã barbariẽ Paganorũ. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Si Papa coronat Reges, dicine poteſt, quod etiam deponit?

R E S P. Authoritates & exempla clara ſunt, & in hoc opere Genitoris mei extant aliquæ conſtitutiones, & hodie alia exempla perlegi apud Franc. Arias in ſuo tract. de Bello, & eius iuſtit.num. 210. & ſeqq. ac Nauar. in relect. cap. nouit. 13. de iudic. ſub num. 55.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tempore huius Pontificis,Paganorum & Saracenorum promouentis exitium, aliquane victoria parta eſt. §. 2. & 3.

R E S P. Hic Pontifex vbi cognouit Mahometanorum regem ingenti claſſe in Hiſpaniam traiecíſſe, publico edicto omnes arma ferre valentes contra eum concitauit, & die 16. Iulij 1212. Hiſpani miraculoſam victoriam adepti ſunt, vnde apud eos partæ victoriæ annua feſtiuitas celebratur, quæ Crucis triumphus nuncupatur, ſecundum Ciacon. in vita huius Pont. verſ. Innocentius, vbi d. victoriæ magnalia refert.

V. Edita

REx Regum, & Dominus dominantium,& infra pag. 37.Bullar. Anno 1204.

C O M P E N D I V M.

Enarrat primatum Petri, & Succeſſorũ eius, in princ. Mittit Regi Bulgarorum, & Blachorum diadema Regni. §. 1. Dat facultatem cudendi monetam. §. 2. Concedit Archiepiſcopo Innouaten. poteſtatem de cætero ſuos in Regno ſucceſſores coronandi. §. 3. Hortatur ad perſeuerantiam in obedientia Sedis Apoſtolicæ. §. 4. Sanctionem pœnalem apponit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Alterumne extat exemplum, quod Papa ius coronandi Reges Archiepiſcopo dederit?

R E S P. Habemus eiuſdem Pontificis exemplum infra in cõſtit. 8. & anno 1206. Vnde corrigendus eſt Ciacon. qui in vita huius Pontif. factum illud enarrat ſecutum anno 1204. Accedit aliud exemplum Pipini Francorum Regis, qui anno 750. vnctus eſt in Regem à S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino iuſſu Zachariæ Papæ, vt habent Annales Francorum, & aſſerunt communiter Hiſtorici ad eumdem annum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Supponiturne in §. 2. quod facultas cudendi monetam, ſit de reſeruatis ſupremo Principi?

R E S P. Et iure quidem hoc probat Bald. conſ. 376. lib. 3. ſub num. 1. vbi inquit etiam quod conſuetudo quoque confert ius cudendi monetam, & in hoc extat gl. ordin. in rub. C. de vet. num. pot. lib. 11. cui adhæret Cur. ſen. in ſuo tract. de monet. in princ. ac Mart. Laud. in ſimil. tract. num. 1.

VI.

V I.

Edita Anno 1204. LIcet ante tuæ promotionis tempora, & infra pag. 38. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reges Bohemiæ à Rom. Pont. vſque modo Reges nominatos minimè fuiſſe refert, in princ. Et neque ab iſto Pontifice. § 1. Sed Othonis in Imperatorem electi precibus, titulo Regis nominari concedit. §.2.Ad agnitionem huius gratiæ illum Regem hortatur. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Cur Otho in §. 2. abſolutè non appellatur Imperator, ſed electus in Imperatorem?

R E S P.Quia,vt aliàs tibi dixi,nemo eſt verus Imperator, quouſque à ſummo Pontifice non extiterit coronatus, quod tradit etiam Caſſan. de glor. mundi par.5.confid.29. Quamobrem ipſe Otho poſtea anno 1209.Romã venit,& ab iſto Pontifice coronatus fuit in baſilica S. Petri die 11. Decemb. eiuſdem anni, ſed leges in coronatione promiſſas malè ſeruauit, vt refert Ciacon. in vita d. Pontificis,verſ. *qui non ita.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſte Rex Bohemiæ eſtne propriè & originaliter de Electoribus Imperij?

R E S P. Hactenus non, ſed fuit additus ad tollendam diſcordiam aliorum ſex electorum, ita ſentit Hoſtienſ. in cap. Venerabilem. 34. de elect. num. 1. Zabar. in clem. 1. de iureiur. num. 6. Caſtald. qui alios citat in tract. de Imperat. quæſt. 8. num. 6.& ſeqq. & num. 21. ponit tenorem bullæ Carol. I V. Imperatoris Rom.in cuius cap. enumerantur Electores, & inter eos eſt Rex Bohemiæ.

V I I.

Edita Anno 1204. INter opera pietatis, & infra pag. 38. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Commendat hoſpitalitatem in princ. Narrat ſe Hoſpitale in Vrbe, & loco S. Mariæ in Saxia nuncupato pro pauperibus & infirmis recipiendis, aliiſque piis operibus exercendis erexiſſe. §. 1. Statuit regularem Ordinem ibidem obſeruari.§.2. Decernit munus clericorum ibi exiſtentium, eorumque Magiſtri.§.3. & 4. & 18. vnit d. Hoſpitale, & aliud S. Spiritus. §. 5.& 6. Eximit à poteſtate quorumcumque Prælatorum. §. 7. Et à ſolutione decimarum, & ab homagiis. §. 12. & 19. Dat facultatem colligendi eleemoſynas. §. 8. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quod Azorius de inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 11. inquit hoc Hoſpitale anno 1200. ab iſto Pont. extructum?

R E S P. Accuratè ille vir id ſcribens verbo (*fertur*) vſus eſt, & accuratiùs ſubdit, poſt Innocentium fortaſſis huiuſmodi Congregationem Clericorum S. Spiritus inſtitutam, quia vtrumque ex text. huius Bullæ computatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne verum, poſtea in generali Concilio Viennenſi nonnulla fuiſſe ſtatuta de reformatione Hoſpitalium?

R E S P. Quamplura ſunt, quæ hoc loco recenſeri opportunum nõ videtur, videas tamen clem. 2. de relig. domib. & alteram conſtit. Vrb. V.quam edidit Lup. de Caſtell. in ſuo tract. de hoſpital. num. 90. circa quas pluribus ipſe quæſtiones enucleauit.

V I I I.

CVm quanta gloria & honore,& infra pag. 40. Bullarij. *Edita Anno 1206.*

C O M P E N D I V M.

Regio diademate Petrum II. Regem Aragonum Romæ coronati fecit per Card. Epiſcopum Portuenſem,in princ. Donauit eidem inſignia regalia,in §. 1. Accepit ab eo promiſſionem annui cenſus.§. 2. Indulget eius ſucceſſores coronari ab Archiepiſcopo Tarraconen. apud Cæſarauguſtam. §. 3.

Scholion primum.

*Quæro.*Quæ ſolennia fiunt in eiuſmodi Regis coronatione?

R E S P. Libello opus eſſet,ſi hæc tibi explanare vellem. Ea ergo omnia perlege in Pontificali Romæ edito ann. 1601. pag. 161. & ſeqq. vbi omnia miro ordine digeſta fuerunt.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Iſta conſtitutio data eſt menſe Iunij ab iſto Pontifice anno 1206. Pont. 9. eſtne propterea corrigendus Hieronym. Surita lib. 1. an. 1204. qui coronationem ponit ſub an. 1204. & Pont. 7.

B R E S P.

RESP. Corrigendus proculdubio, vnà cum Ciacon.in vita huius Papæ,qui Suritam ſequitur, & hanc hiſtoriam ſeriatim ſcripſit, ac tenorem iuramenti & promiſſionis regiæ erga Sedem Apoſtolicam intexuit.

IX.

Edita Anno 1209. OPerante Patre luminum,& infra pag. 40. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordinem fratrum Redemptionis Captiuorum approbat.§.1.Facultatem ædificandi monaſteria concedit. §. 2. Exemptionemque à decimis.§.3.Alios ad Ordinem recipiendi ius tribuit.§.4.& ſeqq. Et mortuos in eorum Eccleſiis recipiendi. §. 8. Miniſtrum generalem à saniori parte Fratrum eligi iubet. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Legatum factum pro eiuſmodi redemptione Captiuorum, nónne dicitur pium?

RESP. Pium adeò eſt, quod permittitur pro hac redemptione alienatio bonorum Eccleſiaſticorum, ad text. vbi ſcribb. communiter in auth.de alienat. §. Sanctiſſimas.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Statutum ergo,vel lex aliquam formam, vel ſolemnitatem in contractu requirens, habebitne locum in hiſce legatis?

RESP. Non habere locum oſtendit Tiraquell. de priuileg.piæ cau.in princ. num.124. Caputaq. deciſ. 194. lib. 3. num.1.Rota coram Blanch.in vna Rom. Euictionis Palatij 23. Martij 1588.in manuſcript. latè Gabr. de donat. concl. 1. num. 26.

X.

Edita Anno 1212. AD noſtram noueritis audientiã perueniſſe,& infra pag.41.Bul.

COMPENDIVM.

Henricus Imper. Conſtantinopolitanus largitiones Eccleſiis fieri vetuit, in princ. Eius conſtitutionem, omnibus legibus contrariam, hic Pontifex irritat. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Imperator ergo leges contrą leges Pontificias promulgare nequit.

RESP. Iura ſunt clara, & etiam communes DD. opiniones, ſed quod magis eſt, Frideric. Imperator ſua lege hactenus hoc expreſſè ſanciuit, vt videre eſt in prima eius lege, quam inter alias confirmatas ab Honor. III. mox infra in ſua conſtit. 1. §. 1.perlegere poteris, vbi ſimilem Caroli IV.legem Genitor indicauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Henricus iſte Imperator,fuitne huius nominis primus in Imperio Conſtantinopolitano?

RESP. Ita quidem Balduino fratri in eo Imperio ſuccedendo, ex his quæ inter alios ſcripſerunt D. Antoninus 3. par. Hiſtor. tit. 19. cap. 2. §. 6. Nicet. Concar. in Annalib.prope finem,& Nicephor. Gregoras lib. 4. in rubr. de recuperat. Conſtantinop.

XI.

VIneam Domini ſabaoth, & infra pag. 41. Bullarij. *Edita Anno 1215.*

COMPENDIVM.

Recuperationem Terræ Sanctæ Hieruſalem, & reformationem vniuerſalis Eccleſiæ affectat. §. 1. Pro hoc orauit ad Dominum. §. 2. Eapropter indicit generale Concilium Lateranenſe. §. 3. De d. recuperatione explorauit. §. 4. Concilium prædictum indicit. §. 5. Ad illud Prælatos omnes conuocat. §. 6. & 7.

Scholion primum.

Quæro. Iſtud Concilium cur magnum à pleriſque nuncupatur?

RESP. Quia anteriora Concilia ſuperauit concurſu Patrum, vltra Papam, Cardinales, & Patriarchas, quorum numerum indicant Matth. Par. & Abb. Vrſperg. illius temporis ſcriptores, & Benius in notis huius Concil. ſecundum poſtremam impreſſionem de anno 1606. in Colonia Agrippina.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ fuit cauſa iſtud Concilium indicendi?

RESP. Ad confutandos errores Albigenſium, Almarici, Carnotenſis, & Abbatis Ioachimi, vt Benius oſtendit in dictis notis; necnon pro recuperatione Terræ Sanctæ, quarum prima cauſa continetur in illis verbis huius conſtitut. pro reformatione Eccleſiæ. Secunda Clericis ibidem enunciatur, indeque

ſecuta

Digitized by Google

ſecuta eſt indictio belli, de qua in conſtit. ſubſeq.

XII.

Edita Anno 1215. AD liberandam terram Sanctã, & infra pag. 41. Bullarij.

COMPENDIVM.

Indicit de conſenſu Concilij Lateranen. bellum contra Saracenos, & Cruceſignatos conuocat ad illud, in princ. Præſcribit munus exercendum à Clericis. §. 1. Ac etiam Prælatorum. §. 3. Iubet, ab Epiſcopis, & aliis, omnes ad bellum non accedentes promoueri ad aliquam ſubuentionem. §. 5. Enarrat ſuam contributionem. §. 7. Clericorumque. §. 8. Et Cardinalium. §. 9. Eximit Cruceſignatos à ſolutione collectarũm. §. 10. Et à ſolutione vſurarum æris alieni cauſa debitarum. §. 11. Damnat piratas impedimentum præſtantes. §. 12. Necnon Chriſtianos arma, & alia deferentes ad Saracenos. §. 13. & ſeq. Interdicit interim torneamenta. §. 14. Indicit pacem vniuerſalem inter Principes Chriſtianos ad quadriennium. §. 15. Elargitur indulgentias proficiſcentibus ad bellum, vel ei ſubuenientibus. §. 16.

Scholion primum

Quæro. Quæ expeditio in executionem huius conſtit. ſecuta fuit?

RESP. Maxima quidem, ita vt non ſolum Imperator Federicus, Regéſque Galliæ, & Bohemiæ, hoc ſigno voluerint inſigniri, vt nouiſſimè ſcribit Sebaſt. à Coſta ſuper bulla Cruciatæ per Greg. XIII. edita pro Hiſpaniis, in princ. ſed, vt ipſe ſubdit, etiam concurrerint ad eiuſmodi expeditionem viginti mille pueri Cruceſignati, eorum dumtaxat arbitrio permoti, vt vix potuerint minis & ſuppliciis ab inde reuocari. Quod refert etiam Sebaſt. à Coſta mox citandus, qui tamen corrigendus videtur in anno 1214. quo hanc expeditionem Cruciatæ conceſſam eſſe affirmat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ante hanc expeditionem fueráтne prius indicta Cruciata?

RESP. Vrbanus in Concilio, cui præfuit, Claramontenſi eam indixit anno circiter 1095. contra Turcas pro recuperatione Hieruſalem, vt patet per Baró. in Annalib. Eccleſ. tom. 11. pag. 664. Et huius etat militiæ ſignum, Crux purpureo panno conſuta, quam omnes milites ſuper veſtibus, & humero dextero geſtare debebant, & innumerabilis ad eam vndique confluxit hominum multitudo, & admirabilis ſecuta eſt recuperatio Hieruſalem die 15. Iunij anno 1099. vt perbellè recenſet Sebaſt. à Coſta ſuper interpretat. bullæ Cruciatæ pro Hiſpanis à Greg. XIII. editæ, quæſt. 2. & Ciacon. in vita Vrb. II.

HONORIVS III.

Romanus, creatus anno 1216.

CONSTIT. I.

HAs leges à Federico, & infra pag. 43. Bullarij. *Edita Anno 1220.*

COMPENDIVM.

Comprobat leges à Federico Imperatore editas pro libertate, & iuriſdictione Eccleſiaſtica. §. 1. Federicus coronatus fuit à Romano Pontifice, vt ipſe recenſet. §. 3. Leges eius decem ſunt. Prima damnat ſtatuta edita, & edenda aduerſus Canonicas, & Imperiales conſtitutiones. Secunda prohibet imponi collectas ſuper bonis locorum piorum, aut illa inuadi. Tertia ſtatuit perſonas Eccleſiaſticas non trahi ad forum ſeculare. Quarta diffidat Catharos, Patarenos, & alios. Quinta præcipit ab officialibus iurari de curanda de Terris eorum exterminatione hæreticorum. Sexta, & Dominis temporalibus, vt moniti ab Eccleſia, omnes hæreticos expellant de eorum locis. Septima infligit pœnas fautoribus hæreticorum. Octaua punit tranſgreſſores. Nona prouidet ſecuritati peregrinorum adueuarum. Decima & etiam agricultorum.

Scholion primum.

Quæro. Quis Pontifex coronauit hîc Federicum II. Imperatorem non indicatum in §. 3. & de quo tempore?

RESP. Hic idem Honor. vt Genitor dixit in ſua adnot. in rurb. & habetur in vita huius Papæ, relata in Conciliis generalibus in Colonia Agrippina poſtremò cuſis, & ſcribit etiam Ciacon. in vita eiuſdem, qui ſubdit id actum die 22. Nouẽb. an. 1220. in baſilica S. Petri.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid iſte Federicus pro Sede Apoſtolica gratitudinis ergo, deinde peregit?

RESP. Mortua Conſtantia matre, quæ ipſum in officio continebat, contra ius & æquitatem, Pontificiam ditionem immemor accepti beneficij vexauit; ob idque anathemate ab eodem Pontifice percuſſus fuit, ſed Hieroſolymitani Regis tunc Romæ per ipſum Pontificem honorificè excepti precibus, ea lege abſolutus eſt, vt Eccleſiæ ablata reſtitueret, & ad recuperationem Terræ Sanctæ ſe cum ſuo exercitu conferret, vt poſt Tritem. in Chronic. habetur in locis proximè citatis. At ille ad ſuam rediens perfidiam, denuo anathemate percuſſus extitit, vt Genitor indicauit poſt. rubr.

II.

Edita Anno 1216. Religioſam vitam eligentibus, & infra pag. 44. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Ordinem B. Dominici ſub regula, quam ipſe delegerat S. Auguſtini. §. 1. Dat facultatem habendi quæcumque bona. §. 2. Enarrat aliqua Ordinis loca. §. 3. Eximit à decimis noualium. §. 4. Indulget receptionem aliorum ad Ordinem. §. 5. Interdicit diſceſſum ab eo, præterquàm ad arctiorem. §. 6. Concedit aliqua priuilegia. §. 7. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quare ſtatim fere ad apicem Pontificatus aſſumptus, confirmauit Pontifex Ordinem B. Dominici Calaguritanæ diœceſis Oxonenſis in Hiſpania, cum Rom. Pontt. in hoc perdiſſiciles eſſe ſoleant?

RESP. Quia iam antea Innoc. III. eius prædeceſſor, eum Ordinem annuerat confirmare diuinis viſionibus monitus, dum per quietem ſe vidiſſe teſtabatur B. Dominicum baſilicam Lateranenſem cadentem ſuis humeris ſuſtentare, vt refert Ciacon. in vita huius Pont. à quo ſubdit B. Dominicum monaſterium S. Sabinæ de Vrbe impetraſſe, in quo & nos adhuc eius fratres extare videmus, & legitur in hiſtoria huius ſancti viri digeſta à Fr. Ferdinando de Caſtillo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Verúmne eſt hunc Ordinem B. Dominico à glorioſiſſima Virgine MARIA reuelatum fuiſſe?

RESP. Sic refert Ant. Florent. in 3. par. Hiſtor. tit. 23. & ſequitur Caſſan. de Glor. mundi par. 4. conſid. 68. & 69. Qui tamen corrigendi videntur, dum putant hunc Ordinem ab iſto Pont. ann. 1208. confirmatum, quia ex Data huius bullæ confirmatio liquet anno 1216.

III.

Cvm dilecti filij fratres, & infra pag. 45. Bullarij. *Edita Anno 1218.*

COMPENDIVM.

Fratrum Carthuſianorum ſolitudinem perturbari vetat, in princ. Ad teſtificandum, aut iurandum de calumnia cogi prohibet. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi ſolitudo ad quid proficua?

RESP. Contemplationi & ſtudio, ſiquidem animus ad plura diſtractus, anxietati ſubiicitur, quæ cerebrum, omnéſque ſenſus hominis impedit, vt cuique patet, & ſcribit etiam Ioan. Lup. in ſuo tract. de matrim. ad finem. Huic ergo Ordini ad contemplationem inſtituto optimè congruit ſolitudo. Nauar. in cap. 1. de pœnit. diſt. 2. ſub num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne ſolitudo de eſſentia perfectionis?

RESP. Negatiuè cum S. Thom. 2. 2. quæſt. 188. artic. 8. quem ſequitur Nauar. proximè citatus, vbi ex Caietano, quem allegat, ſubdit num. 3. duplici via hominem fieri ad ſolitudinem aptum, dono Dei, aut magno magnarum exercitio virtutum.

IV.

Sedis Apoſtolicæ circumſpectio, & infra pag. 46. Bullarij. *Edita Anno 1221.*

COMPENDIVM.

Lateranenſi Eccleſiæ priuilegiũ elargitur, quod contra eam non niſi centenaria currat præſcriptio, ſicut contra Rom. Eccleſiam. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Nónne omnes Eccleſiæ hoc eodem priuilegio hactenus decoratæ erãt?

RESP.

R e s p. Erant quidem ſic decoratæ, ad tex. in l. vt inter. 19. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Sed videtur poſtea hoc priuilegium reſtrictum eſſe ad Eccleſ. Romanam, vt in auth. Quas actiones.eod.tit. & cap. Ad audientiam. 14. & cap. ſeqq. & DD.ibi communiter de præſcription. gl. & alij in cap. vlt. cauſ. 16. quæſt. 3. Peregr. de iure fiſci lib. 6.tit. 8.num. 41. Eman. Rodr. quæſt. regul. tom. 3.quæſt. 35. art. 2. ac Balb. de præſcriptionibus in 5. par. in princ. quæſt. 1. num. 16.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nonne ſaltem appellatione Eccleſiæ Romanæ venit Eccleſia Lateraneſis, quæ eſt cap. omnium Eccleſiarum, & Epiſcopatus Papæ?

R e s p. Affirmatiuam ſententiam tenuerunt Archid. in cap. vlt. cauſ. 16. q. 3. & adhæret Bald. in auth. quas actiones. C. de ſacroſ. Eccleſ. num. 16. & ibid. Caſtrenſ. num. 5. ac Eman. Rodr. & Balb. in loc.proximè citatis. Sed hac ſententia retenta, non inde eiuſmodi conſtitutionem ſuperfluam putes, cum omnem ambiguitatem auferre poſſit, arg. notatorum à Bar. & aliis in l. 1. ff. ad leg. falcid.

V.

Edita Anno 1223. SOlet annuere ſedes Apoſtolica, & infra pag. 46. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

B. Franciſcus regulam ſui Ordinis firmauit ſuper paupertate, obedientia, & caſtitate, in cap. 1. Recipiendis ad Ordinem. cap. 2. Diuino officio, & ieiunio. cap. 3. Pecunia non recipienda. cap. 4. Modo laborandi. cap. 5. Eleemoſyna petenda, & cura Fratrum infirmorum. cap. 6. Correctione Fratrum. cap. 7. Electione Miniſtri generalis, & Capitulo. cap. 8. Prædicatione. cap. 9. Admonitione & pœnitentia Fratrum. cap. 10. Prohibitione initiandi Monaſteria Monialium. cap. 11. Euntibus ad Infideles. cap. 12. Protectore Ordinis. ibid. Hanc regulam iſte Pont. approbat, in princ. Teſtamentum B. Franciſci deinde ſubinſeritur à Genitore meo poſt finem d. Regulæ.

Scholion primum.

Quæro. Scimus Ordinem B. Franciſci inſtitutum ante Ordinem B. Dominici, cur nihilominus iſte illū præcedit, vt inquit tex. & gl. in cap. quorumdam. 24. de elect. in ſexto. & Felyn. in rubr. de maior. & obed. num. 5. verſ. fratres?

R e s p. Quoniam iſte, vt ex conſtitutionibus prædictis vides, ante illum à Rom. Pont. approbatus fuit, vt apud eoſdem DD. habetur, necnon Caſſan. de glor. mundi par. 4. conſid. 69. in fin. qui tamen ex his pontificiis conſtitutionibus errare dignoſcuntur, circa tempus confirmationis dictorum ordinum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſte B. Franciſcus ante, vel poſt recepta ſtigmata teſtamentum, de quo hic ſupra, publicauit?

R e s p. Poſtea, vt ſcribit Burſat. Conſ. 226. lib. 1. ſub num.38. vbi de hoc B. Franciſci, & etiam Beatiſſ. Virginis, & aliorum SS. teſtamento, commemorationem adnotauit.

V I.

Edita Anno 1224. CVm Abbates Ciſtercienſis Ordinis, & infra pag. 48. *Item.* Cū aliquando, pag. 49. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Monachos Ordinis Ciſtercienſis eximit à ſolutione decimarum tā de poſſeſſionibus habitis ante Concilium generale, aliis ad excolendum conceſſis nonalibuſque antea, & poſtea acquiſitis, quæ propriis manibus ipſi excolunt, quàm de hortis, virgultis, & piſcationibus ſuis, ſuorumque animalium nutrimentis.

Scholion primum.

Quæro. Quid venit appellatione noualium, ad effectum decimarum?

R e s p. Innoc. III. in cap. quid per nouale 21. de verb. ſignif. inquit, illud dici prædium nouale, quod de nouo reductum eſt ad culturam, & de cuius cultura non eſt memoria, & quod prius modicum, vel nullum fructum afferebat, & communiter ita tenent etiam Panor. & alij ibi ſcribb.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi prædium in parte fuit alias cultum, in alia verò non?

R e s p. Nouale dici nequit, vt conſulendo reſpondet Panorm. in conſ. lib. 2. ſub num. 2.

VII.

Edita Anno 1225. INeffabilis prouidentia Dei, & infra pag. 49. Bullarij.

COMPENDIVM.

Archiepiſcopus, & capitulum Rothomagen. & alij ſupplicarunt Papæ, pro canonizatione S. Laurentij Archiepiſcopi Dublinenſis in Hibernia. §. 3. Papa inquiſitionem fieri præcepit de eius vita, & miraculis. §.4. Eiuſque virtutes, & miracula verificata fuerũt.§.6. & ſeqq. Et præſertim mortuorum ſuſcitatio.§. 9.Sanctorum ergo Confeſſorum collegio aſcribitur. §. 10. Feſtum eius die 14. Nouembris agi præcipitur. §. 11. Viſitantibus eius Eccleſiam indulgentiæ conceduntur. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Vitam, & miracula in §. 4. & ſeqq. indicata, quis explicat?

RESP. Surius ſincerè ſcripſit de Sanctor. Hiſtor. ſub die 14. Nouembris.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Quis fuit ille mortuus triduanus ab iſto ſancto viro ſuſcitatus, vt dicitur in §. 9.

RESP. Quidam ſacerdos nomine Galuedius, qui in Eccleſia B. Martini Dubliniæ miniſtrabat, ipſi Archiepiſcopo charus, eo quod eum à iuuentute nutriſſet, & eius Clericus fuiſſet, vt enarrat Sur. tom. 6. de Hiſtor. Sanctorum, qui inſuper totam miraculi ſeriem recenſet.

VIII.

Edita Anno 1226. VT viuendi noſtram, & infra pag. 50. Bullarij.

COMPENDIVM.

Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, Fratribus Eremitis de Monte Carmeli, certam vitæ formulam ipſis poſtulantibus tradidit in prologo Regulæ; ſuper electione, & munere Prioris. cap. 1. Cellulis habitatione. cap. 2. Mutatione è cellulis. cap. 3. Loco cellulæ Prioris. cap. 4. Manſione Fratrum in cellulis. cap. 5. Horis Canonicis. cap.6. Proprietatis prohibitione. cap. 7. Oratorio conſtruendo, & Miſſa ibi celebranda. cap. 8. & Cuſtodia Ordinis, Fratrumque correctione. cap. 9. Ieiunij obſeruantia. cap. 10. & 11. Armis ſpiritualibus. cap. 12. Aſſiduitate operationis. cap. 13. Silentio. cap. 14. Humilitate Prioris. cap. 15. Fratrum veneratione erga Priorem. cap.16.Ex Achon. id ſcribit ipſe Albertus anno 1071.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore originem ſumpſit Ordo Carmelitarum, & quis eorum promotor fuit?

RESP. Tempore Alexandri Papæ III. ſcripſit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 762. in fin. vbi ſubdit, eorum promotorem fuiſſe Haimericum, Patriarcham Antiochenum in Oriente legatione Sedis Apoſtolicæ fungentem, qui conſiderans quamplures ex Occidente veniſſe,vitam Eremiticã acturos in Terra Sancta, hinc inde diſperſos, & barbarorum incurſibus expoſitos, collegit eos in vnum, duxitque in Montem Carmelum Heliæ habitatione egregiè olim nobilitatum.Sed agit fuſius de hac re Azor. de Inſtit. Moral. tom. 1. lib.12. cap. 23. pag. mihi 1580. & F. Thomas à S. Maria Ord. Carmelit. Diſcalc. Profeſſor in Commentis ſuper Primitiua regula Carmelitarum editis ann. 1598. poſt princ. ac F. Ferdinandus à S. Maria Præpoſitus generalis Fratrum Carmelitarum Diſcalciatorum Italiæ, in præfatione libelli de Priuileg. dictorum Fratrum, anno 1617. Romæ editi, & poſtremò Ioannes Cartagena Ord. Minor. lib. 17. homil. 1.& ſeqq. Et hinc, necnon ex lectura huius conſtitutionis, & regulæ in ea inſertæ, corrigendus venit Eman. Rodr. quæſt. reg. lib. 1. quæſt. 2. art. 5. circa tempus regulæ his Eremitis,anno,vt ipſe putat 1110. traditæ ab Alberto Patriarcha, & approbationem huius Pontificis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num abſque miraculo Papa hunc Ordinem confirmauit?

RESP. Audi quid in præfatione ſupradicti libelli enarratur. Dubitanti Pontifici an ſuprad. datis de confirmatione libellis annueret, Virgo Deipara per viſum aſtitit, quod à ſuis filiis, hoc eſt Carmelitis poſtulabatur, vt concederet, commonefaciens, & nonnullos qui aduerſabantur emortuos in pœnam teſtata eſt.

GREGO

GREGORIVS IX.

Italus, creatus anno 1227.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1227. FEruor & integritas religionis, & infra fol. 51. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eremi bona commendantur in princ. Fratribus Eremitis Camaldulenſibus datur facultas recipiendi quoſcunque alterius Ordinis Religioſos. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Vnde hoc nomen Camaldulenſium, iſti Eremitæ ſortiti ſunt?

R E S P. Ab antiquo, & ſanctiſſimo Camalduli Conuentu, in territorio Ciuitatis Aretij in Hetruria, à S. Romualdo ædificato. Ioan. And. in cap. ſanè 10. de Regular. num. 11. & Boër. in tract. de Statu & vita Eremit. num. 18.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſt ergo eorum vita contemplatiua.

R E S P. Profectò, eorum præſertim qui ſolitariam vitam agunt, quorum cellæ ſunt in cacumine montis diuiſim locatę per nemus, vbi eſt vera contemplatio, & aliquid actionis, in quantum ſibi hortum ſingulariter colunt. Io. And. in dicto cap. ſanè 10. de Regular. num. 11.

II.

Edita Anno 1228. MIra circa nos diuinæ pietatis dignatio, & infra pag. 51. Bul.

COMPENDIVM

Beatum Franciſcum Deus ſuſcitauit in Terris, pro conuerſione, & ſalute multorum. §. 1. Qui ſua ſimplici prædicatione plurimos ad ſaluiis viam reduxit. §. 2. Pauperem vitam elegit, nuditate carnem macerauit, ieiuniiſque & vigiliis. §. 3. Religionem Fratrum Minorum, Monialiúmque, & Tertiariorum regulas inſtituit. §. 4. Et tandem obiit. §. 5. Miraculis claruit. §. 6. Catalogo SS. Confeſſorum adſcribitur. §. 7. Feſtum eius die 4. Octobris agi præcipitur. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Nonne de hac canoniaatione extant aliæ litteræ huius Pontificis?

R E S P. Extant aliæ, datæ Peruſis, hoc eodem anno, non ad vniuerſos Eccleſiæ Præſules, ſed per Regnum Franciæ conſtitutos, & incipiunt. *Sicut phialæ aureæ*, Quæ impreſſæ leguntur in exordio collectionis priuilegiorum Ordinum Regular. editæ à Io. Baptiſta Cófecto, & poſtea ab Eman. Rodr. de bullis regul. pag. 7. in multis partibus, & etiam in tempore datæ ſunt admodum mendoſæ. At Genitor meus illas alias edidit litteras, datas ad vniuerſos Chriſti fideles, eo quod plenius de hac re loquuntur. Vt verò non ignoretur in quibus illæ litteræ à Genitore meo ſedulo prætermiſſæ corruptæ ſint, eaſdem ſine mendo deſumpſi ex Bibliotheca Vaticana, & regiſtro huius Pontificis.

Bulla Canonizationis B. Franciſci.

GRegorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Sicut phialæ aureæ quas vidit Ioannes plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, in conſpectu Altiſſimi, ad abolendam noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuauitatis emittunt; ita ſaluti noſtræ credimus plurimum expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſolemnibus recolentes præconiis, quorum in cælis ſperamus interceſſionibus aſſiduis adiuuari.

§. 2. Sanè cum de conuerſatione, vita, & meritis beati Franciſci inſtitutoris, & Rectoris Ordinis Fratrum Minorum, qui iuxta conſilium Saluatoris contemptis tranſitoriis, & terrenis iuxta promiſſionem eiuſdem, ad cæleſtia præmia feliciter, & æterna peruenit: cuius vita, & fama præclara, peccatorum depulſa caligine, ambulantes in regione vmbræ mortis, de peccatorum tenebris ad pœnitentiæ viam vocans, quorum tam virorum, quàm mulierum ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam prauitatem, viuit, & adhuc

 viuet

viuet nõ modica multitudo, tã per nos, quàm per multos alios fide dignos, qui miracula quæ De⁹ per illius Sãcti merita operatur, pleniùs cognouerunt, certiores effecti: auditis etiã eius virtutib. & miraculorũ inſigniis, & quod inter carnales ſpiritualiter, & inter homines etiã cõuerſationẽ angelicam habuiſſet: ipſum qui corporaliter diſſolutus meruit eſſe in cęleſtib. ne ipſius honori debito detrahere quodãmodo videremur, ſi glorificatum à Dño, permitteremus vlterius humana deuotione priuari, de Fratrum noſtrorũ conſilio, & Prælatorum omniũ, qui tunc tẽporis apud Sedẽ Apoſtolicã conſiſtebãt, SS. catalogo duximus adſcribendũ.

§. 3. Cũ igitur eius lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiã iã non ſub modio, ſed ſuper candelabrũ meruerit collocari, vniuerſitatẽ veſtram rogamus, monemus attentiùs, & hortamur, per Apoſtolica ſcripta mãdãtes, quatenus deuotionẽ fidelũ ad venerationẽ ipſius ſalubriter excitãtes, feſtiuitatẽ eius quarto Nonas Octob. annis ſingulis excolatis, & pronuncietis cõſtituto die ſpecialiter excolendam, vt eius precibus Dominus exoratus, ſuam vobis tribuat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Dat. Peruſij 7. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Acta huius Sãcti quis fuſiùs quã in hac recẽſeãtur cõſtitutione, deſcripſit?

RESP. S. Bonau. præclariſſimas eius res geſtas primùm, deinde S. Anton. in 3. par. tit. 22. c. 10. Vincent. in Specul. Hiſtor. & alij quamplures; & nouiſſimè editum eſt Chronicon Franciſcanorũ, in quo omnia cõprehenſa habentur, vt aduertit Baron. in Martyrolog. die 4. Octob. Et deſcribit etiam in Annal. Eccleſ. tom. 12. pag. 766. litera D, quod natus eſt anno 1182. in Ciuitate Aſſiſij ex Petro Bernardone patre.

III.

Edita Anno 1232. QVoties à nobis petitur, & inf. p. 52. B.

COMPENDIVM.

Oblatos Ordinis Carthuſiẽſis, immunitatibus, & libertatibus Ordinis gaudere decernit. §. 1. Sanctionẽ pœnalẽ apponit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quot ſunt genera Oblatorum?

RESP. Tria. Quidam offerunt ſe tantum Eccleſiæ. Quidam ſe, ſuáque bona. Quidam bona tantum. Card. conſ. 21. n. 2. Pan. conſ. 102. l. 2. n. 1. *Schol. ſecundum.*

Quæro. An iſti Oblati, de quibus loquitur iſta conſtitutio, & qui continentiam, obedientiam, & paupertatẽ promittunt, ſint verè, & propriè, & ſtrictè religioſi?

Quæro. Nau. in conſt. 7. de Regul. incip. *An ſit verè.* negatiuã ſententiam probat. n. 3. vbi ſubdit, quod nõ tenentur ad obſeruantiam regulæ religionis, & cęrimoniarum eius, ſunt tamen immunes à iuriſdictione laicorum. Panorm. conſ. 53. l. 1. n. 2. Calder. conſ. 121. n. 2.

IV.

CVm dicat Dñs, & inf. fol. 53. Bullarij. *Edita Anno 1232.*

COMPENDIVM.

Sanctos, quos Deus honorat in cælis, multoties miraculis coruſcare facit in terris, vt pat B. Antoniũ Luſitanũ, in princ. & §. 1. Paduani inſtiterunt apud Sedem Apoſtolicã pro canonizatione B. Antonij, multis miraculis clari, & virtutibus. §. 1. & 2. Virtus morum, & veritas miraculorũ ad canonizationẽ neceſſaria ſunt. §. 3. His habitis de B. Antonio, hic Pontifex SS. Confeſſorum ipſum numero adſcribit. §. 4. Feſtiuitatem pro eo inſtituit in die 13. Iunij. §. 5. Viſitantibus eius ſepulchrum indulgentias concedit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Si Luſitanus eſt B. Antonius ex Ciuitate Vlixbonenſi in Hiſpaniis, cur de Padua nuncupatur?

RESP. Quia ibi deuotiùs vixit, & occubuit, multiſque miraculis claruit: vnde Vrbs illa vſque in præſens felici rerum experimento gratulatur, cũ propter viri Dei præclara merita, innumerabiliũ hominum frequentia viſitatur, egregiiſque præconiis, & eximiis munerib. cohoneſtatur. Sic Sur. to. 3. de Hiſt. SS. die 13. Iunij, & aliquid Ciacon. in vita Greg. IX.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc præclara Beati Antonij miracula quis enarrat?

RESP. Surius mox citatus, necnõ S. Ant. in 3. par. tit. 24. c. 3. & nouiſſimè habentur omnia in Chronico Franciſcan.

V.

BEhemot non contentus, & infra pag. 53. Bullarij. *Edita Anno 1233.*

COMPENDIVM.

Reformando Monachos Cluniacenſes decernit, quotannis Capitulum generale cogi apud Cluniacum. §. 1. Diffinitoreſque & Viſitatores in eo eligi. §. 2. Cauſas ad Capitulum deuolutas, ibi diffiniri

diffiniri præcipit. §. 3. Et ibidem de reſtrictione Ordinis agi.§.4.Necnõ Capituli ordinationes bis in anno per Abbates recitari. §. 5. Viſitatorum expenſas præfinit. §.6. Abbatum, & Priorum ad Capitulum acceſſurorum numerum terminat. §.7. Correctores Ordinis in Capitulo eligi mandat. §. 8. De beneficiorum collatione agit. §. 9. Deque amotione Priorum. §. 10. Abbatúmque remotione. §. 11. Necnon de inſtitutione Priorum cõuentualium. §. 12. Prioratuũ quoque pluralitate.§.13. Extraneis Prioratuum interdicit. §. 14. Prioréſque abſque ſociis in Prioratibus morari prohibet. §. 15. Cibum vniformem dari iubet. §.16. Eſum carnium vetat.§.17. Habitus honeſtatem requirit. §. 18. Equitaturarum ſuperfluitatem damnat. §. 19. Normam contrahendi, ac rationis reddendæ ponit. §. 20. Proprietatem vetat. §. 21. exactioneſque. §. 22. Ætatem recipiendorum in Ordine declarat. §. 23. Mulieribus Clauſtri, & Chori ingreſſum prohibet. §. 24. Regulæ S. Benedicti obſeruantiam præcipit. §. 25.

Scholion primum.

Quæro. Quo tẽpore hic Ordo inſtitut⁹? RESP. Anno Domini 913.inquit Caſſan. de Glor.mund.par.4.cõſid.55. poſt Vinc. quẽ allegat in Spec.Hiſt.lib.25.Idemque tenet M.Ant.Marſil.de Eccl.reddit. c.16. num. 6. *Scholion ſecundum.*

*Quæro.*Quis dicti ordinis ꝓmotor fuit? RESP. Berno fundator fuit, & ope Vuilhermi Aquitaniæ Ducis in Pago Matiſconenſi cœnobium Cluniacenſe ædificauit.Baron. in Annalib. Eccl.tom. 11.pag.17.in fin. De cuius Bernonis obitu egregiè ſcribit Caſſan. de Glor.mundi par. 4. conſid. 55. Vide nil puto credendum M. Antonio Marſil. mox citato, dum inquit hunc Ordinem ab Othone Muſico inchoatum.

VI.

Edita Anno 1234. REx excelſus ſummi Regis Deus, & infra pag. 55. Bullarij.

COMPENDIVM.

Symmachũ Papam alienationem rerũ Eccleſię interdixiſſe refert.§.1.Alienationẽ Terrarũ Sedis Apoſtolicæ ipſe prohibet.§.2.Quædam ex illis loca ſpecialiter exprimit. §. 3. *Scholion primum.*

Quæro. Si habita ſit licentia Papæ alienandi prædium, cuius pecunia in certam cauſam exponatur,ad quem ſpectabit onus probandi, pecuniam in illã cauſam verſam fuiſſe, an ſcilicet ad ſoluentem pretiũ,vel potius ad alienantẽ?

RESP. Cõmunis eſt opinio, quod vbi alienatio fit ex cauſa neceſſaria, vt puta ob æs alienũ diſſoluendũ,tunc onus erit eius,cui facta eſt alienatio.Secus verò ſi ex cauſa non neceſſaria,vt docet Couarr. var.reſol.l.2.c.17.n.3.vbi alios cõgerit,& eſt cõmunis opinio,quam teſtatur,& ſequitur Rota in vna Rom. Deuolutionis domus coram Rubeo die 17.Nouembris 1581. Qualiter autem hæc verſio probetur, tradunt Canon. in cap. 1. Depoſit. Et Rota in d.deciſ. & latiùs in alia corã eod.Rub.& ead.cauſa die 12.Febr.1582.

Scholion ſecundum.

Quæro. Patrimonialia Sedis Apoſtolicæ, de quibus in §. 2. quæ ſunt?

RESP. Quoquo modo ſub dominio Sedis Apoſtolicę exiſtẽtia,ab Imperatore habita, aut quocũque alio titulo acquiſita;nã patrimoniũ eſt nomẽ vniuerſale, ſicut hæreditas, & peculium.Iaſ. in l.fin.Cod.de pact.n.35.Et patrimonij appellatione cõtinẽtur ea,de quibus Sedes Apoſtolica habet actionẽ, vel exceptionẽ,gl.pẽ.& ſcrib.in l.5.ff. de verb.ſignif.

VII.

QVia refrigeſcente charitate, & infra pag. 56. Bullarij. *Edita Anno 1234.*

COMPENDIVM.

Nonnullos Ordinem Ciſtercienſem variis exactionibus, & talliis grauaſſe refert. §. 1. Alios autem in domibus Ordinis carnes comedere, & mulieres introducere voluiſſe recenſetur. d. §. 1. Hæc ideo ab iſto Pont. prohibentur.§.2.

Scholion primum.

*Quæro.*Ergo à Ciſterc.ẽtib.ſpõte dãtibus aliqd recipiẽs,hic nõ cõprehenditur.

RESP.Vtique nõ,quia exigere eſt propriè ab inuitis extorquere. l.fide.c.11. §. ſi rẽ.ff. de leg.3.Iaſ. in l.eius qui in prouincia 41.ff.ſi cert.pẽt.n.4.& Dec. n.6.& ſeqq. *Scholion ſecundum.*

Quæro. Cur ergo Pontifex addit, & *extorquere?*

RESP.Ad tollendũ omnẽ hæſitationẽ, ne ſcilicet impropriè capi poſſit verbum exigere,pro, à ſpõte dãtib. accipere.Iaſ. in l.3.ff.ſol.matr.n.12. poſt gl.in c.vnico, B 5 in

in verb. extorſit, de relig. dom. in 6.

VIII.

Edita Anno 1234. FOns ſapientiæ verbum Patris, & infra pag. 56. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deus pro Chriſti fidelium ſalute diuerſis temporibus plures Sanctos in terris præmiſit. §. 1. Et his temporibus nedum S. Franciſcum, ſed & S. Dominicum Ordinis Prædicatorum inſtitutorem dedit. §. 2. Qui S. Dominicus virtutibus,& miraculis claruit.§.3.Ideóque inter SS. refertur. §. 4. Eius quoque feſtiuitas pro 5. die Auguſti inſtituitur. §. 5. Indulgentiæ etiam eius ſepulchrum viſitantibus conceduntur. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Qua patria & quibus parentibus B. Dominicus ortus dicitur?

RESP. In Oppido Callagora diœceſis Oxomenſis in Hiſpania, Feliceque Patre, & Ioanna matre anno 1170.natus de Illuſtri Guzmanorum gente, vt inquit Eman. Rod. tom. 1. quæſt.regul. q. 2. art. 2. & ante eum Fr. Theodoricus mox citandus, de vit. huius Sancti Viri cap. primo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Miracula quæ in §. 3.indicantur, quis deſcripſit?

RESP. Hæc, & eius virtutes, ac præclariſſima geſta octo libris digeſſit Theodoric. de Appoldia eiuſdem Ordinis frater, quæ Sur. refert tom. 4. de Hiſtor. SS. & alij eadem ſcribunt, ac veriſſimè Franciſcus Diacetius Epiſcopus Feſulanus egregium de his commentarium ad Pium V.conſcripſit.

IX.

Edita Anno 1235. DEuotionis veſtræ precibus inclinati, & infra pag. 57. Bull.

COMPENDIVM.

Approbat Ordinem Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ſub regula S. Auguſtini.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore iſte Ordo initiatus fuit?

RESP. In Ciuitate Barchinoniæ in Hiſpaniis an.Domini 1208.vt enunciatur in Bulla 25. Pauli V. in princ. & inquit Eman. Rod. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 3.art. 13. vbi in eo, quod ſubdit, à Clemente I V.an. 1264.hunc Ordinem confirmatum, ex lectura huius conſtit.confutatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis primus huius Ordinis profeſſor fuit?

RESP. Petrus Nolaſcus, cui,& eadem hora Iaymo Aragoniæ Regi, ac Fr. Raymundo de Peñafort a B. Maria Virgine huius Ordinis inſtitutum reuelatum fuit.Rom. lib.6.de Repub.Chr. cap. 22. cui adhæret Eman. Rodr. mox allegatus.

X.

CVm tota Terra Sabinæ,& infra pag. 57. Bullarij. Edita Anno 1235.

COMPENDIVM.

Caſtrum vllum ædificari, vel reædificari in Terra Sabinæ poſſe abſque Sedis Apoſtolicæ licentia interdicit in princ. Contrauenientibus pœnas apponit. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Quæ eſt hæc Terra Sabinæ?

RESP. Regio non procul ab Vrbe Roma, quam aliàs Zachar. I. anno Domini 742.à Luithprando Lógobardorum Rege recuperauit, vt ſcribit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 9. pag. 151.in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illud verbum *reædificari*, verificaturne in reparante Caſtrũ ne ruat?

RESP. Negatiuam ſententiam teneo ex his, quæ Alex.Iaſ.& alij ſcribunt in l. 1. §. ſi quis ædificium. ff. de nou. oper. nunciat. vbi ſecus eſſe declarant, ſi iam ruit.

XI.

GLorioſus in maieſtate ſua, & infra pag. 57. Bullarij. Edita Anno 1235.

COMPENDIVM.

Elizabeth Vidua filia Andreæ Regis Hungarorum multis virtutibus claruit. §. 1. Miraculis etiam corruſcauit. §. 2. Quibus verificatis, Sanctarum numero adiuncta fuit. §. 3. & 4. Eiuſque feſtum inſtituitur pro die 19. Nouembris. §. 5. Indulgentiæ etiam eius ſepulchrum viſitantibus conceduntur. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Inquiſitio de huius Sanctæ vita

Digitized by Google

vita, & virtutibus cui à Sede Apoſtolica demandata fuit?

R E S P. Hic Pôtifex Epiſcopo Hildeſemenſi, & Abbati Moguntinæ diœceſis litteris ſuis demandauit, & hæ litteræ in eius regiſtro ſub anno ſui Pontif. 8. & num. 24. habentur, teſte Baron. in ſuo Martyrolog.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis eius præclara geſta, vitámque conſcripſit?

R E S P. Iacobus Montanus Spirenſis, eamque recitat Sur. tom. 6. de Hiſt. SS. necnon alij, quos recenſet Baron. proximè allegatus.

X I I.

Edita Anno 1237. CONfeſſor Domini glorioſus, & infra pag. 58. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Beatum Franciſcum de Aſſiſio in vita poſt obitum, manibus, latere, & pedibus ſpecie ſtigmatum diuinitus inſignitum fuiſſe teſtatur. §. 1. Et ita à Chriſti fidelibus firmiter credi exoptat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Vnde motus hic Pont. ad addendam eiuſmodi teſtificationem?

R E S P. Arbitror ex eo, quod nonnulli de hac veritate verebantur; vidi enim plures huius Pont. litteras diuerſis Prælatis pro coërcione quorumdam cõtrarium aſſerentium, datas hoc eodem tempore, quo hoc diploma datum fuit, impreſſas in lib. nuncupato, Monumenta trium Ordinum S. Franciſci.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur à parentibus vocatus fuit Franciſcus, cùm eo tempore hoc nomen non eſſet in vſu, vt ſcribit Card. Zab. in cap. cùm ſecundum. 26. de præb. num. 6.

R E S P. Diuinitus id credo permiſſum, eò quòd Sanctus vir in frangendis mundanorum erroribus francus à cunctis voluptatibus, & vitiis, multum Eccleſiæ profectum afferre debebat, prout euenit, eiuſque nomen adeò glorioſum euaſit in Italia, vt frequentiſſimè imponatur: & plerique de eo valde glorientur, prout gloriatur idem Franciſcus Card. Zabar. in loco proximè citato.

X I I I.

RAtionalis Spiritus; & infra pag. 59. Bullarij. *Item.* Quia Fridericus. ibid. *Edita Anno 1239.*

C O M P E N D I V M.

Friderici I I. ſæua facinora recenſet §. 1. & 2. auxilium ei præſtari non debere præcipit. §. 3. & fautoribus excõmunicationis pœnam indicit. §. 4. Abſoluit deinde vaſſallos à iuramento fidelitatis. §. 2. annexæ conſtitutionis Interdictum apponit locis, ad quæ declinabit. §. 2. Excommunicationem ab Epiſcopis publicari iubet. §. 3. Eiuſque fautores excommunicari. §. 4. Nuncios Sedis Apoſtolicæ monet, vt cogant Prælatos ad hæc exequenda. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quis ſæua hæc Friderici facinora deſcripſit?

R E S P. Aliqua indicat Ciacon. in vita huius Pont. ſed antiquiores Hiſtorici ferè omnes vberius ea recenſent.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quibus ortus parentibus, & quo anno?

R E S P. Henricus V. Imperator ex Conſtántia coniuge ipſum Fridericum ſuſcepit anno 1193. vt probat Baron. in Annalib. Eccleſ. tom. 12. pag. 894. vbi ſubdit in Ciuitate Aſſiſij in prouincia Vmbriæ ſolemniter fuiſſe baptizatum, & apud quemdam Conradum, tunc Comitem Aſſiſij, educatum fuiſſe.

INNOCENTIVS IV. Italus, creatus anno 1243.

CONSTIT. I.

QVum aduerſus hæreticam prauitatem, & infra pag. 60. Bul. *Edita Anno 1243.*

C O M P E N D I V M.

Comprobat leges à Friderico I I. Ro. Imperatore editas contra hæreticos, eorumque complices & fautores, in princ. Quarum prima eſt, quod hæretici ab Eccleſia Curiæ ſæculari traditi, pœna debita puniantur. §. 2. Secunda, quòd conuerſi carceri mancipentur. §. 3. Tertia, quòd hæretici vbique reperti cuſto-

diantur,

diantur, donec ab Eccleſia damnati, pœnas luant. §. 4. Quinta, & pariter eorum fautores. §. 5. Sexta, quòd de hæreſi conuicti ad alia loca ſe transferentes capiantur. §. 6. Septima, quòd relapſi morte plectantur. §. 7. Octaua, quòd hæretici, eorúmque fautores appellatione careant. §. 8. Nona, quòd hæredes eorum vſque ad ſecundam progeniem, beneficiis, & officiis priuentur. §. 9. Decima, quòd hæredes ſi parentum perfidiam reuelaſſent indemnes ſeruentur. 4. 10. Vndecima, quòd Inquiſitoribus vbique faueatur. §. 11. Duodecima, quòd hæretici vbique capiantur. §. 12. Cathari, & alij hæretici increpantur, in princ. ſubſequentis legis Imperatoriæ. Hæreſis crimen deteſtatur. §. 2. Hæreticos impœnitentes igne cremari iubet. §. 3. Patarenorum fautores relegari iubet, in princ. alterius legis Imperatoriæ. Eorum filios honoribus priuat, niſi aliquis eorum aliquem Patarenum detexerit. §. 1. Hæreticis bannum, & confiſcationem infligit, in princ alterius legis Imperatoriæ. Suſpectos, ſi per annum ſe non purgauerint, ſicut hæreticos damnat. §. 1. Officiales curent exterminare hæreticos de locis eis ſubiectis. §. 2. Barones, ſi eorum loca hæreticis non purgauerint, infra annum à tempore monitionis, Catholicis occupanda exponuntur. eod. §. 2. Hæreticorum fautoribus pœnæ quamplures imponuntur. §. 3. Apoſtatantibus à fide pœnæ infliguntur. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quis ſupradictorum Catharorum errores, & hæreſes deſcribit?

RESP. Perlege in Director. Inquiſit. par. 2. quæſt. 6. num. 28. & quæſt. 13. comment. 38. vbi etiam habetur, quod Cathari dicuntur recentiores Manichæi. Vnum addo, quod à me non quæris, aliam hunc Fridericum epiſtolam edidiſſe pro libertate Eccleſiaſtica, quam habes in Baron. Annal. Eccl. tom. 11. pag. 693. litera C.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ignis crematio de qua hic, eratne debita hæreticis?

RESP. Debita hactenus fuiſſe ereditur ſecundum legem Euangelicam & humanam, vt habetur in Direct. Inquiſit. par. 1. ſuper cap. Ad abolendam, pag. 149. & ſeqq. num. 11. & 33. ſecundum vltimam impreſſionem, & pag. 170. num. 14. Sed contrarium cenſet Couarruuias var. reſol. lib. 2. cap. 10. num. 10. vbi ex hac Friderici Imperatoris ſanctione hanc pœnam ignis prodiiſſe ſcribit.

II.

Impia Iudæorum perfidia, & infra pag. 62. Bullarij. *Edita Anno 1244.*

COMPENDIVM.

Iudæos refert, eorum filios docere multos errores contentos in quodam libro Hebraicè Talmud nuncupato. §. 1. Chriſtianaſque eorumdem nutrices habere. §. 2. Pariſiis eundem librum iuſſu Gregorij IX. & illius Regis auxilio cócrematum fuiſſe enarrat. §. 3. Quem ideo hic Pont. rogat vt concremari faciat cum ſimilibus libris in toto regno ſuo. §. 4. Nutriceſque aut famulos Chriſtianos retineri interdicit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. In Italia eo tempore fuitne idem liber concrematus?

RESP. Hoc mihi minimè notum eſt, perlegi tamen in lib. 2. Biblioth. ſanctæ, editæ à Six. Senenſe Ordinis Prædicatorum profeſſore lib. 2. pag. 125. in fine, quòd an. 1559. (& ſic ſub Pontificatu Pauli IV. quamuis etiam eodem anno ei ſucceſſerit Pius IV.) ex opulentiſſima bibliotheca Iudæorum Cremonenſium, iuſſu Congregationis Romanæ Inquiſitionis, duodecim Talmudiorum codicum millia exuſta fuiſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui ſunt errores contenti in libro Talmud, vt aſſeritur in §. 1.

RESP. Infinitæ ferè ſunt blaſphemiæ ibi à quampluribus Rabbinis deſcriptæ, adeò execrabiles, vt horreat animus, refugiátque manus eas ſcribere, vt Six. Senenſ. inquit in loco proximè citato pag. 128. vbi tamen eas ſummatim refert.

III.

Ad Apoſtolicæ dignitatis apicē, & infra pag. 62. Bullarij. *Edita Anno 1245.*

COMPENDIVM.

Refert Nuncios miſiſſe ad Fridericum Imperatorem pro habenda reconciliatione.

Digitized by Google

cilſatione. §. 1. Illum autem perſtitiſſe in ſua obſtinatione. §. 2. Et deinde ipſum Fridericum per ſuos Nuncios mandatis Papæ ſtare promiſiſſe. §. 3. Sed id non impleuiſſe, imò grauiſſima ſcelera patraſſe. §. 4. Proptereáque à Greg. IX. anathematis vinculo innodatum fuiſſe, & eo neglecto horrenda crimina commiſiſſe. §. 5. Et ideo illum ex Concilij generalis deliberatione Lugduni habiti, omni dignitate, & regno priuat. §. 6. Vaſſalloſque ab eius obedientia liberat. §. 7. Et alium Imperatorem eligi mandat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Iſtud generale Concilium Lugdunenſe primum, de quo in §. 6. abſque dubio fuit ab iſto Pont. indictum, quare ergo Genitor tuus bullam huiuſmodi indictionis prætermiſit?

RESP. Indictionis primæuam, principalemque bullam abſque mendo conquirere non potuit, vt mihi pluries ſignificauit, ſed aliam ad Abbates & priores per Angliam conſtitutos datam ex Matthæo Pariſ. deſcripſit, poſuitque in appendice ſui Bullarij conſtit. 1. aliàs xx.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fuitne ad eam electionem Imperatoris deuentum, vt hic Pontif. mandauit in §. 7.

RESP. Henricus Lantgrauius electus fuit ab his, qui Papæ partes ſequebantur; qui bellum habuit cum Conrado Imperatoris filio iuxta Francofordiam, & victor euaſit, Conradúmque ſuperauit, ſed ænnis quinque, nomen gerens regium, Imperij coronam minimè conſecutus, obiit, vt ex Abb. Strad. & Tritê. notat Seuerinus Binius ad iſtud Concilium Lugdunenſe, vbi ſubdit quòd tempore, quo dictus Fridericus Italiam vexauit, maxima partialitas populorum in ea ſubſecuta eſt. Enimuerò ſequentes Rom. Pont. partes Guelphi, fautores verò dicti Friderici, Gibellini dicebantur, qui ad inuicem omni ſtudio ſe perſequebantur.

I V.

Edita Anno 1246. Deuotionis veſtræ precibus inclinati, & infra pag. 64. Bullar.

COMPENDIVM.

Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis ſuccedunt in bonis Monachorum profeſſionem facientium, in quibus, exceptis feudalib. in ſæculo ipſi ſucceſſiſſent. §. 1. & retinere etiam poſſunt. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Habéntne hoc priuilegium aliæ religiones?

RESP. Habent quamplures, vt videre eſt in amplo indice materiarum huius Bullarij Genitoris mei.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *& profeſſionem facientium*, nónneſunt ſuperflua?

RESP. Non profectò, quia tollunt eam apud Canoniſtas dubitationem, an Monaſterium ſuccedat Monacho ab inteſtato morienti infra annum probationis, de qua per Abb. Dec. & alios in cap. in præſentia S. de probationibus, ita quòd tenenda ſit ex vi dictorum verborum opinio negatiua, quæ etiam frequentiori calculo à Canoniſtis videbatur approbari.

V.

Religioſam vitam eligentibus, & infra pag. 64. Bullarij. *Edita Anno 1247.*

COMPENDIVM.

Suſcipit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ Congregationem Monachorum Sylueſtrinorum in Eremo Montis Fani, diœceſis Camerinenſis. §. 1. Regulam S. Benedicti obſeruari præcipit. §. 2. Bonorum acquiſitionem & retentionem permittit. §. 3. Eximit à decimis noualium, quæ propriis manibus colunt, & nutrimentis ſuorum animalium. §. 4. Indulget poſſe alios recipere ad religionem. §. 5. Prohibet à religione diſceſſum. §. 6. Noua loca vetat ædificari in eorum parochia. §. 9. Nouas exactiones eis imponi inhibet. §. 10. Libertatem mortuos ſepeliendi tribuit. §. 11. Facultatem eorum decimas, & poſſeſſiones recuperandi concedit. §. 12. Abbatem à Congregatione eligi decernit. §. 13. In locis eorum crimina committi vetat. §. 14. Priuilegia Congregationis confirmat. §. 15. Perturbari prohibet, & faueri mandat. §. 16. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quis eiuſdem Congregationis promotor fuit?

RESP. Beatus Sylueſter Ghiſlerij de

de Guzzolinis filius, ex patria Auximi Ciuitate, quinque millium paſſuum ſpatio diſtante ab Vrbe Lauretana, Beatæ Mariæ Virginis æde, toto Orbe terrarum celeberrima valdè nobilitata. Obiitque miraculis clarus anno 1267. ætatis ſuæ 90. die 26. Nouembris, ita affirmat Baron. in Martyrolog. ſub dicta die 27. Nouembris littera B.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis Syluestri acta cōſcripſit?

RESP. Andreas huius congregationis olim Generalis, vltra alios, quos recenſet Baró. proximè allegat. vbi ſubdit, quòd Clemens VIII. in Martyrologium referri iuſſit. Prout mox in Kalendario Breuiarij Monaſtici iuſſu Pauli V. reformati, & editi, deſcriptus fuit.

VI.

Edita Anno 1247. QVæ honorem Conditoris, & infra pag. 65. Bullarij.

COMPENDIVM.

Regulam Fratribus Eremitis B. Mariæ de Monte Carmeli ab Honorio III. in ſua conſtit. 8. de qua ſup. pag. 13. Hugo tit. S. Sabinæ presbyter Cardinalis, & Guillelmus Anteſiodoren. Epiſcopus anno 1171. declararunt, & mitigarunt, vt in Prologo Regulæ, videlicet de Priore habendo, & tribus ei permittendis. cap. 1. Receptione locorum. cap. 2. Cellulis Fratrum. cap. 3. Refectorio. cap. 4. Mutatione Cellularum. cap. 5. Cellula Prioris. cap. 6. Manſione in Cellulis. cap. 7. Horis Canonicis. cap. 8. Proprietate. cap. 9. Oratorio. cap. 10. Correctione Fratrum. cap. 11. Ieiunio. cap. 12. Eſu carnium. cap. 13. Armis ſpiritualibus. cap. 14. Aſſiduitate operandi. cap. 15. Silentio. cap. 16. Humilitate Prioris. cap. 17. Veneratione erga Priorem. c. 18.

Scholion primum.

Quæro. Hęc Eremitica vita nonne diu obſoleta fuit?

RESP. Ita quidem, ſed, vt hiſtoriam plene intelligas, perlege tractatum de Antiquitate Ordinis Carmelitani à R. P. F. Thoma à Ieſu, Congregationis Carmelitarum Diſcalciatorum typis nuper datam.

Scholion ſecundum.

Quæro. In conſtit. 8. Honorij III. de qua ſup. pag. 13. Fratres de Monte Carmeli dicti ſunt, hîc verò B. Mariæ de Monte Carmeli, vnde hoc igitur?

RESP. Hæc perlege in præfatione R. P. Fratris Ferdinandi à S Maria, Præpoſiti generalis Congregationis Carmelitarum Diſcalciatorum Italiæ in libro, quem Romæ anno 1617. edidit, de Priuileg. d. Cong regationis. Fide igitur Euangelica exornato Carmelo candidati Filij tanti patris Eliæ, quo tandem loci dicatum, antea meritiſſimo Duci peruetuſtum ſacellum promeruit, recens Deiparæ conſecrarunt, quæ illos viuens non ſemel præſentiæ gratia quàm ſanctiſſimè affecerat. Effectúmque eſt, vt qui quondam Eliæ iam digniores tituli nomenclaturam nacti, B. Mariæ à Monte Carmelo dicerentur.

VII.

CVm tanquam veri & fideles, & infra pag. 67. Bullarij. *Edita Anno 1250.*

COMPENDIVM.

Eccleſias Fratrum Minorum, vbi Conuentus exiſtunt, Conuentuales vocari indulget. §. 1. Et cœmeteria in eis permittit. § 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt Eccleſia Conuentualis?

RESP. Idem quod Eccleſia, in qua eſt Monaſterium, cap. Edoceri 21. de reſcript. Vel in qua eſt Collegium, vel Capitulum. Geminian. conſ. 131. num. 4. Proinde cùm Eccleſiæ Monachorum cum Conuenientibus, magis propriè vocarentur monaſteria, & Eccleſiæ ſecularium cum Conuentibus, Eccleſiæ collegiatæ, ita Eccleſiæ horum fratrum regularium non habentes hoc tempore proprium nomen, vigore huius indulti appellatæ ſunt Eccleſiæ Conuentuales, id eſt, in quibus ſimul cōueniunt hi Fratres, religioſamque vitam ducunt. Siluest. in ſua ſum. in V. Conuentus. Et hinc illi Fratres Conuentuales vſque in hanc diem nuncupantur, cæteri verò ſimiles aliorum Ordinum religioſi non: quia illi, vt arbitror, hoc priuilegio Conuentualitatis donati fuerunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt habere cœmeteria in Eccleſiis ad opus fratrum & familiæ?

RESP.

R e s p. Eſt priuilegium ibi Fratres, & familiam ſepeliendi, quod ſolæ Eccleſiæ curatæ, & parochiales habebant de iure, aliæ autem ex conſuetudine, vel priuilegio. Feder. de Sen. conſ. 135. num. 2. Card. conſ. 112. num. 2. verſ. Ad quartum.

VIII.

Edita Anno 1250. Cum fratres Prædicatores, & infra pag. 67. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit Baronibus, & Poteſtatibus ſæcularibus, vt denunciatos excommunicatos à Fratribus Prædicatoribus Inquiſitoribus, ob hæreſim, aut hæreticorum fauorem banno publico confiſcatis bonis, exponant.

Quæro. Hoc reſcriptum Poteſtatibus certarum Prouinciarum directum, eritne ab aliis aliorum locorum, & præſertim extra Italiam ſeruandum?

R e s p. Ab omnibus, & vbique, habet enim Pontifex generalem vbique iuriſdictionem ſuper hæretica prauitate, & negotiis fidei. & dum quibuſdam loquitur, cæteris idem dixiſſe cenſetur, ſicuti Imperatores multas leges quibuſdam Vrbis Præfectis, aut Præſidibus, ab omnibus tamen obſeruandas direxerunt, vt eruditè oſtendit Spineus in ſuo tract. de Strigib. in cap. 3. & exploſo Burſ. aliter ſentiente, Spineo adhæret Pegna in tit. de Author. extrauag. quam poſuit poſt aliquot pontificum conſtitutiones, inter quas hæc quoque Innoc. habetur.

Scholion primum.

Quæro. Confiſcationes bonorum eiuſmodi hæreticorum quis enucleat?

R e s p. Quamplures, & poſt alios præclarè Pegna in Director. Inquiſit. comment. 158. par. 3.

IX.

Edita Anno 1252. & 1254. Ad extirpanda de medio populi Chriſtiani, & infra pag. 67. *Item.* Cùm in conſtitutionibus, & infra pag. 69. Bullarij.

COMPENDIVM.

Edidit leges aduerſus hæreticos, eorúmque complices, & fautores, in princ. Eas iubet Magiſtratibus omnibus obſeruari. §. 1. Quarum lex 1. eſt ſuper iuramento ab ipſis Magiſtratibus præſtando circa hanc obſeruantiam. §. 2. Lex 2. eſt de banno ab eis publicando contra illos. §. 3. Lex 3. eſt quòd 12. viros miniſtros dent Inquiſitoribus. §. 4. Lex 4. quòd ipſi hæreticorum capturæ ſtudeat. §. 5. Lex 5. Magiſtratus duci faciant hæreticos ſumptibus Communitatis. §. 6. Lex 6. de fide Officialium Inquiſitionis. §. 7. Lex 7. de eorum iuramento in ingreſſu officij. §. 8. Lex 8. de eorumdem poteſtate. §. 9. Lex 9. de obſeruantia mandatorum eorumdem. §. 10. Lex 10. de ipſorum immunitate. §. 11. Lex 11. non conueniantur alibi de concernentibus officium. §. 12. Lex 12. quantum duret officium ipſorum. §. 13. Lex 13. ſuper emolumentis eorum in diſceſſu. §. 14. Lex 14. ſuper eorum ſalario. §. 15. Lex 15. alio non grauentur officio. §. 16. Lex 16. neque ſtatuto. §. 17. Lex 17. quando remouendi. §. 18. Lex 18. de eorum punitione. §. 19. Lex 19. faueantur ab omnibus. §. 20. Lex 20. Impedientes puniantur. §. 21. Lex 21. hæretici capti à Magiſtratibus cuſtodiantur. §. 22. Lex 22. aſſignantes ſe pro hæreticis coërceantur. §. 23. Lex 23. hæretici capti præſententur Inquiſitoribus à Magiſtratibus infra dies quindecim. §. 24. Lex 24. damnati recipiantur per eoſdem ad puniendum. §. 25. Lex 25. hæretici cogantur alios, & complices, & bona reuelare. §. 26. Lex 26. domus vbi capiuntur demoliantur. §. 27. Lex 27. quæ ſint hæreticorum, & complicum pœnæ. § . 28. Lex 28 eorum nomina in quatuor libris deſcribantur. §. 29. Lex 29. loca omnia hæreticis purgentur. §. 30. Lex 30. de eorum filiis & neporibus inquiratur. §. 31. Lex 31. omnia hîc diſpoſita diligenter executioni dentur. § . 32. Lex 32. Pœnæ non relaxentur. §. 33. Lex 33. bona eorum in tribus partibus diuidenda confiſcentur. §. 34. Lex 34. nihil de his legibus immutetur. §. 35. Lex 35. Magiſtratus ab obſeruantia ſyndicentur. §. 36. Lex 36. Syndicatores iurent. §. 37. Lex 37. Statuta hæc recitentur, & contraria tollantur. §. 38. Lex 38. eadem in quatuor libris deſcribantur. §. 39. Et in ſeq. adiuncta conſtit. apponitur declaratio ad ſupradictos. §. 27. & 34.

Scholion ſecundum.

Quæro,

Quæro. Quod hic diffinitur in §. 34. de applicatione bonorum confiſcatorum in tres partes, fuitne poſtea aliqua pontificia conſtitutione innouatum?

R E S P. Non, ſi rectè Pontificiæ conſtitutiones obſeruentur, earumque tempora: nam quamuis Alexand. IV. in hoc Bullario mei Genitoris in ſua conſtit. 21. edita anno 1260. cuius Pontificis ſucceſſor, bona hæreticorum vendi, & eorum pretium ad opus Romanæ Eccleſiæ conſeruari mandauerit, non propterea hoc mandatum generale videtur contrarium dictæ ſpeciali Innocentij diſpoſitioni, & quod magis eſt, Clemens IV. Alexand. ſucceſſor comprobauit hanc Innocentij ſanctionem, vt habes infra in d. Clem. IV. conſtit. 6. Ad extirpandam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne poſtea Clem. V. in Clem. 2. de Hæretic. ac ſucceſſiuè Benedictus XI. in extrauag. 1. pariter de Hæretic. aliter diſpoſuerunt?

R E S P. Nequaquam; ſiquidé Clem. V. de hac partitioue bonorum confiſcatorum non loquitur; & neque Benedictus XI. vt hoc vltimum aduertit etiam Pegna in Director. Inquiſit. comment. 158. verſ. Benedictus XI. Bene verum eſt, quòd circumfertur copia alterius conſtit. Eugenij IV. de his aliquid diſponentis, ſed mendoſa eſt, & (vt arbitror) minus vera, & nuſquam (quod certiſſimum eſt) edita, aut publicata.

X.

Edita Anno 1253. CVm Venerabilis frater noſter, & infra pag. 70. Bullarij. *Item.* Cùm per noſtras. ibidem.

C O M P E N D I V M.

Authoritate Papæ, Epiſcopus Albanenſis ſtatuit à fautoribus hæreticorum ad fidem redeuntibus, cautionem exigendam fore, de fide tenenda, & fauorem eis de cætero non impendendum. Idque Papa approbauit. Et modò iterum Inquiſitoribus Prouinciæ Lombardiæ idem mandat. Et ſi illi relabentur, pœnas exigendas eſſe reſcribit Epiſcopis d. Prouinciæ, & exinde de expẽſis prouideri Inquiſitoribus Lombardiæ, & Marchæ Anconitanæ, & Taruiſinæ.

Scholion primum.

Quæro. Quam ob cauſam fautor hæreticorum cogitur ad ita cauendum?

R E S P. Quia de hæreſi ſuſpectus redditur ex eiuſmodi fautoria, cap. vt inquiſitionis 18. cum ibi notatis, de Hæret. in ſexto. Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. quæſt. 56. num. 8. Et cùm ex eiuſmodi ſola ſuſpicione non poſſit ad vlteriora procedi contra eoſdem, iuſta videtur ſub eiuſmodi cautione relaxatio, vt in caſu relapſus, ſi fautor haberi non poterit de perſona, aliqua pœna corripiatur non corporali.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui hæreticum non denunciat, eiuſne fautor cenſetur?

R E S P. Cenſetur quidem, niſi omiſſio denunciandi, aliquo iuſto metu, obliuione, impedimento, aut alia probabili cauſa contingat, vt ſcripſit Pegna in Director. Inquiſit. comment. 78. verſ At non videtur.

X I.

MAgnis & crebris declarata prodigiis, & infra pag. 70. Bul. *Edit Anno 1252.*

C O M P E N D I V M

B. Petrus Martyr Veronenſis Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſus fuit, & in eo multum profecit. § .1. & 2. Multis virtutibus claruit. §. 3. Cùm de Ciuitate Cumana, vbi ſui Conuentus Prior erat, Mediolanum pergeret, mandatum ſibi ab Apoſtolica Sede contra hæreticos datum executurus, capitè gladio truncatus obiit, vt prædixerat. §. 4. Miracula in vita fecit. §. 5. Et poſt obitum. §. 6. Quem ideo hic Pontifex numero SS. Martyrum adiungit. §. 9. Feſtum eius 20. Aprilis agi iubet. §. 10. Indulgentiamque eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. In canonizatione huius Martyris, & aliorum cauſa motiua, & neceſſariò probanda, quæ eſt?

R E S P. Cauſa propter quam martyrium paſſus eſt, quia cauſa, non pœna facit Martyrem, vt inquit S. Auguſtinus epiſt. 61. & 166. tom. 2. Niſi eiuſmodi cauſa adeò eſſet manifeſta, vt aliqua probatione, vel inquiſitione non indigeret, quæ quidem cauſa debet eſſe defenſio

defenſio, atque confeſſio fidei Chriſtianæ, necnon eorum,quæ fidei annectuntur, vt euenit S. Ioanni Baptiſtæ, qui dum affirmauit, quòd Herodi non liceret habere vxorem fratris ſui, martyrium paſſus eſt pro hac veritate,ideóque Martyrem illum appellat S. Auguſt. in pſal.140.tom.8. Nec miraculorum interuentus neceſſarius eſt in Canonizatione Martyris, vt hæc omnia refert nouiſſimè Rocca de Canoniz. SS.cap.35.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vitam, & acta huius Sancti viri, apud quem perlegam?

R e s p. Apud Sur.de Hiſtor.SS.tom. 2. ſub hac die. Et de eodem plura alij ſcripſerunt,quos indicat Baron. in Martyrol. eadem die.

XII.

Edita Anno 1253. SOlet annuere Sedes Apoſtolica, & infra pag. 72. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beatus Franciſcus de Aſſiſio regulam tradidit B. Claræ, & Sociis eius, quam ab iſto Pont. illæ confirmari petunt, in princ. Qui eam in 12. contentam cap. approbat. §. 1. In cap. 1. agitur de promiſſione obedientiæ. In 2. de his quæ ſeruanda ſunt in receptione Sororum. In 3. de diuino officio, ieiunio, confeſſione, communione. In 4. de concernentibus Abbatiſſam, eiuſque Conſiliarias, & Capituli conuocationem. In 5. de Silentio, Locutorio, & Oſtij clauſura. In 6. de Paupertate, & immobilibus non tenendis. In 7. de Laboreriis & eleemoſynis Abbatiſſæ conſignandis. In 8. de Proprietatis & munerum prohibitione, ac Infirmarum cura. In 9. de Pœnitentiis iniungendis. In 10.de Obedientia Abbatiſſæ præſtanda, eiuſque in alias poteſtate,& dilectione inter Sorores. In 11. de Oſtiariæ munere, & qualitatibus. In 12. de Viſitatoris, Capellani, & Protectoris electione, & officio.

Scholion primum.

Quæro. Quod in cap. 8. dicitur de proprietate, intelligitúrue de ſingulari, vel etiam de communi?

R e s p.Intelligitur de ſingulari tantum ſecundum gl. in Clem. 1. in verb. obedientiam, de Relig. domib. & in Clem. 3. in verb. tertio, de ſent. excommunic.quam ſequitur Card. Zabar. conſ. 16. numer. 2. & Bald. in conſ. 183. lib. 5. & poſt princ. conſ. 448. eod. lib. numero 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Votum obedientiæ, de quo in cap. 10. itane monialem arctat, vt nihil,præter voluntatem Abbatiſſæ, agere poſſit?

R e s p. Nihil, ſi Abbatiſſa iubet ea, quæ ſunt ſecundum regulam votam à moniali, ſecus ſi ſunt contraria regulæ, vt ſequendo S. Thomam receptum, 2. 2. quæſt. 104. art. 5. ſcribit Nauar. in ſuis Comment.de Regularib. comment. 2. num. 59.

XIII.

OLim à Gentilium oculis tenebrarum, & infra pag. 75.Bull. *Edita Anno 1253.*

COMPENDIVM.

Refert Staniſlaum Epiſcopum Cracouienſem corripuiſſe Boheſlaum Regem Poloniæ, medicinali gladio Petri, vt ab immanibus flagitiis eum repelleret. §.1. Illum verò deteriorem factum, ipſum Epiſcopum Pontificalibus indutum à militibus cruciari iuſſiſſe. §. 2. Eos tamen ſemper compunctos remanſiſſe.§.3. Regemque tandem proprias manus in illum appoſuiſſe, eiuſque corpus in fruſta ſcindi feciſſe. §. 4. Staniſlaum multis miraculis corruſcatum enarrat. §. 5. Quem propterea hic Pont. inter SS. Martyres adſcribit. §. 6. Eiuſque feſtum die 8. Maij agi præcipit. §. 7. indulgentias etiam eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore Staniſlaus excommunicauit hunc Regem, ab eóque morti eſt traditus?

R e s p. Anno 1079. vt ſcribit Baron. in Annal. Eccl. tom. 11. fol. 536. ſic dicens: Ad coronidem præſentis anni, apponimus coronam, & purpuram ſanctiſſimi Martyris Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi, qui in ſpiritu, & veritate Heliæ redarguentis Achab, & Io. Baptiſtæ corripientis Herodem, dum arguit Boheſlaum enormiter delinquentem, & non auditur, & iterum corripit, & contemnitur, atque rurſus increpat, & deſpici

deſpicitur, ſententia excommunicationis eum affecit, quam ob cauſam ab ipſo Rege, dum in altari eſſet, Deo miſſæ ſacrificium offerens, crudeliſſimè cæſus, octaua menſis Maij martyrij palmam eſt conſecutus. Hæc eadem in Breuiario Romano die 7. Maij in 6. lectione ſecundi nocturni, Officij eiuſdem Sancti habentur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ergo egit Gregor. VII. eo tempore ſummus Pontifex, audito tam immani ſcelere?

R E S P. Ipſe Pontifex, & vniuerſorum tunc Cardinalium cœtus, in flebilem lamentationem ruit, impiúmque deinde Regem matura præhabita deliberatione, ſolemni ritu, regno, & dignitate priuauit, & excommunicauit. Mox, anno ſiquidem 1081. vindicta ſecuta eſt, nam poſt alia mala ipſe Rex, vt alter Cain, factus eſt profugus ſuper terram, demum verſus in inſaniam, errabundus dum vagatur, morte præuentus à canibus eſt deuoratus. Hæc refert ex Io. Longino Canonico Cracouienſi, qui eius ſancti viri acta deſcripſit, Baron. in loc. citat. & in Martyrolog. ſub die 7. Maij, poſt Sur. de Vit. SS. ſub die 11. Aprilis, tom. 2. qui alia recenſet.

X I V.

Edita Anno 1254.

SVb Catholicæ profeſſione fidei, & infra pag. 76. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Diffinit ritus Græcorum ad tollendas eorum diſſenſiones. §. 1. & ſeqq. Circa vnctiones, & circa Baptiſma. § 3. Circa Sacerdotes & Chriſma, in verſ. Soli ſacrã Vnctionem, verſ. Nullis. Euchariſtiam, in verſ. Sed Euchariſtiam Miſſas, in verſ. ſeq. Horas Canonicas, in verſ. Sacerdotes. Promotionẽ Sacerdotũ, & Preſbyterorũ, in verſ. Promouendi. Paramenta, & alia ſacra, in verſ. Cæterum. Seruitium mulierum ad Altare, in verſ. ſeq. Ieiunium, in verſ. ſeq. Sacerdotes coniugatos parochos, in verſ. Sacerdotes. Fornicationem, in verſ. ſeq. Ordines ſacros conferendos, verſ. Ad hæc. Secundas, & vlteriores nuptias, verſ. ſeq. Matrimonia contrahenda, verſ. Et quoniam Purgatorium, in verſ. ſeq. Infernum, verſ. ſi quis animas paruulorum, verſ. Animæ. Monachorum inſtituta, in verſ. ſeq. Quos ritus diffinitos obſeruari iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Clerici Græci, de quibus in verſ. Sacerdotes, in quo ſtatu coniugem ſuſcipere poſſunt?

R E S P. Ante Subdiaconatum, cap. ſi quis eorum, 7. diſtinct. 32. cap. Nicæna, 12. diſtinct. 31. cap. cùm olim, 6. vbi Canon. cõmuniter de Cler. coniug.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si ad morandum inter Latinos ſe transferant, poterúntne vxorem retinere?

R E S P. Si mora breuis eſt, affirmamatiua ſententia communiter tenetur, ſed ſi longa, & afferat ſcandalum, tolerandum non eſſet, vt Innoc. & alij tenent in cap. cùm ſecundum 9. de Tempor. ordinat.

X V.

Edita Anno 1254.

CVm negotium catholicæ, & infra pag. 77. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inquiſitoribus dat facultatem interpretandi ſtatuta, tam Eccleſiaſtica quàm ſæcularia edita contra hæreticos, in princ. Eorúmque filios, & nepotes, & fautores beneficiis, & officiis priuandi. §. 1. Ac eos, qui eorum opera illa exequentur. §. 2. Accuſatorum & teſtium in cauſis hæreſis nomina publicari prohibet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. An hæc eadem Epiſcopis cõpetat interpretandi facultas in locis, in quibus non ſunt inquiſitores delegati conſtituti, ſed ſoli Epiſcopi iure ordinario in hæreticos animaduertunt?

R E S P. Competit quidem, quia fauore fidei, omnia quæ ſunt Inquiſitoribus tributa, Epiſcopis etiam tributa cenſentur, niſi expreſsè illis denegentur, vt probat Pegna in director. Inquiſit. quæſt. 56. comment. 105. verſ. Num autem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſſuntne Inquiſitores Conſultoribus eorum nomina teſtium manifeſtare, non obſtante hac prohibitione, de qua in §. 3.

R E S P.

RESP. Poſſunt, ad tex. apertum in cap. ſtatutum xx. de hæret. in 6. vbi Bonifac. VIII. in ſpecie hanc conſtitutionem declarat.

XVI.

Edita Anno 1254. QVia tunc potiſſimè acceptabile, & infra pag. 78. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitores contra ſuſpectos de hæreſi, vel infamatos, eorúmque fautores, nolentes mandatis Eccleſiæ obedire procedant. §. 1. Et redeuntes ad fidem abſoluere poſſint. §. 2. Et contra ipſis Inquiſitoribus non fauentes. §. 3. Indulgentias ipſorum prædicationem audientibus, ſi videbitur, concedant. §. 4. Et etiam ipſorum fautoribus contra hæreticos. §. 5. Facultas eorumdem Inquiſitorum contra prædicatores quæſtuarios. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. An etiam contra Reges ſic procedere poterunt Inquiſitores?

RESP. Quicquid dici poſſit, vigore huius conſtitutionis certum eſt poſſe, ſaltem vigore cap. Vt officium, de Hæret. in ſexto, edit. à Clem. IV. huius Pontificis ſucceſſore poſt Alex. IV. Conſulit tamen Eymeric. in Director. Inquiſit. quæſt. 31. informandum prius eſſe Papam, vt tutiùs per eius conſilium negotium fidei agi poſſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de prædicatoribus quæſtuariis, habetne locum etiam contra alios, quoties Inquiſitoribus expediens viſum fuerit?

RESP. Ex identitate rationis, affirmatiuam ſententiam probat Pegna in D. rect. Inquiſit. Comment. 86. §. in cæteris, vbi Canoniſtas, & alios allegat.

XVII.

Edita Anno 1254. VT nihil nobis deſit, & infra pag. 78. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cruceſignati, cùm aſſumunt ſignum Crucis contra hæreticam prauitatem, abſoluuntur per Inquiſitores ab omnibus cenſuris, & diſpenſantur ab irregularitate contracta, ſi ligati cenſuris, celebrarunt. Commutantur etiam eorum vota. Conceduntur eiſdem indulgentiæ, & priuilegia Cruceſignatorum proficiſcentium in ſubſidiũ Terræ ſanctæ, vt tempore interdicti ſacramenta recipere poſſint. Et quòd illicitè acquiſita poſſint conuertere in proſecutionem fidei, ſi edicto propoſito non apparuerint aliqui, quibus reſtitutio debeatur.

Scholion primum.

Quæro. Noua eſt fortaſſe iſta communicatio priuilegiorum Cruceſignatorum pro ſubſidio Terræ ſanctæ, cum his Cruceſignatis ad hæreſis extirpationem.

RESP. Noua non eſt, cùm Innoc. III. antea conceſſiſſet in cap. Excommunicamus 13. §. Catholici de Hæret.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quomodo, & qua promiſſione iſti Cruce ſignantur?

RESP. Dilucidè ſcribit Campeg. in addit. ad Zanch. de Hæret. cap. vlt. in fine.

XVIII.

NOuerit vniuerſitas veſtra, pag. 78. Bullarij. *Edita Anno 1254.*

COMPENDIVM

Catharos, & alios quoſcumque hæreticos excommunicat, in princ. Eoſdem ab Eccleſia damnatos, iudicio ſeculari puniendos relinquit. ibid. Pœnitentes perpetuo carceri dari præcipit. §. 1. Credentes erroribus eorum, vt hæreticos declarat. §. 2. Fautores eorumdem excommunicat. §. 3. Prædictis pleraſque alias pœnas imponit. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt Curiæ ſeculari aliquem tradere, vt hic dicitur in principio?

RESP. Innocentius III. hoc explicat in cap. Nouimus 27. de verb. ſignif. cuius cap. ſumma hęc eſt, quòd Clericus exuitur priuilegio clericali, à foro Eccleſiæ proiicitur, & Iudici ſeculari præſenti traditur, vt eum hominem degradatum in ſuum forum recipiat. Et de hoc agit etiam Eymer. in 3. par. Direct. Inquiſit. in nono modo terminandi proceſſum fidei, pag. mihi 510.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ſubdit Innocentius III.

per te allegatus, quòd debet Eccleſia pro eo efficaciter intercedere, vt Iudex ſecularis illum hominem citra pœnam ſanguinis puniat?

RESP. Pegna in Comment. 20. poſt Eymeric. mox citatum inquit, id fieri, ne Inquiſitores ſanguinis effuſioni conſentire videantur, & irregulares efficiantur, & ſubdit ita obſeruari, licet poſteriores Rom. Pontifices ab eiuſmodi irregularitate ſuis decretis præſeruauerint.

XIX.

Edita Anno 1254. MAlitia huius temporis, & infra pag. 79. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitoribus mandat, vt hæreticis prædicent verbum Crucis, & vouentes ſe ad extirpandam hæreſim, Crucis charactere inſignire non deſinant. §. 1. Concedit Inquiſitoribus, & Cruceſignatis priuilegium, tranſeuntibus in ſubſidium Terræ ſanctæ. Audientibus prædicationem, confeſſis, & contritis poſſunt Inquiſitores indulgentiam concedere. §. 2. Et contra impedientes procedere valent, tanquam contra fautores hæreticorum. ibid. Cruceſignatos autem abſoluere à cenſuris Eccleſiaſticis, caute, quòd contra Eccleſiam de cætero numquam erunt. §. 3. Diſpenſare etiam cum Clericis. ibid. Et concedere eiſdem, vt tempore interdicti poſſint intereſſe diuinis, & recipere Sacramenta. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum Clem. VII. hæc, & alia priuilegia Cruceſignatis dediſſe?

RESP. Zanch. in ſuo tract. de Hæret. cap. 35. in addit. citat hanc Clem. VII. bullam, quam Genitor meus nequaquam inuenire potuit, & plura in ea contenta priuilegia enarrat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore Cruceſignatorum inſtitutio facta dicitur?

RESP. Antiquiſſimam eſſe ſcribit poſt alios Burſat. in conſ. 343. lib. 4. fere per totum, vbi egregiè, & multa de Congregatione Cruceſignatorum ſcitu digna recenſet. Ego autem ab Innoc. hoc tempore Congregationem ad opus Inquiſitionis formaliter inſtitutã eſſe arbitror, quamuis etiam tempore Innoc. III. extarent, qui exterminio hæreticorum ſe vouebant, vt in cap. excommunicamus 13. §. Catholici, de Hæret. Et hoc idem ſentit incertus author in tract. de forma proced. cootr. Inquiſit. de hæreſ. in tit. de offic. Cruceſign.

ALEXANDER IV.

Italus, creatus anno 1254.

CONSTIT. I.

CVm à nobis petitur, & inf. pag. 80. Bullarij. *Edita Anno* 1255.

COMPENDIVM.

Enarrat Equites S. Lazari ab eo poſtulaſſe confirmationem eorum Ordinis ſub regula S. Auguſtini, quem Ordinem propterea ita confirmat, & d. Regulam perpetuò obſeruari mandat.

Scholion primum.

Quæro. A quo, & quando Ordo iſtorum Equitum dicitur inſtitutus?

RESP. A S. Baſilio circa annum 1113. ſecundum Ciacon. in vita Calliſti II. qui eo tempore in Petri ſolio ſedebat. Et habetur etiam in vita eiuſdem S. Baſilij, vt inquit Franc. Mennenſ. de Orig. Milit. in tit. de Ordine SS. Mauritij, & Lazari, pag. mihi 50.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ante hanc Papæ approbationem, poterantne iſti Equites cenſeri perſonæ religioſæ?

RESP. Negatiuam ſententiam tenendam puto, per ea, quæ latè conſulendo ſcribit Panormit. 10 conſ. 104. lib. 1. per tot. Et etiam quia regula S. Auguſtini non fuit inſtituta pro Militibus, ideo opus erat authoritate Apoſtolica. Hodie autem clarè legitur diffinitum à Greg. X. in cap. 1. de Relig. dom. in ſexto.

II.

CVm ſecundum tenorem, & infra pag. 80. *Item.* Felic. rec. & infra pag. 80. Bullarij. *Edita Anno* 1255. & 1527.

COMPENDIVM.

Declarat §§. 4. & 36. bullas Innoc. IV. in Bullar. pag. 68. & 69. circa electionem

ctionem à Magiſtratibus ſecularibus faciẽdā de duodecim viris pro S. Inquiſitione,& pro ſyndicãdis eiſdẽ Magiſtratibus.§.1.Declarat etiam.§.9.dictę cõſtitutionis,circa pœnã & bannũ,quod publicare poſſunt Officiales Inquiſitionis, in §.1.cõſtitutionis huic annexæ.Declarat §.27. circa deſtructiones domorum, in quibus captores hæreticorum impediti,vel ipſi hæretici, reperti fuerint.§.5. Declarat inſuper §.36. circa ſyndicatum Magiſtratus præcedentis. §.9.

Scholion primum.

Quæro. Hæc pœna dirutionis domus, eſtne ab iſto Pontifice inducta?

R E S P. Non; ſiquidem in duobus Conciliis antea hanc pœnam indictam fuiſſe affirmat Pegna in Direct. Inquiſit. par.3.comment.92. verſ. Hæc pœna, vbi ſubdit, quandoque etiam ſolum dirutæ domus ſale conſpergi, cum dirorum prolatione, & imprecatione verborum, in deteſtationem criminis hæreſis: vel quandoque apponi ſolidum lapidem, vt perpetuum extet ibi infamiæ monumentum,cum certa inſcriptione,quod in Hiſpania ſeruatum fuiſſe recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi domus ob eiuſmodi delictum diruenda ſit communis inter hæreticum, & non hæreticum, an tota erit deſtruenda?

R E S P. Multæ ſunt in hoc, opiniones relatæ ab Alber.de ſtatut.par 3.q.46. quarum ea mihi ſolidior videtur, quòd tota domus deſtruatur in deteſtationem huius criminis,ſoluta parte non hæretico, per hæreticum, ſi ſoluendo eſt, ſin autem,ab Officio S. Inquiſitionis,vt per Alber.vbi ſupra, quem ſequitur Gyg. de Crim. læſ. maieſt. lib. 2. de pœnis committ. crim.læſ.maieſt.quæſt.37.num.2.

I I I.

Anno Edita 1255. CL A R A claris præclara miraculis,& infra pag.81. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert B. Claram hortatu S.Franciſci de Aſſiſio,ſeculum dereliquiſſe. §. 1. Bonáque ſua pauperibus diſtribuiſſe. §. 2. Plures ſocias ſecum aſſumpſiſſe in Eccleſia S. Damiani. §. 3. Hortulanámque huius nominis matrem ſuam inter eas fuiſſe.§.4.Eamdem B.Claram multum in religione profeciſſe.§.5. Miraculis, quorum ſeptem referuntur,in vita claruiſſe. §. 6. Et aliis quatuor poſt obitum. §. 7. Eam ideo Pontifex de conſenſu Cardinalium,& Prælatorum inter Sanctos reponit.§.9.Eiúſque feſtum pro die 12.Auguſti inſtituit.§.10. Viſitantibus eius ſepulchrum Indulgentiam elargitur. §.11.

Scholion primum.

Quæro. Eius acta, & vitam quis me vberius docebit?

R E S P. Surius de Hiſtoria Sanctorum ſub hac die 12.Auguſti, & nouiſſimè de omnibus habetur in Chronicis Franciſcanorum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Papa hanc Beatam Claram, quæ anno 1253. obierat, vt inquit Baronius in Martyrologio dicta die,tam breui poſt tempore canonizauit, cùm ſoleat à Sede Apoſtolica canonizatio per longa tempora differri, vt miraculorum,& virtutum,vitæque probitas canonizandi magis eluceſcat?

R E S P. Ea ratio reddi poteſt, quòd diuturnitas temporis non eſt de neceſſitate; vnde quandocumque, ſine longa expectatione habet Papa probationem vitæ,& miraculorum, canonizatio fieri poteſt,vt Innocentius,Hoſtienſis, & Zabarella, ac alij firmant in cap.1.de Reliquiis, & veneratione Sanctorum. Cùm autem hæc Beata Clara in Ciuitate Aſſiſij non longè ab Vrbe Roma, ſcilicet, non vltra octuaginta paſſuum millia vixerit,& mortua ſit,adeò vitæ ſuæ excellentia, probitas, & miracula breui temporis curſu Papæ nota fuerunt, vt non vltra neceſſe fuerit eius canonizationem differre.

I V.

BEnigna operatio diuinæ voluntatis,& infra pag.83.Bullarij. *Anno Edita 1255.*

C O M P E N D I V M.

Enarrat virtutibus, & miraculis S. Franciſcum de Aſſiſio præclarum fuiſſe. §.1.Et ideo à Greg.IX.inter SS. relatum fuiſſe.§.2.Inter quæ,hic Pont. admodum extollit ſtigmata, quæ viſa fuerunt in vita,& poſt mortem.§.3. Comprobat illorum veritatem.§.4. Hortatur Prælatos ad excitandam in populis huius Sancti deuotionem.§.5. Et ad contrarium præ-

ſumentes coërcendum. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Cur edita fuit hæc conſtitutio ſtante alia Greg.IX.conſt. 12. de hac eadem ſtigmatum veritate?

R E S P. Quoniam adhuc multi obſtinatè aſſerebant contrarium. Quinimo non defuerunt aliqui, etiam poſt huiuſmodi Alexand.conſtitutionem in obduratione permanentes,& ideo altera eius Bulla edita Anagniæ die 28. Iulij, 1259. hic idem Pontifex eiuſmodi temerarijs hominibus tunc in Caſtellæ,& Legionis partibus commorantibus pœnam priuationis officiorum omnium, & excommunicationis iniunxit. Huius quidem bullæ authenticum Genitor meus non habens eam prætermiſit: ſed eam impreſſam vidi inter conſtitutiones iſtius Pont. in lib. nuncupato Monumenta trium Ordinum S.Franciſci.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid tandem hac in re firmatum fuit?

R E S P. Omnium fere credulitas firmata eſt B. Franciſcum memorata ſtigmata in Monte Aluerniæ, in Hetruria, biennio ante eius obitum habuiſſe, & ideo horum ſtigmatum ſpecialis feſtiuitas, decreto Benedicti X. & Sixti V. quotannis celebratur die 17.Septembris, vt affirmat Baron. in Martyrolog. hac die,vbi recenſet etiam aliquot grauiſſimos authores hac de re luculenter ſcripſiſſe, & luculenter vidi explicatam in lectionibus, quas Fratres Minores hac die de officio ſuorum ſtigmatum recenſeut.

V.

Edita Anno 1255. EX parte veſtra nobis fuit intimatum,& infra pag.84. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Generalis, & Prouinciales Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium huic Pontifici ſupplicarunt,vt ſalubriter prouideret,quòd Fratres d.Ordinis ad Epiſcopalem, & alias dignitates promoti, libros, & alia quæ tempore ſuæ promotionis habent, proprijs vſibus applicare non præſumant,in princip. Ipſe ergo ſic decernit,& libros, aliáque bona prædicta generali Miniſtro, vel ſuis Prouincialibus Miniſtris reſignari præcipit,niſi forſan ipſorum vſus ad tempus ſit de gratia ſpeciali conceſſus.§.1.

Scholion primum.

Quæro. Quid circa prædicta ſtatutum credimus de Fratribus Ordinis Prædicatorum?

R E S P. Hoc idem ferè decreuit poſtea Clemens I V. in quadam ſua conſtit. incipien. Prouidentia, prout aſſerit D. Antonius de Suſpenſ. cap. 4.n.20.in qua habetur etiam Fratres illos Prædicatores ab executione Pontificalis Miniſterij eſſe ſuſpenſos, qui bona illa non reſignauerint ante munus conſecrationis receptum. Eius autem diplomatis tenorem ex libro Priuilegiorum d. Ordinis Prædicatorum deſumptum hic impreſſum videbis.

C L E M E N S Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filiis Magiſtro, & vniuerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum,ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem.Prouidentia laudabilis,& ſalubris in cunctis veſtris haberi decet operibus, vt exinde claritatem nominis in conſpectu Dei, & hominum habeatis.

Cùm itaque(ſicut aſſeritis) contingat interdum,quòd illi ex vobis,qui de Ordine veſtro ad Archiepiſcopatus,& Epiſcopatus,& alias Prælaturas Eccleſiaſticas aſſumuntur,non conſiderantes,quòd ex profeſſione in ipſo emiſſa Ordine,nihil habeat proprium,quod ſibi ſpecialiter valeant retinere, libros, & alia, quæ apud eos huiuſmodi tempore promotionis habent,vſibus proprijs applicare, ſecumque reportare præſumant, in propriæ ſalutis diſpendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum. Nos præſumptioni huiuſmodi volentes ſalubriter refragari, vniuerſis Fratribus dicti Ordinis, ad huiuſmodi Archiepiſcopatus,& Prælaturas de cætero aſſumendis, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne conſecrationis munus quoquo modo recipiant, antequam libros, & bona contingentia Ordinem memoratum,quæ apud eos tempore ſuæ promotionis habere contigerit, Prioribus,& Conuentibus,de quibus aſſumpti fuerunt, cum integritate reſignent: niſi forſan iidem Priores, de conſenſu ipſorum

rum

rum Conuentuum, vſum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis miniſterij nouerint ſe ſuſpenſos. Inter huiuſmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & illas cartulas membranas, in quibus dicti Fratres ſibi certa notabilia cum aliquibus priuatis ſermonibus collegerunt. Nulli ergo, &c. Datum Viterbij Idibus Iunij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et de Monachis quid dicendum?

R E S P. Idem quod de Fratribus Minoribus ſtatutum antea fuiſſe videtur, vt in cap. 1. verſ. Sed quicquid. cauſ. 18. quæſt. 1.

V I.

Edita Anno 1256. Licet Eccleſiæ Catholicæ, & infra pag. 84. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat. varias Eremitarum ſpecies, diuerſa profeſſione, diſparibus titulis, & diſſimili habitu extare. §. 1. Et propterea ad eorum vnionem promouendam, aliquot ex eis ad ſe accerſiri fecit. §. 2. Cui negotio Cardinalem S. Angeli præfecit. §. 3. Qui omnes Eremitarum Congregationes in vnam Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſionem, & regularem obſeruantiam vniuit. §. 4. & ſeqq. Vnionem hanc ipſe Pont. approbat. §. 7. Habitúmque vniformem, & cucullas nigri coloris ab eis deferri iubet. §. 8. Et hanc vnionem ab omnibus ſeruari præcipit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore initiatus eſt Ordo Eremitarum Sancti Auguſtini?

R E S P. Videntur Eremitæ initium habuiſſe ante S. Auguſtinum, vel ſine dubio ab eo approbati, & reformati, vt ſcribit Caſſan. in Cata. de Glor. mund. par. 4. conſiderat. 71. Eoſdem circa annum 350. in Vrbe extitiſſe memorat Ciacon. in vita Iulij Primi. Et ab ipſo S. Auguſtino ortum habuiſſe inquit Eman. Rodr. in tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 2. art. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Præcedentia ergo debetur iſtis Eremitis S. Auguſtini ante Fratres Minores Conuentuales Sancti Franciſci.

R E S P. Nequaquam; nam licet antea fuerint illi, quàm iſti, nihilominus approbatio Ordinis Minorum obtenta fuit ab Honorio III. anno 1223. vt ſupra in eius conſtit. 5. pag. 12. Eremitarum autem Ordo non ante hanc diem, qua vnio iſta emanauit, approbatus videtur. Tempus autem approbationis ad præcedentiæ articulum attenditur, vt ſuo loco oſtenſum fuit. Et docet apertè experientia rerum magiſtra, eo quòd in Capellis Pontificiis, & in Conciliis, & etiam in Tridentino his Minoribus Conuentualibus tributa eſt. Et optimè iuribus, rationibúſque oſtendit Azor. de Inſtit. Moral. tom. 1. lib. 12. cap. 23. pag. mihi 1577.

V I I.

Edita Anno 1256. Firma profectò conſiſtit, & infra pag. 85, Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Scribit Archiepiſcopo Moguntino inſtare tempus eligendi Regem, in Imperatorem poſtea promouendum, circa quam electionem multum inuigilandum eſſe probat. §. 1. Subdit Fridericum olim Imperatorem, ſuoſque progenitores, & poſteros Eccleſiam perſecutos, & idem de ea ſtirpe de cætero timendum. §. 2. Ideoque Conradum dicti Friderici nepotem eligendum non eſſe probat. §. 3. & 4. Contrauentores denunciari excommunicatos iubet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt quòd iſta Conſtitutio in multis differt ab ea, quæ in alio Bullario prima vice à Genitore tuo edita fuit?

R E S P. Impreſſorum culpa, vnde plures poſtea ſcriptores, & ſignanter Ciacon. in vita huius Papæ, ſequendo dictum textum corruptum, ſcripſit hunc Pontificem prohibuiſſe electionem Côradi filij Friderici. Ab eodem ergo Genitore meo dicta Conſtitutio veritati nonc reſtituta fuit in pleriſque locis. & ſignanter in illis verbis, *Conrado puero nato q. Conradi prædicti Friderici filij*, & concordat cum originali in Bibliotheca Vaticana ſedulò collationata. Et Hiſtorici omnes affirmant: & Ciaconuſmet in

vita Innocentij IV. Conradum filium Friderici deceſſiſſe, viuente adhuc ipſo Innocentio Pontifice, ſcribit, & cæteri Hiſtorici mox citandi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo anno Fridericus, & deinde Conradus filius, & poſtremò Conradus nepos obijt?

RESP. Fridericus 13. Decembris 1250. à Manfredo naturali filio infirmus in lecto iacens ſtrangulatus fuit. Conradus filius ſcelere eiuſdem Manfredi, dum infirmabatur, veneno à Medicis pecunia corruptis, immiſſo in clyſterem, periit 21. Iunij 1254. Conradus autem nepos Neapoli decollatus anno 1268. vt ſcribunt Monach. Paduan. in Chronic. lib. 2. Ricordan. Malaſpin. in Hiſtor. Florent. cap. 193. & Nauther. generat. 43. vol. 3. Et de hoc Conrado, aliàs Conradino, meminit Angel. in l. ſi Cod. de ſecund. nupt. num. 2.

VIII.

Edita Anno 1256. Romanus Pontifex, & infra pag. 86. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat editum fuiſſe librum nuncupatum (Breuis tractatus de periculis nouiſſimorum temporum) multa execrabilia, & ſcandaloſa continentem. §. 3. & ſeqq. Et ſignanter contra poteſtatem Romani Pontificis, & Coëpiſcoporum, necnon contra illos, qui propter Deum, ſub arctiſſima paupertate mendicant, & contra ſalutarem ſtatum Religioſorum Mendicantium, ſicut ſunt Fratres Prædicatores, & Minores. §. 5. Omnia ergo Pontifex reprobat, & damnat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Hic liber eritne etiam hodie prohibitus, cùm in Indice librorum prohibitorum non reperiatur?

RESP. Prohibitus ſine dubio, cùm huius Pontificis damnatio ſit perpetua, vt in §. 6. Sed tamen puto in dicto Indice damnari eumdem librum, ſi non ſpecificè, ſaltem ſub regulis generalibus ibi poſitis, ſicut olim damnati fuerunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis author fuit huiuſmodi damnati libelli?

RESP. Quidam Guillhelmus de S. Amore, contra quem hic idem Pontifex anno ſubſequenti ad Regem Franciæ has dedit litteras, quas hic inſerere ſuperuacuum non eſſe viſum fuit.

ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Chariſſimo in Chriſto filio Illuſtri Regi Franciæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum propter multiplices culpas, & grandes offenſas, quas Guillhelmus de S. Amore temerariè commiſiſſe dignoſcitur, & ſpecialiter propter libellum perniciosum, & deteſtabilem ab ipſo compoſitum, cuius principium, *Ecce videntes clamabunt foris*, & titulus *Tractatus breuis de periculis nouiſſimorum temporum*, dicebantur, ac per nos olim de Fratrum noſtrorum conſilio reprobatū, & in perpetuum condemnatum, meruerit graues pœnas, eidem Guillhelmo, Nos in virtute obedientiæ, ſub debito iuramenti, quod præſtitit, de ſtando præcisè mandatis noſtris, necnon & ſub excommunicationis, ac priuationis perpetuæ ab officio, & beneficiis, pœnis, quas eo ipſo eum incurrere volumus, ſi contra huiuſmodi præceptum noſtrum venire tentauerit, ſaluis omnibus aliis mandatis noſtris, quæ ſibi forſitan viua voce fieri fecimus, aut Nuncio, vel litteris duxerimus facienda, diſtrictè dedimus litteris in præceptis, vt nullo vnquam tempore Regnum Franciæ intrare præſumat; & nihilominus omnem docendi, ac prædicandi ſibi authoritate apoſtolica perpetuò interdiximus facultatem; ita quod nec docere alicubi, nec vnquam alicui Clero, vel Populo de cætero audeat prædicare. Cùm igitur Nos celſitudo Regia rogauerit (ſicut à tua credimus memoria non elapſum) vt eidem Guillhelmo prædicti Regni interdixerimus ingreſſum, & Nos hoc, prout expreſſum eſt ſuperius, duxerimus faciendum; Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus præfatum Guillhelmum, Regnum ipſum intrare nullatenus patiaris. Et quia pro certo nouimus, quod dilectos filios Fratres Prædicatores, & Minores, ſpeciali fauore proſequeris (ſuper quo te dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi multiplices referimus

actio

ſtiones) Magnificentiam tuam omni qua poſſumus affectione rogamus, quatenus eoſdem Fratres pro Chriſti reuerentia, cuius ſunt deputati obſequiis, habeas benignitate ſolita commẽdatos, à quorumlibet iniuriis, & moleſtiis protegas, & defendas, ita quod tua potentia communiti, pace quieta, & quiete pacis ea cuius authori valeant famulari. Dat. Viterbij 3. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno tertio.

I X.

Edita Anno 1257. AD capiendum vulpeculas, quæ vineam Domini, & infra pag. 87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reſcripſiſſe refert Inquiſitoribus, vt cum eſſent aliqui hæretici iudicandi, ad id procederẽt de conſilio Epiſcoporum, vel eis abſentibus, Vicariorum. §. 1. Et modo eiuſmodi reſcriptum limitat non procedere, cum ipſi hæretici publicè hæreſim coram Inquiſitoribus confeſſi ſuut, & obſtinati in ea perdurant. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Inquiſitor, & Epiſcopus diſcedant?

RESP. Vterque eorum negotium bene inſtructum Sedi Apoſtolicæ denunciare debet, vt decreuit poſtea Bonifacius VIII. in cap. Per hoc 17. de hæretic. in 6. & tradit Eymerie. in Direct. Inquiſit. quæſt. 50. & ſequitur Pegna in ſuo Comment. 99. in princip.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſt huiuſmodi Conſtitutionem Vrbanus IV. in conſtit. 2. §. 5. in Bull. pag. 96. & Clem. V. generaliter decreuerunt ambos inſimul procedere debere ad tormenta, vel ſententias in cauſis fidei, in Clem. 1. §. 1. de Hæretic. remanetne propterea hæc Alexandri IV. ordinatio correcta?

RESP. Negatiuè. Quia dicta Clem. 1. generaliter loquens non tangit ſpecialem caſum hæreſis publicè confeſſatæ, & in qua confeſſus perſeuerat, & ideo in eius odium tenenda eſt Alexandri Conſtitutio, & euitanda eſt præcedentis legis correctio, quando per interpretationem reduci poſſunt ad concordiam. l. ſed & poſteriores. 28. ff. de legibus. optimè Rom. conſ. 40. num. 5. & conſ. 57. num. 3. Lap. alleg. 88. num. 5. Ang. conſ. 214. num. 2. Præſertim quando lex poſterior eſt generalis, & de ſpeciali non facit mentionem. Alex. conſ. 132. lib. 4. num. 16. Tunc enim diſtinguitur ſecundum legem antiquam. Bart. & alij in d. l. ſed & poſteriores. Iaſ. qui alios citat in l. ſciendum. 15. ff. qui ſatiſd. cog. num. 4.

X.

IMplacida relatio, & infra pag. 87. Bullarij. Edita Anno 1257.

COMPENDIVM.

Communitatem Mantuæ ſtatuta impedientia Officium Inquiſitionis hæreticæ prauitatis, edidiſſe enarrat ex relatione ſibi data. §. 1. Præcipit ergo Epiſcopo Mutinenſi, vt ea inquirat inueniре, & inuenta reducere ad modum quo dictum Officium non impediatur. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Nonne eiuſmodi ſtatuta erant ipſo iure nulla?

RESP. Proculdubio nulla erant, nedum ex lege Friderici quondam Imperatoris, ſed etiam Honorij III. qui eam approbauit, vt eſt videre in Bullario pag. 43. vbi vtraque lex habetur. Et refertur illa Friderici etiam in auth. caſſa. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & approbatur à Bonifacio VIII. in cap. Vt Inquiſitionis. 18. de Hæret. in 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Inquiſitores authoritatem aliquam habent, hæc agendi abſque ſpeciali iuſſu Pontificis?

RESP. Vrbanus IV. huius Pontificis ſucceſſor hoc ſpecialiter Inquiſitoribus in facultatibus dedit in cap. ſtatutum. 9. de Hæret. in 6. & refert Eymeric. in Direct. Inquiſ. par. 3. quæſt. 34. & Carrer. in Tract. de Hæretic. ſub n. 73. verſ. item poteſt. Quinimo etiam hoc tempore Inquiſitores habebant hanc auctoritatem, ex conſt. 9. Innocentij IV. prædeceſſoris huius Alexandri, quæ eſt in Bullario pag. 69. in § 38. de qua meminit etiam Pegna in præcit. Director. Inquiſit. Comm. 83.

X I.

OFficij noſtri cura nos admonet, & infra pag. 87. Bullarij. Edita Anno 1258.

COMPENDIVM.

D Suſci

Suſcipit Eremum Camaldulenſem, eiuſque loca, quæ enumerat, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 1. & 2. Ea omnia ſubiicit Priori dicti Eremi. §. 3. Eximitque à ſuperioritate Ordinariorũ. §. 4. Priori prædicto omnem in perſonas, & bona Congregationis authoritatem tribuit. §. 5. Diuinorum celebrationem, & Ordinum receptionem permittit. §. 6. & ſeqq. Exemptionem à decimis concedit. §. 9. Receptionem venientium ad Ordinem admittit. §. 10. Prohibet diſceſſum ab Ordine, & bonorum alienationem. §. 1. & ſeqq. Quando ab Ordinariis excommunicari poſſint decernit. §. 14. Noua loca apud loca Congregationis ſtatui vetat. §. 15. Sepulturam in locis Eremi omnibus permittit. §. 16. Exemptiones, & immunitates omnes confirmat. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegium exemptionis de qua in §. 4. fuitne à Concilio Tridentino in alio reuocatum, quam in capitibus à tuo Genitore in apoſtilla huius bullæ indicatis?

RESP. Poterunt Ordinarij opportunis remediis Monachos compellere, vt in eorum monaſteriis lectio ſacræ ſcripturæ habeatur, ita ſtatuit dictum Concilium in ſeſſ. 5. de reformat. cap. 1. verſ. in monaſteriis quoque.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliud priuilegium ſuſcipiendi Ordines à quocumque Antiſtite, eſtne immutatum?

RESP. Statuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 11. Ordines ſuſcipiendos à ſuo Ordinario, & præuio examine eſſe.

XII.

Edita Anno 1258. QVod ſuper nõnullis quæſtionũ articulis, & infra pag. 89. Bull.

COMPENDIVM.

Declarat illum cenſeri relapſum in hæreſim, qui quãuis non conuictus, violenter ſuſpectus tamen, eam in iudicio abiurauit. §. 1. Decernit communicantem cum hæreticis poſt abiuratiõe hæreſis, de qua tunc, vel poſtea eſt conuictus, relapſum cenſeri. §. 2. Teſtes qui iurauerant tàm de ſe, quam de aliis veritatem dicere, ſi peierent poſtea contrariũ dicendo, iubet recipi in cauſis fidei, dum tamen ex manifeſtis indiciis conſtet verum dicere. §. 3. Inquiſitoribus prohibet cognitionem ſortilegiorum. §. 4. Et pariter vſurarum. §. 6. Declarat quando hæredes vel detentores bonorum hæreticorum poſſint cogi ad complendam pœnitentiam eis iniunctam. §. 5. & 6. Declarat ſenſum clauſulæ, *tam per te, quàm per alium inquirendi.* §. 8. Decernit Clericum perpetuò immuran. prius eſſe degradandum. §. 9. Inquiſitores poſſunt procedere contra Clericos inſtruentes alios celare veritatem in cauſis fidei. §. 10. Religioſi in hæreſim incidentes, ſunt grauius, quam laici puniendi. § 11. Filij, & nepotes hæreticorum, quando priuandi ſunt honoribus, ac beneficiis Eccleſiaſticis. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Periurus admitti dicitur in §. 3. cum primo quis iuraſſet, tàm de ſe, quàm de alio veritatem dicere, quid ergo ſi ſolum vti teſtis contra alios deponere iurauit?

RESP. Idem ius in vtroque caſu militat ex identitate rationis, nempe fauore fidei, in quo deciſio textus fundatur, vt docet Zanch. de Hæretic. cap. 14. num 5. Arelat. de Hæret. notab. 13. cum quibus ſtat Pegna in Direct. Inquiſ. com. 114. verſ. rurſus, par. 3. quicquid de hoc dubitaſſet Couar. lib. 2. variar. reſol. ſub num. 9. cap 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. In d. §. 4. loquitur Pontifex de negante in primo dicto hæreſim, & poſtea detegente, quid ergo erit in caſu contrario?

RESP. Tunc ſtandum primo dicto fauore fidei, vt affirmant Zanch. & Pegna, ac Couar. mox citat. quorum ſententiam probat etiam Menoch. de arbitr. iudic. caſu 108. num. 13.

XIII.

EX parte veſtra fuit propoſitum, & infra pag. 91. Bullarij. *Edita Anno 1258.*

COMPENDIVM.

Filij, & hæredes petentium in ſua infirmitate conſolationem hæreticorum per manus impoſitionem, non admittuntur ad probandum, quod tunc illi non erant ſanæ mentis, quando conſolationem

lationem recipiebant, ſi tempore quo perierunt erant ſanæ mentis: ſed in dubio ſunt admittendi ad probationem per teſtes idoneos, non autem domeſticos. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt conſolatio per manus impoſitionem?.

RESP. Conſolatio, eſt Hæreticorum ſpiritualis baptiſmus, ſine quo ſecundum eos, nec peccatum dimittitur, nec Spiritus Sanctus alicui datur. Manus autem impoſitio hoc ritu ab eis abſoluitur. Eorum Præpoſitus, cum aliquis ex eis incidit in peccatum, aut ad eorum ſectam conuertitur, tenet ante pectus ſuum librum Euangeliorum, vel totius noui teſtamenti, is verò qui conſolationem eſt recepturus, vbi confeſſus eſt in genere dicens ſe eſſe peccatorem, & humiliter ad petendam veniam accedere, ille Præpoſitus abſolutione peracta, ponit dictum librum ſuper caput illius, & qui de ea ſecta adſunt, incipiunt ſuo ordine dicere orationem Dominicam, vt refert Pegna in Direct. Inquiſit. comment. 38. part. 2. verſ. manus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc eadem diſpoſitio Alexandri Pontificis haberetne locum in conſolatione, quæ peteretur ab Hæreticis noſtri ſeculi, & aliis cuiuſlibet temporis?

RESP. Haberet proculdubio ex identitate rationis, vt tradidit Pegna in direct. inquiſit. par. 3. comment. 170. verſ. iam diſpoſitio.

X I V.

Edita Anno 1258. & 1260. SVper extirpatione hæreticæ prauitatis, & infra pag. 91. Bullarij. *Item.* Ad audientiam noſtram, & infra. ibid.

COMPENDIVM.

Hæreticis, & eorum complicibus, vel fautoribus conuerſis ſub certa pecunia, pœna inter cætera iniungenda eſt, quod fidem Catholicam firmiter tenebunt, & hæreticis de cætero non fauebunt, in princ. Pœnas huiuſmodi exigendas declarat, vbi exponendas eſſe velit, in §. 1. Ad pœnarum huiuſmodi exactionem Inquiſitores etiam per cenſuram eccleſiaſticam prouideant, vt in conſtit. præcedenti annexa. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Cautio pecuniaria requiritur a' aliis, quàm ab eiuſmodi ad fidem redeuntibus?

RESP. Exigitur ab his, qui tanquam Illuſtres Viri in aliquo certo loco cuſtodiendi ſunt, vel ab his, aut aliis, qui aliqua ex cauſa relaxantur ſub certa pœna repræſentandi Inquiſitoribus, qui raro hoc faciunt, cùm in crimine hæreſis nihil boni ſoleat ex huiuſmodi relaxationibus euenire, vt poſt alios quos recenſet, ſcribit Pegna in direct. Inquiſit. comm. 139.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nonne poſt hanc conſtitutionem Papa Clemens V. in cap. 2. de Hæreticis, prohibuit Inquiſitoribus pecuniarum extorſionem?

RESP. Illa prohibitio reſtringit ſe ad extorſionem ex modis illicitis, vt ibi gl. Io. And. & alij aduertunt. Hic autem modus exigendi pœnas, nedum eſt illicitus, ſed pro negotio fidei opportunus, atque proficuus, vt hic decernitur.

X V.

EXortus in agro fidei Chriſtianæ, & infra pag. 91. Bullarij. *Edita Anno 1258.*

COMPENDIVM.

Quod Prælati, & Magiſtratus omnes faueant, & auxilientur Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Aliquane etiam Canonica, vel Ciuili lege id iam cautum fuerat?

Quæro. Canonica, vt in conſt. 9. Innocentij I V. §. 20. in Bullario pag. 68. & antea etiam Imperiali à Friderico olim Imperatore, vt videre eſt in conſtitutione prima eiuſdem Pontificis. §. 11. pag. 60. & meminit Pegna in director. Inquiſit. par. 3. comment. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Reſtringiturne iſta conſtitutio ad auxilium in concernentibus officium Inquiſitionis, vel potius intelligitur etiam in cæteris omnibus?

RESP. Quæſito tuo ſatisfacit textuſmet, aduertendo illa verba, *in prædicto*

exequendo negotio, quæ plana ſunt. Quæ autem Magiſtratus pro officio Inquiſitionis agere debeant, multa quidem ſunt, ſed eorum aliqua perlege in duabus conſtitutionibus Innocentij I V. tibi proximè indicatis.

XVI.

Edita Anno 1259. FIrmiſſimè teneat veſtra prudētia, & infra pag. 92. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitoribus verè pœnitentibus, & confeſſis concedit in vita Indulgentiam plenariam ſuorum peccatorum. §.1. Eorum ſociis, & Notariis, & aliis in proſecutione negotij inquiſitionis ex animo auxiliantibus, tres annos relaxat. eod. §. 1. verſ. ſociis. Cuicumque ex prædictis in proſecutione dicti negotij decedentibus omnium peccatorum veniam indulget. d. §. 1. verſ. & ſi qui.

Scholion primum.

Quæro. Indulgentias, de quibus in §. 1. conſequuntur alij etiam Inquiſitionis Miniſtri, vt putà Conſultores, Fiſcales, & alij?

RESP. Iſti, vt firmiter credo, auxiliatorum appellatione veniunt Sed in expreſſo ita tenet hoc Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. com. 177. verſ. Num autem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Habentne præfati Inquiſitores maiores Indulgentias, quàm enunciatas in principio huius Conſtitutionis?

RESP. Habent profectò omnem Indulgentiam elargitam ſuccurrentibus Terræ Sanctæ, vt habetur in Conſtit. 2. Vrbani I V. §. 11. in Bull. pag. 97. Quæ autem illa ſit, perlege in conſtit. vltima Innocentij III. in Bullario pag. 42.

XVII.

Edita Anno 1260. AD audientiam noſtram peruenit, & infra pag. 92. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitores poſſunt cogere quoſcumque Magiſtratus, aut Communitates, vt eorum ſententias executioni demandent. §. 1. Et quodcumque contrarium priuilegium nemini ſuffragetur. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quod Inquiſitores in eorum ſententiis condemnatoriis contra abiurantes, vel ſuſpectos, non dicunt, punimus, ſed pœnitentiamus?

RESP. Quoniam non ſunt propriè pœnæ, ſed ſalutares medicinæ, adhibitæ, vt verè veram teneant Catholicam fidem. Pegna in direct. Inquiſ. par. 3. Comment. 40. in fin. Illæ autem quæ ſint, & quid in eis obſeruandum ab Inquiſitoribus, conſule Zanchin. de Hæret. cap. 20.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquis Rex exequi recuſaret ſententias Inquiſitorum?

RESP. Arbitror Papam eſſe conſulendum, per ea, quæ in maioribus terminis tradit Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 3. quæſt. 31. & ibi Pegna in Comment. 80. vbi ad hoc plures etiam Canoniſtas allegat.

XVIII.

CVpientes, vt Inquiſitionis negotium, & infra pag. 92. Bull. *Edita Anno 1260.*

COMPENDIVM.

Inquiſitores cogere poſſunt quoſcumque ad eis exibendum ſcripturas, & inſtrumenta, ſpectantia ad eorum officium, in princ. Et redeuntes ad fidem abſoluere. §. 1. Clerum, & populum contra hæreticos, & contra fautores conuocare. §. 2. Conſultores quoſcumque in ſententiis aduocare. d. §. 2. Accedentibus ad vocationem Inquiſitorum, poſſint ipſi Indulgentias concedere. §. 3. Summariéque procedere etiam contra abſentes, qui in eorum Prouincia deliquerunt. §. 4. Nulla priuilegia in contrarium conceſſa quicquam iuuent. §. 5.

Quæro. Quod dicitur hic in princ. intelligitur forſan, vt contra ſe ipſum quis cogatur exibere inſtrumenta.

RESP. Sic nempe intelligitur fauore fidei, ita tenet Franc. in cap. Vt commiſſi. 12. de Hæret. in 6. num. 4. vbi ſic intelligit gl. ibi poſita in verbo, quibuſlibet. Quod placet etiam Purpur. in l. fin. Cod. de Eden. num. 20. quem ſequitur Arelat. de hæret. notab. 21.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tenentur Inquiſitores ſequi Conſilium Conſultorum, de quibus in §. 2.

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Controuerſus admodum eſt articulus, ſiquidem negatiuam ſententiam probat Albert. in cap. 1. de Hæret. in 6. in 10. quæſt. princ. & in Tractat. de agnoſc. aſſer. hæret. quæſt. 26. num. 11. Affirmatiuam verò communiter receptam aſſeuerat Burſar. cõſ. 90. lib. 1. num. 36. & 46. vbi per decennium continuum Mantuæ, vbi iuſſu Pij V. officio Aduocati Sanctiſſimæ Inquiſitionis functum fuiſſe refert, ita obſeruatum fuiſſe affirmat. Sed diſtinctione opus eſſe, doctiſſimus Pegna in puncto demonſtrauit, & optimis quidem rationibus in Direct. Inquiſ. Comment. 127. parte 3.

X I X.

Edita Anno 1260. AD extirpandam de partibus veſtris, & infra pag. 93. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Epiſcopi, Prælati, & Clerici, ac religioſi, & ſæculares etiam exempti, debent requiſiti concedere ſaluum conductum Inquiſitoribus de loco ad locum. §. 1. Alioquin excommunicatione aſtringuntur. d. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt ſaluus conductus?

R E S P. Eſt ſuperioris diploma, ſeu literæ, quibus imperatur, vt Inquiſitoribus omnis immunitas, fauórque præſtetur, Pegna in Direct. Inquiſ. par. 3. Comment. 1. vbi loquitur de ſalua guardia. Dicitur autem ſaluus conductus, quia ſaluam conducit perſonam, cui conceditur, Bellin. de Re milit. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Saluus conductus ſimpliciter datus, cenſeturne perpetuò datus?

R E S P. Multifaria diſtinctio dari poſſet in articulo iſto generaliter propoſito, ſed ad punctum noſtrum dico, quod fauore fidei cenſetur perpetuò conceſſus, intelligendo perpetuitatem, quouſque Inquiſitores nominati in eo, perdurant in officio. l. 1. vbi Bald. & Caſtrenſ. Cod. de poſtul. l. fin. & ibi Scribb. ff. de Conſtit. Princip. Bar. in l. 1. ff. ad leg. Iul. Maieſt. in fin. quos citat, & ſequitur Magalot. in ſuo Tract. de Salu. cond. par. 4. num. 7.

X X.

Edita Anno 1260. AD extirpandam de partibus veſtris, & infra pag. 93. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Barones, Magiſtratus, & Officiales quicunque requiſiti, teneantur Inquiſitoribus prouidere de ſaluo conductu de loco ad locum. §. 1. Alioquin pœnam excommunicationis, & pecuniariam incurrunt. d. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Saluus conductus ſi daretur pro eundo ad certum locum, & Inquiſitor vellet poſtea redire, vnde diſceſſit, ſuffragareturne ſibi?

R E S P. Regulare eſt, quod ſuffragetur, gl. vltima in l. Vtimur. 5. ff. de Sepulchr. viol. Bart. ibid. n. 1. & Angel. in princ. Ferret. in Tract. de Gabell. n. 95. & ideo hic eo magis eſt fauore Inquiſitorum, vt communiter teneri fatetur Bellin. de Re milit. num. 21. in fin. licet etiam quandam diſtinctionem proponat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *de loco*, comprehendunt ipſum locum, vel excludunt?

R E S P. Sentio, non comprehendere, ſi Inquiſitor diſcedit à loco ſuæ quietis, quem tutum appellat, quia neque imperans, neque concedens de hoc dubitaſſe cenſetur, vt ſcribit Bellin. in loco proximè citato n. 18. Secus ergo ſi diſcedit à loco non tuto, & pro quo præcedentem non haberet ſaluum cõductum, vt contrariorum ſit eadem diſciplina.

X X I.

DIſcretioni veſtræ, de qua, & infra pag. 93. Bullarij. Edita Anno 1260.

C O M P E N D I V M.

Inquiſitores bona hæreticorum, eorúmque complicum, & defenſorum publicata, vel publicanda, poſſunt alienare, dummodo eorum pretium ad opus Eccleſiæ conſeruetur.

Scholion primum.

Quæro. In huiuſmodi confiſcatione comprehenditur dos vxoris hæretici?

R E S P. Non comprehenditur dos coniugis catholicæ, vt definiuit Innocentius IV. ad tex. in cap. Decreuit. 14. de Hæret. in 6. Sed egregiè declarat Pegna

in Director. Inquiſit. part.3. Comment. 160. Vt ille tex. non procedat in vxore, quamuis Catholica, ſcienter contrahente matrimonium cum viro hæretico; Secus verò ſi poſtea virum intelligat eſſe hæreticum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſt mortem hæretici, poteſtne deueniri ad confiſcationem bonorum, ſi eo viuente non fuerit per ſententiam declaratum?

RESP. Hic idem Pontif. in cap. Accuſatus. 8. §. In eo vero, de Hæret. in 6. apertis verbis affirmatiue hoc decidit, prout deinde idem reſcripſit Vrbanus IV. die 21. Aug. 1262. in eius litteris, quas imprimi curauit Pegna poſt Director. Inquiſ. Sed Genitor meus prætermiſit, ſtante d. cap. Accuſatus, & etiam cap. 1. de Hæret. in 6. In quibus tota fere earumdem litterarum Vrbani diſpoſitio hactenus diffinita legitur à Greg. IX. & hoc Pont. Alex. IV.

XXII.

Edita Anno 1260. NE commiſſæ vobis contra Hæreticos, & infra pag. 93. Bull.

COMPENDIVM.

Inquiſitores eorum officium exercere poſſunt, & procedere contra quoſcumque, cuiuſcumque ſint dignitatis, gradus, & religionis, etiam exemptos, in princ. Reuocantur priuilegia quæcumque. ibid. Et habilitantur omnes ad officium Tabellionatus in cauſis Inquiſitionis exercendum. §. 1.

Quæro. Fuitne vnquam eiuſmodi facultas Inquiſitorum procedendi contra exemptos ab aliis Pont. immutata?

RESP. Fuit ſæpius ad fauorem diuerſorum Religioſorum à ſucceſſoribus Pont. reſcriptum, vt habetur infra in multis. conſtit. à Genitore meo poſitis in Bullar. de quibus meminit etiam Pegna in Direct. Inquiſ. par.3. Comment. 77. Vbi ſubdit, quod cum ex his immunitatibus manifeſta quandoque in fidem pericula ſequerentur, Religioſos omnes Inquiſitoribus ſubiecerunt Clemens VII. in ſua conſtit. *Cum ſicut*, quæ eſt in Bull. ſub num. 7. ac Pius IV. in conſtit. *Paſtoris*, quæ erit ibidem ſub n. 51. Quibus addendum eſt, Paulum V. in ſua conſtit. 26. alias 19. incip. *Romanus*, à quorumcumque Religioſorum ſuperioribus iuriſdictionem cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum, ad Inquiſitionis officium pertinentes, abdicaſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. An ſub illis verbis, cuiuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis comprehenduntur etiam Reges?

RESP. Comprehenduntur ex vi verborum, prout comprehenduntur ſub verbis alterius conſtitutionis Clementis IV. de qua in cap. Vt Officium 11. §. denique de hæret. in 6 & tradit Eymeric. in Director. Inquiſ. part. 3. quæſt. 31. vbi tamen conſulit Inquiſitoribus, vt primitus Papam informent, antequam contra eos publicè procedant, & eiuſmodi conſilium prudentia plenû appellat ibidem Pegna in Comm. 86.

XXIII.

CAtholicæ fidei negotium, & infra pag. 94. Bullarij. Edita Anno 1260.

COMPENDIVM.

Inquiſitores à Sede Apoſt. deputati ſunt exempti à Prælatis ſuorum Ordinum, in concernentibus officium Inquiſitionis. §. 1. Et priuilegia Ordinum non obſtant. d. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Fallit ergo hic regula, cui conceditur, quod eſt maius, videtur concedi quod eſt minus?

RESP. Fallit proculdubio, quia, etſi ſuperiores quorumdam Ordinum poſſunt, quos volunt Fratres ad exercendum officium Inquiſitionis eligere, eoſque amouere, quod videtur eſſe maius, non tamen dicitur conceſſum, quod poſſint eis aliqnid iubere, circa cauſas Fratribus commiſſas à Papa, quod videtur minus, vt puta, quod ſuperſedeant in aliquo articulo, vel contra certam perſonam. Et ratio eſt, quia in commiſſionibus, & priuilegiis dicta regula reiicitur, vt in terminis noſtris aduertit Eymeric. in Direct. Inquiſ. par.3. quæſt.17.

Scholion ſecundum.

Quæro. Placetne tibi alia Pegnæ intelligentia, vel limitatio, vt d. regula non procedat, cum quod eſt minus, non cõprehenditur ſub eo, quod eſt maius?

RESP. Nõ placet, quia ſenſus huius Papæ

Papæ non fuit, quod Superiores Ordinum, poſtquã inſtituerunt Inquiſitores, nihil præcipiant circa officium Inquiſitionis, eorum Vicariis, vt Pegna ibi ſentire videtur, ſed Papa reſcribit ipſiſmet Inquiſitoribus a Superioribus Ordinum inſtitutis, vt poſt inſtitutionem eis non obediant in concernentibus eorum officium. Et ratio habetur in hoc tex. Quia electio datur eis, tamquam de idoneitate perſonarum informatis, non autem, vt ſe poſtea ingerant in officio illis tantum demandato. Et etiam quia licet eligantur ab illis Superioribus, ſpecialiter poſtea delegantur à Sede Apoſtolica, cuius ſola remanet authoritas in concernentibus illud officium. Et hanc puto veriorem rationem decidendi, quàm ſupradictas.

VRBANVS IV.
Gallus, creatus anno 1261.
CONSTIT. I.

Edita Anno 1262. TRanſiturus de hoc mundo ad Patrem, & inf. pag. 94. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat plura beneficia nobis à Deo collata in Sacramento Euchariſtiæ, in princ. Et cauſas, ob quas eius feſtum quotannis ſpecialiter ſit celebrandum. §. 1. Inſtituit ergo eius feſtiuitatem pro Feria quinta poſt octauam Pentecoſtes. §. 2. Hortatur omnes ad deuote eam celebrandam. §. 3. Indulgentias centum dierum de iniunctis pœnitentiis elargitur his, qui vere pœnitentes, & confeſſi in primis, & ſecundis veſperis, vel matutino, aut Miſſis ipſius feſti in Eccleſia interuenerint. §. 4. Item quadraginta dierum alicui ex horis canonicis intereſſentibus concedit. d. §. 4. Item intereſſentibus omnibus horis canonicis per octauam centum dierum tribuit. d. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Circa hæc tempora celebre quoddam miraculum in Italia eueniſſe percepit, propter quod iſte Pont. celerius permotus, hanc feſtiuitatem inſtituit, quæro, an hoc verum ſit?

RESP. Accidit quidem miraculum multis Hiſtoriis celebre in oppido Vulſinij diœceſis Vrbeuetanæ Ciuitatis. Nam cum quidam presbyter ſacra Miſſarum ſolemnia celebraret, & conſecrationem perfeciſſet, de mirabili illa tranſubſtantiatione panis, & vini in corpus Chriſti fluctuans, dubitare cæpit: vnde ſtatim ex ſanctiſſima, quam manu tenebat, Hoſtia viuus ſanguis effluxit, & totum Corporale tinxit. Quo perciti adſtantes Summo huic Pont. denũciant, qui Corporale illud ab Epiſcopo loci, debito honore, & toto Clero comite, ad Vrbem Veterem transferri iuſſit, vt poſt alios ſcribit Ciacon. in vita huius Pont. vbi cætera latius recenſet, corrigendus tamen in eo, quod anno 1264. Vrbanum inquit hanc ſua bulla feſtiuitatem inſtituiſſe, cum ex eius lectura annus is fuerit 1262.

Scholion ſecundum.

Quæro. An confugiens ad hoc Sacramentum, dum infirmis, vel aliter extra Eccleſiam defertur, gaudeat immunitate?

RESP. Gaudere inquit Card. Zabar. in Clem. 5. de Reliq. & vener. SS. num. 2. poſt Hoſtienſ. quem allegat eo nixus argumento, propter quod vnumquodq; e tale, & illud magis tale, & hæc opinio communi DD. calculo comprobara eſt per Clar. quæſt. 3. n. 4. & Farinac. quæſt. 28. num. 21. & exploſo Couar. aliter ſentiente, nouiſſimè idem tenet Ambroſ. in ſuo Tract. de Immunit. Eccleſ. cap. 10. num. 9.

II.

LIcet ex omnibus Mundi partibus, & infra pag. 96. Bullar. *Edita Anno 1262.*

COMPENDIVM.

Inquiſitores monet, vt attente incumbant officio Inquiſitionis. §. 1. Et culpabiles puniant. §. 2. Et commiſſiones, quæ fuerint Diœceſanis directæ non impediant Inquiſitorum proceſſus, neque è contra. §. 3. Pœnitentes abſoluantur iniuncto eis, quod iniungi conſueuit. §. 4. In iudicandis hæreticis adhibeatur conſilium Diœceſanorum. §. 5. Teſtes, adhibitis duobus religioſis, examinentur. §. 6. Notarij eſſe poſſunt Fratres qui in ſæculo eiuſmodi officiũ exercuerunt, vel quibus à Sede Apoſt. idem commiſſum fuerit, vel etiam Clerici ſæculares. §. 7. & ſeqq. Credatur teſtibus, quorum

quorum nomina, imminente ſcandalo, non publicentur. §. 9. Omnes ſeruiant Inquiſitoribus. §. 10. Inquiſitores ſummariè procedant. §. 11. Leges Friderici faciant obſeruari. §. 12. Indulgentias elargiri poſſint.d.§.12. Ipſi quoque, eorúmque ſocij,& Notarij, & alij auxiliatores alias Indulgẽtias cõſequuntur.§.13. Quæſtuarios Prædicatores compeſcant. §.14. Inobedientéſque omnes coërceant. §. 15. Non obſtantibus quibuſcunque contrarijs priuilegiis cuicumque conceſſis. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Indulgentias, de quibus in §. 13. ſemelne quis conſequitur, an in ſingulis annis perfectis, in proſecutione, & auxilio Inquiſitionis?

RESP. Affirmatiuam ſententiam probat Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. Commentr. 179. vbi ſubdit id apertiſſimè probari in Conſtit. 16. Alexandri IV. quæ eſt in Bull. pag. 92. vbi ad hoc plurimum attendendum eſſe cenſeo pondus illius verbi, *Laborabunt.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod dicitur de Prædicatoribus quæſtuariis in §.14. habetne locum in aliis?

RESP. Fauore fidei ad alios trahendum eſſe, probat Pegna in Direct. Inquiſit. par. 3. Commentr. 86. vbi ad hoc plures DD. allegat.

III.

Edita Anno 1262. EXultet Angelica tuba cælorum, & infra pag. 97. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat Beatum Ricardum Epiſcopum Ciceſtrenſem multis virtutibus, & miraculis claruiſſe. §.1. Et ſignanter continentia in iuuentute ſua. §. 2. Et in cedendo Regno à fratre primogenito ſibi, ad eum inuitandum ad coniugium, oblato. §. 3. Necnon recta adminiſtratione Archiepiſcopatus Cantuarienſis, dum B. Edemundo in officio Cancellariæ inſeruiuit. §. 4. Refert etiam, B. Ricardum poſt adeptum Epiſcopatum Ciceſtrenſem, virtutibus, & miraculis præſtantiorem fuiſſe. §. 6. Refert quoque nonnulla eius miracula. §. 7. & ſeqq. Proinde illum in numerum SS. Confeſſorum reponit. §. 16. Eiuſque feſtum 3. Aprilis celebrari mandat. §. 17. Indulgentias quoque eius ſepulchrum viſitantibus concedit. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Qua patria, quibuſue parentibus ortus eſt Ricardus?

RESP. In Pago quodam Vuigormienſis Diœceſis, nuncupato Vuich, ex Ricardo, & Alicia parentibus natus eſt. Sic ex quodam Rodulpho Ciceſtrenſi, qui huius Sancti viri acta complexus eſt, affirmat Sur. in Vita huius Sancti ſub die 3. Aprilis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid conſequitur Sanctus per eiuſmodi canonizationem?

RESP. Innoc. in cap. 1. de Reliq. & vener. Sanctorum, necnon vltra alios Zabar. num. 7. inquiunt, quod Eccleſia recitat ſolemniter Officium pro eo, & inter alios interceſſores pro nobis in Litaniis connumeratur. Et hoc admittunt omnes, qui de Canonizatione ſcripſerunt, iuxta Eccleſiaſt. cap. 44. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.*

IV.

NE Inquiſitionis negotium contra damnatam hæreſim, & inf. pag. 99. Bullar. *Edita Anno 1262.*

COMPENDIVM.

Ne per alicuius aſtutiam negotium Inquiſitionis impediatur, decernit hic Pont. à nullo Sedis Apoſt. delegato, aut executore per eamdem Sedem deputato, Inquiſitores, eorúmque quatuor Notarios, vel Scriptores, excommunicari poſſe abſque ſpeciali licentia Sedis non Apoſtolicæ.

Scholion primum.

Quæro. Quis ergo eos in officio Inquiſitionis errantes puniet, quíſve ab excommunicatione abſoluet?

RESP. Clemens V. in clem. 2. §. quiequidem de Hæret. ab eorum Prælatis coërceri mandauit, & illis negligentibus per Ordinarios Sedi Apoſtolicæ ſignificari præcepit. Sed hodie ad Cardinales Congregationis Inquiſitionis, generales Inquiſitores, deferendi ſunt, & per eos iudicandi, vt affirmat Pegna in Direct. Inquiſit. part. 3. Comment. 61. verſ. Quod ſi quæris. Quo verò ad abſolutio-

abſolutionem ab excommunicatione, ſcias Inquiſitores, & ſocios mutuò ſe abſoluere poſſe, ex indulto huiuſmet Pont. edito ann. 1262. die 4. Auguſti, quod in Appendice Genitor meus imprimendum curauit, fol. 7.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de quatuor Scriptoribus, intelligitur etiam de aliis ſi eſſent plures? Et ſi ſunt pro aliquo debito in forma Cameræ obligati, poſtquam ſunt in officio, ob eius non ſolutionem ab Auditore cauſarum Cameræ Apoſtolicæ poſſuntne excommunicari?

RESP. Pegna vbi ſup in Comment. 70. omnibus Scriptoribus hoc priuilegium competere docet, eo quod numerus quatuor tunc fuerit, tanquam illis temporibus expreſſus. Excommunicari autem pro debitis contractis in officio per A. G. non poſſe, eo quod hoc priuilegium datum ſi fauore fidei, Ordini Inquiſitorum principaliter, non autem eorum perſonis.

V.

Edita Anno 1263. CVm à nobis petitur, & infra pag. 99. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alexander IV. tribuit Congregationi Monachorum Montis Virginis Ordinis S. Benedicti, exemptionem à iuriſdictione Epiſcoporum. §. 1. Et hic Pontifex eamdem eximit à iuriſdictione, & omni præſtatione debita Ordinario. d. §. 1. Immunitatéſque à Pontificibus, & Principibus Congregationis elargitas confirmat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. In Conſtitutione 3. Cœleſtini III. ea non memini, quæ nunc à te poſtulo, nempe quis huius congregationis inſtitutor fuit?

RESP. Gulielmus Ciuis Vercellenſis fuit inſtitutor, vt habetur in Martyrologio Romano, ſub die 25. Iunij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo anno iſta Congregatio Monachorum habuit initium?

RESP. Anno 1119. ille Gulielmus in Eremo certam viuendi formam quibuſdam ſæcularibus ſacerdotibus, qui apud eum, vt ſanctam vitam ducerent, permanſerant, aliiſque præſcripſit. Ita ſcripſit Thomas Coſtus Neapol. ſuper Hiſtoria, quam vidi impreſſam Venetiis 1591. in princ. Priuilegiorum d. Congregationis.

V I.

ECcleſia Romana velut circumſpecta mater, & inf. pag. 100. Bull. *Edita Anno 1263.*

COMPENDIVM.

Abbati Monachorum Cógregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti, conceditur Priuilegium vtendi Mitra, Baculo, Benedictione ſolemni, & aliis Pontificalibus. §. 1. Necnon concedendi minores ordines, & benedicendi ornamenta Eccleſiaſtica, dummodo ſit Sacerdos, & munus benedictionis acceperit. d. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Benedictio Abbatis, de qua in §. 1. poteſtne alio quàm Dominico die fieri?

RESP. Omni die hanc Abbatis benedictionem fieri tradit Zabar. in Clem. 1. §. Statuimus, de ſtat. Monachorum, num. 3. verſ. In contrarium, & Oldrad. conſ. 14. num. 7.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hic Abbas, ſi inuitaretur ad aliud Monaſterium, poſſet celebrare in Pontificalibus, de quibus in §. 1.

RESP. Si illud Monaſterium, ad quod inuitatur, eſt exemptum, poterit; ſi verò non ſit exemptum, non poterit, vt ſic diſtinguendo tradit Lap. alleg. 19. ad finem, vbi Additionator concord. citat.

V I I.

BEata Clara, & virtute clarens, & infra pag. 100. Bullarij. *Edita Anno 1263.*

COMPENDIVM.

B. Clara Ordinem Sororum B. Franciſci, ex regula per eum tradita conſtituit, in princ. Quæ variis nominibus ſunt nuncupatæ, variiſque obſeruantiis ſe aſtrinxerunt. §. 1. Supplicauit ideo Papæ pro certæ earum denominationis, & viuendi formæ traditione. §. 2. Qui Pontifex eas de Ordine S. Claræ vniformiter denominari præcipit. §. 3. Priuilegia ſub quacumque denominatione eis conceſſa approbat. §. 4. Obſeruantiarum diuerſitatem tollit, & certam regulam eis obſeruandam

ſeruandam capitulorum 16. præſcribit. §. 5. Capitulorum tenorem ſubnectit c.t. & ſeqq.

Quæro. An Moniales huius ſecundæ regulæ gaudeant priuilegiis Sororum primæ regulæ, per Innoc. IV. firmatæ, vigore approbationis priuilegiorum, de qua in §. 4.

RESP. Gaudent procuIdubio non ſolum vigore huius Conſtitutionis, ſed etiam multarum Bullarum plurimorum Pontt. qui communicationem priuilegiorum expreſſius conceſſerunt, vt recenſet etiam Eman. Rodr. lib.3.Quæſt. Regul. quæſt. 6. art. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui aliquam mulierem inuitam ad ingrediendum Monaſterium,aut ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis cogit, in aliquam incidit pœnam?

RESP. Incidit in pœnam excommunicationis, tam ipſe, quàm eius auxiliator, ex decret. Concil. Trid.ſeſſ. 25. cap. 18. de Regular. vbi pariformiter eadem pœna infligitur retrahenti aliquam mulierem à Religione. Illud tamen decretum intelligit optima ratione Nauar. conſ. 55. lib. 5. in tit. de Sentent. excom. dummodo ſequatur effectus.

CLEMENS IV.

Gallus creatus anno 1265.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1265. Obtentu diuini numinis, & infra pag. 106. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, Fratres Ordinis Prædicatorum, & Fratres Ordinis Minorum poſſe in temporalibus bonis ſuccedere, de eiſque ſuo arbitrio diſponere, in quibus ſucceſſiſſent, ſi in ſæculo extitiſſent. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Qua fronte ergo Feder. de Sen.in conſ.12.n.4 & Bald.in auth.ſi qua mulier.Cod.de ſacroſ. Eccleſ.n.13. affirmant,hos Fratres Ordinis Prędicatorum non eſſe capaces hæreditatum?

RESP. Nil aliud credendum, quàm eos hanc Clementis conſtitutionem, à Genitore hic in lucem editam non vidiſſe; & ideo de ea non meminerunt, prout de aliis. Puto inſuper Feder. vbi ſupra, corrigendum eſſe in eo, quod inquit, Gregorium X. in c. 1. de Relig. domib. prohibuiſſe his Fratribus retentionem bonorum immobilium, quia in §. Sanè, excipit Ordinem Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nonne quoad Fratres Minores hoc priuilegium corrigitur à Clem. V.in Clem. Exiui de Paradiſo, de verb. ſignif.

RESP. Loquitur ille Clemens de Fratribus Minoribus de Obſeruantia; iſte verò de Conuentualibus, prout ſic aduertit etiam Eman. Rod. lib. 2.quæſt. Regul. quæſt. 78. artic. 1.

II.

Cum dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus,& infra pag.106.Bul. *Edita Anno 1265.*

COMPENDIVM.

Milites Sancti Lazari ſemel in anno pręferantur aliis Confraternitatibus locorum in quærendis eleemoſynis. §. 1. Ab oppreſſionibus Parochianorum defendantur. §. 2. Liberas perſonas ad Ordinem recipere poſſint. §. 3. Gratis ſepeliantur. §. 4. A decimis de fructibus terræ, quam propria induſtria, vel expenſis colunt, & de animalibus, & eorum nutrimentis eximuntur. §. 5. Oratoria, & noua loca conſtruere poſſint. §. 6. Habitum deponentes coërceantur. §. 7. Mortuos in eorum Eccleſiis tempore interdicti ſepelire, & oblationes recipere poſſint. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cur in Eccleſiis, vt in §. vlt. dicitur, humana omnium defunctorum corpora ſepeliri permiſſum eſt; cum antiquitus in cœmeteriis tantum ſepultura daretur?

RESP. Quamuis in atriis,porticib. vel cœmeteriis hactenus mortui deberent ſepeliri, cap. Præcipiendum 13. cauſ. 13. quæſt.2. veruntamen etiam intra Eccleſias ſepeliri permiſſum eſt triplici reſpectu. Primo, vt propinqui eorum ſepulturas reſpicientes, pro eis orent. Secundo, quia ſpecialiter commendantur

mendantur patrociniis illorum ſanctorum, quorum nomini Eccleſia dedicata eſt. Tertio, quia minus ibi vexantur à ſpiritibus immundis, cap. Cum grauia 17. cauſ. 13. quæſt. 2. vbi gl. id explicat, & etiam Turrecremata.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod eſt ergo priuilegium huius Ordinis, ſi paſſim omnibus in Eccleſiis ſepultura conceditur?

Resp. Priuilegium eſt datum ſepeliendi Confratres tempore interdicti, quod priuilegium habent etiam Fratres S. Ioannis Hieroſolymitani, & de eo meminit Sorb. de Priuileg. Mendic. in §. interdictum. 3. num. 14.

III.

Edita Anno 1265. PAruus fons, qui creuit in fluuiũ, & infra pag. 107. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ciſtercienſis Ordo in humilitate, & charitate fundatus, multos fecit progreſſus, in princ. Pro cuius præſeruatione hic Pont. declarat quaſdam eiuſdem Ordinationes, quę charta Charitatis appellantur. §. 1. & ſeqq. Circa electionem Abbatum. §. 3. & 4. Adminiſtrationemque. §. 5. Præcedentiam in faciendis electionibus. §. 6. Formam in eligendis Abbatibus in maioribus Abbatiis. §. 7. Celebrationem Capituli generalis. §. 9 Litteras miſſas in Capitulo. §. 9. Iudices Capituli. §. 10. Diffinitorem eius. §. 11. Statutorum edendorum tempus, quo ligent. §. 11. Diffinitoris munus. §. 13. Diffinitorum iuramentum. §. 14. Abbatiſque Ciſtercij. §. 15. Obiecta in eum. §. 16. Eleemoſynas Capituli. §. 17. Viſitationem Monaſteriorum. §. 18. Reformationem eorum. §. 19. Viſitatoribus quid præſtandum. §. 20. Officiales quando remouendi. §. 21. Quando aliò transferendi. §. 22. Priuatim ſuggeſta, quo modo audienda. §. 23. Viſitatores quid exigant. §. 24. Viſitatio triduo expleatur. §. 25. Depoſitio Abbatis quo pacto fiat. §. 26. Et quam ob cauſam. §. 27. Iniuſte Abbatem deponens pœna talionis plectatur. §. 28. Ordo à nemine obligatur. §. 29. Obſeruantia prædictorũ indicitur. §. 30.

Quæro. Pœna talionis, quæ eſt ſimilitudo ſupplicij, quod eſſet inferendum reo, ſi de crimine conuictus eſſet, habetne locum, ſi accuſator eſſet nobilis, & accuſatus perſona vilis?

Resp. Videtur negatiue reſpõdẽdum, cum pœnæ ſint imponendæ ſecundum conditionem perſonarum. Sed contrarium teneri debet, quia ſimilitudine ſupplicij expreſſe puniri decernitur. l. fin. Cod. de Accuſat. & l. fin. ff. de Calumniator. & ita poſt Gugl. de Cun. tenet Alberic. in l. 4. §. Calumniator. ff. de Infamib. num. 4. & ſequitur Clar. quæſt. 81. num. 2. vbi de communi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo iure hæc talionis pœna primum dicitur introducta?

Reſp. A lege 12. tabul. introductam inquit Igneus in l. fideicommiſſum. 26. ff. Ad Senatuſconſul. Syllan. ſed ante eas, lege Moſayca introductam fuiſſe ſcripſit Franc. Balduin. in leg. 12. tabul. cap. 13. verſ. Pœnam talionis.

IV.

VIrtute conſpicuos ſacri veſtri Ordinis profeſſores, & infra pag. 110. Bullarij. *Edita Anno 1265.*

COMPENDIVM.

Miniſter Generalis Fratrum Minorũ S. Franciſci, ſtatim electus, liberè Ordinem regit. §. 1. Remoueri poteſt. §. 2. Vocales è locis remotis venire poſſunt ad electionem Generalis, & Prouincialium, etiam extra tempus iam ſtatutum. §. 3. Cuſtodes, & Guardiani ſtatim electi adminiſtrant. §. 4. Lectores in omnibus locis Ordinis legere poſſunt. §. 5. Prædicatores examinentur à Prouincialibus. §. 6. In oratoriis eorum poſſunt Fratres, cum altari portatili, Miſſas celebrare. §. 8. Celebrant tempore interdicti. §. 9. In terris Excommunicatorum celebrant, & neceſſaria recipiunt. §. 10. Prælati ordinis abſoluunt Fratres à ſuſpenſionibus, & excommunicationibus. §. 11. Fratres etiam Confeſſores abſoluunt Prælatos. §. 12. Prælati Ordinis abſoluunt venientes ad Ordinem. §. 13. In multis eximuntur ab Ordinariis. §. 14. Fratres, apud Epiſcopos, & alios commorantes, reuocentur. §. 15. Miſſi ad prædicandum, vel inquirendũ, remouẽtur à Generali,

& Prouincialibus.§.16.Fratres ab Ordine non diſcedant.§.17.Licentiati ab Ordine nō tranſeuntes ad alium,coërceantur.§.18.Apoſtatæ puniantur.§.19. Habitus cōſimilis aliis Fratribus prohibetur. §.20.Decimas de hortis,& virgultis non ſoluunt.§.21.Intrantes Ordinem, incerta aliis reſtituenda, illi poſſint applicare. § 22.Sepulturā omnibus concedant.§.23. Non confiteantur aliis, quàm Prælatis Ordinis.§.24. Ad proceſſiones,& Synodos ire non cogantur,nec in cōſtructione nouorum locorum impediantur. §.25. Portionem canonicam de legatis non ſoluant. § 26. Dimittentes aliqua loca, de eis libere diſponant. §. 27. Ad Procurationem Legatorum, & Diœceſanorum non teneantur. §. 28. Priuilegia, & immunitates Ordinis præſeruantur à conſtitutione Innocentiana. §. 29.

Scholion primum.

Quæro. Circumſcripto hoc priuilegio liberæ adminiſtrationis Generalis, quid erat de iure?

R E S P. Ante adminiſtrationem erat confirmandus à Papa,vel Legato à latere, cum ſit exemptus, ad text. in cap. Si Abbatem 36. de Elect. in 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſti Fratres in Altari portatili poterunt celebrare abſque licentia Epiſcopi?

R E S P. Sine dubio poterunt, cum ex hac Bulla habeant licentiam à Papa; alioquin eſſet fruſtratorium hoc Papæ priuilegium. Ita expreſſe determinauit Honorius III. in cap. In his.30. de Priuil. vbi Io. And. & Hoſtienſ. in princ. ac Zabar. num. 4. & Panormit. ac alij communiter,necnon Syluest. in Summa, in verbo Altare. num.6.

V.

Edita Anno 1265. VEnerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & inf.pag.112. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prælatis omnibus iubet, vt collectionem infirmorum leproſorum permittant Fratribus Militibus S.Lazari, in princip. Enunciat Dominum in lege Moyſi extra caſtra eiici mandaſſe. ibid. Decernit hos leproſos vndique colligi, & ad loca Ordinis reduci debere. §.1. Et contradictores coram Papa citari mandat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Vbi legitur hoc præceptum Dei, de quo loquitur iſta conſtitutio?

R E S P. Legitur Leuit. cap.13. vbi ex profeſſo agitur de explorione,lepræ, & leproſi ſeparatione, in verſ.44. *Quicunque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis,&c.* & in verſ. 46. *Omni tempore quo leproſus eſt, & immundus,ſolus habitabit extra caſtra;*& Numer. cap.5. verſ.11. & 12. Loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: *Præcipe filiis Iſraël, vt eiiciant de caſtris omnem leproſum.* Eiuſque præcepti exequutio ſequuta eſt in Maria ſorore Moyſi, & Aaron, quando,ſicut legitur Numer.cap.12. verſ.9.10. & 14. propterea quod detraxerat Moyſi, apparuit candens lepra, quaſi nix, iuſſu Domini ſeparata eſt ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocata.

Scholion ſecundum.

Quæro. An leproſus eiectus à Ciuitate poſſit ſtare in quodam hoſpitio ſuburbij?

R E S P. Hoc dubium negatiuè decidit Bald. in cap. Significauit. 36. de Reſcrip. arg. tex. in cap. Si Ciuitas. 17. de ſentent.excommun.in 6.vbi habetur, interdictum Ciuitatis ſuburbia etiam comprehendere, & ſequitur Barbat. in addit. ad Bald. in l. 2. Cod. de Sum. Trinit. & fide Cathol. in littera D. Et ratio eſt, quia de facili poſſet iſte leproſus inducere aliorum corruptionem, cuius reſpectu lex condita eſt. Quod tenet etiam Brun. de Hæret. lib. 6. cap. 2. num. 12.

VI.

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani, & infra pag. 113. Bullar. *Edita Anno 1265.*

C O M P E N D I V M.

Præcipit omnibus Magiſtratibus, vt leges ab Innoc. IV. editas ad extirpationem hæreſis, deſcribi faciant in libris Statutorum cum adiectionibus, modificationibus, & declarationibus Alexandri IV. §. 1. Datque facultatem inquiſitoribus illos ad hoc cogendi.d. §.1. Eaſdem, & alias edendas leges contra

Hæreticos,

Hæreticos, & eorum complices in quatuor libris deſcribi iubet. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Vbi quæram declarationes Alexandri IV. quas Genitor tuus in Bullar. non poſuit?

RESP. Apud Pegnam inter Bullas Alexandri IV. ab eo impreſſas poſt Director. Inquiſ. quam Genitor conſulto prætermiſit, latiorem diſpoſitionē Clementis IV. ſucceſſoris in Appendice cudendo, vbi in rubric. ſic adnotauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. An leges Friderici II. Imperatoris editæ contra Hæreticos ſunt deſcribendæ, iuxta præceptum hic datum?

RESP. Non puto ad hoc eiuſmodi præceptum extendi, ſi quidem in §. 2. extat dictio, *præfatu*, quæ reſtringit diſpoſitionem ad leges Innocentij IV. ab Alexandro IV. ſuperius enunciatas, quia eſt repetitiua, & relatiua præcedentium ll. 2.§. Hoc edicto, vbi Bar.num.2. ff. de Poſtul. Dec.conſ.513.num.11. Pariſ. conſil. 49. lib. 3. num. 22.

VII.

Edita Anno 1265. AD conſequendam gloriam, & infra pag. 113. Bullar.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum Minorum S. Franciſci in paupertate fundatus eſt, in princ. Apud eorum ergo loca, infra cannas tercentum alius Ordinis in paupertate fundati loca non conſtruantur, vel iam ædificata non transferantur. §.1.

Scholion primum.

Quæro. Ipſi autem Fratres Minores poterunt apud aliorum Mendicantium loca nouos erigere Conuentus?

RESP. Non poſſunt infra 140. cannas, quia hoc priuilegio donati ſunt Fratres Prædicatores, & Eremitæ S. Auguſtini, & cæteri Mendicantes ex priuilegiorum communicatione inter eos, vt videre eſt in conſt. 2. Bonifacij VIII. & conſt. 21. Iulij II.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſſuntne Fratres Mendicantes dimiſſo dicto ſpatio, abſque alia Papæ licentia nouos Conuentus fabricare?

RESP. Non poſſunt abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, quia ſic rite Boniſ. decreuit in cap. 1. de exceſſ. Prælat. in 6. Quamuis licentiam Ordinariorum ſufficere poſtea voluit Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. in fin. & formam ab eis in hoc ſeruandam præſcripſit Clem. VIII. in conſt. 99.

VIII.

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani, & infra pag. 114. Bullar. *Edita Anno 1266.*

COMPENDIVM.

Narrat, Innocentium IV. leges contra Hæreticos edidiſſe.§.1. Illumque, & Alexandrum IV. iuſſiſſe Magiſtratibus, vt deſcribant eas cū declarationibus ipſius Alex. in libris Statutorum Ciuitatum. §.1. Et hic Pont. eaſdem, & ſuas ſimiles leges ſimili modo deſcribi iubet eiſdem Magiſtratibus. d.§.1. Eóſque ad id compelli ab Inquiſitoribus.§.3. Et nulla contraria priuilegia illis obſtare. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt leges huius Pontificis editæ contra Hæreticos?

RESP. Aliàs dixi Genitorem meum in Appendice imprimi feciſſe, quas hic Pontif. anno 1265. & ſic ante hanc bullam ediderat, & ideo illas hic indicat.

Schol. ſecundum.

Quæro. Cur Genitor tuus hanc bullam non prætermiſit, cum ferè eadem videatur cum conſtit. 6.

RESP. Non eadem eſt, quia iſta comprehendit explicitè leges ab iſto Pontifice editas poſt eam Bullam 6. vt mox dixi. Præterea illa non derogabat priuilegiis, quæ eius effectum, & executionem poterant impedire.

IX.

EXultat cunctorum fidelium, & inf. pag 114. Bullar. *Edita Anno 1267.*

COMPENDIVM.

Enarrat hic Pont. Heduugem, mortuo Henrico Poloniæ Duce eius marito, Monialem Ordinis Ciſtercienſis fuiſſe. §.3.& 4. Dæmonis tentationes ſuperaſſe. §.5. Prudentia in omnibus, pudicitiáque, & pietate in leproſos, deuotione, & humilitate claruiſſe. §.6. & ſeqq. Diuinis Officiis aſſiduam. §. 9. In obitúque Henrici Ducis Sleſiæ eius filij, patientem extitiſſe. §. 10. In planctu etiam

 eiuſdem

eiuſdem modeſtam. §. 11. Miraculis inſuper claram fuiſſe. §. 12. & ſeqq. Propterea eam Sanctarum catalogo adſcribit. §. 22. Eius feſtum die 15. Octobris agi iubet. §. 23. Sepulchrum eius viſitantibus indulgentias concedit. §. 24.

Scholion primum.

Quæro. Extantne alia miracula, & præclara huius Heduuigis, quam in iſta conſtitutione relata?

RESP. Extant apud Sur. & quidem multa, de vita huius Sanctæ tom. 5. quibus illud vnum addit Ciacon. in Hiſtor. Vitæ Clementis IV. Quod cum Canonizario iſta differretur, cuidam procuratori eam promonenti ob eiuſmodi dilationem triſtis per viſum apparuit, cũque de expeditione negotij, ac de die expeditionis certiorem reddidit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui eiuſdem S. Mulieris parentes fuerunt?

RESP. Fuit ipſa filia principis Berthodi Marchionis Morauiæ, & Agnetis filiæ cuiuſdam Marchionis, & Comitis de Rothlechæ, vt recenſet Surius loco præcit. in cap. 1.

X.

Edita Anno 1267. IN ordine veſtro, eiuſque profeſſoribus, & infra pag. 117. Bullarij.

COMPENDIVM

Narrat, Vrbanum IV. examinationem regulæ Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum tribus Prælatis delegaſſe, ſuper nõnullis dubietatibus exortis. §. 1. Eoſque illam diligenter expendiſſe, & multa deſuper ſtatuiſſe. §. 2. Quæ omnia hic Pontifex approbat. §. 3. Subnectit poſtea decem capitula, & declarationem, in quorum primo agitur de tribus votis, nomine Prælati, diuiſione bonorum, & redemptione Captiuorum pro fide Chriſti à Paganis, vel Paganorum commutandorum cum Chriſtianis. In ſecundo, de titulo Monaſteriorum, numero Fratrum, lectiſque ac veſtimentis, & equitaturis. In tertio, de abſtinentia, ieiunio, & facultate Miniſtri illud relaxandi. In quarto, de Charitate erga Fratres, erga infirmos, & hoſpites. In quinto, de ſilentio, & honeſtate. In ſexto, de Capitulis, & correctione Fratrum. In ſeptimo, de electione Miniſtri, eiuſque munere, & diſpoſitione. In octauo, de Nouitiis, & eorum receptione. In nono, de oratione, & aliis præceptis. In decimo, de Horis canonicis, & raſura.

Scholion primum.

Quæro. Redemptionis opus, de qua in c. 1. extenditurne ad redimẽdũ captiuũ apud infideles ex cauſa homicidij?

RESP. Quia ratio redemptionis eſt, vt ſalus animæ redempti acquiratur, affirmatiua ſententia verior videtur, ad Bald. in l. Sed & ſi ideo 22. ff. ſol. matrim. num. 1. & ibi bona apoſtilla, & in l. illud 16. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. num. 1. & ſequitur Bolognet. in rub. ff. ſi cert. petat. num. 14. & latè Rota dec. 63. par. 2. Diuerſ. n. 3. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quot modis ſuperior relaxat his Fratribus ieiunium, de quo in cap. 3.

RESP. Vt liceat ante horam comedere, vel pluries, vel vt carnes comedant, vt poſt Caiet. quem citat, ita tradit Nauarr. in ſuo Manual. Confeſſ. cap. 21. num. 22. & ſeqq. vbi ſubdit, quod primo modo diſpenſatus non poteſt pluries edere, & diſpenſatus, vt pluries edat, non eſt diſpenſatus, vt carnes edat. Eoſque ſequitur Rodr. tom. 2. quæſt. regular. artic. 2. q. 100. verſ. illud tamen.

X I.

PRouidentia laudabilis, & ſalubris, & infra pag. 119. Bullarij. *Edita Anno 1268.*

COMPENDIVM.

Præcipit Fratribus Ordinis Prædicatorum, in Prælaturam extra Ordinem aſſumptis, vt reſignent Ordini, quæ tempore promotionis habent, antequam munus cõſecrationis recipiant. §. 2. Et id non obſeruantibus, ſuſpenſionis pœnam indicit. d. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Nonne ſuperflua eſt hæc bulla, eo quod conſimilis ſit edita ab Alexandro IV. contra Fratres Minores, vt ſup. in eius conſtit. 5.

RESP. Non eſt ſuperflua, quia iſta continet pœnam ſuſpenſionis, quæ in illa non habetur, de qua ſuſpenſione meminit D. Anton. de ſuſpenſ. cap. 4. num. 10. & Eman. Rod. de quæſt. Regul. lib. 2. quæſt. 58. art. 6.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Suſpenſionis eiuſmodi pœna à quo remitti poteſt?

RESP. A Summo Pontifice, quia regula eſt, quod qui ſuſpendit, abſoluit, vel ſuperior, ſi ſuperiorem habet, prout Bartholom. Fumus, & alij ſummiſtæ dicunt in verbo Suſpenſio. Et neceſſe eſt quod verbo ſignificetur iſta abſolutio, ſed nulla requiritur certa abſoluendi forma, vt ſcribit Syluest. in ſua Summa, in verbo interdictum. §. 3. num. 12.

XII.

Edita Anno 1268. ORdinis veſtri ſacra Religio, & infra pag. 119. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam Prælati priuilegia Fratrum Ordinis S. Dominici, vel S. Franciſci in præiudicium eorumdem Ordinum interpretabantur. §. 1. Illis ergo eiuſmodi interpretationem priuilegiorum, etiam in rebus dubiis, interdicit. §. 2. Et facultas interpretandi Sedi Apoſtolicæ reſeruatur. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Quiſque ergo Regularis ſcrupulum habens ſuper intelligentia alicuius priuilegij, ad Papam recurrere debet.

RESP. In eiuſmodi ſcrupulis poſſunt Prælati Ordinis conſcientiæ dubitantis conſulere, vt ſcribit Eman. Rodr. de quæſt. Regul. lib. 1. quæſt. 11. art. 5. vbi quaſdam Innocentij VIII. & Leonis X. conſtitutiones indicat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num ergo quiſpiam doctus vir ad intelligentiam eiuſmodi priuilegiorum aliquod edere poteſt Commentariū, vel aliquis Iudex cauſam aliquam definire, vbi occurrat de illorum intelligentia dubitare?

RESP. Hæc bulla eam Epiſcopis, & Prælatis interpretationem vetuit, quæ fieret per modum legis, & perpetuæ interpretationis, non autem, vt in iudicando nō poſſint priuilegiorum ſenſum habere, quem ſibi iuſtitia ſuadebit; prout nec doctis viris doctrinalis interpretatiō in publicis Commentariis interceditur, quia nec illam, nec iſtam interpretationis ſpeciem ſibi Papa reſeruauit, ſed eam, quam per modum legis quiſquam tradere auderet, vt gl. & Canon. communiter declarant. in cap. Cum veniſſent. 12. & ſignanter Panorm. num. 3. & Dec. num. 17. de Iudic. & cap. vlt. de Conſtitut. Gabr. conſ. 128. lib. 2. num. 15. ac Rodr. mox ſupra citat.

GREGORIVS X.

Italus, creatus anno 1271.

CONSTIT. I.

SAluator noſter in cuius ditione, & infra pag. 120. Bullarij. *Edita Anno 1272.*

COMPENDIVM.

Queritur, Græcos à deuotione, & obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtraxiſſe. §. 1. Indicit propterea Concilium generale Lugduni ad Kal. Maij 1274. §. 2. & 3. Prælatos ad illud conuocat. §. 4. & quibuſcumque non obſtan. venire præcipit. §. 5. Et interim, quæ reformationi neceſſaria videntur, præparari iubet. §. 6. Excuſationum prætexum reiicit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Maximuſne conuenit numerus Prælatorum, iuxta Papæ conuocationem, de qua in §. 4.

RESP. Maximus quidem, interfuerunt ſiquidem pluſquam 700. Epiſcopi, & Abbates, & Præpoſiti, cæterique Eccleſiarum Prælati in numero copioſiſſimo, vt ex Eberardo Ratiſponenſi ſcribit Seuerinus Binius in ſuis notis ad hanc Synodum. Accerſebatur Thomas ille Aquinas Ord. Prædicat. & hic ſæculi Theologorum anteſignatus, qui cum à Neapoli itineri ſe accingeret diem ſuum obiit, vt ſcribunt Lap. in ſuo tract. de vſur. ſub numer. 1. ac Petrus Math. in ſuis notis geſtorum huius Papæ. Et ſecundum Seuerinum, vbi ſupra in quadam Abbatia Monachorum Ciſtercienſium, quæ Foſſa Noua nuncupatur, obiit. Adfuit autem Bonauentura Balneoregienſis Franciſcanæ familiæ ornamentum, vt inquit Lap. iam cit. Et ſubdit Ciac. in vita huius Papæ, quod is propterea illum reluctantem, Epiſcopum Cardinalem Albanenſ. creauit, in quo tamen honore, nondum elapſo anno, & Concilio adhuc durante, 3. Idus Iulij 1275. ſubdit feliciter migraſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qua die iſtud Concilium expletum dicitur?

R E S P. A Kal. Maij 1274. iſtud Concilium, vt in hac Bulla dicitur, inchoatum, vſque ad 16. Kalen. Auguſt. durauit, vt ex Matthæo Vueſtmoſter refert Seuerinus vbi ſupra.

I I.

Edita Anno 1274. EXultat mater Eccleſia renaſcentis prolis, & infra pag. 121. Bullarij *Item.* Habes fili, & infra, ibid.

C O M P E N D I V M.

Exultat cum toto Concilio Lugdunēſi, de reditu Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris, ad vnitatem S. Rom. Eccleſiæ. §. 1. Hortatur eumdem Imperatorē ad totalem ſchiſmatis abolitionem. §. 2. Et in ſubſequenti annexa conſtitutione hortatur illius filium ad huiuſmodi vnitatis ſtudium. §. 1. Et in alia itidem annexa conſt. habetur tenor confeſſionis, ſeu profeſſionis fidei ſupradicti Imperatoris, & Nunciorum tranſmiſſio ad ipſum Pontificem.

Scholion primum.

Quæro. Nónne & alij Græciæ Prælati eiuſmodi obedientiam ſpoponderūt?

R E S P. Proculdubio ſpoponderunt, vt ex eorum litteris liquet, quæ cuſæ habentur in Conciliis Coloniæ Agrippinæ poſtremo editis, cum notis prædicti Seuerini, qui alias quoque non ibi cuſas extare indicat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huic Concilio Michaël iſte Imperator perſonaliter interfuit, vel nō?

R E S P. Interfuiſſe dicunt authores omnes in Scholiis conſtitutionis precedentis allegatis.

NICOLAVS III.

Romanus, creatus anno 1277.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1271. VIneam Soreth velut electam, & infra pag. 123. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Innumera Dei recenſet beneficia erga Hebræos, in princ. Et excæcatam eorum duritiem, & diſperſionem. §. 2. Euangelium ergo pro eorum ad Chriſtianæ fidei conuerſionem ipſis prædicari iubet. §. 3. Conuerſos humaniſſime tractari præcipit. §. 4. Nolentes conuerti ſibi notificari mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nónne hæc Bulla Nicolai I V. eſſe dicitur, licet I I I. tributa?

R E S P. Veritati hæreas, & Nicolai III. omnino eſſe credas, prout ſic etiam arbitratus eſt Pegna, qui in margine huius Bullæ poſt director. Inquiſit. inter alias cuſæ, notauit. Et ex eo mihi liquet quod data eſt hæc bulla Viterbij 2. Non. Auguſti; apud quam Ciuitatem, vel potius Surianum ſeptimo à Viterbio lapide vicum, cœli clementia, & aquarum amœnitate celebrem, æſtiuo tempore Nicolaum I I I. corporis infirmitate tactum, non autem Nicolaum I V. degiſſe ſcribit poſt alios Ciacon. in vita huius Pontif.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ſtante eiuſmodi pertinacia Iudæorum, de qua in §. 2. ipſi, eorumque ritus in Eccleſia tolerantur, & non Saraceni?

R E S P. Quia in illis habemus teſtimonium fidei Chriſtianæ, colunt etenim vnum, & verum Deum, quem colunt Chriſtiani, eorumque ritus olim fuerunt liciti, & repræſentatiuè habuerunt aliquid veritatis: Saraceni verò Mahometum nefarium impoſtorem, vt verum Prophetam Dei colunt, eorúmque ritus nullam continent veritatem. S. Thom. 2. 2. queſt. 10. art. 11. Zabar. & Imol. in Clem. vnic. de Iud. Eymeric. in Direct. Inquiſit. par. 2. quæſt. 46. num. 13. & Pegna ibidem in Comment. 71. littera G, vbi ſubdit, quod alij alias afferunt rationes, quas numerat Ioan. Royas de Hæret. par. 1. num. 568. & ſeqq.

I I.

NOuerit Vniuerſitas veſtra, & infra pag. 124. Bullarij. *Edita Anno 1280.*

C O M P E N D I V M.

Anathematizat Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, & quoſcumque hæret. in princ. Eoſdem damnatos ab Eccleſia, ſæculari iudicio relinqui iubet. §. 1. Pœnitētes carceribus mancipari mandat. §. 2. Credentes

eorum

eorum erroribus, hæreticos pronunciat. §.3. Fautores hæreticorum excommunicat, aliáſque pœnas incurrere declarat. §. 4. & ſeqq. hæreticos declaratos qui non euitabit, excommunicatur. §. 14. Suſpecti ſe non purgantes, anathemati ſubiiciuntur, & aliis pœnis feriuntur. §. 15. & ſeqq. Laicos de fide diſputare vetat. §. 19. Hæreticos iudicari iubet. §. 20. Hæreticorum, & eorum fautorum filios beneficiis priuat. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore originem habuit Secta Pauperum de Lugduno, de quibus hic habetur in principio?

R E S P. Circa annum 1170. Vt poſt Guidon. de Parpiniano in ſua Summa de Hæreſib. affirmat Rebuff. in explic. Bullæ Cœnæ Domini editæ à Paulo III. quæ eſt in ipſius Rebuff. Pract. Benef. in verbo, Pauperes de Lugduno. Quo anno 1170. Sedis Apoſtol. moderator erat Alexand. III. qui anno 1159. creatus eſt Summus Pont. & obiit anno 1181. vt legere eſt in Bullar. fol. 23. & 29. Quam Sectam anno 1236. Greg. IX. poſtea damnauit, vt in cap. penult. de Hæret. Alij autem putant hanc Sectam exortam tempore Innoc. III. circa annum 1218. Vt ſentit Ciacon. in vita Innoc. III. & Pegna in Direct. Inquiſ. part. 2. comm. 39.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hoc nomen Secta illa ſortita eſt?

R E S P. Vualdo ſiue Valdenſis ciuis Lugdunenſis eius author fuit, ideóque de Lugduno dicta. Pauperes autem vocati ſunt, eò quod Euangelicam paupertatem profitebantur, vt tradunt Rebuff. & Pegna iam citati, qui eiuſdem ſectæ peſſimos recenſet errores. Contra quos B. Franciſcũ de Aſſiſio eodem tempore, necnon B. Dominicum contra Albigenſium alteram ſectam, Deum ſuſcitaſſe ſcribit Ciacon. in vita Innoc. III.

MARTINVS IV.
Gallus, creatus anno 1281.
CONSTIT. I.

Edita Anno 1281.

MIchaëlem Palæologum, qui Græcorum Imperator, & inf. pag. 124. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Michaël Palæologus Græcorum Imperator, fautor eſt Græcorum Schiſmaticorum, & per hoc hæreticorum, declaratus fuit ab iſto Pontifice excommunicatus. §. 1. Prohibetur itaque omnibus, ei fauorem, aut aliquod auxilium præſtare. §. 2. Pœnæque in contrauenientes indicuntur. §. 3. Publicatio huius Bullæ præcipitur. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Perſtitit vſque in finem hic Michaël in cenſuris?

R E S P. Perſtitiſſe dicunt Niceph. Gregoras lib. 5. in fine, & Æmilius Probus lib. 8. aſſerentes Andronicum eius filium, nec imperatoria ſepultura, & nec plebeia; eum honoraſſe; quia à recta Eccleſiæ doctrina deſciuiſſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quouſque Deus Michaëlem poſt eius excommunicationem, inter viuos eſſe permiſit?

R E S P. Ex hac vita anno ipſo, vel ſubſequenti exceſſiſſe videtur. Quia Andronicus eius filius anno 1283. Cæſar extitit, & annorum quinquaginta ſpatio imperauit, vt ſcribit Ciacon. poſt alios in vita huius Pont. in fine.

HONORIVS IV.
Romanus, creatus anno 1285.
CONSTIT. I.

Edita Anno 1286.

OLim fel. rec. Gregorius Papa X. & inf. pag. 125. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi nouas religiones inſtitui prohibuit, in cap. 1. de Relig. domib. in 6. hic Pont. damnat ſectam Fratrum, ſub nomine Apoſtolorum temere introductam, multa mala patrantium; & quorum aliqui hæreticæ prauitatis vitio laborantes inuenti fuerunt. §. 1. & 2. Eóſque recipi, aut eiſdẽ ſubueniri vetat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Qui huius ſectæ authores fuerunt, & quo tempore initiata fuit?

R E S P. Geraldus Segalelli Parmenſis circa annum Domini 1285. ſecundùm Eymericum in Director. Inquiſit. part. 2. quæſt. 11. Vel veriùs ſecundùm

Pegnam ibidem in ſuo Comment.37.circa ānnū 1246. hanc ſectam Pſeudo apoſtolorum adinuenit in Parma. Et illi ſe primum adiuxit Dulcinus Nouarienſis, & deinceps alij eam congregationem ſecuti ſunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui erant ipſorum errores, & mala, ac hæreſes,quæ indicantur, & hic non exprimuntur in §.1.

R E S P. Viginti fuerunt , & peſſimi quidem eorum errores, relati ab Eymerico in loco cit. Vnde merito Geraldus, vt hæreſiarcha die 8. Iulij 1300. ab Epiſcopo Parmenſi, & Inquiſitore condemnatus , & concrematus fuit ; Dulcinus verò anno 1307. ab Inquiſitore Vercellas, vt hæreſiarcha , vnà cum Margarita eius concubina hæretica , combuſtus extitit, vt ſcribunt Eymericus, & Pegna in locis præcitatis.

I I.

Edita Anno 1286. EXhibita nobis dilecti filij, & infra pag. 125. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Romani Pontt. frequenter Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis committebant, vt tam hæreticos , credentes , fautores, & receptatores,quàm ipſorum filios, & nepotes priuandi dignitatibus , officiis, & beneficiis, poteſtaté haberét,in princ. Alexander I V. Inquiſitoribus id petentibus , declarauit , id non intelligi de filiis, & nepotibus hæreticorum,credentium,&c. emendatorum.ibid. Hic Pont. id in Archiono filio q. Philippi aliàs de hæreſi inquiſiti , & emendati , ſeruari mandat , ſi ipſe non ſit de hæreſi ſuſpectus , & in deuotione S. R. E. perſiſtat. §.1. & 2.

Scholion primum.

Quæro. Sanctio iſta ligat filios , poſt crimen , vel antea natos , vel omnes?

R E S P. Omnes comprehendere magis communiter DD. affirmant , & eam ſententiam tutiorem , veriorem , & vſu magis receptam eſſe, eleganter oſtendit Pegna in Director.Inquiſit part.3. Commen. 163. verſ. Omiſſis, vbi validas profert pro hac ſententia rationes.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc eadem ſanctio priuationis, intelligiturne etiam de officiis & beneficiis,quæ filij,vel nepotes obtinuerunt ante parentum condemnationem?

R E S P. Negatiuam ſententiam plerique ſequuntur , cui adſtipulatur Simanc. de Cathol. inſtitut.tit.29.num.10. & non diſſentit Pegna d. Comment.163. in fine.

N I C O L A V S IV.

Italus,creatus anno 1288.

C O N S T I T. I.

Edita Anno 1288. TVrbato corde audiuimus , & infra pag. 126. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, ad ſe perlatum, quoſdam Iudæos ad fidem Chriſtianam conuerſos, ad Iudaicam perfidiam reuerſos , & quoſdam Chriſtianos ad ritum Iudaicum ſe transferre,in princ. Præcipit ergo Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis,vt contra illos tamquam Hæreticos, & eorum auxiliatores procedant. §. 1. Iudæi autem ad eorum ritum Chriſtianos inducentes debita pœna plectantur. §.2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Sarraceni , & Chriſtiani hoc agerent?

R E S P. Hoc idem contra eoſdem à Greg. X I. ſancitum vide infra in illius conſt. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ pœna erit Iudæorum, aut Sarracenorum , ad eorum ritum Chriſtianos trahentium , cum in §. 1. non explicetur?

R E S P. Arbitraria iuxta qualitatem ſceleris commiſſi , vt relatis aliis concludit Pegna in Direct. Inquiſit. lib. 2. Comment.69. verſ. Tales. ſubdit tamen in verſ. Zanchinus ; Certas inquit pœnas eſſe imponendas, quas ibi explicat.

I I.

Edita Anno 1289. SVpra montem Catholicæ fidei, & infra pag. 126.Bullar.

C O M P E N D I V M.

B. Franciſcus tertiam Regulam inſtituit pro ſæcularibus in propriis domibus viuentibus, Tertiariis nuncupatis, in proœm.In cuius cap.1. agitur de examine recipiendorum ad Regulam. In 2. de formâ eos recipiendi.In 3. de habitu. In 4.

In 4. de euitandis ſpectaculis, & conuiuiis. In 5. de abſtinentia, & ieiunio. In 6. de confeſſione, & communione. In 7. de armis non geſtandis. In 8. de dicendis Horis canonicis. In 9. de teſtamentis. In 10. de pace. In 11. de vitandis vexationibus contra ius, vel priuilegia ipſorum. In 12. de iuramentis. In 13. de Miſſa audienda, & cōgregatione facienda. In 14. de Fratribus infirmis, & exequiis defunctorum. In 15. de Miniſtris. In 16. de viſitatione, & correctione delinquentium. In 17. de litigiis vitandis. In 18. de diſpenſatione ab abſtinentiis. In 19. de incorrigibilibus. In 20. Quod in prædictis nemo obligetur ad culpam. Hæc omnia Pont. comprobat apponendo ſanctionem pœnalem. §. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore Regulam tradidit B. Franciſcus?

R E S P. Anno Domini 1221. ſecundùm Rod. de quæſt. Regul. tom. 3. q. 72. art. 1. in princ. Vbi ſubdit, quod illa non inuenitur, ſed ſolum hæc ab iſto Pontif. firmata. At circa d. tempus diſcrepat Ciacon. qui in vita Honor. III. inquit, quod biennio poſt annum 1223. quo Ordo Minorum ab ipſo Honor. confirmatus fuit, B. Franciſcus tertium Ordinem Pœnitentium conſtituit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſti Tertiarij dicuntur perſonæ religioſæ?

R E S P. Non ſunt, & notatur in Compend. priuileg. Fratrum Minorum, in §. Tertiarij, & ſcribit Nauar. conſ. 19. de Regular. lib. 3. ſecundùm impreſſ. Brixiæ, & tradit Rod. de Regul. quæſt. tom. 3. quæſt. 72. art. 1. verſ. Prima concluſio. & clare deciditur à Leone X. in ejus conſt. 22. §. 19. Ita quod non eſt curandum de quibuſdam aliis Prædeceſſorum bullis, quæ aliud continerent.

III.

Edita Anno 1289. Regis pacifici, pacis opera diligentis, & infra pag. 128. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Refert, Gregorium IX. ſtatuta edidiſſe pro reformatione Ordinis Monachorum Congregationis Cluniacenſis S. Benedicti, in eius conſtit. 5. de qua ſup. pag. 14. §. 1. Quæ ſtatuta hic Pontifex declarat circa infraſcripta. §. 2. Capitulū Generale quādo, à quib. & qualiter fieri debeat. §. 3. Diffinitores quindecim d. Capituli pro vice eligantur. §. 4. Forma quæ ſeruanda in eis eligendis. §. 5. Quod cauſæ per Abbatem non diffinitæ in Capitulo diffiniantur. §. 6. Conſtitutiones Capituli ante omnia ſeruandæ, & nō immutandæ. §. 7. Quæ quando obligent ad mortalem culpam. §. 8. Quotieſque recitandæ. §. 9. Viſitatores eligendi in Capitulo, & eorum authoritas. §. 10. Viſitatores quatuor Monaſterium Cluniacenſe, & Abbatem viſitēt. §. 11. Quis de expēſis, & prouētibus rationem eis reddat. §. 12. Abbas loca Ordinis viſitet, iuxta regulam hic præſcriptam. §. 13. Beneficiorum collatio quo pacto fiat. §. 14. Et illigitimis quæ non conferantur. §. 15. Priores ob quæ amouendi. §. 16. Abbas, vel Prior cur deponendi. §. 17. Inſtitutio Priorum Conuentualium qualiter fiat. §. 18. Pluralitas beneficiorum prohibetur. §. 19. Illis, qui ſunt de Ordine, illa conferantur. §. 20. Vnus Monachus in vno Prioratu non permaneat. §. 21. Refectio ſit vniformis. §. 22. Eſus carnium remittitur arbitrio Abbatis. §. 23. Habitus præfinitur. §. 24. Equitaturarū ſuperfluitas interdicitur. §. 25. Norma contrahendi, & rationes reddendi deſcribitur. §. 26. Pœna proprietariorum indicitur. §. 27. Exactiones, & extorſiones vitandæ. §. 28. Bona vacantia quæ, & qualiter per Abbatem percipienda. §. 29. Nouitij ante 15. annum non recipiantur. §. 30. Appellatio iuſta non impedienda. §. 31. Leuis autem prohibetur. §. 23. Regulæ S. Benedicti obſeruantia non prætermittenda. §. 33.

Scholion primum.

Quæro. Abbatis appellatione, cuius nomen non exprimitur in §. 13. venit forſan Abbas Cluniacenſis?

R E S P. Sine dubio venit; prout de hoc conſultus reſpondet Oldr. conſ. 204. nu. 4. vbi de ipſius præeminentia præclarè loquitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. An ſub nomine Ordinis S. Benedicti veniat iſta Congregatio?

R E S P. In fauorabilibus venit, non autem in odioſis, quia iſta Congregatio tranſiuit in Ordinem habentem

 ſpeciſ

ſpecificum nomen, vt in terminis docet Bellam. in conſ. 32. num. 22. Præſertim, quod frequēter Ordo Cluniacēſis nuncupatur S. Benedicti de obſeruantia: prout in priuilegiis Pontt. vidiſſe teſtatur Tuſc. in litteras. Abbas concluſ. 21. num. 5.

I V.

Edita Anno 1291. INter opera pietatis, & infra pag. 132. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Suſcipit Hoſpitale S. Spiritus in Saxia de Vrbe, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, cum ſuis locis, in procem. Eius loca enunciat. §. 1. & ſeqq. Munus Clericorum d Hoſpitalis decernit, victūmque, & veſtitum. §. 21. & 22. Hoſpitale S. Spiritus in Montepeſſulano, illi Hoſpitali ſubiicit. §. 23. Papa, & Cardd. hanc bullam ſubſcribunt.

Scholion primum.

Quæro. Hoc Hoſpitale cur ſortitum eſt nomen S. Spiritus in Saxia?

R E S P. Saxia eſt locus in Vrbe, inter Tyberim & Baſilicam S. Petri. Quod nomen à Saxonibus accepit, cum à Carolo Magno Imperatore expugnati, Chriſtiana fide, atque Eccleſiaſtica diſciplina imbuendi; Romam plerique miſſi ſunt, humaniſſiméque accepti in d. loco, qui Vicus ab ipſis Saxonibus deinceps denominatus eſt. Et ibi Hoſpitale poſtmodum conſtructum, S. Spiritus in Saxia nuncupatur, ſecundum opinionem Lindani, cui perlibenter adſtipulatur Baron. in ſuis notis ad Martyrolog. Roman. die 10. Nouembris. Et de prædictorum Saxonum Scholis meminit Ciacon. in vita Leonis III. & de prædicto Vico meminit in vita Leonis IV. Prout primam conuerſionem Saxonum tribuit d. Carolo Bald. in conſ. 174. lib. 5. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quot ſunt genera Commendarum, quóue tempore beneficiorum, ſiue Eccleſiarum commendatio in vſum deducta eſt?

R E S P. Hæc omnia eruditè explicat Campeg. in ſuo tract. de Commend. Beneſic. qui eſt in 15. Tomo tractat. par. 2. fol. 536. vbi latè.

V.

ILluminet ſuper vos Dominus vultum ſuum, & inf. pag. 134. Bull. *Edita Anno 1291.*

C O M P E N D I V M.

Narrat ſectam Sarracenorum crudelitatem, & impia facinora patraſſe. §. 1. Adhortatur itaque omnes ad recuperationē Terræ Sanctæ ab eis occupatæ. §. 2. Eligitque Regem Angliæ pro Duce exercitus Cruceſignatorum. §. 3. Elargitur indulgentias Cruceſignatis ad bellum proficiſcentibus, vel illud adiuuantibus. §. 4. Mandat, eos extra ſuas diœceſes trahi nō poſſe. §. 5. Vſuraſq; eis relaxari. §. 6. Dat eiſdem facultatem petendi abſolutionem ab excommunicatione, & diſpenſationem ab irregularitate. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Sarraceni nuncuntur hic pro omnibus infidelibus, vel pro Mauris tantum?

R E S P. Certiſſimum eſt, intelligi de Mauris, ſiue Turcis ſolummodo; illi enim Terram Sanctam occuparunt, vt explicat Nauar. in cap. Ita quorumdam. 6. de Iudæ. in 4. notab. vbi latè, num. 3. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Terra Sancta quando à Sarracenis fuerat occupata?

R E S P. Anno 1187. Saladinus Babyloniæ Rex occupauit, vt recenſet Baron. in 12. Tom. ſuorum Annalium fol. 795. ſecundum impreſſionem Romæ: cum ante Chriſtiani eam recuperaſſent anno 1100. vt ſcribit idem Baron. tom. 11. fol. 4. & ſeqq. & legitur in Gregor. VIII. conſtit. 1. *Audita.* de qua in Appendice Bullarij, fol. 2.

V I.

EX parte dilectorum filiorum, & infra pag. 135. Bullarij. *Edita Anno 1291.*

C O M P E N D I V M.

Ordini Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ab inimicis nominis Chriſtiani, mandat per Epiſcopum Cæſarauguſtanum omnes cogi ad exhibendum quæcumque legata, quæ (non tamen certis perſonis) pro redemptione Captiuorum fiunt. §. 1.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Hoc priuilegium fuit vnquam ab aliis Pontt. confirmatum, vel iteratò elargitum?

RESP. A multis quidem, & ſignanter à Nicolao V. ſeptimo Idus Martij, Pontificatus ſui anno 2. vt vidi in Bulla, quæ apud hos Fratres Romæ aſſeruatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quem habitum hi Fratres gerunt?

RESP. Induuntur habitu albo, & in pectore deferunt à parte dextera ſcutum cum Cruce alba, in campo rubeo, in parte ſuperiori, cum inſigniis Regni Aragoniæ in inferiori. Hæc ſunt verba Rod. de quæſt. Regul. Tom. 1. quæſt. 3. art. 13. Et eſt certiſſimum.

COELESTINVS V.

Italus, creatus anno 1294.

CONSTIT. I.

Ed'ta Anno 1294. ETſi cunctos Ordines plantatos in agro Domini, & infra pag. 136. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præmittit Ordinem S. Benedicti, cuius profeſſor fuit, præcipua charitate ſe diligere, in proœm. Et Abbatem S. Spiritus de Sulmona, & alios multum in eo proficere. ibid. Coofirmat ideo ſtatuta per eos firmata. §. 1. Eximit Monaſterium de Sulmona, & eius membra ab omnium iuriſdictione. §. 2. Nonnulla ſtatuit de Capituli celebratione, & electione Abbatis. §. 3. Eiuſque benedictioue. §. 4. Et ſubrogatione eo defuncto. §. 5. Suſceptione ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 6. Obſeruantia Ordinis. §. 7. Exemptione à decimis. §. 8. Receptione venientium ad Ordinem. §. 9. Prohibitione diſcedendi ab eo. §. 10. Alienandique ſtabilia. §. 11. Vel fideiubendi, & mutuo recipiendi. §. 12. Dat priuilegium, quod Monachi non cogantur ad Synodos, & proceſſiones. §. 13. Nouaque conſtruant Monaſteria. §. 14. Prohibet perſonas extra Ordinem ſe immiſcere in electione Prælatorum eius. §. 15. Abbas benedicit popolum, vaſáque, & paramenta Eccleſiarum. §. 16. Lapidem primum ponit in Eccleſiis ædificandis. §. 17. Minores Ordines confert. §. 18. Ordinarij gratis conſecrant Monachorum Eccleſias. §. 19. Et accedentes ad eorum loca, conſecrant altaria, & faciunt Monachorū ordinationes. §. 20. Mouachi celebrant tempore interdicti. §. 21. Miniſtrant Sacramenta, & ſepeliunt mortuos. §. 22. Abſoluunt intrantes Ordinem. §. 23. Non coguntur publicare interdicta. §. 24. Neque Monialium curam ſuſcipere. §. 25. Apoſtatas coërcent. §. 26. Habitum conſimilem aliis non deferunt. §. 27. Intrantes Ordinem de incertis illi ſatisfaciunt. §. 28. Alij non celebrant in eorum Eccleſiis. §. 29. Monachi Prælatis Ordinis confitentur. §. 30. De oblatis, & de legatis Monachi nihil ſoluunt. §. 31. Exempti ſunt à iuriſdictione Ordinariorum. §. 32. Prædicant, & audientibus indulgentiam concedunt. §. 33 Confeſſiones audiunt. §. 34. Campanam die, noctúque pulſant. §. 35. Cum intrantibus Ordinem diſpenſant. §. 36. Oblationes de bonis feudalibus recipiunt §. 37. Caput Monaſteriorum ſuo arbitrio conſtituunt. §. 38.

Scholion primum.

Quæro. Cur Genitor tuus in rubr. huius bullæ hos Monachos appellat Cœleſtinos, ſi in textu bullæ hoc non habetur?

RESP. Quia eos inſtituiſſe hunc Pontificem, à cuius nomine ſic appellati de cætero fuerunt, certiſſimum eſt, & ſcribit Ant. Florent. in 3. par. ſuæ Summæ, titul. 16. cap. 1. §. 18. Caſſan. in Catal. Glor. Mundi. par. 4. conſider. 61. ac Remund. de Religioſ. Sectis, in vita Cœleſtini. Qui tamen corrigendus eſt, dum inquit inſtitutionem Cœleſtinum feciſſe anno 1295. cum liqueat ex hac bulla feciſſe anno 1294.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne verum hos Monachos vocari etiam Obſeruantes Regulæ S. Benedicti?

RESP. Caſſaneus prox. cit. id apertè ſcribit, ac etiam Florent. vbi ſupra, & Rodr. de quæſtionib. Regular. tom. 1. quæſt. 3. art. 5. Et ego vidi in eorum

priuilegiis appellari etiam Monachos reformationis S. Petri Cœleſtini.

BONIFACIVS VIII.

Italus, creatus anno 1294.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1295. Excommunicamus, & anathematizamus, & infra pag. 139. Bull.

COMPENDIVM.

Omnes tam Laicos, quàm Clericos, ſiue ſint familiares Curiæ, ſiue vndecumque, qui aliquid magnum, vel paruum dederint, vel receperint, etiam ex pacto, & promiſſione occulta, vel manifeſta, facta ſub generalibus, & plenariè non expreſſis aperte verbis pro aliqua iuſtitia, vel gratia in cauſis, vel iudiciis, ſeu aliàs per litteras Apoſtolicas, & quibuſcumque modis apud Sedem apoſtolicam obtinenda, excommunicat, in princ. & §. 1. Et ſcientibus, & non reuelantibus eamdem excommunicationis pœnam imponit. §. 2. Abſolutionem, præterquàm in mortis articulo, ſibi reſeruat. §. 3. Iuſtitiamque, vel gratiam ſic obtentam, irritam decernit. §. 4. Scienter ea vtentes, excommunicationis eiuſdem nodo alligat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quod eſt illud paruum, propter quod inciditur in pœnam huius excommunicationis?

R E S P. Omne paruum, quantumque paruum, quod detur, vel accipiatur animo emendi, aut vendendi gratiam, vel iuſtitiam. Vel circumſcripto hoc prauo animo, eſt illud, quod non eſt adeo paruum, vt veriſimiliter flexurum ſit recipientem à recto tramite iuſtitiæ, attenta qualitate perſonæ, vt multis rationibus egregiè probat Nauar. in Com. de dat. & promiſſ. num. 20. & ſequitur Farinac. quæſt. 111. num. 323. Et bene faciunt, quæ de verbis *paruum*, & *modicum*, ſcribit Marſil. conſ. 71. num. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid importat illud verbum *Vndecumque*, de quo in principio?

R E S P. Comprehendit non ſolum ortos in Vrbe, & oriundos ab ea, ſed etiam inhabitantes eam, & reliquam Italiam, & alia Regna. Eiuſmodi namque verbi ea eſt natura, vt nullus locus excludatur, cap. 3. diſtin. 56. & tradit Nauar. vbi ſupra num. 12. & Farinac. num. 322.

II.

Ad conſequendam gloriam cœleſtis patriæ, & inf. pa. 140. Bul. *Edita Anno 1295.*

COMPENDIVM.

Quia aliqui religioſi præſumebant domos, & Eccleſias regulares ædificare iuxta loca Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vnde diſſenſio, & ſcandalum oriebatur. § 1. Ideo hic Pont. interdicit omnibus Ordinibus in paupertate fundatis noua loca conſtruere apud loca eorumdem Eremitarum infra 140. cannas. §. 2. Declarat Ordines in paupertate fundatos eſſe eos, qui ex eorum regula, vel conſtitutionibus ſuis, nullas debent extra ſepta Monaſteriorum poſſeſſiones habere. §. 3. Cannámque octo palmorum longitudinem continere. §. 4. Et non obſtare priuilegia, de hoc indulto expreſſam non facientia mentionem. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Si concederetur alicui priuilegium contrarium cum clauſula, Non obſtantibus quibuſcumque, cenſeretur huic indulto ſufficienter derogatum attento §. 5.

R E S P. Negatiuam ſententiam probat Caſſad. de Reg. Canc. deciſ. 10. & de communi Gabr. de Clauſul. in concluſ. 5. num. 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. Operabiturne ſufficientem derogationem clauſula, Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, quorum tenores, &c.

R E S P. Operabitur, & ita in Curia practicatur: Caſſad. d. deciſ. 10. de Reg. Cancel. Seraph. deciſ. 291. n. 9. in ſuis nouiſſimè impreſſis, & etiam deciſ. 510. n. 6.

III

Iuſtis petentium deſideriis, & infra pag. 140. Bullarij. *Edita Anno 1295.*

COMPENDIVM.

Quia Honorius IV. voluit, quod Fratres Carmelitæ eorum habitum, ſiue varietatem ipſius minus decentem, in aliam

Digitized by Google

aliam decentem commutarent. §. 1. Statuit omnes Fratres de cætero deferre cappam albam, ſiue mantellum, dimiſſis aliis diuerſorum colorum. §. 2. Hic modo Pontifex id confirmat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Honorius ergo à ſe ipſo non dedit hunc habitum præciſè?

RESP. Non, vt vides, quia Ordo ipſe illum præfiniuit, quicquid dicat Rod. de quæſt. Regular. par. 1. quæſt. 2. artic. 5. & ante eum Caſſan. in Catal. Glor. Mundi. par. 4. conſid. 70.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo mantello antea vtebâtur?

RESP. Induebant cappam largis virgis albis, & groſſis circulatam, quem habitum aſſerebant fuiſſe Heliæ Prophetæ habitantis in Monte Carmelo in Syria, vt præter alios ſcribit Caſſan. in loco citato.

IV.

Edita Anno 1296.

AD augmentum cõtinuum Religionum, & inf. pag. 140. Bull.

COMPENDIVM.

Quia per intermiſſionem diſciplinæ regularis Ordo quilibet collabitur, & ſi illa per apices iuris dirigeretur, correctio regularium perſonarum lenteſceret, in exord. Concedit Prælatis Ordinis Fratrum Prædicatorum, vt ad correctiones, & punitiones Fratrum delinquentium, iuris apicibus poſtpoſitis, procedere poſſint ſecundum conſuetudines, & ſtatuta Ordinis. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Qui dicuntur apices iuris?

RESP. Omnes actus, qui potius reſpiciunt ſubtilitatem, quàm facti veritatem, & merita cauſæ. Bart. & Bald. in l. Si fideiuſſor. 29. §. quædam. ff. Mandati. num. 1. Salyc. in l. Placuit. 7. Cod. de Iud. num. 2. Iaſ. in l. Alienam. 18. Cod. de Procurat. ſub num. 2. verſ. Quinto. Soc. conſ. 120. lib. 1. n. 17. Vbi inquit, probationes non eſſe de apicibus iuris, quia reſpiciunt veritatem, & merita cauſæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poterũtne iſti Prælati à ſe ipſis ſcribere acta, non adhibito Notario?

RESP. Regulariter non poſſunt, cũ in c. Quoniam contra. 11. de probat. contrarium ſtatuatur in iudicio quantumcũq; ſummario, ſiue extraordinario. Sed fallit 1. in cauſis leuibus, vt tenet Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 13. art. 3. Guido Pap. deciſ. 564. num. 2. Prout neq; in ſcriptis ſentẽtias ferũt in ſimilibus cauſis. Lap. allegat. 73. ſub num 5. Et fallit 2. vbi in religione extaret conſuetudo, quia illa attendi debet, vt hic deciditur in §. 1. & in ſimili caſu Bart. in l. 2. ff. de ſtipulat. ſeru. num. 2. & Guido Pap. vbi ſup.

V.

Edita Anno 1297.

IN diſpoſitione Miniſtrorum Eccleſiæ Dei, & inf. pag. 141. Bullar.

COMPENDIVM.

Monaſterium S. Antonij Viennenſis erigit in Abbatiam, & caput Ordinis, in honorem S. Antonij, cuius corpus ibi requieſcit, ſicut fama celebris, & miracula, quæ idem Sanctus ibi operatur, præ ſe ferunt. §. 3. & ſeqq. Eius Abbati ſubiicit omnes Fratres d. Abbatiæ, & membrorum illius. §. 6. Regulam S. Auguſtini ibi præcipit obſeruari. §. 7. Habitum cum ſigno T. deferri mandat. §. 8. Monaſterium, & Hoſpitale eximit à iuriſdictione Ordinariorum, & aliorum. §. 9. Monaſterio Montis Maioris aſſignari voluit quædam bona ſtabilia per Abbatẽ S. Antonij Viennenſis. §. 10. Aymonémque in Abbatem S. Antonij. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Cur hic Pontifex enunciat, in d. Monaſterio Viennenſi requieſcere corpus S. Antonij?

RESP. Quia multi hoc in dubium reuocare audebant, aſſerentes in Monaſterio Montis Maioris diœc. Arelatenſis eius corpus, ſiue reliquias aſſeruari. Quinimò Conuentus huius Monaſterij adeò praue id contendebant, quod ſpeciali declaratione Innocentij VIII. res indiguit, vt videre eſt in ipſius Bulla (cuius authenticum eſt apud Genitorem meum, eamque in hoc ſuo opere prætermiſiſſe arbitror, quia hoc idem refertur à Clem. VII. in conſtit. 2. § 5 per eum hic in rubrica citat.) die 12. Martij, ſui Pontificatus anno 8. Romæ expedita.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde, & a quo ad d. Monaſterium tranſlatum fuit?

RESP. Innoc. VIII. in præfata eius Bulla

Bulla ex Ciuitate Conſtantinopolitana tranſlatum inquit, & Baron. in Annalib. Eccleſ. tom.11. Iocellinum ex ſtirpe Comitum Pictauienſium Conſtantinopoli oriundum, eò tranſtuliſſe ſcribit.

V I.

Edita Anno 1297. GLoria, laus, & honor, & infra pag. 142. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert B. Ludouicum Regem Franciæ, Dei amore exarſiſſe.§.2. Multis virtutibus claruiſſe. §. 3. & ſeqq. In recuperationem Terræ Sanctæ bis exercitum duxiſſe. §.5.& 25.ibique morte præuentum occubuiſſe. §. 25. Miraculis poſtea emicuiſſe. §. 26. Quorum ſex tantummodo enarrat.§.27.& ſeqq. Proinde inter SS. Confeſſores collocat. §.33. Feſtum eius die 25.Auguſti celebrari mandat. §. 34. Sepulchrum eius viſitantibus indulgentias concedit. §. 35.

Scholion primum.

Quæro. Prolixiùs huius Sancti vitam, & geſta, quis enarrat?

R E S P. Poſt alios enarrat Sur.tom.4. de Hiſtor. Sanctorum, & nouiſſimè Papyrius Maſſin. qui ea, quæ ab aliis ſunt prætermiſſa, diligenter collegit, teſte Baron. in Martyrologio die 25. Auguſti, & apud Sur. vbi ſup.in fine.ſingulariter conſcripta habemus, præcipuè quæ in quadam chartula hic Sanctus Rex filio ſuo primogenito, dum Tunetum obſideret, dictauit, & ſcripſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ requiruntur, vt quis poſſit canonizari?

R E S P. Vitæ probitas, & miraculorum veritas; vt declarat poſt alios Caſſan. in Catal. Glor. Mund. part. 3. conſid.49. & latius Maluet.in ſuo tract. de Canoniz. SS. in 3. dubio.

V I I.

Edita Anno 1300. ANtiquorum habet fida relatio, & infra pag. 145.Bullar.

C O M P E N D I V M.

Quia accedentibus ad baſilicam B. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, antiquitus conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones, & indulgentiæ peccatorum, eas hic Pont.approbat in exordio,& §.1. Vtque honorificètur ampliùs BB.Petrus, & Paulus Apoſtolorum Principes, quò diutius eorum baſilicæ frequententur, & ex frequentatione fideles ipſi ſpiritualium munerum largitione ſenſerint ſe refectos, omnibus hoc anno, & alio quolibet centeſimo, dictas Baſilicas deuotè viſitantibus,veréque pœnitentibus, & confeſſis, pleniſſimam peccatorum veniam concedit. §.2. Declarátque Romanos triginta diebus continuis,vel interpolatis, Peregrinos autem, quindecim ad Baſilicas eaſdem accedere debere. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Hæc ergo vetuſta centeſimi anni inſtitutio nónne eſt huius Pontificis?

R E S P. Antiquior verè erat, vt innuunt verba exordij huius Bullæ, & narrat Clem. VIII. in eius conſtit. 58. necnon gl. magna in hac eadem extrauaganti in corpore iuris inſerta, in verſ. Primò quia, in tit. de Pœnit. vbi id ex ore huius Pontificis habuiſſe recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur in annos centeſimos hæc Indulgentia largita fuit?

R E S P. Duæ fuerunt cauſæ principales, & quinque conuenientiæ, quas gl. magna illic enumerat, ad quam te remitto, quia longum ſermonem requirerent, & cum ea pertranſit Ioan. Brunell. in repet. cap. 1. de Homicid. ſub num. 23.

V I I I.

IN ſupremæ dignitatis Apoſtolicæ ſpecula, & infra pag. 145. Bullar. *Edita Anno 1303.*

C O M P E N D I V M.

In Ciuitate Firmi Status Eccleſiaſtici erigit Studium, ad inſtar Studij Bononienſis, eiſdemque priuilegia illi communicat.§.1.& 2. Doctorandi formam præſcribit. §. 3. Doctoratis in hoc Studio, dat facultatem alios in aliis ſtudiis docendi. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Gaudetne priuilegiis, de quibus in auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre, hoc Studium recens?

R E S P. Gaudere probat ille tex. in ſui ratione,& in ſpecie ſic ſcribit Petrus Rauennat. de Statut. in ſect. 2. num. 38.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Scholaris, qui incepto ſtudio, à Ciuitate Firmi abeſt per quinquennium, perdit hæc priuilegia?

R E S P. Perdere probat Bart. in l. penult. ff. de Teſtam. Milit. argum. tex. in l. vlt. Cod. de Primicer. lib. 12. & Rebuff. in tract. de Nominationibus, quæſt. 22. num. 18. poſt Bald. in d. auth. Habita. Cod. Ne fil. pro patre. nu. 42.

I X.

Edita Anno 1303. IN ſupremæ præeminentia dignitatis, & infr. pag. 146. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Vt Roma, quæ eſt caput Orbis, & in qua Sedes Apoſtolica firmata eſt, ſcientiarū muneribus fœcundetur, in procem. Hic Pont. in ea erigit Studium generale cuiuſcumque facultatis. §. 1. Doctores & Scholares eius fori priuilegio decorat. §. 2. & 5. Eximit à Gabellis. §. 3. Penſiones domorum, quas inhabitant, taxari decernit. §. 4. Fructus beneficiorum etiam curatorum, non tamen diſtributionum quotidianarum, licitè percipere poſſe indulget, ac ſi reſiderent. §. 5. Statutis & conſuetudinibus Eccleſiarum non obſtantibus quibuſcumque. §. 6. Executores huius Bullæ deputat. §. 7. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Hoc Studium eſt cæteris nobilius?

R E S P. Legum originem anterior Roma ſortita eſt, vt dicitur in cap. 42. lib. 1. Statutor. Vrb. Et ideo eius Studium cæteris nobilius eſt, Staphil. de Grat. expectatiu. §. Circa tertiam partem. n. 43.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc indulta ſunt ſtrictè, aut largè interpretanda?

R E S P. Oldrad. conſ. 117. num. 3. loquens de hac Bulla, inquit, priuilegia hæc largè interpretanda, quia non ſunt data perſonæ, ſed cauſæ. l. vlt. ff. de Conſtitut. Princ. ſequitur Thuſ. in littera R, concluſ. 367. num. 6. Eſt enim cauſa Studij magis pia, quàm dotis, cùm in ea vertatur publicus fauor in communi, Panormit. in cap. fin. de Iudic. in fi. Rebuff. de priuileg. Scholar. priuileg. 82. num. 2.

C L E M E N S V.

Gallus, creatus anno 1305.

C O N S T I T. I.

REgnans in cœlis, & infra pag. 147. Bullarij. *Edita Anno 1307.*

C O M P E N D I V M.

Romana Eccleſia, velut vniuerſalis mater, ad cuncti Orbis prouincias intuitum ſuæ conſiderationis extendens, ſpecialiter reſpiciens Terram Sanctam ab Infidelibus occupatam, retroactis temporibus recuperationem omni ſtudio tentauit. §. 2. Militéſque Templarios, tanquam Fratres Templi Hieroſolymitani, ipſiuſque terræ præcipuos defenſores, ad hunc effectum multis gratiis, opibuſque donauit. §. 3. Sed illi in multa ſcelera, & hæreſes lapſi ſunt. §. 4. Infamia, & ſcelerum verificatio inde ſucceſſit. §. 5. Contra quos à tribus Cardd. hic Pont. procedi iuſſit. §. 6. Qui illorum ſcelerum verificationem habuerunt. §. 7. Sed eos, abiurata hæreſi, authoritate Papæ abſoluerunt. §. 8. Hic deinde Pont. perpenſa huiuſmodi ſcelerum atrocitate, iuſſit contra eoſdem Milites ab Ordinariis locorum vlterius inquiri. §. 9. & ſeqq. Et modo tam pro opportuno adhibendo remedio contra dictos Milites, quàm pro adinueniendo ſubſidio Terræ Sanctæ, Concilium generale Viennæ indicit pro ann. 1390. §. 13. Prælatos ad illud conuocat. §. 14. Regem Franciæ, & alios Principes ad intereſſendum hortatur §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Militiæ Templariorum, de quibus in §. 3. & 13. quis promotor fuit, & de quo tempore?

R E S P. Hugo de Paganis, & Goffredus de S. Amadeo, vel de S. Alexandro, circa annum 1117. ſecundùm Caſſan. in catal. glor. mundi, part. 9. conſid. 5. Petr. Greg. in Syntag. Iur. part. 2. lib. 15. cap. 33. & Rod. de quæſtionibus regul. tom. 1. quæſt. 5. artic. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cui operi ſtudebant Milites Templarij in exordio ſuæ inſtitutionis?

R E S P. Eorum prima profeſſio, & opus à Patriarcha Hieroſolymitano eis iniun-

ctum fuit, vt vias, & itinera præſertim pro ſalute Peregrinorum ad inuiſendum ſacra loca Hieroſolymis, à latronum inſidiis præſeruarent, & hoſpitio reciperent in habitu ſæculari. Nono autem anno poſt eorum inſtitutionem de mandato Honorij Papæ, habitus albus eis fuit aſſignatus, & tempore Eugenij Papæ, Crucem rubram in clamydibus geſtare cœperunt, vt ſcribit Caſſan. Petr. Greg. & Rod. mox allegati.

II.

Edita Anno 1307. SVper ſpecula militantis Eccleſiæ, & infra pag. 149. Bullar.

COMPENDIVM

Narrat Ciuitatis Peruſij erga Sedem Apoſt. deuotionem, & virtutum præſtantiam §. 1. Erigit in ea Studium generale in qualibet facultate. §. 2. Sanctionem pœnalem ſubdit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quibus donatum eſt priuilegiis Studium Peruſinum?

RESP. Credo perfrui gratiis, de quibus in Authen. Habita. Cod. Ne fil. pro patre. Et hoc ſentit Bart. in l. vnica. Cod. de Profeſſ. qui in vrb. Conſtantinop. lib. 12. num. 1. dum inquit, hoc Studium gaudere priuilegiis alterius Studij generalis Conſtantinopolitani.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod exteris interpretibus hoc Studium caruit?

RESP. Horat. Lut. de priuileg. Scholar. in vlt. tit. num. 23. hoc aſſerit. Hæc autem Ciuitas Peruſina ſemper ferè exteris interpretibus caruit, quia propriis ciuibus Iuriſconſultis præſtantiſſimis omni tempore abundauit, maximè poſt Bart. & eius fratres.

III.

Edita Anno 1311. AD prouidam Chriſti Vicarij, & infra pag. 150. Bullar.

COMPENDIVM.

In Concilio Viennenſi, cui hic Pont. præfuit, Ordo Militum Templariorum ob eorum diuerſa ſcelera damnatus fuit. §. 1. Et eorum bona Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani applicata, ibid. Hæc eadem ipſe Pont. decernit d. §. 1. & 2. Bona tamen illa, quæ ſunt in regnis Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Maioricarum, diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſeruat, & a d. applicatione præſeruat. §. 3. Occupatoribus ſupradictorum bonorũ libera relaxatio præcipitur. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Minus ergo verum eſt, hos Templarios in gratiam Regis Galliæ extinctos fuiſſe.

RESP. Quamuis nonnulli erga Gallos fortaſſe malè affecti id aſſerant, verius puto, ob immania eorum crimina, & varias hæreſes, vt iſta conſtitutio decernit, damnatos fuiſſe, vt refert Platina in vita huius Clem. V. Gaguinus in vita Philippi Pulchri, lib. 7. & Crinit. de honeſt. diſcipl. lib. 24. cap. 13. quos ſequitur Petr. Greg. in Syntagm. Iur. lib. 15. part. 2. cap. 33. num. 13. & ſequitur Rod. de quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 5. art. 1. Aſſentiturque Caſſan. in catal. glor. mundi, part. 9. conſid. 5. Vnde ſpernendus eſt etiam Alberic. qui in ſuo Diction. quamdam, vt puto, fabulam recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Militibus Hieroſolymitanis cenſuit Concilium bona Militiæ Templariorum applicari?

RESP. Dicitur in hac Bulla id fieri, quia pro defenſione fidei, mortis periculis iugiter ſe exponunt, & pericuioſa diſpendia in partibus tranſmarinis continuè perferunt, & Ciacon. in vita huius Pont. explicat anno 1307. maximis ſumptibus Inſulam Rhodi à Sarracenis quinquennali bello occupaſſe.

IV.

QVi facit magna, & infra pag. 151. Bullarij. *Edita Anno 1313.*

COMPENDIVM.

B. Petrus de Morono Eremum infans petiit, ieiuniiſque & orationibus ſtuduit. §. 3. & 7. Ciliciis induebatur, & catena ferrea carnem macerauit. §. 4. Carnes non comedit, & rarò vinum bibit. §. 5. Sanctitate multos ad ſe traxit. §. 9. Congregationẽ Monachorum inſtituit. §. 10. Summus Pont. creatus fuit. §. 11. Poſt certum tempus Papatui ceſſit. §. 12. Deinde ſanctiſſimè vixit. §. 13. Miraculis, quorum vndecim recenſentur, celebris fuit. §. 14. & ſeqq. Propterea albo SS. Confeſſorum adſcribitur. §. 27. Eiuſque feſtum

Digitized by Google

feſtum pro die 19. Maij inſtituitur. §. 28.

Scholion primum.

Quæro. Quibus ortus eſt parentibus hic B. Petrus, & quando, & quomodo renunciauit Papatui?

R E S P. Ex patre Angelino, & matre Maria coniugibus, Abrutij in partibus Apuliæ natus eſt, vt recenſet Sur. de Hiſtor. Sanct. tom. 3. die 19. Maij, c. 1. Vel veriùs natus eſt in Ciuitate Iſerniæ, quæ hodie eſt in prouincia Comitatus Moliſij prope Aprutium, prouinciamque terræ laboris Regni Neapolitani, ſecundùm Platin. in vita Cœleſtin. V. & Genebrad. in Chronolog. Et (vt audio) ciuitas Iſernina de duobus viris illuſtribus gloriatur, nempe de hoc Cœleſtino, & de Andrea de Iſernia Iuriſconſulto præclariſſimo, & in materia feudali, Doctorum Auriga nuncupato. Papatum autem, ad quem aſſumptus fuerat die 5. Iulij 1294. vt legitur in ſua conſtit. 1. pag. 136. in Bullario, ſponte depoſuit die 12. Decembris eiuſdem anni in publico conſiſtorio, vt ſcribit Sur. vbi ſuprà cap. 13. Ciacon. autem in vita huius Pont. Cœleſtin. V. ceſſiſſe inquit die 13. ſub his verbis. *Ego Cæleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, id eſt, cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, infirmitate perſonæ, & vt præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem, ſponte, ac liberè cedo Papatui, & expreſsè renuncio loco, & dignitati, oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem ex nunc ſacro cœtui Cardinalium, eligendi, & prouidendi, duntaxat canonicè, vniuerſali Eccleſiæ de Paſtore.* Subdo, quod quinque alios Pontifices ante hunc Cœleſtinum, Papatui renunciaſſe recenſet Gonzal. poſt alios ſup. 8. reg. Cancellariæ, in procem. §. 5. num. 17. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vitam, & geſta huius ſancti viri, quis abundantiùs deſcripſit, quam in hac bulla continetur?

R E S P. Eius res geſtas poſt Sur. proximè cit. nouiſſimè proſecutus eſt Paul. Reg. præter Cardinalem Cameracenſem, & Antoninum, teſte Baron. in Martyrologio die 19. Maij. Vnum exprimere viſum eſt, quod in eius natiuitate, matri ſuæ, dum puer egrederetur ex vtero, quadam religioſa veſte indutus apparuit.

IOANNES XXII.

Gallus, creatus anno 1316.

CONSTIT. I.

EX parte veſtra fuit nuper propoſitum, & infra pag. 153. Bullarij. *Edita Anno 1316.*

COMPENDIVM.

Quia nonnulli hæretica prauitate culpabiles, vel ſuſpecti, ad fugiendum Inquiſitorum manus, & iudicium, ad Eccleſias confugiunt, in procem. Hic Pont. (prout antea mandauerat etiam Martin. IV. Inquiſitoribus Regni Franciæ) reſcribit, vt contra eos liberè procedant, ac ſi ad Eccleſias illi non confugiſſent. §. 1. Præcipitque Epiſcopis, ne iſtos Inquiſitores impediant, ſed potiùs aſſiſtant eiſdem, prout fuerit opportunum. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Nónne de iure etiam ciuili patebat, hæreticos non gaudere immunitate Eccleſiaſtica, vt in l. 1. & 2. cum ibi not. Cod. de his, qui ad Eccleſ. confugiunt?

R E S P. Controuerſa quidem hæc erat opinio, quamuis communior ſit negatiua, cùm Eccleſia non debeat tueri illos qui eam ſpernunt, ad ſcripta per Marſil. in l. ex Senatuſconſulto. 13. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. n. 7. 8. & 9. Quam ſequitur Couar. var. reſol. lib. 2. cap. 20. num. 11. in fine, ac Decian. in ſuo tract. Crim. lib. 5. cap. 42. num. 7. Vnde meritò Boer. deciſ. 110. num. 6. inquit, hoc dubium ſublatum per hanc extrauagant. Ioannis XXII. & aliam Martini IV. hic enunciatam in §. 1. Prout ad literam hoc poſtremò deciſum eſt a Greg. XIII. in eius conſtitut. à Genitore meo in rubr. allegata in Bullar.

Scholion ſecundum.

Quæro. Epiſcopi à ſe ipſis poterunt hæreticos capere in Eccleſia, quamuis in §. 2. dicatur, eos Inquiſitoribus in captura fauere debere?

G 2 R E S P.

Resp. Poſſe quidem ſtatuit Clem. V. huius Pont. anteceſſor, in clem. 1. §. 1. de Hæretic. cui non puto hanc bullam contrariam, ideóque illi arbitror non derogare.

II.

Edita Anno 1317. SOl Oriens in Mundo, & infra pag. 153. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. Ludouicus filius Caroli Regis Siciliæ, & Mariæ Reginæ, Epiſcopus Toletanus, multis claruit virtutibus. §. 4. Et ſignanter Sacramentorum frequentatione, ſtudiis, caſtitate, ſobrietate, & carnis maceratione. §. 5. & ſeqq. Ordinem Fratrum Minorum profeſſus eſt. §. 9. Toloſanus Epiſcopus creatur. ibid. Pauperibus multa dedit. §. 11. & ſeqq. Humilis, & hoſpitalium viſitator fuit. §. 13. & ſeq. Iudæos, & Gentiles ad fidem reduxit. §. 17. Miraculis claruit, quorum aliqua referuntur. §. 18. & ſeqq. Inter SS. ergo Confeſſores collocatur. §. 29. Feſtum eius die 19. Auguſti agi præcipitur. §. 30. Indulgentia viſitantibus eius ſepulchrum confertur. §. 31.

Scholion primum.

Quæro. Acta huius Sancti quis ex Scriptoribus recenſet?

Resp. Recenſet Sur. de hiſtor. Sanctor. ſub hac die 19. Auguſti, & Antonin. part. 3. tit. 24. cap. 14. & nouiſſimè Chronic. Franciſcan. part. 2. lib. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quantum temporis interpoſuit S. R. E. ad canonizandum S. Ludouicum poſt ipſius obitum?

Resp. Spatium annorum viginti circiter, cùm iſta canonizationis bulla edita ſit anno 1317. & ille obierit anno 1297. vt ſcribit Baron. in Martyrolog. Romano, & ante eum Sur. iam citat. qui addit, obiiſſe die 19. Auguſti. Vnde patet eadem die eius feſtum quotannis agi, qua ex hac vita migrauit ad Dominum.

III.

Edita Anno 1318. GLorioſam Eccleſiam, & infra pag. 155. Bullarij.

COMPENDIVM.

Religio S. Franciſci à Sede Apoſtolica confirmata, in toto orbe claruit. §. 1. Quidam tamen contra communitatem d. Ordinis inſurgentes, ſe ſolos Regulæ B. Franciſci obſeruatores, cæteros verò tranſgreſſores profitebantur. §. 2. & 3. & Nicolai IV. & Clem. V. præceptis non parentes. §. 4. & ſeqq. nouum Ordinem inſtituerunt, Henricúmque de Cæua in eorum Prælatum elegerunt. §. 9. Multos ad eorum ſectam receperunt. §. 10. Habitum mutarunt. §. 11. In multóſque errores lapſi ſunt. §. 12. & ſeqq. Eos ergo iſte Pont. capi, & coerceri iubet. §. 25. & ſeqq. Quibuſcumque non obſtant. §. 32.

Scholion primum.

Quæro. Iſta conſtitutio contra hanc ſectam Fraticellorum fuit ante, vel poſt extrauagantem 1. de Relig. domib. edita ab iſtomet Pontifice?

Resp. Illam edidit die 30. Decembris, vt aduertit Pegna in Direct. Inquiſit. part. 2. comment. 41. Hanc verò die 23. Ianuarij ſubſequentis menſis, vt hic patet.

Scholion ſecundum.

Quæro. De erroribus huius ſectæ, illorúmque confutationibus, vbi fuſiùs perlegam?

Resp. Apud Eymeric. in Direct. Inquiſ. part. 2. quæſt. 15. 16. 17. & latiùs apud Pegnam ibidem in comment. 40. & ſeqq.

IV.

PAternum amorem ad tuæ, & infra pag. 159. Bullarij. *Edita Anno 1318.*

COMPENDIVM.

Cum Henrico II. Regi Angliæ, Adrianus Pont. dominium Hyberniæ conceſſiſſet, illéque & eius ſucceſſores multa populo grauamina intuliſſent, propterea idem populus reclamauit ad Sedem Apoſtolicam, in procem. Et de mutatione Regis agebat. §. 1. Hic ergo Pont. monet Eduardum II. Regem Angliæ, vt pro quiete ſui regni grauamina eiuſmodi corrigat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Hybernia Inſula eſt, an Regnum?

Resp. Hybernia Inſula, vulgò Irlandia nuncupata, ab antiquis quidem temporibus Regnum erat, imò & plura comple

complectebatur partialia Regna, prout teſtatur etiam S. Bernardus in vita S. Malachiæ, his verbis, de ſuo adhuc loquens tempore. *Non vnum eſt Hybernia Regnum, ſed diuiditur in plura.* Poſtea verò Adrianus ille Pontifex, cuius hic fit mentio, priuilegium conceſſit Henrico II. Regi Angliæ, eamdem Inſulam ingrediendi cum titulo dominij eius, quem & ſequentes Reges Angliæ retinuerunt, & Hybernia nuncupata eſt dominium vſque ad tempus Henrici VIII. qui poſtquam ſe ſeparauit à communione Sedis Apoſtolicæ Romanæ, aſſumpſit ſibi titulum Regis Hyberniæ, & Hyberniam voluit Regnum nuncupari. Quo titulo, vt ſequentes Reges, nominatim Philippus, & Maria, tutiore conſcientia poſſent vti, Paulus Quartus Hyberniam erexit in Regnum anno 1555. die 7. Iulij, ex bulla quam vidi in Bibliotheca Genitoris mei.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis Pontifex, Adrianus nomine, hic non expreſſus, dono dedit Henrico II. Regi dictam Inſulam?

RESP. Adrianus Papa IV. natione Anglus, cuius bullam editam anno Domini 1559. ſi videre cupis, perlege in Annalib. Eccleſiaſt. Barô. tom. 12. fol. 427.

V.

Edita Anno 1318. EXhibita nobis ex parte veſtra, & infra pag. 159. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decreuerat in cap. 2. de election. quid perciperent de fructibus primi, vel alterius anni beneficiorum, qui de conſuetudine, vel priuilegio, vel ſtatuto habebant annalia in Eccleſiis, & quid prouiſis remaneret, in procem. Declarauerat etiam quod ſi prouiſi non reſiderent, Capitulis nihil accreſceret. §. 1. Et inde arguebatur, quod accreſceret habentibus annalia. §. 2. Hic modò Pont. decernit, quod fructuum beneficiorum, in quibus Religio Militum S. Ioannis Hieroſolymitani habet annalia, pars prouiſi non reſidentis, d. Religioni accreſcat. §. 3. & 4.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegium habendi annalia, de quo hic in procem. poteſt laicis competere?

RESP. Poteſt, ſi à Papa concedatur, non ab alio, vt in puncto ſic tenet gl. in cap. 2. de Election. in ver. Priuileg.

Scholion ſecundum.

RESP. Si prouiſi non reſident, quam ob cauſam fructus videntur accreſcere habentibus annalia?

RESP. Quia non reſidendo in Eccleſiis, de quibus prouiſi ſunt, ceſſat ratio, ob quam hic Pont. diminueret annalium præſtationem, vt optimè probatur in tex. & gl. d. c. 2. de Election.

VI.

INter cæteras curas, & infra pag. 160. Bullarij. *Edita Anno 1318.*

COMPENDIVM.

Clemens V. Studium Generale erexit in ciuitate Peruſij, vt ſupra in eius conſtitutione. §. 1. Hic Pont. eam ciuitatem vberiori gratia donando, dat illius Epiſcopo facultatem examinandi, & eligendi Lectores d. Studij. §. 2. & ſeqq. Scholareſque certa adhibita forma promouendi. §. 5. 7. & ſeqq. Lectoribus huius Studij vbique etiam legendi tribuit poteſtatem. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Lectores eligendi, vt hic dicitur, ab Epiſcopo, poſſuntne eligi de ipſa ciuitate Peruſina?

RESP. Proculdubio; quia non origo Lectorum, ſed præſtantia exquiritur: quinimo verum eſt, hoc Studium fere ſemper caruiſſe exteris interpretibus, vt dixi ſupra in Scholio 3. conſt. 2. Clem. V.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si aliquis famoſus Lector huius Studij diſcederet ob aliquam cauſſam de ciuitate Peruſij, & aliò ſe conferret, ac tanquam talis doceret Scholares, potirenturne ipſi Scholares priuilegiis huius Studij?

RESP. Affirmatiuam ſententiam tenet Ancharan. & Franc. in cap. 2. de Priuileg. num. 3. necnon Hoſtienſ. Imol. Felyn. & Panormit. in cap. Tuæ. 12. de Cleric. non reſident.

VII.

VNigenitus Filius, ſplendor gloriæ, & infra pag. 160. Bullar. *Edita Anno 1320.*

COMPENDIVM.

B. Thomas Epiſcopus Herfordienſis in Anglia, iuſtitia, charitate, temperantia,& fortitudine præclarus fuit.§.3. Necnon honeſtate, & bonarum literarum ſtudiis. §. 4. Ieiuniiſque & carnis maceratione. §. 5. Manſuetudine etiam, benignitate,& miſericordia,& aliis virtutibus.§.6.& ſeqq.Obiit Romæ, multiſque claruit miraculis. §. 11. Quorum aliqua referuntur. §. 12. & ſeqq.Propterea hic Pont. numero SS. Confeſſorum eum adiungit. §. 23. Feſtiuitatem ſuam die 2. Octobris celebrari iubet. §. 24. Sepulchrum ſuum viſitantibus indulgentiam concedit. §. 25.

Scholion primum.

Quæro. Quibus hic ortus eſt natalibus?

RESP. In Britannia maiori, quam Angliam vocant, clatis eſt ortus natalibus; parte ſcilicet Huuilhelmo de Cantilupo, & matre Miliceuta Comitiſſa Ebroicenſi, vt refert Sur. de Hiſt. Sanctor. tom. 5. die 2. Octobris.

Scholion ſecundum.

Quæro. An áné extant, quam hic recenſita, huius B. Thomæ miracula?

RESP. Surius in loco præcitato ſic in fine ſcribit. Sexaginta mortuos ſuſcitaſſe fertur, quadraginta & vnum cæcos illuminaſſe,quinquaginta duos contractos ſanaſſe, viginti & vnum paralyticos reſtituiſſe. Et ſubdit alia, ſed tibi ne faſtidio ſim, ſubſiſto.

VIII.

Edita Anno 1321. INter cætera, quorum nos cura ſollicitat, & infra pag. 162. Bull.

COMPENDIVM.

Quia Officiales aliqui, & Rectores Terrarum Sedis Apoſtolicæ, loca de facto in ipſius Sedis præiudicium,maioribus ciuitatibus, & Baronibus alienarunt, ſiue ſubmiſerunt, aut locarunt,in procem. Hic Pont. eas reuocat.§.1.Executorémque deputat Rectorem prouinciæ Patrimonij. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi iſti Rectores infeudaſſent aliquam Terram?

RESP. Sub hac reuocatione infeudatio continetur, quia in appellatione alienationis comprehéditur infeudatio, quæ ſpecies alienationis eſt, cap. fin. §. noui verò. vbi gl. & Bald. num. 2. per quos fiat inueſtitura.Redoan. de reb.Eccleſ. non alienand. quæſt. 7. in fin.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi alienaſſet aliquis Legatus Papæ huiuſmodi Terras?

RESP. Nulliter alienaſſet;quia hæc facultas non dicitur conceſſa,ſi ſpecialiter non eſt expreſſa.l.3. §. 2. & ibi Bart. in princ. ff. Quod vi aut clam, & tradit Gondiſ. Villad. in ſuo Tract. de Legat. quæſt. 11. num. 3.

IX.

EXigit Ordinis veſtri religio, & infra pag. 162. Bullarij. Edita Anno 1321.

COMPENDIVM.

Reſcribit Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in prouincia Lõbardiæ, quod eorum actus ita virtute modeſtiæ decet eſſe compoſitos, quod nemini poſſint eſſe ad ſcandalum, aut nocumentum,in procem. Et ideo, cùm ipſi quibuſdam peruerſis hominibus licentiam portandi arma per ciuitatem, & diſtrictum Bononiæ dederint, in ſcandalum multorum. §. 1. Præcipit eiſdem, vt familiares de cætero eligant deuotos, laudabiliſque vitæ, & conuerſationis. §. 2. Et licentias conceſſas reuocent. ibid. Nec alius, quàm eorum familiaribus, huiuſmodi licentiam de cætero concedant, niſi in caſibus, in quibus eis pro ſua ſecuritate forſitan expediret. ibidem.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Princeps legem conderet, qua prohiberentur iſti Inquiſitorum familiares arma deferre?

RESP. Velut impeditor ſacri Officij Inquiſitionis puniri poſſet. gl. notab. in cap. Statutum. 9. in verb. Indirectè, de hæretic. in 6. quam communiter receptam eſſe affirmat Pegna in Director. Inquiſ. par. 3.comment. 105. vbi de iſta conſtit. loquitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc Inquiſitoribus priuilegium quis tribuit?

RESP. Incertum mihi eſt, ſed tempore Clem. V. illud eis competere ex eo patet, quod ille Pontifex in Concilio Viennenſi abuſum facultatis dandi

licentiam portandi arma, prohibuit in clem. 2. de hæret. in fin. quod aduertit etiam Pegna in loco prox. citato. Quãuis Roland. in conſ. 37. lib. 4. num. 9. & alij plerique in d. clem. 2. hoc ius Inquiſitoribus datum affirment.

X.

Edita Anno 1321. AD hoc dignoſcitur, & infra pag. 163. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prohibet omnibus in Prouincia Marchiæ ius ſibi dicere, aut Caualcatam, niſi de licentia Rectoris d. Prouinciæ, per ſe, vel per alios facere, vel eã retinere, neq; aliquẽ de loco ſuo expellere, vel ad vindictam aliquam proſilire, quauis occaſione, vel cauſa. §. 2. Graues pœnas eis infligit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi non poſſem habere copiam Iudicis, vel ipſe Iudex aditus ſubuenire procraſtinatur, & debitor meus eſt in fuga?

R E S P. Licet mihi eum capere, ad Alex. conſ. 64. lib. 3. num. 11. & 13. & Bald. in l. Siquis in tantam. Cod. Vnde vi, num. 16. & 17. Zabar. in cap. Olim. 12. de reſtitut. ſpol. num. 25. Recipit enim iſta Conſtitutio interpretationem paſſiuam à iure communi iuribus vulg.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Petrus Vincentium interfecerit, & ex hoc incidenter aliqua ſit facta Caualcata?

R E S P. Non intrat hæc bulla; quia homicidium non fuit ordinatum ad Caualcatam incidenter ſubſecutam, vt tradit Cataldin. in tract. de Syndic. num. 124. quem, & alios refert, & ſequitur Felyn. in rubr. de treug. & pac. n. 6. verſ. Vnde refert. cum quibus etiam conſulendo ſtetit Marſil. in conſ. 67. num. 21. Quibus concordat quoddam Illuſtriſſimorum virorum votum, quod mox impreſſum vidi in 2. deciſionum Rotæ Rom. collectione à Farina typis data poſt deciſ. 60.

X I.

Edita Anno 1323. REdemptionem miſit Dominus, & infra pag. 163. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

B. Thomas de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor, multa opera ad Dei laudem, & gloriam, & fidei propagationem ſcripſit. §. 1. & 2. Multis virtutibus ſplenduit, & ſignanter oratione, & ſtudij aſſiduitate, caſtitate, ſobrietate, & humilitate. §. 3. & ſeqq. Suæ mortis diem præuidit. §. 5. Miraculis etiam claruit. §. 8. Quorum decem referuntur. § . 9. & ſeqq. Proinde numero SS. Confeſſorum adſcribitur. §. 21. Eius feſtum die 7. Martij celebrari præcipitur. §. 22. Indulgentiæ eius ſepulchrum viſitantibus conceduntur. §. 23.

Scholion primum.

Quæro. Quibus eſt ortus parentibus B. Thomas?

R E S P. Patrem habuit Landulphum ex illuſtri familia Comitum Aquinatenſ. & matrem Theodoram patria Neapolitanam, ſicuti ſcribit Sur. de vita Sanctorum, tom. 2. die 7. Martij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Extantne ſcriptores de vita, & geſtis huius Sancti?

R E S P. Dauid Romæus, Paulus Regius, & Sur. deſcripſerunt huius celeberrimi Doctoris præclarè geſta, vt affirmat Baron. in Martyrolog. hac eadem die 7. Martij. Vnum vidi apud Sur. (quod quæſo audi) hæc dicentem. Natus eſt puer, & Thomas vocatus, nutricique traditus, quæ cùm aliquando in balneo aquis vellet abluere, manum extendens infantulus, chartulam è terra ſuſtulit, nullo iuuante, eamque comprehenſam cœpit retinere manu, quam nutrix conata eſt è manu eius extrahere, & ille id non ferens, acriter flebat, ita quod nutrix dimiſſa chartula in manu eiſdẽ, eum abluit, & induit. Mater autem re percepta, chartulam de manu infantis auulſit, in qua ſcripta erat Angelica Salutatio, quam infans inſtanter repetiit, & redditam mox deglutiuit. Res viſa eſt non vacare miraculo, & myſterio, quod eximius ille Doctor Eccleſiæ futurus in eam chartulam ante omnes incidiſſet, quæ noſtræ ſalutis iucundiſſima initia contineret.

X I I.

CVm nonnulli de prouincia noſtra Romandiolæ, & infra pag. 166. Bullarij. *Edita Anno 1325.*

COMPENDIVM.

Cum quidam de Prouincia Romandiolæ adeò fauerent hæreticis, quod de hæreſi valde ſuſpecti redderentur, mandat Inquiſitori, vt contra eos, & alios de hæreticæ prauitatis labe culpabiles, vel ſuſpectos, iuxta ſacrorum canonum, & priuilegiorum, officio Inquiſitionis conceſſorum formam, ſolerter procedat, in proœm. & §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Quot modis hæreticis priuatus homo fauere dicitur?

RESP. Longo tractatu opus eſſet, de hoc plerique copioſiſſimè ſcripſerũt. Tu autem vide omnino Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. quæſt. 53. & Pegn. in comment. 78. vbi alios congerit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Magiſtratus autem quando eiſdem fauere dicetur?

RESP. Apud eoſdem perlege, qui hæc omnia explicant ad ſaturitatem.

XIII.

Edita Anno 1325. SVper illius ſpecula, quamuis immeriti, & infra pag. 166. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam Chriſtiani dæmonibus immolabant, auxilia, & reſponſa expetebant, & ſimilia nefanda committebant, in princ. Hic ideo Pont. ab eis abſtinendum eſſe decernit. §. 1. Et contrarium præſumentibus pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam infligit, vltra bonorum confiſcationem, & alias de iure debitas pœnas. §. 2. Libros de his tractantes teneri prohibet, & comburi mandat ſub pœna excommunicationis, aliiſque grauibus pœnis. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Hic inuocandi dæmones abuſus, quo tempore exortus eſt, & à quo promotus?

RESP. Hæretici quidam Elcheſaitæ nuncupati, qui circa annum Domini 240. exorti, his damnatis inuocationibus vſi ſunt, vt ait Niceph. lib. 5. cap. 24. Hiſt. Eccleſiaſt. & refert Pegn. in Director. Inquiſ. par. 2. comment. 68. verſ. Hæc damnata.

Scholion ſecundum.

Quæro. Immolare dæmoni, & ab eo expetere reſponſa, vt habetur in princ. ſuntne ſumenda copulatiuè, vt ſimul iuncta ſapiant hæreſim, & non aliàs, vel quodlibet illorum hæreſim ſapit manifeſtè?

RESP. Huic quæſito ſatisfacit Eymeric. in Direct. Inquiſ. par. 2. quæſt. 43. loquens in puncto intelligentiæ huius Bullæ, vbi bene explicat, quemlibet eiuſmodi actum de per ſe manifeſtè hæreſim ſapere, & poſtea Pegn. etiam in ſuo commen. 68. declarat, quæ ſint illæ dæmonum inuocationes, quæ hanc hæreſim ſapiunt, quia non omnes tales ſunt, & exempla aliqua recenſet.

XIV.

RAtio iuris exigit, & infra pag. 166. Bullarij. *Edita Anno 1326.*

COMPENDIVM.

Quia in Palatio Apoſtolico cauſarum Auditores, & eorum ad conſcribenda acta Notarij, præ cæteris ſalubri ordinatione dirigi debent, in proœm. Hic ideo Pont. mandat, Auditores publicè abſque cappa, & roechetto non incedere. §. 1. In cauſiſque audiendis, & decidendis diligentiores eſſe. §. 2. Diebus iuridicis in Eccleſia Cathedrali inſimul conuenire. §. 3. Feſta ſeruare. §. 4. Vota ſecreta tenere. §. 5. Diebus iuridicis obſequiis Cardinalium non incumbere. §. 6. Iuramentum in admiſſione ad Auditoratum præſtare. §. 7. & ſeqq. Cauſas iuxta antianitatem proponere. §. 9. Vota Coauditorum expetere. §. 10. Notarios idoneos habere. §. 11. Eoſdem ad taxæ obſeruantiam cogere. ibid. Conſilium non dare in cauſis in Rota cognoſcendis. §. 12. Teſtes mandat ab eis in cauſis arduis examinari. §. 15. Notarij Rotæ officium diligenter, & fideliter exerceant. §. 16. Abſque examine, & iuramento non admittantur ad officium. §. 17. & ſeqq. Cauſas non affectent. §. 19. Modeſti ſint. §. 20. Quiſque ſuo Auditori tantum ſeruire poſſit. §. 21. Concubinas non retineant. §. 22. Procuratores in Rota non ſint. §. 23. Taxas obſeruent. §. 24. & ſeqq. Hęc Bulla quotannis in princ. Rotæ legatur. §. 39.

Scholion primum.

Quæro. Hoc, vel antiquiori tempore, Rota hæc fuit inſtituta?

Quæro. Ciacon. in vita huius Pont. ab ipſo

ipſo inquit fuiſſe inſtitutam : ſed mihi credibile non eſt, cum nullum in hac eius conſt. verbum fecerit de eiuſmodi inſtitutione, neque aliam prius conſtituit. edidiſſe conſtet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vbi data creditur hæc Bulla, cùm Genitor tuus ſine data eã ediderit?

R E S P. Proculdubio Auenioni data fuit, cùm ibi Sedem ſuam ſemper hic Pont. tenuerit, vt notiſſimum eſt, & dignoſcitur euidenter ex illis verbis, *in Eccleſia Cathedrali*, quæ leguntur in §. 3.

BENEDICTVS XII.

Gallus, creatus anno 1334.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1335. REgularem vitam profeſſis, & infra pag. 169. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia tranſitus Fratrum Mendicantium ad Monachos Nigros, & Ciſtercienſes, perturbationem afferebat dictis Ordinibus. §. 1. Hic Pont. illum prohibet. §. 2. Quibuſcunque non obſtantibus. §. 3. Sanctio pœnalis ſubſequitur. §. 4. Et in conſt. annexa iubet, quod Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis pro ſe, & membris ſubiectis ſingula vnicam decimam, & procurationem Nunciis, & Legatis Apoſt. ſoluere debeant. §. 1. & 2.

Scholion primum.

Quæro. Monachi Nigri ſunt proculdubio Ordinis S. Benedicti, Ciſtercienſes ergo hic ſpecificè nominati, ſunt forſan alterius Ordinis.

R E S P. S. Benedictus de Nurſia primò Ordinem Monachorum Nigrorum inſtituit, poſtea Cluniacenſis, Ciſtercienſis, & alij Monachorum Ordines promoti fuerunt, differuntque habitu, & modo viuendi, ſed eamdem Regulam S. Benedicti profitentur, ideóque largo modo Ciſtercienſes dicuntur eſſe eiuſdem Ordinis S. Benedicti, ſed non abſolutè. Bellam. conſ. 32. n. 18. & ſeqq. Tuſch. in verb. Religio. concluſ. 138. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad Cluniacenſes ergo non prohibetur hic tranſitus.

R E S P. Hic non prohibetur, ſed in generali prohibitione, quæ legitur in extrauag. Martini V. quam hic Genitor meus tibi indicauit in rubrica.

I I.

DEcens, & neceſſarium exiſtimamus, & infra pag. 170. Bull. *Edita Anno* 1340.

COMPENDIVM.

Pro reformatione Aduocatorum, & Procuratorum Romanæ Curiæ decernit Patronos cauſarum modeſtiam ſeruare debere in earum defenſione. §. 1. Pauperumque lites gratis agere. §. 2. Cauſarum multitudinem, quibus ſufficienter intendere non poſſint, euitare. §. 3. Cauſas ante ſumptionem examinare, & iniuſtas dimittere. §. 4. Pacta quotæ litis non inire. §. 5. De infidelitate, & negligentia coërceri. §. 6. Decernit etiam Iudices indigentibus de idoneis Patronis prouidere. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Si aduocatus cauſam iniuſtam dimittet, vt præcipitur in §. 4. debet ſecreta d. cauſæ iniuſtæ colliriganti reuelare, ne illi ſit in damno?

R E S P. Tenetur quidem ſi damnum ſit notabile, vt nouiſſimè relatis aliis probat Ala in tract. de Aduocat. Chriſtian. quæſt. 27.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pactum quotæ litis, de quo in §. 5. erit licitum ſi conueniatur, quod Aduocato, non obtenta victoria, nihil debeatur, ſeu ſi ipſe promittat facere ſumptus litis de ſuo?

R E S P. Non, quia his caſibus maior viget ratio prohibitionis, quod per fas, & nefas victoriam perquirant. Militare videtur Afflict. ſuper conſtit. Regni, in conſtit. Aduocatos. num. 34. & ſeqq. Gozad. conſ. 3. num. 25. Vrſill. ad Afflict. deciſ. num. 123. num. 6.

I I I.

FVlgens ſicut ſtella, & infra pag. 171. Bullarij. *Edita Anno 1335.*

COMPENDIVM.

Ordo Ciſtercienſium diuini cultus miniſterio admodum deditus, multis gratiis à ſummis Pontt. ditatus fuit, in procem. Hic ergo Pont. qui eius alumnus fuit, pro eius incremento hæc

ſtatuta edicit, videlicet §. 2. De ſigillo particulari cuiuſque Monaſterij, & iuramento Abbatis. §. 3. Formaque alienandi bona.§.4. Pecunia inde redigẽda. §.5.Locationum norma.§.6. Mutuorumque recipiendorum. §. 7. Et actorum in ſcriptis redigendorũ.§.8. Adminiſtratorum iuraméto.§.9.Burſatiorum munere. §. 10. Abbatum rationibus reddendis. §. 11. Viſitatorum munere.§.12. & ſeqq. Tranſitu accedentium ad Capitulum. §. 17. Non accedentium pœna. §. 18. Contributionibus præſtandis Abbati Ciſtertij, & aliis quatuor Abbatibus. §. 19. & ſeqq. Capitulum generale nihil immutare poteſt de his ordinationinibus contributionum. §. 24. Recipiendis ad Ordinem.§. 25. Habitu Abbatum, & Monachorum. §. 26. Curioſitate ornamentorum vitanda. §. 27. Equitaturarum numero. §. 28. Eſu carnium interdicto. §. 29. & ſeqq. Dormitorio communi. §. 33. & ſeqq. Proprietate prohibita. §.35. & ſeqq. & §. 39. Equitaturæ quibus permittendæ. §. Victus, & veſtitus cuique ſufficienter dandus.§. 40. Monachorum numerus iuxta facultates Monaſteriorum recipiatur. §. 41. Quæ ſtudia ſint tenenda. §. 42. Qui, & quot recipiendi ad ea. §. 43. & ſeqq. Studentium prouiſiones taxantur. §. 44. Lectio Bibliæ ſit in quocumque Studio. §. 45. Studiorum expenſæ vt fiendæ. §. 47. Animæ ſtudentium vt curandæ. §. 49. Studentes iura canonica non audiãt. §. 51. Pro obſequiis ſtudentium deputentur Officiales. §. 52. Qui Rectores, & Officiales in Studiis eligendi. §. 53. Doctorandi quid ſeruare, quidue iurare debeant.§.54. Qui curſus Bibliæ facere, & qui ſententias legere poſſint. §. 55.

Scholion primum.

Quæro. Prohibita proprietate, vt in §. 35. poterit Monachus, vel Monialis habere illos redditus vitalitios, quos de more parentes diuites ſolent eis aſſignare?

R E S P. Poſſet dici, quod ſi ſuperior eis permittit, vt pro ſuis neceſſitatibus vtantur illo redditu, poterunt vti, ſed nullatenus alteri de eo dare etiam eleemoſynaliter; ad Syluest. in ſum. in verb. Religio.§.6.ſub num. 7.& Nauarr. de Regular. comment. 2. ſub num. 15.

Scholion ſecundum.

Quæro. A ieiunio, de quo in §. 29. excuſat debilitas, & infirmitas de per ſe, vel inſimul?

R E S P. Excuſat etiam diſiunctiuè. Panormit. poſt alios in cap. Cùm ad Monaſterium 6. de ſtatu Monachor. n.6. Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 100. artic. 1.

I V.

Benedictus Deus in donis ſuis,& infra pag. 178. Bullarij. *Edita Anno* 1336.

C O M P E N D I V M.

Quia orta fuit inter Theologos, & alios quæſtio, an animæ iuſtorum decedentium, in quibus nihil erat purgabile, vel ſi fuerat, iam purgatum erat, viderent diuinam eſſentiam ante corporum reſumptionem, generaléque iudicium. §. 1. Pro qua decidenda Ioannes XXII.Cardinalibus,Prælatis & Theologis, in publico Conſiſtorio iniunxit, vt deſuper quid ſentirent, quando ab eo requirerentur, deliberatè dicerent: ſed morte præuentus id perficere nequiuit. d. §. 1. Hanc modò quæſtionem præuia diligenti examinatione,& deliberatione cum S.R. E. Card.& de eorum conſilio, hic Pont. dilucidè determinat. §. 2. & ſeqq. Et aliam de animabus decedentium in peccato mortali. §. 4. Et contra aliter tenentes, aſſerentéſque pertinaciter, tanquam contra hæreticos procedi iubet. §. 5. Sanctionemque pœnalem adiicit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Cuius opinionis erat ipſe Ioannes XXII.

R E S P. Diſputationis gratiâ aſſeruit quandoque animas Sanctorum ex hac vita migrantium, perfectè diuinam eſſentiam ante reſurrectionem non videre, & multi alij inſignes viri tenebant: ſed eam à doctiſſimis viris oppugnatam recenſet Pegna in Director. Inquiſit. par. 2 comment. 21. ipſum Pontificem ante obitum ab ea opinione receſſiſſe, itáque expreſſè declaraſſe, teſtantur poſt alios Diacon. in vita huius Pont. & Petrus Math. in ſuis Notis ad iſtam Conſtitutionem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fuitne poſtea aliquid amplius actum

actum in aliquo Concilio generali de hac beatifica viſione animarum beatarum?

Resp. Actum fuit in Concilio Florentino inter Latinos, & Græcos, vbi hoc idem firmatum fuit ſeſſ. vlt. circa fi. & ſpecialiter in ipſa bulla Latinorum, & Græcorum vnionis, edita ab Eugenio IV. to illo Concilio, in §. 6. Quæ cuſa eſt in actis d. Concilij, & in hoc opere Bullarij Genitoris mei, eſt n. 17. fol. 284. cuius ſummam loco ſuo attendere poteris. Et ſubdo, quod ex hac Benedicti XII. determinatione decem hæreſes damnantur, quas perpendit Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. quæſt. 8. Et quod ante eam, ſectatores contrariæ opinionis, de hæreſi ſuſpecti dici non poterant, iuxta D. Thomæ, & Caiet. veram & communem ſententiam, de qua meminit Pegna d. comment. 21. verſ. Cæterùm.

Edita Anno 1336. Svmmi magiſtri dignatio, & infra pag. 179. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro reformatione Monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti, Pontifex ſtatuit multa de Capitulis Prouincialibus, in cap. 1. Viſitatoribus. cap. 2. Capitulis generalibus, rationibuſque reddendis. c. 3. Subuentionibus, & collectis. cap. 4. Capitulis quotidianis. cap. 5. Studiis. cap. 6. Studentibus. cap 7. Studētium penſionibus. cap. 8. Mutuis venditionibus. & conceſſionibus. cap. 9. F.ctis, & doloſis contractibus. cap. 10. Iuramento à Prælatis præſtando. cap. 11. Spoliis. cap. 12. Inuentariis. c. 13. Locis non dandis ad firmam. cap. 14. Priuilegiis, & rebus aliis aſſeruandis. cap. 15. Proprietariis & negotiatoribus. cap. 16. Victualibus in pecunia non miniſtrandis cap. 17. Perſonis extra Ordinem non deputandis ad miniſtrandum victum Monachis. cap. 18. Mulierum habitatione in locis Monachorum interdicta. cap. 19. Monachi non retineant animalia, vel perſonas ſæculares. cap. 20. Alimenta Monachorum vt præſtanda. cap. 21. Statuit etiam alia de creatione Monachorum. cap. 22. Veſtimentorúmque qualitate. cap. 23. Exitum extra Monaſteria interdicit. cap. 24. Monachis ad beneficia non admittendis. cap. 25. Eſu, & abſtinentia carnium, dormitorióque, & modo cubandi. cap. 26. Miſſis, & communione non Sacerdotum. cap. 27. Cuſtodia ornamentorum, & preuiſione librorum. cap. 28. Ad ſacerdotium promouendis. cap. 29. Priore clauſtrali. cap. 30. Monachis obtinentibus beneficia in Monaſtariis alienis. cap. 31. Quod obtinentes beneficia, ſicuti alij, ſint Ordini ſubiecti. cap. 32. Monachorum numero. cap. 33. Monaſteriis collapſis. cap. 34 & ſeqq. Mendicantibus ad Ordinem venientibus. cap. 36. Monachis delatoribus, & conſpiratoribus. cap. 37. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Viſitatores Monaſteriorum electi in Capitulis Prouincialibus, vt in cap. 1. poterunt viſitare etiam Monaſteria Monialium Nigrarum?

Resp. Poterunt, quia expreſsè id cauetur in cap. 7. de ſtatu Monachorum hic confirmato in §. 1. Et in terminis huius bullæ, ita conſulendo tenuit Io. And. in conſ. 292. num. 1. impreſſo inter conſilia Feder. de Sen.

Scholion ſecundum.

Quæro. Moniales Nigræ tenebuntur ad contributionem expenſarum, quæ fiunt pro Capitulis, & ſtudiis Monachorum, quorum regimini ſubſunt?

Resp. Non teneri probat, de hac Bulla loquens, Ioan. And. prox. cit. ſub num. 2.

VI.

Ad decorem Eccleſiæ Sponſæ Dei, & infra pag. 196. Bullarij. *Edita Anno 1339.*

COMPENDIVM.

Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Religio à Chriſti Diſcipulis ſtabilia fuit: pro cuius maiori vtilitate Papa multa ſtatuit, in princ. De forma recipiendorum Canonicorum. §. 1. Eorumque probatione. §. 2. Creatione. §. 3. Profeſſione. §. 4. Receptione Clerici, vel Laici, ad præbendam, vt prohibita. §. 5. Prioris clauſtralis electio quando, & quomodo fienda. §. 6. Alia ſtatuit de Capitulo regulari. §. 7. Annualique. §. 8. Prouinciali etiam. §. 9. & ſeqq. Statuendis in Capitulo. §. 15. Quę ad illud duci poſſunt. §. 16. Impedientium celebrationem Capituli pœna, §. 17.

H 2

Digitized by Google

§. 17. Offendentiumque perſonas, & loca Ordinis. §. 18. In quibus Prouinciis celebrandum ſit. §. 19. Viſitatorum munus quod. §. 20. Alia quoque ſtatuit de collectis, & contributionibus. §. 21. Magiſtriſque Canonicorum. §. 22. Ad ſtudia mittendis. §. 23. Penſionibus Doctorum, Lectorum, Scholarium, & aliorum. §. 24. & ſeqq. Libris diſtribuendis. §. 26. Studentium regimine. §. 27. Præſidentium ſtudentibus munere. §. 28. Aſſumptione ad gradus. §. 29. Obſeruandis per Canonicos beneficia obtinentes. §. 30. Officiorum celebratione. §. 31. Beneficiati ſubſint Superioribus. §. 32. Locus Infirmariæ quis. §. 33. Numerus Canonicorum quis. §. 34. Retentio animalium, & ſæcularium, vt vetita. §. 35. Lautáque conuiuia, & immoderati ſumptus. §. 36. Religioſi aſſociati incedant. §. 37. Ad Ordines promouendi, qui, & quando. §. 39. Veſtimenta quæ. §. 40. Exitus de Monaſteriis vt prohibitus. §. 41. Bonorum alienatio interdicitur. §. 42. Fictique contractus. §. 43. Mutua quomodo recipienda. §. 44. Locationes quæ damnatæ. §. 45. Regiſtra, & Archiuia conficienda. §. 46. Alimenta vt præſtanda. §. 47. Eſus carnium prohibitus. §. 48. Accubitus ſit in dormitorio. §. 49. Priuilegia, & mobilia non transferenda. §. 50. Alia ſtatuit de celebratione Miſſarum. §. 51. Euchariſtiæ ſuſceptione. §. 52. Diuinis officiis. §. 53. Reliquiarum conſeruatione. §. 54. Vſu fori damnato. §. 55. Venatióque damnatur. §. 56. Armorum etiam retentio. §. 57. Accuſationes quæ recipiendæ. §. 58. Reparatio locorum præcipitur. §. 59. Proprietarij damnantur. §. 60. Conſpiratoreſque. §. 61. Eiecti, ac fugitiui etiam. §. 62.

Scholion primum.

Quæro. Eſt in malo ſtatu Canonicus Regularis, qui poſt Concilium Tridentinum, tam ſtrictè proprietatem vetans, viuit per portiones particulares, vt in §. 24. & ſeqq.

RESP. Legito Nauar. de Regular. comment. 3. num. 32. & ſeqq. qui tuo quæſito optimè ſatisfaciet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si in recitone diuinorum officiorum inſimul facienda, de qua in §. 31. non cantat Canonicus cum aliis in choro, ſed ſubmiſſa voce verſum ſui chori recitat, & vocem alterius rectè audit, peccat?

RESP. Peccare probat Nauar. de ſilentio in diuinis officiis, ſub num. 20.

VII.

Voniam nonnulli, ſicut accepimus, & infra pag. 212. Bullarij. *Edita Anno* 1339

COMPENDIVM.

Quia aliqui promouendi ad beneficia Eccleſiaſtica, ſe minus idoneos ſentiunt ad examen, alios loco ſui ſupponunt, & per fraudem huiuſmodi beneficia aſſequuntur, in procem. Hic Pont. ideo excommunicationi latæ ſententiæ ſubiicit ſupradictos, & eos qui pro illis huiuſmodi examen ſubeunt. §. 1. Literáſque deſuper expeditas, cum ſuis proceſſibus viribus euacuat. ibidem. Et præfatos tale examen pro aliis ſubeuntes, beneficiis omnibus, ſi quæ habent, priuat; ſi non habent, inhabiles reddit ad ea obtinenda. ibidem.

Scholion primum.

Quæro. Hæc bulla de beneficiis loquens, intelligitur etiam de Epiſcopatibus?

RESP. Abſque dubio intelligitur, quia appellatione beneficij veniunt omnes dignitates, & quamuis ſimus in pœnalibus, intrat argumentum à maioritate rationis, cùm iſta diſpoſitio tendat ad fauorem publicum, per ea, quæ deducit Mandoſ. ſuper Regul. Canc. 34. quæſt 17. num. 4. & latiùs ſuper Reg. 22. num. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Compater meus mox examinatus, obtinuit Canonicatum in Eccleſia Collegiata S. Laurentij in Damaſo de Vrbe, eritne amplius examinandus, ſi ſimilem Canonicatum poſtea obtineret in alia Collegiata?

RESP. In curia ſeruatur, quod non ſit iterum examinandus, vt ſcribit Gonzal. ſup. 8. Reg. Cancell. gl. 4. num. 88. vbi tamen num. ſeqq. aliquas ſubdit declarationes in hac materia examinis.

CLEMENS VI.

Gallus, creatus anno 1342.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1344. SOllicitudinis paſtoralis officiũ, & infra pag. 212. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat facultatem Abbati Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S Benedicti, retinendi, & acquirendi alia bona, & Monaſteria, & inibi diuina officia celebrandi. §. 1. & 2. Et eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandi. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Congregatio viuit ſecundum generalem Regulam S. Benedicti, vel ſecundum alias reſtrictiores ordinationes?

RESP. Habet vltra d. Regulam, valde ſtrictas reformationes. Anchar. conſ. 321. numer. 1. Lapus allegat. 130. numer. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad alios ergo Monachos S. Benedicti, eis non datur tranſitus.

RESP. Non datur, niſi illi Monachi viuant ſecundum magis ſtrictas reformationes. Et ideo Gregor. XI. ſolùm ad Carthuſienſes tranſitum eis permiſit in quodam eius priuilegio, de quo ipſe meminit: quod mox repertum in Bibliotheca Genitoris mei, hic inſerere placuit; ipſe autem illud prætermiſit, quia (vt ſæpe aſſeruit) præcipua Religionum indulta dumtaxat colligere fuit intentus.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Specialis beneuolentiæ plenitudo, quam ad Religionem Fratrum Ordinis Sancti Benedicti, qui de Monte Olìueti nuncupantur, gerimus, meritò nos inducit, vt Religionem ipſam, & eius perſonas, præſertim ad obſeruantiam diuini officij, opportunis fauoribus, quantum cum Deo poſſumus, foueamus.

Sanè nuper accepimus, quod quamplures iuuenes Religionis eiuſdẽ, ſeducti, ad alias Religiones, etiam in quibus non eſt arctior modus viuendi, eo prætextu ſolùm tranſeunt, quaſi aliæ Religiones huiuſmodi antiquiores fore noſcantur.

Nos volentes ſuper hoc de opportuno remedio prouidere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, ac etiam diſtrictiùs inhibemus, ne quis eiuſdem Religionis, cuius perſonæ de monte Olìueti nuncupantur, ad aliquam Religionem, præterquàm ad Carrhuſienſium abſque licentia, & conſenſu Abbatis generalis dictæ Religionis Montis Oliueti valeat ſe transferre, & ſi ſecus attentatum fuerit, id irritum decernimus, & inane. Nulli ergo, &c. Datum Auenion. Idibus Martij, Pontificatus noſtri anno primo.

II.

Edita Anno 1346. REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 312. Bullarij.

COMPENDIVM.

Benedictus XII. initium dedit reformationi Ordinis Fratrum Seruorum B. M. V. ſub Regula S. Auguſtini. §. 1. Hic Pont. eam perfecit, & obſeruandam eis tradidit. §. 2. Statuens Capitulũ generale quolibet triennio celebrari, & vocales deſignat. §. 3. Capitulumque Prouinciale quolibet anno, & vocales indicat. §. 4. Priorem generalem ad aliud triennium confirmari poſſe indulget. §. 5. In Priorem generalem eligi vetat qui ſpatio annorum 20. in Religione non ſtetit. §. 6. Diffinitores generales, & Prouinciales, quando eligendi ſint, ſtatuit. §. 7. & etiam Priores Prouinciales. §. 8. Prioreſque Conuentuales. §. 9. Prioris Prouincialis officium triennio expleri decernit. §. 10. Diffinitores Capituli generalis quando ad idem officium eligi poſſint, declarat. §. 11. Priorìſque Conuentualis officium quando expleatur. §. 12. Formam iuramenti Prioris generalis, & Diffinitorum præſcribit. §. 13. Munerum receptionem vetat. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Vnde hi Fratres nomen Seruorum B. Mariæ ſortiti ſunt?

RESP. Quaſi diuinitus ex ore infantium, & lactentium, ſic vocari fuerũt, cùm quidam pueri videntes aliquot ex dictis

dictis Fratribus in exordio fere Ordinis eleemoſynas quærere, exclamare cœperunt; En ſerui B. Mariæ veniunt, dete eleemoſynam. vt teſtantur monumenta ipſius Ordinis, & Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 5. art. 6. & quod magis eſt, hoc fere idem refert Inn. VIII. in quadam eius conſt. impreſſa in compendio d. Ordinis pag. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur habitum nigrum elegerunt, dum B.M. Virginis ſeruos ſe conſtituerunt?

RESP. Vt eodem tempore, paſſionis Chriſti eiuſdem B.M. filij memoriam prę ſe ferrent, nigrum mœſtitiæ quippe habitum ſibi deputarunt. Sic habetur in d. conſt. Innoc. VIII. quam de more Genitor meus prætermiſit, quia nil aliud, quàm Ordinis commendationem continet, & comprobationem.

III.

Edita Anno 1346. Etſi ſolertem adhibere vigilantiam, & infra pag. 214. Bullarij.

COMPENDIVM.

Exprobat temeritatem eorum qui loca Patrimonij B. Petri hactenus occuparunt. §. 1. Prohibet dari, vel acquiri aliquod dominium, aut iuriſdictionem, præeminentiam, vel obligationem in locis Patrimonij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. § 1. & 2. Imponit multas pœnas contrauenientibus. §. 3. Irritat omnes eiuſmodi contractus. §. 4. Confirmat conſtitutionem editam à Ioanne XXII. contra quoſcumque turbantes loca Sedis Apoſtolicæ. §. 5. & 6. Addit pœnalem ſanctionem. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Vnde emerſerant hæc damna in Statu Eccleſiaſtico, quæ indicantur in §. 1.

RESP. Audi Ciacon. in vita huius Pontificis hæc dicentem. Opprimebatur eo tempore (loquens de huius, & Innocentij VI. Pontificatus tempore) à Tyrannis magna pars Italiæ, quæ Eccleſiaſticæ ditionis erat; quippe cùm occupaſſet Viterbium cum multis aliis oppidis, Ioannes Vicus; Ariminum, Piſaurum, Fanum Malateſta de Malateſtis; Vrbinum Antonius Pilaretus, & alij alias vrbes, & oppida, tota pars Imperij Eccleſiaſtici à Tyrannis vſurpata erat.

Scholion ſecundum.

Quæro. His malis quando obuiam itum fuit?

RESP. Succeſſit in Pontificatu Innocentius VI. qui Ægidium Carriglium Conchenſem Hiſpanum, die 18. Decembris 1350. Cardinalem creauit, & deinde Legatum ſumma cum poteſtate miſit anno 1353. in Italiam, vbi Tyrannorum numerus auctus erat, & Franciſcus de Ordelaffis Foroliuienſis quamplures Terras Status Eccleſiaſtici occupabat. Qui Cardinalis vti prudens Legatus, & peritiſſimus Dux, Deo iuuante, totum Eccleſiæ Patrimonium, pulſis Tyrannis recuperauit, vt ſcripſerunt Platina, & Ciacon. in vitis prædictorum Pontificum.

IV.

Ad ſpiritualis gaudij, & conſolationis, & inf. pag. 216. Bullar. *Edita Anno 1347.*

COMPENDIVM.

Narrat, ad poſtulationem Philippi Regis Franciæ, præcedente diutina examinatione, & matura prouidétia, die 16. Iunij 1347. canonizaſſe Iuonem Presbyterum Trecorenſem Gallum, in princ. Et ſtatuit eius feſtum die 19. Maij quotannis celebrari. §. 1. Ad eum poterit recurrere Rex, & populus Galliæ, vti eorum interceſſorem. §. 2. & 3.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quod (vt fertur) hic Sanctus Aduocatus pauperum nuncupatur?

RESP. Quia pupillos, & orphanos egregiè tuebatur, & pro eis diuerſis in locis adibat iudicia, patronum ſe illis exhibens ſola pietate, & iuſtitia permotus, imò ſuis impenſis illorum cauſas defendebat. Hæc Sur. de Hiſtor. Sanctorum, tom. 3. die 19. Maij. Hinc eſt etiam quod Collegium Aduocatorum Sacræ Aulæ Conſiſtorialis, quorannis Romæ, in huius ſancti viri, eiuſdem Collegij patroni Eccleſia collegialiter Sacrorum celebrationi adſiſtit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qua patria, & genitoribus ortus eſt?

RESP. Patri nomen erat Ahelorus, matri

matri verò Arona, & ab eis in lucem editus fuit in pago Martini nuncupato, non longè ad Vrbe Trecorenſi in Britannia minori, teſte Sur. vbi ſupra, qui alias eiuſdem Sancti præclaras res geſtas ibidem recenſet, & cum eo pertranſit Baron. in Martyrolog. d. die 19. Maij.

V.

Edita Anno 1351. LIcèt in Conſtitutione à fel. rec. Gregorio Papa X. & infra pag. 216. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius X. ſuper electione Romani Pontificis edidit Conſtitutionem, de qua in cap. 3. de election. in 6. in princip. Hic Pont. mitigando eam Conſtitutionem, concedit Cardinalibus in Conclaui duos ſeruientes. §. 2. Permittit etiam vnum ferculum, vltra panem, vinum, & aquam, vltra herbas, electuaria, &c. §. 3. Necnon permittit etiam velamina ſimplicium cortinarum. §. 4. Derogat omnibus contrariis. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Ante Gregorium X. edideránt aliquid prædeceſſores Pontifices de electione Papæ, de qua in principio?

RESP. Nicolaus II. nonnulla decreuerat in cap. 1. diſt. 23. & Alexander III. in cap. Licet. 6. de election. in 6. & Clemens V. in clem. 2. eod. tit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur aliqui dicunt, Nicolai decretum illud corruptè à Gratiano regiſtratum, vt Honuphrius Panuinus, & alij?

RESP. Multi in hoc multa loquuntur, quorum veritas breui ſermone explicari non poteſt. Nouiſſimè de hoc ſcribit Baron. in Annalib. Eccleſiaſt tom. 11. an. 1059. pag. 256. & ſequitur Seuerin. Binius in ſuis Notis ad Concilium Romanum, ab ipſo Nicolao II. celebratum.

INNOCENTIVS VI. Gallus, creatus anno 1352.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1353. CVm onus vniuerſalis regiminis, & infra pag. 217. Bullar.

COMPENDIVM.

Deputat Ægidium Carriglium Cardinalem Hiſpanum Legatum, Vicariúmque in temporalibus, in toto Statu Eccleſiaſtico. §. 2. Facultatem tribuit cauſas quaſcumque cognoſcendi. §. 3. Barones, & alios quoſcumque puniendi. §. 4. Gubernatores deputandi. §. 5. Culpabiles coërcendi. §. 6. Paces componendi. §. 7. Pactiones contra bonum ſtatum pacis irritandi. §. 8. Terras occupatas recuperandi. §. 9. Cum delinquentibus componendi. §. 10. Bellum contra perturbatores indicendi. §. 11. Hoſtes compeſcendi. §. 12. Aliáque neceſſaria, & opportuna faciendi. §. 13. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Aliaſne dedit hic Pont. facultates huic Legato, vt faciliùs componeret ſeditiones tunc in Statu Eccleſiaſtico vigentes, vt dicitur in Conſt. 3. Clem. VI. fol. 214. Bullarij?

RESP. Dedit alias facultates in quatuor eius conſtitutionibus impreſſis in lib. 1. Conſtitutionum Ægidianarum, ſiue Marchiæ, quas hic intexere Genitor prætermiſit, intentus præcipua diplomata Legationum prodere, vt ſecundum temporum, & negotiorum exigentiam Legatorum facultates metiri dignoſcamus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi conſtitutiones num præualent particularibus ſtatutis locorum?

RESP. Non, ſed ſtatuta præualent illis, Rota in deciſ. Robuſterij 330. part. 2. Diuerſor. num. 1. & 4. dummodo à Sede Apoſtolica ſint validè confirmata, vt habetur infra in conſt. 93. Sixti V. §. 19.

II.

QVaſi lignum vitæ in paradiſo Dei, & infra pag. 218. Bullarij. *Edita Anno 1360.*

COMPENDIVM.

Theologicam facultatem commẽdat, in procem. & §. 1. Illam ergo in Studio Bononienſi, iure canonico, & ciuili, ac liberalibus artibus inſigni, introducendam duxit. §. 2. Et inſtituit. §. 3. Priuilegia aliorum Studiorum generalium elargitur. §. 3. Magiſterij titulum cõferri

H 4 poſſe

poſſe indulget. §. 4. Formamque conferendi præſcribit. §. 5. Magiſterij titulum aſſequutis, alibi legendi facultatem concedit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Bononia cur in numiſmate ſculpſit; *Mater ſtudiorum Bononia docet?*

R E S P. Quia cæteris præſtantius in ditione Eccleſiaſtica hoc Studium videtur, ſaltem in legibus, in quibus monarchiam tenere ſcribit Accurſ. in rurb. Cod. de Stud. liberal. Vrb. Romæ, lib. 11. quem refert Horat. Lut. in ſuo tract. de Priuileg. Schol. in vlt. tit. de his, qui gaudent priuileg. Scholar. ſub n. 23. & conuenit Gloſ. in Clement. 1. de Magiſtr. in verb. Bononieuſ. vbi habetur, quod Bononia dicitur, quaſi ſuper omnia bona, vel bonorum notitia nimis amabilis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid non ſolùm ex huiuſmodi priuilegio, ſed eſt antiquiſſima conſuetudine Studium generale eſſe potuit?

R E S P. Certiſſimum eſt, ſicut in Ciuitate Paduæ extat, teſte Bart. in procem. ff. §. hæc autem, num. 3. Bal. & aliis, num. 1. & Franch. in cap. 2. de priuileg. in 6. num. 2.

VRBANVS V.
Gallus creatus anno 1362.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1364.

APoſtolatus officium, cui quãquam, & infra pag. 219. Bullar.

COMPENDIVM.

Recenſet quod Bonifacius VIII. exigentes pedagia ab Eccleſiis, vel earum perſonis, de propriis eorum bonis, excommunicationis pœna innodauit. §. 1. Et ſi eſſent Vniuerſitates, interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſuit. ibidem. Refert etiam, quod plures Romani Pontifices excõmunicarunt piratas maritimos, eorumque fautores; noua etiam pedagia imponentes, ad Sarracenos arma, & ſimilia deferentes, offendenteſque venientes ad Vrbem, in eaque morantes, & recedentes ab ea; impedientes delationem victualium ad Vrbem, aut recurrentes ad Romanam Curiam; occupanteſque loca S. R. E. §. 2. Deputat Camerarium, qui contra inobedientes procedat. §. 3. Contraria quæcumque priuilegia reuocat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quod inquit Genitor tuus in ſuo Bullar. poſt rubr. A. C. hodie procedere ad executionem huius conſtitutionis, non reperi id cautum conſtit. 41. Pauli V. per eum cit. vbi ergo id habetur?

R E S P. Habetur in Pauli V. conſt. 20. incipiente, *Eximia*, errore impreſſorum aliter citata, vbi in §. 14. conceditur, quod & ab aliis Pontt. ibi in rubr. indicatis hactenus conceſſum fuerat, Auditori Cameræ, vt ſolus litteras Apoſtolicas ipſe exequatur, ſi in eis alius executor datus non ſit, ſed ſi alius etiam datus ſit; & tunc cumulatiuè cum illo. Et hinc intelligis, quod ad executionẽ huius Bullæ, vbi Camerarius eſt executor deputatus, ambo cumulatiuè procedũt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Bonifacius VIII. cit. hic in princ. vbi hæc noua pedagia prohibuit?

R E S P. Quiſque etiam mediocris doctrinæ vir non ignorat, id Bonifacium edixiſſe in cap. 3. de immunit. Eccleſ. & Canon. communiter de hoc ibi agunt. Recordare etiam Benedictum XI. eam Bonif. decretalem declaraſſe in extrauag. 1. eodem tit.

II.

SInceræ deuotionis affectus, & infra pag. 220. Bullarij. *Edita Anno 1363.*

COMPENDIVM.

Concedit perſonis Ordinis Carthuſienſis vſum altaris portatilis, in quo celebrare, & in eorum præſentia celebrari facere poſſint, in locis Ordinis honeſtis, & congruentibus. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Altare portatile debet eſſe de ligno, de auro, de argento, & ſimili materia?

R E S P. Debet ſolummodo eſſe lapideum, id eſt, paruus lapis ſuper quo ſit ſacrificium, licèt alia pars altaris ſit lignea, quod inſtituit S. Syluester, vt poſt S. Thom. & Panormit. tenet Franc. Marc. in deciſ. Delphinat. lib. 1. deciſ. 141. num. 5. & ſeqq.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur debet eſſe lapideum?

RESP. Vt de facili poſſit haberi, & quia lapis ſignificat Chriſtum, cuius Paſſio in Sacrificio Miſſæ ſuper altari refertur. Franc. Marc. vbi ſuprà.

GREGORIVS XI. Gallus, creatus anno 1370.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1372.

SVper vniuerſas Orbis Eccleſias, & infra pag. 220. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, quod Eccleſiam Lateranenſem Conſtantinus miraculosè mundatus à lepra, & ſacri baptiſmatis fonte renatus, in ſuo Palatio Lateranenſi in honorem Saluatoris extruxit, ſtatuens, quod ex tunc libera eſſet vnicuique poteſtas per Orbem Eccleſias ædificandi, quod hactenus Imperialis authoritas prohibuerat, in princ. Enarrat, quod nihilominus reuocatur à quibuſdam in dubium, an in Vrbe, & Orbe ipſa Eccleſia primi loci prærogatiuam obtineat. ibid. Declarat ergo, eam primum locum tenere ſuper omnes Vrbis, & Orbis Eccleſias, & etiã ſuper Eccleſiã B. Petri de Vrbe. §. 1. Contrariũ attentari prohibet. d. §. 1. Sanctionem pœnalẽ apponit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, quod de hac præeminentia extant in periſtylio exterioris Porticus d. Eccleſiæ Lateranenſis elegantes verſus?

RESP. Extant, & huius ſunt argumenti, egregium quippe antiquitatis monumentum.

Dogmate Papali datur, ac ſimul Imperiali,
Quod ſit cunctarum Mater Eccleſiarum,
Hinc Saluatoris cœleſtia Regna datoris
Nomine ſanxerunt, cùm cuncta peracta fuerunt, &c.

Quinimò & in abſida d. Eccleſiæ alij leguntur verſus,

Hæc eſt Papalis Sedes, & Pontificalis,
Præſidet & Chriſti iure Vicarius iſti, &c.

Audi inſuper alios (licèt barbaros) qui per Eccleſiam inciſi leguntur.

Agnoſcant cũcti ſacro baptiſmate functi,
Quod domus hæc munda, nulli ſit in Orbe ſecunda,
Nam cùm Papalis locus hic ſit, & Cathedralis,
Primatũ Mundi meruit ſine lite rotũdi,
Contendat nemo ſecum de iure ſupremo,
Omnis ei cedit locus, & reuerẽter obedit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſti verſus in lapidibus antiquitus ſculpti, facientne ſpeciem probationis huiuſmodi præeminentiæ?

RESP. Si non probant de per ſe, alias tamen probationes coadiuuant. Bart. in l. Monumentorum. 6. ff. de Relig. & ſumpr. fun. num. 2. Bald. ibid. nu. 2. Angel. de Peruſ. n. 1. Zabar. in cap. Cùm cauſam. 13. de probat. n. 2. Bellam. n. 3. Ioan. And. n. 10. gl. in cap. Sanè. 6. in verb. dapthycis. 24. quæſt. 1. Specul. de probat. §. 3. num. 12. & relatis aliis Maſcard. qui nonnullos cumulat, de probat. lib. 1. concl. 105. num. 10.

II.

ADmodum dolẽter audiuimus, & infra pag. 220. Bullarij. Edita Anno 1372.

COMPENDIVM.

Refert, audiuiſſe quoſdam Sarracenos ad fidem Chriſtianam conuerſos, ad eandem impietatem reuerſos eſſe, & quoſdam Chriſtianos ad Agarenorum perfidiam ſe transtuliſſe, in princ. Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis ideo iubet, vt contra eos procedant, tanquam contra hæreticos, & etiam contra eorum fautores. §. 1. & Sarraceni, qui Chriſtianos trahunt ad eorum ritum, debita pœna plectantur. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Hi Chriſtiani qui ad Sarracenorum ſectam ſe transferunt, quomodo puniendi?

RESP. Si verè pœniteant, & conuertantur, condonatur eis vita, & ſecundùm eorum lapſum puniuntur, vt poſt Eymeric. ſic ad hanc Bullam tradit Pegna in Director. Inquiſ. part. 2. comm. 70. verſ. Sed iure, & latiùs commen. 74.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ritus Sarracenorũ cur non tolerãtur inter Chriſtianos, ſicut Iudæorũ?

RESP. Optima ratione id factum oſtendit Eymeric. in Direct. Inquiſ. part. 2. q. 46. & Pegna ibi in ſuo comment. 71. Quia ſcilicet in ritibus Iudæorum

I habetur

Digitized by Google

habetur teſtimonium fidei Chriſtianæ, quod ipſi ibi latiùs explicant, vt ſuperiùs etiam dixi.

I I I.

Edita Anno 1373.

DVm ſalubria laborum noſtrorũ ſtudia,& inf.pag.221.Bullar.

C O M P E N D I V M.

Refert merita, & onera Fratrum B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum,in princ.Et fructus beneficiorum, & domorum Ordinis vnà cum eleemoſynis in redimendis Chriſtianis captiuis. §. 1. Et tamen exactores decimarum Principibus, vel aliis à Sede Apoſtolica conceſſarum, ipſos Fratres cogere ad ſolutionem earum. ibidem. Ideo Papa eos eximit ab huiuſmodi decimis conceſſis, & concedendis. §. 2. Sanctionem pœnalem apponit. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Hoc priuilegium fuitne vnquam ab alio Summo Pontifice approbatum?

R E S P. Omnia Ordinis priuilegia à multis Pontificibus præcedentibus,inter quos iſte Gregorius enumeratur, elargita, ad petitionem Philippi III. Hiſpaniarum Regis comprobauit, & innouauit Paulus V. in eius diplomate die 23. Auguſti ſignato,à Genitore meo, in cuius Bibliotheca illud perlegi, de more prætermiſſo;ſui enim inſtituti non fuit Bullas confirmatorias colligere, & typis dare, cùm earum numerus in infinitum excreuerit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Oblitus fui in conſt.9. Greg. IX. de qua ſuprà, vbi legitur confirmatio huius Ordinis, abs te petere, cur illa Bulla Gregorij in bullis multorum ſucceſſorum Pontificum non fuit enunciata, vt ex earum lectione habere potui?

R E S P. Quia Fratres Ordinis authenticum eius bullæ, temporum iniuria, vel Officialium incuria, amiſerant, & diu poſtea in regiſtro ipſius Greg. IX. repertum fuit in Vaticano, & exinde iuſſu huius Greg. X I. eidem Ordini aliud authenticum ſumptum, datum ſub die 6. Ianuarij anno 1274. cuius exemplar in Genitoris mei Bibliotheca reperitur.

I V.

CVnctos Chriſti fideles, & infra pag. 221. Bullarij. *Edita Anno* 1373.

C O M P E N D I V M.

In Regula S.Franciſci cauetur, quod Miniſtri Ordinis petant à Papa vnum de S. R. E. Cardinalibus, qui ſit Ordinis Franciſcani Protector,& Corrector. §. 3. Quidam Protectores fines ſuæ poteſtatis exceſſerunt.§.4. Quam ideo hic Pont. limitat, & facultatem immutandi ſtatuta Ordinis denegat. §. 5. Et Prælatorum, Officialiúmque priuationem. §. 6. Ac facultatem promouendi ad gradus denegat. §. 7. Mutandique Fratres. §.8. Eoſdem gratiandi, & puniendi. §. 9. Res Ordinis concedendi. §.10. Iuſſus Prælatorum mutandi. § 11. Fratrumque recurſum. §. 12. Prohibet Fratribus impetrare contraria. §.13. Hortatur Protectorem ad prouidam Ordinis protectionem. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. An Miniſtri teneantur petere vnum Cardinalem in ſpeciali, vel in generali, vt ſatisfaciant Regulæ, de qua in §. 1.

RESP. Hugo in expoſitione d. Regulæ cap.vlt.ſatis eſſe inquit,vno,vel altero modo Protectorem petere, & ibi ſubdit aliqua de munere optimi Protectoris.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sciſne aliquem ex Protectoribus hoc protectionis munus laudabiliter exercuiſſe, dum dicitur aliquos ſuæ authoritatis fines exceſſiſſe in §. 4.

R E S P. Hugo proximè citatus inquit, hunc Pontificem iſtius Ordinis protectionẽ optimè adminiſtraſſe, multa de eius laudibus recenſendo, & eaſdem repetit Eman. Rod. de quæſt. Regul. tom.3. quæſt.42. art.1.

V.

REleuationi iniuſtorum grauaminũ,& infr.pag.222.Bullarij. *Edita Anno* 1373.

C O M P E N D I V M.

Prohibet Officialibus omnium Terrarũ, Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubiectarum, ciues, & incolas earum cogere ad granum,ligna, & ſimilia,abſque iuſto pretio ſibi deferenda. §.1. Statuta, & conſuetudines contrarias reuocat.§.2.

In

Digitized by Google

In contrariū attentāda declarat irrita,& contrauenientibus pœnas imponit. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Conſtitutio iſta pœnalis ligat, ſi non conſtat de publicatione?

RESP. Non ligat ad pœnam,quamuis regulariter liget ante publicationem, vt actus ſit nullus. Rota coram Put.deciſ. 281.lib. 1. nu.1.& ſeqq. in vltimo impreſſis. Theſaur.deciſ.249.num.6. & ſeq.Rota coram Blanchet. in vna Calaguritana Beneficij. 17.Maij 1593.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ergo iſta conſtitutio, quæ non videtur publicata, remanet vſque modò otioſa?

RESP. Imò ligat,& afficit, quia legitur impreſſa in volumine conſtitutionum Marchiæ cap. 38. lib. 1. quæ paſſim ſunt in communi obſeruantia apud omnes, & ita limitatur regula ſupradicta Gabr. de Clauſul. concluſ. 4. nu.64. Rota coram Ottembergh.in vna Valentina Baroniæ.4.Iulij 1603.& coram Marcomonr. in vna Hortana Locationis. 14. Aprilis eodem annno.

V I.

Edita Anno 1373. PEr Romani Pontificis prouidentiam, & infra pag. 221. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, quod Religioſi etiam Mendicantes, in Capellanos Sedis Apoſtolicæ electi, & eligendi, eorum Superiorum, & Correctorum iuriſdictioni in omnibus, & per omnia remaneant ſubiecti.§.1.& 2. Priuilegiis omnibus dictis Capellanis ſub quacumque forma conceſſis, & concedendis, derogat. §. 3. Sanctionem pœnalem addit. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi ſint Capellani Regij?

RESP. Seruanda videtur diſpoſitio Innoc. III. in cap. Cùm Capella. 16. de priuileg. quam innouauit ſacrum Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 11. ſecundum Rodr. de quæſt. Regul. tom. 1. q. 64. artic. 4. A cuius ſententia libenter diſcedo, quia Concilium Tridentinum, vt patet ex lectura, non loquitur de perſonis regularibus, & ideo Capellanos Regios regulariter hac prohibitione ligari, non dubium videtur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc indulta Religioſorum ſunt odioſa, & ſtrictè interpretanda?

RESP. Strictè quidem; quia laxioris vitæ occaſionem præbere cognoſcuntur,vt colligitur ex d.cap. Cùm Capella. & ibi omnes notant, & ad verbum dicitur in d.Concil.Trid.& faciunt ſcripta à D. Bernardo de præcept.& diſpenſ.

V I I.

VIrtute conſpicuos ſacri veſtri Ordinis profeſſores, & infra pag. 223. Bullarij. *Edita Anno 1374.*

COMPENDIVM.

Decernit, Magiſtrum generalem Fratrum Prædicatorum Ordinis S.Dominici, ſtatim electum liberè totius Ordinis regimen habere. §.1. & 2. Diffinitorúmque authorem præſcribit. §.3. Et electorum. §. 4. Decernit etiam, Epiſcopos de inſtitutione Priorum non ſe intromittere.§.5. Quidue agendum ſit de Priorum non confirmatorum electione, ſtatuit.§. 6. Et quod vocalibus longè abſentibus tempus non currat.§.7. Fratréſq; vt promouendi. §. 8. Oratoriíſque & Altari portatili vtantur.§. 9. Vt celebrent tempore interdicti. §. 10. Prælati vt abſoluant Fratres, & è contra.§.11. & 12. Venientéſque ad Ordinem. §.13. Decernit, non cogi ad officium extra ordinem,vel cognitionem cauſarum, curam Monialium, citationes, & denunciationes ſententiarum, niſi à Papa. §.14 Fratres extra clauſtra vagantes reuocentur. §. 15. Miſſi à Sede Apoſtolica ad prædicandum Crucem, vel inquirendum, &c. à Mag. generali reuocari poſſint. §. 16. Profeſſi recedentes ab Ordine coërceantur.§.17. Licentiatique ſi ad arctiorem Ordinem non tranſierint.§.18. Apoſtatæ etiam.§.19. Eiecti, vel egreſſi non prædicent.§.20. Habitus conſimilis aliis Ordinibus interdicitur. §. 21. Exempti ſunt à decimis de hortis, & virgultis. §.22. Incerta reſtituenda ab intrantibus Ordinem, illi poſſunt applicari. §. 23. Sepultura in locis Ordinis cuique detur. §. 24 Sed nemini eam dare cogantur. §. 25. Neque ad audiendum confeſſiones, vel ſynodos,& proceſſiones.§.26.Fratres vt confiteantur extra Ordinem.§.27. Eximuntur à canonica portione. §. 28. Bona locorum, quæ dimittunt,ad alia loca

poſſint transferre. §. 29. Eximuntur à contributionibus. §. 30. Et à iuriſdictione Ordinariorum. §. 31.

Scholion primum.

Quæro. Vagantes extra clauſtra, de quibus in §. 15. poterunt de licentia Epiſcoporum prædicare?

RESP. Non poterunt, niſi cum licentia Sedis Apoſtolicæ, quia ſic ſtatuit Concil. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. §. præterea.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dicuntur extra clauſtra vagari, qui extra Monaſteria de licentia ſuorum Prælatorum, pro aliquibus agendis negotiis viuunt?

RESP. Non, vt in terminis non abſimilis bullæ tradit Rod. de quæſt. regular. tom. 3. quæſt. 32. artic. 9.

VIII.

Edita Anno 1376.

ETſi à ſacris Canonibus, & infra pag. 226. Bullarij.

COMPENDIUM.

Illegitimi de iure Canonum, abſque canonica diſpenſatione non admittantur ad beneficia Eccleſiaſtica, in princ. Et quia Eccleſiæ Patriarchales Vrbis, nempe Lateranenſis, & Beati Petri, & B. Mariæ Maioris, cæteris maiori dignitate præcellunt, decernit hic Pontifex, illegitimos ad earum Canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, vel officia non admitti, niſi præuia legitima, & ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. §. 1. Contraria decernit irrita. §. 2. Declarat hanc ſanctionem non obſtare his, qui iam dicta beneficia canonicè obtinent. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid de legitimatis à Papa?

RESP. Simpliciter legitimatus, dicitur reſtitutus ad honores, & ad minores Ordines tantùm, non autem ad ſacros aſcendere valet, abſque pura diſpenſatione, niſi aliunde ex verbis mens Papæ colligatur, quod eum voluerit ad ſacros Ordines poſſe promoueri. Summa Tabien. in verb. Clericus. 1. §. 3. & plenè Maiol. in ſuo Tract. de irregul. lib. 1. cap. 8. num. 4. & ſeqq. vbi ampliat, num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Papa diſpenſet cum Petro illegitimo ad Canonicatum iſtarum Eccleſiarum, an intelligatur diſpenſatus ad Canonicatum, quem Pater obtinet in vna ex dictis Eccleſiis?

RESP. Non, vt docet Summa Tabien. in verb. Beneficium. 2. num. 13. & Maiol. in loco allegato num. 9.

IX.

Edita Anno 1376.

CVpientibus à ſæculi vanitatibus elongari, & infr. pag. 226. Bull.

COMPENDIUM.

Archiepiſcopus Mediolanenſis ſupplicat Papæ, vt Fratres in Eccleſia S. Ambroſij ad Nemus Mediolani, ob deuotionem erga d. Sanctum, qui ad ſolitudinem ibi accedebat, religioſam vitam ducere poſſint, ſine ſcrupulo ſtantibus ſacris conſtitutionibus in contrarium. §. 1. Qui Pont. indulget, ſic eos ibi viuere poſſe ſub regula S. Auguſtini. §. 2. Fratreſque S. Ambroſij vocentur. §. 3. Eorum Prior vnus ſit, & ab Epiſcopo confirmetur. §. 4. & 5. Habitu panni berettini cum cappa & ſcapulari vtantur. §. 6. Prædicare poſſint de licentia Diœceſani. §. 7. Mortuos ſepelire poſſint. §. 8. Tranſitum ad alium Ordinem non ſtrictiorem, & beneficium Eccleſiaſticum prohibet. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt ſacræ conſtitutiones, quæ nouam Religionem prohibebant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, de quibus in §. 1.

RESP. Prima eſt Gregorij X. in cap. 1. de Religioſ. domib. lib. 6. & ſecunda eſt Bonifacij VIII. in cap. 1. de exceſſib. Prælatorum, eod. lib.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sufficiebat licẽtia Sedis Apoſtolicæ, abſq; cõſenſu iſtius Archiepiſcopi?

RESP. De iure communi ſufficere arbitror; ſed hodie non ſic, quia Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de reformat. requirit etiam licentiam Epiſcopi eius diœceſis, in qua noua loca erigenda ſunt. Quod ampliauit poſtea Clem. VIII. in conſt. 99. vbi de hoc etiam agemus.

X.

Edita Anno 1376.

SAcra, & immaculata veſtra Religio, & infra pag. 227. Bullar.

COMPENDIUM

Benedictus XI. in ſua conſt. 1. quæ erit hic

hic in Appendice, eximit Monaſterium S. Spiritus de Sulmona, eiuſque membra Ordinis Monachorum Cœleſtinorum, à ſolutione decimarum de fructibus ſuarum terrarum, tunc acquiſitarum. §. 1. Ioannes XXII. voluit quæcumque loca poſtea acquiſita, & acquirenda gaudere eiſdem omnibus priuilegiis. §. 2. Hic Pōt. decernit de poſſeſſionibus iam acquiſitis, de quibus Ordo decimas ſoluere non conſueuit, necnon de nouaſibus poſſeſſionum acquirendarum, quas Monachi ſuis manibus, vel expenſis excolunt, & de hortis, nutrimentiſque animalium, decimas non debere. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Cur de Abbate S. Spiritus ſpecialiter meminit?

RESP. Quia ipſa Abbatia S. Spiritus eſt caput omnium Monaſteriorum, & locorum huius Congregationis, & ipſe Abbas totius Congregationis eſt moderator, & rector, vt expreſsè diffinitum eſt ſpeciali Cōgregationis ſtatuto, quod eſt in cap. 2. ſuarum conſtit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *de nutrimentis animalium*, de quibus in §. 3. quid ſignificant?

RESP. Id eſt, de animalibus, quæ Monachi nutriunt. Gloſ. in clem. 1. de decim. in verb. Animalibus, quam poſt alios ſequitur Rod. de quæſt. Regul. to. 1. quæſt. 44. artic. 4.

VRBANVS VI.
Italus, creatus anno 1378.
CONSTIT. I.

Edita Anno 1379.

APoſtolicæ Cameræ, per quam S.R.E. & infra pag. 227. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Camera Apoſtolica oneribus, & neceſſitatibus S. R. E. ſubuenit, intendens hic Pontifex eius diſpendiis obuiare, dat Camerario facultatem per ſe, vel alium cognoſcēdi quaſcumque cauſas, intereſſe d. Cameræ quomodolibet tangentes, tam cum perſonis ſæcularibus, quam quibuſcumque Eccleſiaſticis. §. 1. & 2. Summariéque, & manu regia procedendi. §. 3. Cameræ huiuſmodi ab aliis Iudicibus reaſſumendi, eiſque inhibendi. §. 4. Quibuſcumque contrariis non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Præeſt ergo Camerarius hodie ærario Papæ, dum cauſas intereſſe Cameræ, quæ neceſſitatibus Sedis Apoſtolicæ ſubuenit, cognoſcit?

RESP. Præeſt, & præfuit etiam à tempore Innocentij Primi ad Pontificatum euecti, circa annum 417. Ipſe etenim de libro Cameræ, vt credo, introituum eius exiſtente apud Camerarium reperto, meminit in cap. Ad audientiam. 13. de præſumptionib.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erogatne etiam eleemoſynas pauperibus hodie, vt aliàs erogaſſe inquit gl. in Clem. 2. §. Eo tamen, in ver. Camerarium?

RESP. Papamet hodie erogat eleemoſynas per manus Prælati, ad hoc ſpecialiter per eum electi, Eleemoſynarij nuncupati; ſed pecunias ab ærario ille recipit, vigore mandati per Camerarium ſubſcripti, & etiam Theſaurarij alterius Papæ primarij Officialis, vt omnes ſciũt.

II.

SAcroſancta Romana Eccleſia, & infra pag. 228. Bullarij. *Edita Anno 1379.*

COMPENDIVM.

Collaudat Ordinem Fratrum Seruorũ B.M.V. in proœm. Cui propterea exemptionem tribuit à iuriſdictione Ordinariorum, & quacumque exactione, & ſub B. Petri protectione ſuſcipit. §. 1. Contrariis non obſtantibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Stante hac generali exemptione, tenentur iſti Fratres ad quartam, funeralium occaſione eis legatorum pro ſepultura apud eos electa per Parochianos aliarum Eccleſiarum?

RESP. Non teneri probat Bald. in conſ. 270. lib. 4. vbi in ſpecie de hac Bulla loquitur. Sed hodie priuilegio eiuſmodi exemptionis, vbi quadragenaria non extat præſcripto, Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 13. de reform. derogauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi receptio ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, de qua in §. 1. ſola de per ſe quid operatur?

RESP. Quod Papa Fratribus ſedulò

Digitized by Google

ſuccurrit, ne iniuſtè grauentur, ad tex. & gloſ. in cap. Recipimus. 8. de priuileg. Gemin. conſ. 81. num. 3.

III.

Edita Anno 1383. QVia ſicut diſplicenter accepimus,& infra pag. 229. Bullarij.

COMPENDIVM.

Principes, & alios laicos refert auſos fuiſſe, miniſtros Eccleſiæ bannire, relegare, ſeu proſcribere, in princ. Eoſdem de cætero hæc facere præſumentes excommunicationi, & reſpectiuè interdicto ſupponit. §. 1. Abſolutionem, & relaxationem ſibi reſeruat, præterquàm in articulo mortis. §. 2. Contrariis derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Aliquiſne Princeps ſæcularis hoc antea ſtatuerat?

RESP. Federicus IX. Imperator II. generaliter hoc edixit in eius l. 3. confirmata ab Honor. III. fol. 43. in Bullar. & ſpecialiter à Carol. IV. Imperatore in ſua conſtitutione approbata per Bonif. IX. in eius conſtit. 2. in Bullar. fol. 233. §. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Perſonæ Eccleſiaſticæ, de quibus hic, quæ ſunt?

RESP. Quæ per Ordinis ſuſceptionem, aut per approbatæ Religionis habitum, vel ingreſſum, Deo ſe dicarunt, etiamſi Nouitij ſint, aut Conuerſi, imò etiam, qui per Ordinarium alicui Eccleſiæ, aut Monaſterio deputati ſunt, per text. in cap. Duo ſunt. 7. cauſ. 12. quæſt. 1. gloſ. 1. in cap. 5. de ſentent. excommunicat. Nauar. de ſpol. Clericor. §. 1. ſub num. 2. & de reddit. Eccleſ. quæſt. 55. num. 3. & ſeqq. Et in terminis Bullæ in die Cœnæ Domini à Clem. VIII editæ, tradit Vgolin. de cenſur. Pontif. reſeruat. par. 2. cap. 15.

BONIFACIVS IX.

Italus, creatus anno 1398.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1390. SVperni benignitas Conditoris, & infra pag. 229. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beatæ Mariæ Virginis laudes enarrat, ex cuius vtero carnem Verbum ſuſcepit, vt redemptionis opus impleret, in princ. B. Virgo, in cuius ſe clauſit viſcera Dei Filius factus homo, tanquam humilis ancilla viſitauit cognatam ſuam ſterilem, nuncupatam Eliſabeth, quæ repleta Spiritu ſancto exclamauit dicés: *Benedicta tu inter mulieres*, &c. §. 1. Cui illa reſpondens, illud mirabile Canticum decantauit; *Magnificat anima mea Dominum*, &c. §. 2. Vnde meritò de ea ſacra canunt elogia, *Sole amicta*, &c. ibid. Hinc Vrbanus VI. feſtum huius Viſitationis celebrari iuſſit die 2. Iulij, & vigiliam fieri conſuluit. §. 3. Et indulgentias intereſſentibus officiis huius feſti verè pœnitentibus, & confeſſis conceſſit. §. 4. Eius tamen bulla, ipſius ſuperueniente obitu, non fuit expedita. §. 5. Hic ideo Pontifex prædicta decernit ſiue approbat. §. 6. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Qua occaſione feſtum huius Beatiſſimæ Virginis inſtitutum fuit?

RESP. Vt eius opem ad extinguendum dirum ſchiſma, ex electione Clementis VII. antipapæ anno 1378. exortum, Dei Eccleſia propenſiùs imploraret. Baron. in Martyrolog ſub die 2. Iulij. Eiuſmodi verò ſchiſmatis occaſionem, peſſimóſque inde ſucceſſus, poſt alios ſcribit Ciacon. de vit. Pontt. poſt vitam Vrbani VI.

Schol. ſecundum.

Quæro. Schiſmatis tempore fortaſſe aliquis hanc ſolemnitatem oppugnauit?

RESP. Adalbertus oppugnauit, cōtra quem Ioannes Pragenſis tractatum edidit, in quo eruditè quamplura diſſerit, & texit etiam nonnulla miracula, ac reuelationes, quibus Deus hanc ſacratiſſimam ſolemnitatem manifeſtiſſimè comprobauit, vt aſſerit Baron. in Martyrolog. vbi ſupra.

II.

IN ſupremæ dignitatis Apoſtolicæ, & infra pag. 231. Bullarij. *Edita Anno 1391.*

COMPENDIVM.

Ad ſupplicationem Marchionis Eſtēſis in Ciuitate Ferrariæ Papæ Vicarij generalis,

generalis, & Communis eiuſdem Ciuitatis, erigit hic Papa Studium generale in ea, cum priuilegiis Studij Bononienſis,& Pariſienſis. §.1.& ſeqq. Qui Scholares, & à quibus promouendi ſint decernit.§.5.Promotóſque in d.Studio, vbique legere,& docere poſſe indulget.§.6. Sanctionem pœnalem apponit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Ille Marchio Eſtenſis, Papæ Vicarius, ſiquid omiſiſſet agere de contentis in capitulis initis inter Ferrarienſes, & Venetos, à Clem. V. firmatis, præiudicaſſetne Sedi Apoſtolicæ?

RESP. Nō præiudicaſſe probat Florian.de S.Petro in conſ.10.impreſſo poſt eius lecturam, ſuper Inſortiato, ſub num. 19.

Scholion ſecundum.

Quæro. Angelus Aretinus nónne fuit Lector in hoc Gymnaſio?

RESP. Lectorem ibi fuiſſe ipſemet ſcribit in princip. Inſtitut. & ante eum primò ibidem legiſſe Bartholomæum Salycetum anno 1316.ſcribit Horat. Lur. de priuileg.Scholar.cap. fin.ſub num.23. Sed hoc vltimum mihi perſuadere non poſſum, cùm longè pòſt hoc Studium (vt hic vides) inſtitutum ſit à Sede Apoſtolica, quæ etiam ante eum annum 1316. erat Domina d. Ciuitatis Ferrariæ, vt patet ex eo, quod Clemens V. vti illius Dominus capitula cum Venetis approbauit, vt refert Florian. mox cit. Qui tamen Clemens iam Pontificatu,& vita exceſſerat, anno ſcilicet 1314. vt annotauit Genitor meus in fine eius cōſtit. 4. in Bullario, pag. 151. tom. 1.

III.

Edita Anno 1391. SAcroſancta Romana Eccleſia, & infra pag. 231. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat merita, & laudes Ordinis Carthuſienſis, in princ. Eximit ideo ab omni ſuperioritate, & viſitatione Epiſcoporum, & aliorum quorumcunque Iudicum. §. 1. & ſeqq. Sanctionem pœnalem apponit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Fuitne vnquam poſtea hæc ſanctiſſimi Ordinis exemptio controuerſa?

RESP. Fuit pluries, & ſignanter tempore Nicolai V. qui die 15. Decembris anni 1452. eam comprobauit, & declarauit, vt legitur in libro Priuilegiorum d. Ordinis impreſſo, pag. 41. cuius exemplar in Bibliotheca Genitoris mei extat. Et poſtremò Sixtus V. die 13. Nouembris 1588. ampliſſimam confirmationem omnium gratiarum d. Ordinis dedit, vt in Bulla eius legitur, quæ eſt omnibus notiſſima, & à Genitore meo de more prætermiſſa,tanquam confirmatoria dumtaxat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur iſte Ordo, Carthuſienſis nomen ſortitus eſt?

RESP. Quia in ſolitudine Carthuſiã, quæ eſt Eremus in altiſſimis montibus,iuxta Gratianopolim,ſecũdum Sur. in vita Sancti Brunonis, inſtitutus fuit, teſte Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 11. pag. 595. & Rod. de quæſtion. Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic. 8. licèt ille anno 1086. & iſte anno 1084. inſtitutionem cœptam aſſeueret, & cum Rod. concordat Sur. vbi ſupra.

IV.

IVſtis, & honeſtis ſupplicum votis, & infra pag. 232. Bullarij. *Edita Anno 1391.*

COMPENDIVM.

Enarrat, Fridericum II.q. Imperatorem quaſdam edidiſſe leges pro immunitate Eccleſiaſtica. §. 1. Eáſque confirmaſſe Honor.III.§.2.Alias inſuper leges huiuſmodi Carolum IV. Imperatorem edidiſſe. §. 3. Quas omnes hic Pontifex obſeruari iubet. §. 4. leges Friderici II. indicat eſſe in Bullar.fol. 43.Leges verò Caroli IV. ſubnectit.

Scholion primum.

Quæro. De his legibus Imperatoriis quid actum fuit in generali Concilio Conſtantienſi?

RESP. Illa Synodus in 19. ſeſſ. eas approbauit, & obſeruari præcepit, cum multis adiectionibus, quibus libertati Eccleſiaſticæ plurimum fauetur. perlege ergo, quia extant in actis d. Concilij.

Scholion ſecundum.

Quæro. De d. Friderico multa à te ſuperiùs percepi, nunc de præfato Carolo IV. dicas quæſo, an ipſe Imperator creatus fuerit in ſchiſmate contra Ludouicum Bauarum?

R E S P. Eo tempore creatus fuit, nempe die 9. Iunij 146. cùm à Summo Pont. Clem. V I. Ludouicus denuo eſſet eodem anno anathematizatus, qui anno ſubſequenti die 11. Octobris ab equo præcipiti caſu labente oppreſſus extinctuſque fuit, vt nouiſſimè refert Ciacon. in vita dicti Clemen. V I.

V.

Edita Anno 1391. AB origine mundi, & inf. pag. 233. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

B. Brigitta, vel Brigida, de regia ſtirpe Catholicorum Sueriæ Regum orta, orationibus, ieiuniis, & aliis virtutibus illuſtris fuit. §. 11. & 15. Vnà cum eius marito limina B. Iacobi Apoſtoli in Compoſtella viſitauit. §. 20. Mortuo viro Romam petiit, & Hieroſolymam, ac alia in quibus Chriſtus conuerſatus eſt, loca conſpexit. §. 22. Aſperis veſtibus vſa eſt. §. 23. Ieiuniis, & corporis macerationi ſtuduit. §. 24. Multis aliis virtutibus refulſit. §. 25. & ſeqq. Multiſque miraculis claruit. §. 33. & ſeqq. Proinde inter Sanctas refertur. §. 41. Feſtum eius pro die 23. Iulij inſtituitur. §. 42. Indulgentiæ eius corpus viſitantibus conceduntur. §. 43. Publicatio huius conſtitutionis. §. 44.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, hanc Sanctam multas in vita à Chriſto reuelationes habuiſſe?

R E S P. Veriſſimum, & eas habes conſcriptas in parte à Surio de Hiſtor. Sanctor. ſub die 23. Iulij. ſingulas autem perlege ordinatim congeſtas olim à Cardinale Turrecremata recognitas, & nouiſſimè à Gonſaluo Durante Theologo notis illuſtratas.

Scholion ſecundum.

Quæro. Miracula pro canonizatione alicuius Sancti, num per teſtes directò probari poſſunt?

R E S P. Non, quia directa probatio eſt per rerum principia: miraculum verò ex ſubiecto, in quo fit, non habet principium. Probatur ergo indirectè per teſtes, ſi deponunt aliquid, quod vires naturæ excederet, vel quoad factum, vel quoad modum facti, quemadmodum docet Archidiacon. in cap. Nec mirum. 14. cauſ. 26. quæſt. 6. num. 6. in fine, & ſequitur Maſcard. de probat. lib. 2. concluſ. 1063. num. 12.

INNOCENTIVS VII. Italus, creatus anno 1404.

CONSTIT. I.

SEdis Apoſtolicæ prouidentia, & infra pag. 237. Bullarij. *Edita Anno* 1405.

C O M P E N D I V M.

Approbat nouas conſtitutiones, capitula, & ſtatuta Fratrum, & Sororum Ordinis Prædicatorum de Pœnitentia S. Dominici nuncupatorum, qui quandam regulam, ſeu viuendi normam, vſque modò ſeruarunt. §. 1. & ſeqq. Quorum cap. 1. eſt de recipiendis ad Ordinem. cap. 2. habitu. cap. 3. modo recipiendi ad Ordinem. cap. 4. modo profitendi. cap. 5. permanentia in Ordine. cap. 6. Horis canonicis recitandis. cap. 7. ſurgendo ad Matutinum. cap. 8. confeſſione, & communione. cap. 9. ſilentio. cap. 10. reuerentia exhibenda Prælatis, & Eccleſiis eorum. cap. 11. ieiuniis. cap. 12. cibis. cap. 13. diſcurſu extra clauſtra. cap. 14. armis non ferendis. cap. 15. infirmis viſitandis. cap. 16. ſuffragus pro defunctis. cap. 17. inſtitutione Prioris, ac Priorîſſæ. cap. 18. officio eorum cap. 19. correctione Fratrum. cap. 20. quando ad Eccleſias Fratrum Prædicatorum conuenire debeant, & corrigi. cap. 21. vt diſpenſari poſſint ſuper iſtis conſtitutionibus. cap. 22. quod hæc viuendi formula non obliget ad culpam. cap. 23. Sanctio pœnalis.

Scholion primum.

Quæro. Iſte Ordo Fratrum, & Sororum de Pœnitentia S. Dominici, aliàs Tertiariorum, fuit à S. Dominico inſtitutus.

R E S P. Inſtituit, tamen imitando S. Franciſcum, cuius contemporaneus fuit, vt ſcribit Ant. Florent. par. 3. tit. 23. cap. 14. §. 2. quem ſequitur Rod. de quæſtion. Regul. tom. 3. quæſt. 72. artic. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Mulier Tertiaria collegialiter viuens, poſt emiſſa tria vota ſubſtantialia in manibus Miniſtræ Tertiariarum, poteſt contrahere matrimonium?

R E S P.

RESP. Non poſſe contrahere, extat expreſſa Pauli III. declaratio, quam primò impreſſam vidi in libro Priuilegiorum Ordinis S. Dominici, & deinde apud Rod. tom. 3. quæſtion. Regul. q. 72. poſt artic. 2.

GREGORIVS XII. Italus, creatus anno 1406.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1406. ILlis, quæ pro diuini cultus augmento, & infra pag. 239. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert Epiſcopum Kiſſamenſem iuſſu Bonifacij IX. Eccleſiam S. Georgij in Alga, Caſtellanenſis diœceſis de Venetiis, quæ tunc Monaſterium S. Auguſtini erat, in Collegiatam erexiſſe, & in ea Priorem, & Canonicos ſæculares Capitulum facientes, & quoſdam beneficiatos inſtituiſſe, & quædam alia ſtatuiſſe, quæ in inſtrumento deſuper confecto continentur. §. 1. Confirmat hæc omnia ad petitionem d. Prioris, & Capituli. §. 2. & 3. Inſerit tenorem inſtrumenti, in quo habetur Bulla Bonifacij IX. §. 5. & 6. In qua Bonifacius die 15. Martij anno ſui Pontificatus decimoquinto, d. Epiſcopo mandat, vt d. Monaſterium reformet, ſtatúmque eius mutet, & quæ vtilia videbit, ſtatuat, & diſponat. §. 7. Qui Epiſcopus regularem obſeruantiam penitus deſtitutam inuenit. §. 8. Idcóque Collegiatam Eccleſiam Canonicorum, & Clericorum ſæcularium in communi viuentium ibi inſtituit. §. 9. Collegium, & Capitulum erigit, & ad illud transfert omnia iura d. Eccleſiæ. §. 10. Poſſeſſionémque eiſdem concedit. §. 11. Et vacante d. Prioratu Eccleſiæ, vnum ex Sacerdotibus Collegij, Rectorem eligi mandat. §. 12. & 13. Cuius officium anno expleatur. §. 14. & 15. Et inſtitutio Canonicorum, atque deſtitutio ad eum pertineat. §. 16. Eorum qualitates præſcribit. §. 17. Præbendas communes eſſe declarat. §. 18. Et dormitoriũ. §. 19. Iidem quando abeſſe poſſint declarat. §. 20. Veſtiúmque qualitates. §. 21. Numerum eorumdem taxatum eſſe non vult. §. 22. Proprietatem eis interdicit. §. 23. Diuina officia collegialiter recitari mandat. §. 24. Laicos in communi viuentes à Rectore recipi permittit. §. 25. Rectori poteſtas ſit inobedientes coërcere. §. 26. Alia ſtatuta d. Eccleſiæ irritat. §. 27. Rector autem noua conſtituere ſtatuta valeat; ſed non obligent ad reatũ peccati mortalis. §. 28. & ſeq. Subiungitur rogatus dicti inſtrumenti de anno 1404. die 30. Octobris. Venetiis, anno 1. Põtificatus Innoc. VIII. §. 30. Subditur tandem datã huius bullæ Greg. die 27. Iunij, ſui Pontificatus anno primo. §. 31. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore eiuſmodi Congregatio promota fuit?

RESP. Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 3. artic. 17. ſcribit, quod Venetiis anno 1404. licèt errore impreſſoris legatur, vt credo, 1040. fuit incepta à quodam Gabriele Condulmerio filio eiuſdem ſororis huius Gregorij Papæ XII. & in Regno Luſitano a Ioanne Vlyſipponenſis Ciuitatis Medico, & poſtea Epiſcopo Lamonenſi. Sed Ciacon. in vita d. Bonifacij IX. anno 1404. à B. Laurentio Iuſtiniano inſtitutam affirmat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ prædictorum opinio verior videtur?

RESP. Vtramque veriſſimam puto, ſiquidem non ſolùm Gabriel prædictus, ſed & Antonius Coranus nobiles Veneti, eam Congregationem promouerunt, non longè ante tẽpora huius Greg. XII. eiſque permulti alij Veneti ſe adiunxerunt, quos enumerat, & inter alios recenſet Laurentium Iuſtinianum, vt nouiſſimè Syueſter Mauronicus enarrat iu ſuo opere inſcripto. *Hiſtoria Sacra di tutte le Religioni del Mundo*, pag. mihi 341. Vnde eum meritò fundatorem enunciauit Clem. VIII. in ſuis quas edidit literis de eiuſdem B. Laurentij Miſſa, & diuino Officio peragendis, quarum authenticum in Bibliotheca Genitoris mei perlegi.

II.

EXcitat noſtræ mentis arcanum, & infra pag. 242. Bullar. *Edita Anno 1407.*

COMPENDIVM.

Quendam Conuentum S. Saluatoris de Sylua Lacus, Senenſis diœceſis, qui

hactenus erat Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, erigit in Prioratum Conuentualem pro Canonicis Regularibus S. Saluatoris. §. 1. & ſeqq. Eximit à ſuperioritate Epiſcopi, & aliorum. §. 3. Dat facultatem eligendi Priorem. §. 4. & 5. Cuius officium anno expleatur. §. 6. & ſeqq. Priuilegia Fratrum Eremitarum S. Auguſtini,& Canonicorum Regularium concedit. §. 7. Conſtitutiones pro eorum regimine faciendas quibuſdam Prælatis committit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Nomen ergo S. Saluatoris ab anno iſto 1407. iſti Canonici acceperũt.

R E S P. Id veriſſimum liquet ex lectura huius Bullæ; vnde corrigendus videtur Rod. de quæſtion. Regul. tom. 1. quæſt. 3. art. 1. dum anno 1418. hoc nomen ſortitos eſſe affirmat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſſet Canonicus regularis aliquem leuare baptizatum de fonte, & eſſe patrinus, quòd heri à me id poſtulatum fuit?

R E S P. Multa pro vtraque parte dici poſſent; ſed verior eſt opinio negatiua, quam probat Nauar. in conſ. 5. aliàs 10. de ſtatu Monachorum lib. 3. cum quo ſtat Rod. de quæſt. Regul. to. 1. quæſt. 31. artic. 2.

I I I.

Edita Anno 1415.

SAcrum nonnullorum Fratrum Eremitarum,& inf pag. 243. Bul.

C O M P E N D I V M.

Refert, Carolum Comitem Montis Granelli licentiam impetraſſe ab Innoc. VII. vnà cum ſociis eius, eremiticam vitam degendi, ſub regula S. Hieronymi. §. 1. & 2. Impetrationémque ab ipſo Greg. approbatam fuiſſe. §. 3. Eam quoque ipſum ampliaſſe pro aliis locis,& ſociis. §. 4. Et modò iterum ampliat, vt quæcumque loca, & quoſcumque ad Ordidem venientes recipiat. §. 4. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur nomen Congregationis Fratrum S. Hieronymi nuncupatur, quique fuerant ſocij Caroli eius inſtitutoris?

R E S P. Colligitur ex hac Bulla, quod hi Fratres ſecundum Regulam, & conſtitutiones à S. Hieronymo pro Monachis hactenus editas, vitam ducunt; quod expreſſiùs explicauit Martinus V. in quadam eius Bulla, quam impreſſam legi in libro Priuilegiorum huius Ordinis, pag. 15. Soeij autem d. Caroli fuerunt Rodon. Montigranellus, & Gualterus, homines Florentini, teſte Azorio de Inſtitut. moral. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1663.

Schol. ſecundum.

R E S P. Cogor extra limites mei inſtituti egreſſus, abs te quærere, ob quam cauſam hic Pont. Papatui renunciatit, vt Genitor tuus poſt finem huius conſtit. ſubnectit.

R E S P. Iſte Greg. hac lege iureiurando firmata, ad Pontificatum poſt obitum Innoc. VII. Prædeceſſoris aſſumptus fuit vt nouos Cardd. non crearet, & Pontificatum deponeret, quoties Bened. XIII. antipapa illi renunciaret: ſed contra eiuſmodi iuratam legem quatuor Cardinales creauit Lucæ in Hetruria, de menſe Iunij anni 1408. & abdicationi Pontificatus ſe difficilem reddidit, prout etiam Benedictus Cardinalis. Ergo vtroque eorum derelicto, vnanimi conſenſu generali Piſis Concilio conuocato, Gregorium, & Benedictum ad illud vocatos, & accedere contemnentes, die 5. Iunij 1409. Pontificia dignitate priuarunt, & die 15. eiuſdem menſis Alex. V. verum Pontificem pronunciarũt, qui parum ſedit in Pontificatu, morte præuentus Bononiæ die 3. Maij 1410. & eius loco Bononiæ pariter ſuffectus eſt Ioannes XXIII. die 17. Maij 1410. qui bono pacis, & extirpandi ſchiſmatis gratia, Concilium generale Conſtantienſe indixit die 9. Decembris 1413. vt habetur in conſtitutione ſeq. Illic præſentialiter interfuit, & Papatum ſponte depoſuit die 2. Martij 1415. vt Concilium quem vellet, pronuntiaret Pontificem. Hoc idem Gregor. XII. timens depoſitionem Concilij Piſani, futurúmque iudicium Concilij Conſtantienſis effecit, cum mediante Carolo Malateſta, ad id ſpecialiter procuratore conſtituto, Papatui ceſſit die 4. menſis Iulij d. anni. Cuius poſtea Concilij decreto, Bened. &. XIII. pſeudo-Papa damnatus, Ioanne XXIII. à Mart. V. die 23. Iunij 1419. Florentiæ in Cardinalem,

nalem, & Epiſcopum Tuſculanum, & Collegij Cardinalium Decanum creatus, & Gregor. iſte aliter prouiſus fuit, vt ad hanc Bullam Genitor meus adnotauit. Hæc omnia colliguntur ex actis huius Concilij, & notis Seuerini Binij eleganter ad illud appoſitis, necnon à Ciacon. in vita prædictorum Pontificum.

IOANNES XXII.

Italus, creatus anno 1410.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1413. AD pacem, & exaltationem Ecclesiæ,& infra pag. 243. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat, Alexand. V. eius Prædeceſſorem in Concilio Piſano conſtituiſſe, iterum generale Concilium conuocandum fore in loco, & termino Papæ bene viſo § 1. Eo autem vita functo, ipſum Romæ d. Concilium conuocaſſe. §. 2. Sed non adueniente numero ſufficienti Prælatorum, aliud, & alibi cogere putaſſe. §. 3. Precibus tamen Sigiſmundi in Imperatorem electi, locum declarare diſtuliſſe. §. 4. Legatóſque ad eum ideo miſiſſe, cum poteſtate declarandi d. locum, & tempus,& cos Ciuitatem Conſtantienſem elegiſſe pro Concilio ibi celebrando die prima Nouembris 1414. §. 5. Quæ hic Pontifex approbat. §. 6. Principéſque & Prælatos ad d. Concilium conuocat. §. 7.

Scholion primum.

RESP. Quare hoc fuit indictum Concilium?

RESP. Ex proximè dictis patet, ob tollendum ſchiſma, & pacem Eccleſiæ reddendam, proptereáque hic Pont. perſonaliter acceſſit, ibique his verbis quæ in actis Concilij habentur, Papatui cedere promiſit. *Ego Ioanes Papa XXIII. propter quietem totius populi Chriſtiani profiteor, ſpondeo, promitto, iuro, voueo Deo, & Eccleſiæ, & huic Sacro Concilio, ſpante, & liberè dare pacem Chriſtianæ Eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus, & eam facere, & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præſentis Concily, & ſi quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corarius Greg. XII. in ſuis obedientiis nuncupati, Papatum, quem prætendunt per ſe, vel per procuratores ſuos legitimos ſimpliciter cedant, & etiam in quocumque caſu ceſſionis, vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari vnio Eccleſiæ Dei, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Renunciauítne poſtea cum effectu, quemadmodum promiſit Pont. iſte?

RESP. Mutato propoſito à Concilio receſſit, ſed ab eo coactus, in oppido Sellis, diœceſis Conſtantienſis, vbi ſe receperat, Papatum depoſuit, & abrogationem à Concilio poſt ſuum inde receſſum de ſe factam approbauit die 31. Maij 1415. Ciacon. ſic poſt alios ſcripſit in vita huius Pontificis.

MARTINVS V.

Romanus, creatus anno 1417.

CONSTIT. I.

INter cunctas paſtoralis curæ ſolicitudines,& infra pag. 244. Bullar. *Edita Anno 1418.*

COMPENDIVM.

Narrat, in Regno Boëmiæ, & Marchionatu Morauiæ, & locis circumſtantibus, Ioannem Vuicleff, Ioannem Husz, & Hieronymum de Praga inſurrexiſſe hæreſiarchas, diuerſáque dogmata contra Catholicam fidem diſſeminaſſe. §. 1. Synodus Conſtantienſis eos, eorumque ſcripta, libróſque damnauit. §. 2. Sed nõnulli eorum ſectatores libros eorumdẽ à d. Synodo damnatos retinebant. §. 3. Hic ideo Pont. eorumdẽ libros tenentes, doctrinas laudantes, eorumque fautores, mandat vti hæreticos Curiæ ſæculari relinqui. §. 4. Receptatores verò eorumdem, cauſa ſolùm amoris, vel ſimili, grauiter coërceri iubet. §. 5. Non reſipiſcentes ſeuerè puniri mandat. §. 6. Principibus iubet, vt de eorum locis ipſos eiciant. §. 7. Hæreticis publicis, quamuis non condemnatis, pœnas infligit. §. 8. Et etiam ſuſpectis, qui ſe non purgauerint. §. 9. Principibus mandat, vt Inquiſitoribus obediant. §. 10. Suſpectos iubet interrogari ſuper articulis Ioannis Vuicleff, & Ioannis Husz, quos poſtea

 ſubiun

ſubiungit, cum interrogatoriis. §. 11. Et ad hoc citari. §. 12. Mandat hanc bullam publicari, & etiam hæreticos omnes, eorúmque fautores, publicè denunciari. § 13. Errores prædictorum tenentes,& fautores,&c.puniri.§.14. Quibuſcumque contrariis derogat. §.15.

Scholion primum.

Quæro. Synodus ſententiam, de qua in §.2.tulitne, his hæreticis inauditis?

RESP. Obierat Ioannes Vuicleff, ideo à Concilio anno 1415. citati fuerunt omnes volentes damnatam memoriam eius, & hæreſim, peruerſáque dogmata defenſare, & nemine comparente, Synodus declarauit, illum notorium eſſe hæreticum, & pertinacem, & in hæreſi deceſſiſſe, anathemat zando ipſum pariter, & ſuam memoriam condemnando, decreuítque eius oſſa exhumari, & procul ab Eccleſia proiici, atque comburi, vt patet ex actis Concilij, poſtremò Romæ cuſi, pag. 153. & ſeq. At Ioannes Husz, & Hieronymus de Praga acceſſerunt ad Concilium, eorúmque cauſa doctiſſimis, peritiſſimiſq; Prælatis delegata fuit. Et tandem ille, ſuos & Ioannis Vuicleff errores coram Patribus pertinaciter defendere volens, damnatus, & viuus exuſtus fuit, eiúſque condemnatio habetur in iiſdem actis pag. 202. Iſte verò, hæreſes illius die 23. Septembris 1415. publicè deteſtatus, Catholicam fidem confeſſus eſt, vt legitur ibidem p. 224. Sed paulo poſt ad priſtinos reuerſus errores, die 30. Maij ſubſequentis anni condemnatus fuit,debitáſque luit pœnas, vt ibidem pag.239.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hieronymus iſte nónne ſub ſaluoconductu veniendi ad Concilium illuc acceſſit? cur ergo non debuit ſaluus poſſe redire?

RESP. De ſaluoconductu non eſt dubitandum, illud namque legitur in actisd. Concilij pag. 146. Et ſaluus profectò rediiſſet, ſi ibidem nouum delictum non commiſiſſet, in hæreſes iam tunc ferè abiuratas reincidendo: omnis etenim ſaluuſconductus intelligitur de delictis commiſſis, non autem de futuris,ad notat. per Angel.de malefic. in §. Quod fama publica, ſub n. 60. & alios quaſi innumeros DD. congeſtos à Farinac.quæſt. 29. num. 58. 59.& 60. vbi poſt alios teſtatur de communi. Quod eo verius eſt, cùm in d. ſaluoconductu adeſſet clauſula, *Iuſtitia ſemper ſalua.* Et Hieronymus in ſua abiuratione Canonum ſeueritati ſe ſubiecit, ſi in abiuratas hæreſes reincideret, vt in eiſdem actis pag.225.verſ. Inſuper iuro.

II.

QVod antidota morbis,hoc præſtare ſolent,& infra p.250. Bul. *Edita Anno* 1418.

COMPENDIVM.

Refert Vrbanum VI. quibuſdam Prælatis ſchiſmatis tempore conceſſiſſe, quod in eorum diœceſibus literæ Apoſtolicæ ab eis antea non approbatæ, non exequerentur.§.1. Refert etiam, ex hoc eiuſmodi literarum executionem nimium retardari,in iniuriā Sedis Apoſt. & præiudicium illas obtinentium. §. 2. Hic ergo Pont. ceſſante iam d. cauſa ſchiſmatis, prædictam conceſſionem,ſacro approbante Concilio Conſtantienſi, reuocat. § 3. Iubétque per executores, in ipſis literis deputatos, & cæteros omnes, liberè eas exequi debere.d. §.3. In contrarium attentanda irrita decernit.§. 4. Contraueníetoréſque ab exercitio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ad tres menſes ſuſpenſos declarat. §.5.

Scholion primum.

Quæro. Nónne abſque aliquo priuilegio eiuſmodi prohibitionem potuiſſent facere Prælati, ad euitanda ſcandala, quæ inter collitigantes euenire ſolent in hiſce executionibus, per ea, quæ conſulendo ſcripſit in ſimili ferè ſtatuto Florentiæ,Angel. in conſ.23.incipiente; Nulla perſona, ſub num.t.

RESP. Contrarium indubitanter verum eſſe probat,& Angeli conſil.prædictum reprobat Panorm. conſ. 83. libr. 1.per totum,& Felyn. in cap. Eccleſiæ S. Mariæ.10. de conſt.nu.96. & Dec.nu.185. vbi pluribus oſtendunt rationibus, eiuſmodi ſtatutum,omni iure antiquo inſpecto, contrarium eſſe libertati Eccleſiaſticæ, & ad hoc leges ciuiles, & canonicas allegant, & Dec. aliqua exempla adducit. Et hoc omnino tenēdum, quicquid Sylu. Aldobran. ibi in apoſt. ad Dec. aliter ſuper d. ſtatuto Florentiæ ſcripſiſſe dicat.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Quare Pontifex vtitur illis verbis, *Sacro approbante Concilio Conſtantienſ.* in §. 3. nónne ſolus Papa illud Vrbani V I. priuilegium reuocare poterat?

R E S P. Poterat proculdubio, ad euitandam Sedis Apoſtolicæ iniuriam, vt inquit in §. 2. prout ſcribit Alex. in conſ. 155. lib. 6. num. 13. & ſeqq. Vbi latè ampliat, id facere poſſe Papam etiam ſine cauſa, & multo magis cum cauſa expreſſa, quæ præſumitur vera; præſertim quando cauſa priuilegij ceſſat tempore reuocationis. Afflict. deciſ. 392. num. 26. Et hinc intelliges, quod illa verba *Sacro*, &c. conſenſum Concilij non neceſſarium indicant.

I I I.

Edita Anno 1418. IN Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, & infra pag. 250. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Abbreuiatores & Notarij Apoſtolici ſeruent eorum taxas. §. 2. Literæ Apoſtolicæ reſcribantur ab eo, qui errauit in ſcribendo. §. 3. Scriptores exerceant officium per ſe ipſos. §. 4. Officium Scriptoriæ, & Abbreuiatoriæ non retinetur cum officio Pœnitentiariæ. §. 5. Abbreuiatores ante admiſſionem examinētur. §. 6. Cuſtodis Cancellariæ officium, & munus præſcribitur. §. 8. Conſtitutio Cancellariæ vt probat in iudicio. §. 9. Literæ Apoſtolicæ iuſtitiam concernentes, expediantur in ſignatura Iuſtitiæ. §. 10. Examinatorum munus, & qualitates enunciantur. §. 11. Bullatores quid recipiant pro bullandis literis. §. 12. Regiſtratorum officium quod. §. 13. Auditorum Rotæ quæ requirantur qualitates, & inquiſitio. §. 14. & 15. Auditores diſputationem teneant. §. 16. Admiſſio eorum quando. §. 17. Munus eorumdem quod. §. 18. Præuentio attendenda inter Auditores, in concurſu commiſſionum pluribus directarum. §. 19. Notarij Rotæ non habitent cum Auditoribus. §. 20. Eorumdem qualitates quæ. §. 21. Officium per ſubſtitutum abſque licentia non exerceant. §. 22. Habitus eorum qui. §. 23. Obtento aliquo beneficio, dimittant officium. §. 24. Delinquentes in officio coërceantur. §. 25. Taxam obſeruent. §. 26. & ſeqq. Aduocatorum Conſiſtorialium quæ requirantur qualitates. §. 28. Eorumdem malè ſe gerentium in Conſiſtorio pœna. §. 29. Procuratorum Rotæ qualitates. §. 30. Eorumdem munus. §. 31. Habitúſque & vita. §. 32. Sacerdotes non ſint. §. 33. Salaria Aduocatorum, & Procuratorum quæ. §. 34.

Scholion primum.

Quæro. Cancellariæ Papæ, de qua hic agitur, quis præeſt?

R E S P. His temporibus præeſt vnus ex S. R. E. Cardinalibus, qui Vicecancellarius appellatur, vt omnibus notum eſt, & Practicus Veſtrius ſcribit in ſua Prax. Rom. Curiæ, lib. 1. cap. 4. in princ. Quamuis vſque ad tempora Bonif. VIII. priuatæ perſonæ munus iſtud conferretur, vt inquit Grauat. in 1. addit. ad Veſtr. vbi ſuprà, idque probat per text. & gloſ. in procem. 6. in verb. Vicecancellarium. & ſentit hoc idem Gomeſ. in procem. tract. de Regul. Cancell.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid Vicecancellarius, antea appellatus eſſet Procancellarius?

R E S P. Ciacon. in vita Innocentij III. pag. mihi 529. Ioannem Cardinalem S. R. E. Cancellarium appellat, deinde pag. 537. Procancellarium nuncupat. Poſtremò in vita Honorij III. pag. 546. inquit, quod quidam Raynerius commodiori appellatione Procancellarij vicem agens, omnium primus Vicecancellarius dictus eſt.

I V.

FOns paruulus, qui creuit in fluuium, & infra pag. 254. Bullarij. *Edita Anno* 1420.

C O M P E N D I V M.

Laudes Ordinis Fratrum Carthuſianorum enarrat in, princ. Et propterea dat exemptionem à ſolutione primitiarum, & decimarum, ex fructibus eorum pratorum, paſcuorum, prædiorúmque vbique conſiſtentium, quadocumque acquiſitorum, quæ Fratres propriis manibus excolunt, aut excoli faciunt, necnon fœnum animalium eorumdem. §. 1. Contrariis omnibus derogat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Primitiæ, de quibus in §. 1. quid ſunt?

RESP. Sunt primi cuiuſlibet rei fructus. cap. 1. & ibi Canon. omnes de decim. & tradunt Rebuff. de decim. quæſt. 1. num. 22. & Aud. Hiſp. de Regul. decim. interrogat. 7. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore hæ primitiæ inuentæ fuerunt?

RESP. Cœperunt tempore Abel, vt ſcribitur Gen. c. 4. cuius verba hæc ſũt: *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Abel de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*; & ſcribit Rebuff. d. q. 1. num. 18.

V.

Edita Anno 1422. ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta, & infra pag. 255. Bullarij.

COMPENDIVM.

Auditor antiquior procedat in cauſa, vbi non conſtat de præuentione. §. 4. Notarij Rotæ perſonæ qualificatæ eſſe debent. §. 5. Officiáque non locent, neque vendant, neque abſint à Curia ſine licentia. §. 6. Decentem habitum deferant, concubinas, & tabernas vitent. §. 6. Officium fideliter exerceant. §. 8. Taxam obſeruent. §. 9. Ipſi, ac procuratores, & alij nihil recipiant à pauperibus. §. 10. Aduocati, & procuratores, examinent cauſas, antequam eas moueant. §. 11. Modeſti vbique ſint. §. 12. Patrocinium vni parti tantummodo præſtent. §. 13. Procuratores ante admiſſionem examinentur. §. 14. Modeſtique ſint. §. 15. Quando Clericatus impediat officium Procuræ. §. 16. Ipſi, & Notarij concubinas non teneant. §. 17. Ordo ſeruandus in cauſis ſummariis in 1. 2. & 3. inſtantia. §. 18. & ſeqq. Ordo ſeruandus in cauſis non ſummariis in eiſdem tribus inſtantiis. §. 23. & ſeqq. Procuratores quid aduertere debeant in obſeruatione terminorum. §. 26. Notarij quid ſeruare teneantur in conficiendis regiſtris. §. 27. Auditores Rotæ quid obſeruare debeant pro expeditione cauſarum. §. 28. Cardinalibus quæ cauſæ committendæ non ſint. §. 29. Quæ agenda ſint pro habenda executione ſententiarum. §. 30. Quando Rota die Iouis, vel Sabbathi tenenda ſit. §. 31.

Scholion primum.

Quæro. Auditores Rotæ cur hoc nomen ſortiti ſunt?

RESP. Quia antiquitus Romani Pontifices cauſas ex vniuerſo ferè Orbe terrarum ad eos delatas, quæ non eſſent in Conſiſtorio cognoſcendæ, per ſe ipſos decidebant, vt patet ex innumeris decretis Pontificiis in libro Decretalium, auditas priùs, & examinatas, eiſque relatas ab eorum Capellanis, qui non niſi iuris periti adſcribebantur. Et hinc Auditores cauſarum Sacri Palatij vocati ſunt. Ita recenſet Veſtr. in ſua Pract. Rom. Curiæ, lib. 2. cap. 17. vbi ſubdit, quod retinent adhuc antiquum nomen Capellani, & in publicis Capellis Papæ inſeruiunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Rotæ autem nomen quid ſignificat?

RESP. Auctis rebus Sedis Apoſtolicæ, & cauſarum vndique confluentium numero, Romani Pontt. totalem ipſis Auditoribus cognitionem, & deciſionem tribuere cœperunt, examinata priùs inter eos omnes, in orbem, vulgò Rotam, ſedentes, vnaquaque cauſa, & hinc Rotæ nomen præualuit, vt ſentit Veſtr. in loco cit. & euidentiùs ſcribit Grauat. ibi in ſua addit.

VI.

CVm inter cæteras alias artes, & infra pag. 258. Bullarij. *Edita Anno* 1421.

COMPENDIVM.

Narrat mercantiam pannorum vtilẽ, & ad vitã humani generis neceſſariam, in procem. Hic ideo Pontif. conſulibus d. Artis tribuit iuriſdictionem cognoſcendi cauſas mouendas à mercatobus d. Artis, contra quoſcumque laicos de creditis, vigore eiuſdem Artis. §. 1. Et libris eorumdem mercatorum bonæ qualitatis mercantiliter tentis, & omni ſuſpicione carentibus, vſque ad quantitatem ducatorum auri viginti incluſiuè, præuio iuramento, credendum eſſe indulget. §. 2. Et his, qui contra veritatem aliquid ſcripſerint, pœnas imponit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi ſunt plures partitæ in eiſdem libris contentæ, quarum vnaquæ

vnaquæque eſt ducatorum viginti auri?

R E S P. Credédum eſt libris, quoad omnes partitas, quamuis ſimul iunctæ magnam conſtituant ſummam crediti; nam ſingulæ partitæ,ſingula conſtituunt credita, ad ſcripta per Alexan. in conſ. 135. lib. 4. num. 1. & ſeqq. ac Dec.conſ. 344. in fine. poſt Bart. in l. Aurelius.29. §. Item quæſiuit. ff. de liber. deleg. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si vna ex partitis ſuſpicione non careat,vt hic requiritur in §.2.tollitur ne fides libris quoad alias partitas?

R E S P. Affirmatiuè,quia cùm hoc nõ declaret Bulla, diffiniendus eſt articulus ſecundum terminos iuris communis, ſecundum quos non eſt credendũ.Deciſ. Genuen. 2. num. 32. latè Menoch. caſu 91. num. 21. Præterea hæc bulla requirit bonam qualitatem mercatoris, quæ non extat, ſi in aliqua partita ſuſpicio diiudicatur.

Edita Anno 1421. SOlicitudinis paſtoralis officium, & infra pag. 258. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Conſtituit, ſiue reducit Canonicos Regulares in vnam Congregationem,& Regulæ obſeruantiam.§.1.Per quos ſtatis temporibus Capitulum generale agi iubet.§. 2. Benedicti XII.& aliorum ordinationes abrogat.§.3.Statuta Capituli ſeruari iubet.§. 4. Rectoris generalis,& diffinitorum munus explicat. §. 5. Prælatorum Congregationis facultatem enarrat. §. 6. Eorum officia certo tempore expleri declarat. §. 7. Rectorem generalem confirmari prohibet.§.8.Cæteri autem Prælati confirmari poſſint. §. 9. Et interim per Vicarios officia exerceantur. §. 10. Canonici tranſlati habeantur vt ibi profeſſi. §. 11. Obedientia quo ordine præſtanda ſit. §. 12.Noua Monaſteria acceptari poſſint. §. 13. Locorum Ordinis priuilegia, aliis locis communia ſint. §. 14. Contraria quæuis non obſtent. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Si quis Canonicus fuerit eiectus a Congregatione, tenetur amplius ad obſeruantiam ſtatutorum, vt in §. 4.

R E S P. Eiectus non tenetur amplius ſeruare regulares Ordinis obſeruantias, circa ieiunium, diſciplinas, habitum,& eiuſmodi, ſed bene remanet regularis, & tenetur obſeruare tria vota ſubſtantialia, remanens ſub obedientia ſui Epiſcopi. Nauar. ſic declarat, & ſic votaſſe affirmat de Regular.comm. 3.n.46.

Scholion ſecundum.

Quæro. In §. 11. ſupponitur, quod hic non deciditur,nempe Rectorem generalem poſſe Canonicum in vno loco profeſſum,ad alium inuitum transferre, & tamen contrarium cauetur in cap. 1. cauſ. 13. quæſt. 1. cum aliis allegat. per Nauar. vbi ſup. comment. 3. num. 22. Vnde hoc igitur?

R E S P. Idem Nauarr. declarat paulò inferiùs,Rectorem virtute huius conſtitutionis, habere liberum regimen, & authoritatem transferendi, quia omnia loca hodie videntur facere vnum corpus totaliter ei ſubiectum, & ſpecificè loquitur de Canonicis Regularibus huius congregationis Lateranenſis.

V I I I.

MIlitanti Eccleſiæ licèt immeriti, & infra pag. 260. Bullarij. Edita Anno 1424.

C O M P E N D I V M.

Ordo Monachorum Ciſtercienſium ſoluebat decimas de poſſeſſionibus acquiſitis poſt Concilium generale. §. 1. Hic Pont. eximit d. Ordinem ab omnibus decimis tam de poſſeſſionibus ante, quàm poſt d. Concilium acquiſitis, & acquirendis, omnibúſque eius bonis. §.2. Contrariis omnibus derogat. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Quod eſt Concilium, quod hic appellatur generale?

R E S P. Eſt Concilium Lateranenſe 4. ſub Innoc. III. Romæ celebratum, & ab eodem indictum, vt ſupra in eius conſt. 11. pag. 11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Ciſtercienſes alienarent eorum prædia,tranſibunt ad emptorem, cum priuilegio non ſoluendi decimas?

R E S P. Non ita tranſibunt,quia priuilegium datum eſt Ordini,eiuſque perſonis,& non rebus, & ideò debebuntur decimæ,niſi forſan emptor quoque eſſet eodem priuilegio munitus,vt dicunt Io. And. & Zabar. in cap. penult.de decim.

in princ. cum quibus etiam cæteri Canoniſtæ pertranſeunt.

I X.

Edita Anno 1425. ETſi in cunctarum Orbis prouinciarum,& infra pag.260. Bullar.

COMPENDIVM.

Narrat, quod antiquitus in Vrbe erat officium Magiſtrorum viarum, quod circa conſtruenda ædificia,& alia ad ornatum Vrbis verſabatur, quo officio neglecto Vrbs valde deformata fuit. §. 1. Illud ergo ipſe Pont.renouat.§.2. Magiſtros creat.§. 3. Iuriſdictionem amplam reintegrat.§.4. Notarios eis deputat.§.5. Syndicari non debere decernit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Magiſtri viarum vnde ſic appellantur?

RESP. A Magiſtratus dignitate hoc nomen ſortiti ſunt, & ſic a Papa cognominati: digniſſimus namque Magiſtratus eorum eſt,& ob eius dignitatem, dum Papa equitat, nudato capite ipſi præire ſolent, aureſq; Pontificis frequẽter habent, Patritiiſque Romanis ab eo hoc officium confertur, cum facultate procedendi manu regia*, & indulto, quod ſyndicari non poſſint, vt hic habetur. Hæc poſt alios recenſet Anton. Bard. qui Tractatum conſcripſit de iur. cong. initium ſumens ab explicatione huius Bullæ Martini Quinti.

Scholion ſecundum.

Quæro. Suppleas quæſo,cur potius Magiſtri viarum, quàm domorum, pontium, & ſimilium appellantur?

RESP. Viarum potiùs,quia,vel frequentius de eis dirigendis, ſternendiſue agunt: vel quia domos quoque,pontes, & omnia ædificia viis congruunt: vel quia non omnia, quæ ad ipſorum officium ſpectabant, vnico verbo explicari potuerunt; prout etiam Ædiles curules antiquitus vocabantur, qui ex eorum officio non ædium ornamenta tantùm, aut conſtructiones, ſed alia plurima curabant,ad tex.in l.1.vbi gl.& ſcribb.ff.de ædilit. edict.& latè Aymer.Riuall.de Hiſtor. Iur. ciuil. lib. 2. num. *69.* & ſeqq.

X.

Edita Anno 1428. AD reprimẽdas inſolentias trãſgreſſorum, & inf.pag.261.Bul.

COMPENDIVM.

Officiales, iudiceſue laici, trahebant ad forũ laicale perſonas Eccleſiaſticas. §. 1. Multifariámque eas deſuper vexabant.§.2. Et perſonæ Eccleſiaſticæ quandoque ad eos recurrebant. d. §. 2. Hic ideo Pont. vtrumque prohibet, & pœnam excommunicationis, & reſpectiuè interdicti imponit, abſolutione ſibi reſeruata. §. 3. & 4. & ad inſtantiam Fiſci contra culpabiles agi mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Iudex trahens perſonam Eccleſiaſticam ad ſuum forum,non ſit laicus, ſed perſona Eccleſiaſtica foro laico præſidens?

RESP. Incurrit proculdubio in hãc pœnam; quia id facit vti perſona laica, & vigore iuriſdictionis laicæ. Ita tenet Caietan. in ſua Summa,in verb. Excommunicatio. §. 29. in fine,quem ſequitur Vgolin.de cenſur.part.2.in explicatione cap.15.Bullæ Cœnæ Domini Clem.VIII. §.1.ac Io.Franc.Leon.in ſuo Theſau. Eccleſ. par. 3. cap. 38. num. 74.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Iudex Eccleſiaſticus trahit perſonam Eccleſiaſticam nõ ei ſubditam ad forum ſuum?

RESP. Non incidit in hanc bullam, quia ipſa reſtricta eſt ad Iudices, qui trahunt authoritate laica, vt perpendit Caiet. & ſequitur Vgolin. mox citat.

X I.

PIæ poſtulatio voluntatis, & infra pag. 262. Bullarij. *Edita Anno* 1428.

COMPENDIVM.

Quidam, qui poſtea Ieſuati appellati ſunt, dediti ſtudio piæ vitæ in diuerſis locis Italiæ, voluntariam paupertatem ſeruantes, Domino famulari cœperunt, in princ. Eos ergo Pontifex ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, & Ordinariorum ſuſcipit, vt ſic rectam vitam ducere valeant. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Suntne propriè religioſi, & perſonæ Eccleſiaſticæ iſti Ieſuati,ſecundum tempus huius conſtitutionis?

RESP. Non ſunt,cùm non profiteãtur tria vota ſubſtantialia, & arbitrio ſuo poſſint ex Ordine exire, & matrimonium contrahere. Ita latè de hoc loquens

loquens concludit in puncto, poſt alios Aret. in cap. 2. de foro compet. num. 11. Et ita communiter teneri dicit Summa Angel. in §. Excommunicatio. verſ. 7. caſu 5. verſ. Sed quæ ſunt perſonæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis hunc Ordinem inſtituit?

RESP. B. Ioannes Columbinus nobilis ciuis Senenſis, de quo in Martyrolog. ſub die 31. Iulij, vbi Baron. notat huius viri, ſanctitate, & miraculis clari, ac ſociorum eius, res geſtas ſcripſiſſe Phæum Belcharium, magnámque redolere pietatem. Aliqua de eo recenſet Azor. de Inſtit. moral. tom. 1. lib. 13. c. 11. pag. mihi 1662. At quæ de Vrbano V. & exordio horum Religioſorum ſcribit, minus vera deteguntur ex textu huius Conſtitutionis.

XII.

Edita Anno 1429. INeffabile Sacramentum, quod Sacerdos, & infra pag. 262. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad augmentum venerationis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ampliat Indulgentias ab Vrbano IV. elargitas, concedens verè pœnitentibus, & confeſſis, ieiunantibus, aut aliud pium opus facientibus pro d. feſtiuitate, dies centum de iniunctis pœnitentiis; intereſſentibus autem, aut Prælatis intereſſe volentibus, ſed impeditis officio matutinali, vel Miſſæ, aut Veſperarum in Eccleſiis celebrando, ducentos, aliis verò horis Canonicis, octuaginta. §. 1. In Octaua autem pro Miſſis, Matutinis, aut Veſperis, centum; aliis verò horis intereſſentibus, quadraginta dierum Indulgentiam concedit. §. 2. Accedentibus ad proceſſiones, aut Sacramentum ſumentibus in die d. feſtiuitatis, celebrantibúſque Miſſam in illa, vel eius Octaua pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ, dierum centum. Aſſociantibus Sacramentum, dum infirmis defertur cum luminari, pariter centum. Aliis autem aliàs tunc deuotè illud ſequentibus, quinquaginta dierum de iniunctis pœnitentiis Indulgentias tribuit. d. §. 2. In dicto Feſto, & Octaua, etiam tempore interdicti, diuina celebrari permittit. §. 3. Prælatis iubet vt ſalutaribus monitis ad venerationem huius Sacramenti adhortentur, & hanc eius conſtitutionem publicent. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Indulgentia conceſſa intereſſentibus diuinis in Eccleſia celebrandis, dicitúrne conceſſa his, qui præ nimia turba Eccleſiam non poſſunt, licet velint, ingredi, ſed ſtant in ſemitis eius, licèt extra ambitum murorum?

RESP. Affirmatiua ſententia placet Anchar. in clem. 1. de Reliq. & vener. SS. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et quid ſi hæc diuina in aliquo Oratorio, aut Cappella Cardinalis celebrantur?

RESP. In Oratorio priuato, negatiuam ſententiam puto veriorem: & pariter in Cappella Cardinalis, præterquàm pro eius familiaribus, qui debent intereſſe diuinis ibi celebrandis. Boniſac. Vitalin. in clem. 1. §. Ideóque, de Reliq. & ven. SS. num. 3. Imol. in ead. clem. nu. 35. & Panormit. nu. 30.

XIII.

CVm generale Capitulum Fratrum Minorum, & infra pag. 263. Bullarij. *Edita Anno 1430.*

COMPENDIVM.

Deſtinauit Cardinalem S. Petri ad Vincula ad Capitulum Fratrum Minorum in Ciuitate Aſſiſij coactũ, in princ. Conceſſit eidem illos reformandi poteſtatem. §. 1. Omnémque in Fratres ſuperioritatem. §. 2. Is acceſſit ad Capitulum, vbi reformationem ſuaſit, in verſ. Ioannes. Cuius caput primum eſt circa obſeruantiam Euangeliorum, Conciliorum, tunicas, teſtamentum B. Franciſci, obedientiam erga Sedem Apoſtolicam, Prælatorúmque, ac votum Paupertatis, & Caſtitatis. Secundum eſt circa receptionem venientium ad Ordinem, & habitum. Tertium, circa recitationem diuinorum officiorum, cantum, ieiunium, & equitationes. Quartum, circa pecuniam non recipiendam, & infirmorum curam. Quintum, circa mercedem laborum, Prælatis Ordinis dandam. Sextum, circa mittendos pro eleemoſyna. Septimum, circa pœnitentiam Fratrum. Octauum, circa tempus electionis, & qualitates eligendi

Generalem, & circa eius ſocios, retentionémque Sigilli, & facultatem Generalis circa diſpoſita in Capitulo,& exactionem prohibitam ei, & circa Vicariorum deputationem. Nonum, quod Prædicatores venerentur Prælatos Eccleſiæ,examinentúrque,& approbentur, & bonæ ſint qualitatis, obſeruentque ordinationes eis præſcriptas, & non prædicent abſque licentia, & nouitates reticeant. Decimum, circa ſocios Miniſtrorum Prouincialium, prohibitionem contributionum, reformationem ſtudiorum, ceremoniaſque, & debitorum extinctionem, ac Fratrum punitionem, reformatóſque bene tractandos, noua loca conſtruenda, & recurſum ad Miniſtros. Vndecimum, circa ingreſſum prohibitum ad Moniales, obſeruantiam clauſuræ à Miniſtris diligenter obſeruandæ, compatréſque. Duodecimum, circa regimen locorum Terræ Sanctæ, exactionem Procuratori Curiæ prohibitam, & quoad Fratres Inquiſitioni incumbentes, graduſque gratis tribuendos. Supradictus Card. Legatus ſucceſſiuè præcepit Fratribus obſeruantiam prædictorum.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne hæc bulla, quæ apud Minoritas appellatur Martiniana?

R E S P. Illa eſt Martiniana, quæ poſt huius Bullæ cuſionem ad manus Genitoris mei peruenit, quam perlege in Appendice Bullarij fol. 17. quia inde multa, quæ habentur hic, declarantur, & modificantur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Authoritas data Miniſtris in §. 11. eſtne ordinaria, vel delegata, ita vt per alios exerceri poſſit?

R E S P. Eſt ordinaria, quamuis ex hoc ſpeciali diplomate tributa ſit, vnde Miniſtri poſſunt deputare Commiſſarios.Ita ſcripſit Eman.Rod.tom.1.quæſt. Regular. in quæſt. 18. artic. 10.

X I V.

Edita Anno 1431. DVm onus vniuerſalis gregis, & infra pag. 268. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concilium Conſtantienſe decreuit, aliud Concilium generale in quinquennium proximè futurum celebrari, & aliud deinde in ſeptennium, & poſtea de decennio in decennium, in loco per menſem ante finem cuiuſlibet Concilij à Summo Pontifice, & in defectum illius, ab ipſo Concilio declarando. §. 1. In Senenſi ergo Concilio primùm poſt d. Concilium Conſtantienſe acto, pro futuro Concilio in ſeptennium celebrando, Ciuitas Baſileenſis deputata fuit.§.2.Ad dictum ergo Concilium Baſileenſe Pontifex delegat Iulianum Cardinalem, qui ſuo nomine ei præſit. §. 3. Amplámque ei auctoritatem tribuit. §. 4. & 5. Hortatur eumdem ad eiuſmodi miniſterium laudabiliter exequendum. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Senis cur d. Concilium, vt dicitur in §. 2. actum fuit, ſi in præcedenti Concilio Conſtantienſi Martinus V. Papienſem Ciuitatem, non autem Senenſem deputauit, vt proximis diebus à temet audiuiſſe certus ſum?

R E S P. Verè ibi Concilium indixit Mart.V.die 19.Aprilis 1418. Sed cùm peſtilentia ibi inualuiſſet,Senas illud tranſtulit, vt ex actis Concilij Baſileenſis, eiúſque notis, omnibus planum eſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si facultas eligendi locum futuri Concilij Romano Pontifici reſeruata eſt, vt hic habetur in §. 1. cur hæc deputatio Ciuitatis Baſileæ, fuit facta à Concilio Senenſi, vt dicitur in §. 2.

R E S P. Dicta deputatio Senis acta, dicitur actio Papæ, quia illi Synodo præerat pro Papa Cardinalis, cui Mart. Pontifex inter alias facultates præcipuam deſerat,ante diſſolutionem illius Concilij, authoritatem, locum pro alio futuro Concilio deputandi,ſpeciali eius diplomate, die 22. Februarij 1422. quod impreſſum in Conciliis Coloniæ Agrippinæ nouiſſimè editis habetur.

E V G E N I V S IIII.

Italus, creatus anno 1431.

C O N S T I T. I.

IN eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula,& infra pag. 269. Bullarij. *Edita Anno 1431.*

C O M P E N D I V M.

Quod Cardinales in ſecreto Conſiſtorio

ſtorio pronunciati, non dicantur creati Cardinales, quouſque Cardinalatus inſignia non ſuſceperint. §. 1. Neque vocem habeant in electione Papæ, vel alio actu, antequam ſit eis licentia votandi data. §. 2. Et qui ſe antea Cardinalem nominauerit, omni iure priuatus ſit, & inhabilis perpetuò ad Cardinalatum. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Cardinali electo Papa claudat os, inhibendo, ne quid audeat loqui, tam in Conſiſtoriis, & Congregationibus quàm in Conclaui?

RESP. Adhuc votum habebit in Conclaui in eligendo Rom. Pont. tantùm, ſed non in aliis ibi tractandis. Et ita attento Conſtoriali decreto Pij V. hic in rubr. a Genitore meo indicato, Sacrum Cardinalium Collegium decreuit die 4. Martij 1605. Sede vacante per obitum Clementis VIII. ad fauorem Cardinalis de Comitibus Romani, cui idem Clemens die 7. Februarij eiuſdem anni os clauſerat, verbis antedictis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cuius tenoris eſt eiuſmodi decretum Pij V.

RESP. Notam illius huiuſmodi tenoris accipe: & inde corrige errorem impreſſoris in Bullario, qui in adnotatione Genitoris mei poſuit Iunij pro Ianuarij, & Pij V. pro Pium V.

Die 26. Ianuarij 1571.

Quia aliquando dubitatum eſt, verùm Cardinales, quibus os clauſum fuiſſet, ſi antequam illud eis aperiretur, Sedis vacatio eueniret, vtrùm, inquam, in Summi Pontificis electione votum haberent, Sanctitas ſua requiſitis Reuerendiſſimorum DD. ſententiis, de eorum conſenſu, & aſſenſu decreuit, quod cùm potiſſima Cardinalis facultas in Rom. Pont. eligendo conſiſtat, quæ ſanè ipſis propter inſignium, & cerimoniarum defectum auferri non debet, ob eam cauſam Sanctitatem ſuam ſtatuere, vt poſtquam aliquis S. R. Eccleſiæ Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & conſenſum ſuum dederit, is ſtatim vocem, & ius eligendi Rom. Pontificem habeat & cõſequatur, etiamſi Cardinalitius galerus nondum illi traditus ſit, neque os clauſum, aut ſi clauſum fuerit, nondum tamen apertũ ſit: videtur enim huiuſmodi oris claudendi ritus ad præcipuam Cardinaliſ facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem verſatur, non pertinere; ſed cerimoniam quandam eſſe, ea de cauſa introducta, vt Cardinales antequam in Conſiſtoriis, & Congregationibus ſuffragium ferant, de modeſtia, quæ ab ipſis in his, & aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, &c.

II.

Diſpoſitione diuina gregi Dominico, & infra pag. 270. Bull. *Edita Anno* 1431.

COMPENDIVM.

Quia ſingulares perſonæ Congregationis Monachorum de Obſeruantia S. Iuſtinæ, Ordinis S. Benedicti, non ſunt capaces proprietatis, dubitatum fuit, an relicta locis d. Cõgregationis exigi poſſint. §. 1. Decernit ideo Papa, quod Congregatio ſit capax donationum, & legatorum, quæ fiunt eius locis, quamuis non expreſſis, & quod ipſa, vel eius Viſitatores ad ea conſequenda procuratores conſtituere poſſint. §. 2. Et quod eorum fiat diſtributio iuxta determinationem Capituli, aut Viſitatorum. d. §. 2. Non obſtantibus quibuſcumque. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Dum Monachi non ſint proprietatis capaces, vt in §. 1. quo pacto poterit eis fieri legatum, vt eo licitè ipſi perfruantur, donec vixerint?

RESP. Poterit legari aliqua annua prçſtatio ea conditione, ſi eis cõcedatur perpetua adminiſtratio d. legati à ſuo Abbate, vt in pios vſus illud conuertant, vel in alimenta, veſtes, & libros proprij vſus gratia. Panorm. in c. 2. de ſtatu Monachor. num. 4. & meliùs Io. Dilect. de art. teſtan. in tit. de legat. cap. 63. num. 3. verſ. Tertium. vbi alias duas tradit cautelas, quæ mihi non ſatisfaciunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Legatum eiuſmodi Monacho factum, dicitur pium?

RESP. Si amore naturali, aut vinculo ſanguinis tantùm fit, non eſt pium; ſecus verò ſi intuitu, titulóq; pietatis, vel propter Deũ, & gaudet priuilegiis pię cauſæ. Panorm. in rubr. de teſtam. n. 9. Bald. & alij in l. illud. 16. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.

III.

Edita Anno 1431. ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta, & inf. p. 271. Bul.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo ſupplicat Papæ pro mitigatione regulæ Honor. III. de qua ſup. in tribus capitibus, videlicet ſuper eſu carnium, ieiunio, & manſione in cellulis. §. 1. & 2. Papa ergo diſpenſat, vt carnibus veſci poſſint ſingulis diebus, præterquàm tribus diebus cuiuſlibet hebdomadæ, & Aduentu, Quadrageſima, & aliis diebus, carnes edere prohibitis. §. 3. Et vt in Eccleſiis, & clauſtris, ac eorum ambitu, horis cõgruis ſtare poſſint. §. 4. Declarat tamen hunc Ordinem eius priuilegiis adhuc gaudere. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. In hac Bulla continetur diſpenſatio à ieiunio indicto in regula à feſto exaltationis S. Crucis, vſque ad feſtiuitatem Reſurrectionis Domini, cùm explicitè non legatur?

RESP. Huic dubio rationabiliter excitato obuiantes Pius II. & Sixtus IV. decreuerunt, hanc ieiunij diſpenſationem arbitrio Prioris generalis iuxta perſonarum, locorum, & temporum qualitatem delegatam fore, vt habetur infra in conſtit. 11. §. 3. & 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui erunt illi tres dies cuiuſlibet hebdomadæ, de quibus in §. 3.

RESP. Erunt dies Mercurij, Veneris, & Sabbathi, quia in illis regulariter S. R. E. indicit ieiunare, vt eſt notiſſimum. Sed non inſiſto, quia Sixtus IV. vbi ſupra qualitatem, & numerum horum dierum arbitrio Prioris generalis Ordinis remiſit.

IV.

Edita Anno 1431. DIuina in eminenti Sedis Apoſtolicæ, & infra pag. 272. Bul.

COMPENDIVM.

Vt Officiales Sedis Apoſtolicæ eius obſequiis promptiores reddantur, extra Romanam Curiam litibus vexari prohibet, idemque decernit de venientibus ad eamdem Curiam pro eorum cauſis, & negotiis; ac negotiis aut litibus durantibus, in ea commorantibus, & recedentibus. §. 1. Pœnam nullitatis actorum imponit. ibidem. Et excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti. §. 2. Contrariis omnibus derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Qui veniunt appellatione Officialium, de quibus hic?

RESP. Veniunt omnes Curiales etiam non Officiales ex præſcripto Curiæ ſtylo, teſte Mandoſ. de Reg. Cancell. in reg. 5. quæſt. 3. num. 2. & conſonat deciſ. Rotæ 149. part. 3. lib. 2. diuerſ. num. 1. Intellige tamen ſi per annum in Vrbe commorati fuerint, vt declarauit Pius IV. à Genitore meo citatus in hac Bulla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Curialis eſt actor, gaudetne hoc priuilegio fori?

RESP. Non, quia hoc priuilegium de Curiali reo expreſsè loquitur, & ideo non extendendum eſſe cenſuit Rota coram Millino, in vna Mediolanenſ. Bonorum, 28. Martij, & iterum die 15. Decembris 1594. & refert Marcheſan. de commiſſ. par. 2. num. 38. pag. mihi 460. in nouiſſimis.

V.

ETſi ex ſolicitudinis debito, & infra pag. 272. Bullarij. *Edita Anno 1432.*

COMPENDIVM.

Quia Martinus V. nonnulla priuilegia dedit Monachis Congregationis S. Iuſtinæ de obſeruantia Ordinis S. Benedicti, quæ ad eius plenam ſoliditatem minus ſufficientia videntur. §. 1. Ideo hic Pont. ſtatuit, Capitulũ generale ſingulis annis congregari, & ante eius diſſolutionem alium futuri Capituli locum deputari. §. 2. In eo nouem mandat eligi Diffinitores, ad condendum ſtatuta pro bono regimine Congregationis. §. 3. Necnon ad diſponendum de eius Monaſteriis, & bonis. §. 4. Abbateſque inſtituẽdum, & deſtituẽdum. §. 5. Diſſoluto autẽ Capitulo, deputentur in eo Viſitatores, quorum vnus Præſidentis locum teneat, & ad eum negotia Congregationis referantur. §. 6. Locus futuri Capituli electus, abſque rationabili cauſa non mutetur. §. 7. Prælatorum obedientiæ omnes ſubſint. §. 8. Forma ſeruanda in receptione veniẽtium ad Ordinẽ. §. 9.

Tranſlatio

Tranſlatio Monachorum vt fienda, §. 10. Monaſteria omnia ſuis iuribus vtantur. §. 11. Reformationes fiendæ à Sede Apoſtolica, roboratæ cenſeantur. §. 12. Electiones Abbatum, & Priorum, ad Capitulum generale, aut Præſidentem, & Viſitatores, iuxta decreta Congregationis, ſpectare decernit. §. 14. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Deſtitutio Abbatum, de qua in §. 5. poteſt de iure communi fieri pro crimine minus graui, quàm fieret priuatio Clerici de beneficio?

Resp. Affirmatiua ſententia videtur verior, quia prælationes Regularium non ſunt perpetuæ, ſicut beneficia Clericorum, ad ſcripta per Rod. de quæſtion. Regul. tom. 2. quæſt. 26. art. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Prælatis eſtne obediendum à Monacho, vt §. 8. quando dubitat ille, ſe peccare obediendo, & peccare non obediendo?

Resp. Stante æqua probabilitate vtrimque ſimul, & æqua, vel quaſi æqualitate periculi, vel peccati, in cuius alterum incidendum ſit, Monachus tenetur obedire, vt poſt S. Bonauent. & S. Thom. & alios, ſcribit Rod. vbi ſup. quæſt. 20. artic. 6. tom. 3.

VI.

Edita Anno 1433. Excellentiſſimum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Christi, & infra pag. 273. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad augendam venerationem Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ad duplum auget Indulgentias elargitas à Martino V. ſup. in eius conſtit. poſt Vrb. IV. intereſſentibus diuinis officiis in die illius feſtiuitatis, & in Octaua, illudque venerantibus, & aſſociantibus, vt in d. conſt. continetur. §. 1. & 2. Prælatis mandat, quatenus in Dominica d. Feſtum præcedente, omnes adhortentur ad huius Sacramenti venerationem. §. 3. Et huius conſtitutionis tenorem inter matutinales lectiones dierum d. feſtiuitatis, & Octauæ recitari præcipit. §. 3. Et hanc eandem conſtitutionem per ſingulas Eccleſias publicari mandat. d. §. 3. Tranſumptis huius Bullæ credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Indulgentiæ de quibus hic, intelliguntur de pœnis quibuſcumque diluendis?

Resp. Iſta Conſtitutio eſt intelligenda ſecundum terminos primæuæ harum Indulgentiarum conceſſionis emanatæ ab Vrb. IV. in eius conſtit. 1. ſup. in Bullar. quæ eſt reſtricta ad pœnitentias iniunctas, quas ab aliis differre oſtendunt Syluester, & cæteri Summiſtæ in verb. Indulgentiæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tu, qui aduocationis munus nuper exercere cœpiſti, ſi in hoc, vel alio feſto, de S. R. E. præcepto venerando, ob pecuniam ſtudes, & iuris allegationes voce, vel in ſcriptis, apud Iudicem deducis, violaſne feſtum?

Resp. Non deſunt, qui affirmatiuè reſponderent; ſed negatiua ſententia verior videtur, quia in huiuſmodi feſtis opera ſeruilia, non alia ſun prohibita: ſtudere autem, & ſimilia, ob propoſitum lucrandi, talia non fiunt formaliter, & materialiter, vt poſt Caietan. ſcribit Nauar. in Manuali Confeſſor. cap. 13. num. 5. Quamuis contrarium communiter DD. tenere affirmet Ala in ſuo tract. de Aduocato Chriſtiano, cap. 98. primæ part. Sed nec ipſe, nec ab eo citati ſupradictæ ratiuni reſpondent.

VII.

Cvm deteſtabile ſcelus ſimoniacæ prauitatis, & inf. p. 274. Bul. *Edita Anno 1434.*

COMPENDIVM.

Confirmat quaſcumque pœnas contra ſimoniacos hactenus impoſitas, & addit pœnam ſuſpenſionis ab Ordinibus, & decernit, per ſimoniacas prouiſiones ordinatis nullum ius acquiri, illoſque ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneri. §. 1. Addit inſuper pœnam excommunicationis, contra eoſdem ſimoniam committentes, & mediatores, à qua ſolùm à Romano Pont. præterquàm in mortis articulo, abſolui poſſe ſtatuit. §. 2. Scientes ad reuelationem teneri decernit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. In quibus conuenit hæc Bulla

cum Bulla Pauli II. in tit. de ſimonia.

R E S P. In omnibus, præterquàm in §. 1. vbi hæc habet verbum, *& quas*, quod defuit in illa, & illius ſenſum mancū reddit. Item in §. 2. hæc poſt illa verba, *Pontifici prædicto*, habet, *vel eius Camerario*, quæ in illa deficiunt. Item in hoc §. deſunt aliqua ad fauorem reuelantium ſimoniacos, & complices, & etiam contra eoſdem non reuelantes, quæ ex illa ſuppleri poſſunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc, vel illa Pauli II. conſtitutio, quæ inducit pœnam ipſo facto, habétne locum in ſimonia conuentionali?

R E S P. Pro vtraque parte extant rationes, & pugnant DD. opiniones, quas fusè recenſet Guttier. lib. 1. canon. qq. cap. 9. per totum, ſed negatiuam ſententiam ſecuta eſt Rota, vt probat Caſſad. deciſ. 5. de Conſtitut. n. 1. & ſeqq. vbi atteſtatur de hoc ſtylo Romanæ Curiæ, de qua meminit etiam Additionator ad Diaz in Pract. canon. crim. cap. 95. in vltimo impreſſis, in littera D. & poſtremò Guttier. vbi ſup. vbi multos congerit authores, & vltimo loco ſic iudicatum fuiſſe teſtatur, prout de communi opinione teſtatur Pariſ. de confident. quæſt. 58. num. 9.

VIII.

Edita Anno 1435. ILla, quę pro tranquillo perſonarū ſub Religionis, & inf. p. 274. Bul.

C O M P E N D I V M.

Gregorius IX. in eius conſt. 1. ſup. decreuit, quoſcumque, & cuiuſcumque Ordinis Religioſos ad Ordinem Eremitarum Camaldulenſium pertranſire poſſe. §. 1. Hic Pontifex approbat, & ad Mendicantes, & non Mendicantes, & etiam Carthuſianos extendit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Nónne tam Carthuſiani, quàm Eremitæ Camaldulenſes ſolitariam vitam ducunt?

R E S P. Illi in cellis intra clauſtra Monaſteriorum, iſti autem extra clauſtra in cacumine montium. Nicol. Boër. in ſuo tract. de ſtatu, & vita Eremit. n. 17. & ſeqq. Ioan. Andr. in cap. Sanè. 10. de Regular. num. 11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ iſtarum maior dicitur eſſe ſolitudo?

R E S P. Camaldulenſes Eremitæ dicuntur eſſe in maiori ſolitudine, in qua eſt vera contemplatio. Ioan. And. vbi ſup. & Nicol. Boër. in loco cit. num. 28. Et ideo ad eos Carthuſianos tranſire poſſe hic definitur; cùm ſicut vita contēplatiua præeminet actiuæ, cap. penult. vbi Archid. & alij, de verb. ſignif. in 6. ſic magis contēplatiua, minus contemplatiuæ præeminere videatur, vt ſentiunt Doctores præcitati.

IX.

REgularem vitam agentibus, & infra pag. 275. *Item*; Ad Eccleſiarum, & infra pag. 277. Bullarij. *Edita Anno 1436.*

C O M P E N D I V M.

Appellationem prohibet à correctione Prælatorum Congregationis Monachorum S. Iuſtinæ, Ordinis S. Benedicti. §. 1. Eorum cauſas cognoſci mandat reiectis apicibus iuris. §. 2. Extra clauſtra vagari prohibet. § 3. Tempore interdicti celebrare, & Sacramenta recipere poſſe indulget. §. 4. Ordinéſque à quocumq; Antiſtite. §. 5. Eximit Congregationé ab omnibus oneribus, & exactionibus, & iuriſdictione Ordinariorū. §. 6. & in ſubſeq. Bulla. §. 2. Neminē inuitis Monachis in eorū Eccleſiis, & Monaſteriis celebrare, iudicare, vel ordinare decernit. §. 7. Ad eorū Monaſteria ingreſſū mulieribus omnibus interdicit. §. 8. Prælatis diſpenſandi cum Monachis facultatem tribuit. § 9. Ad aliorū ſeruitia ſtare interdicit. §. 10. Benefactores Congregationis quando ab Ordinariis non moleſtandi. §. 11. Inobedientes vt coërcēdi. 12. Monachi ad executionem mandatorum Prælati extra Congregationem non cogendi. §. 13. Nec iurare, aut teſtificari coguntur extra Congregationem. §. 14. Succedántque & acquirant, vti ſi in ſæculo permanerent. §. 15. Confeſſiones audire, & abſoluere poſſint à caſibus non reſeruatis. §. 16. Illegitimi ad dignitates vt admittendi. § 17. Prælati abſque benedictione adminiſtrent. §. 18. Actus contrarij bis conſtitutionibus non præiudicent. §. 19. Contrariis derogat, in fine.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Coguntur teſtificari, ſi aliter veritas haberi non poteſt?

RESP. Cogi poſſe eiuſmodi priuilegiatos, cùm veritas aliunde haberi nō valet, Panormit. tenet in c. 1. de teſtib. cogen. n. 4. & ſequitur in terminis noſtris Rod. de quæſt. Regul. tom. 2. q. 10. art. 2. Vbi tamen hoc limitat in cauſis, ybi pœna ſanguinis veniat imponenda.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi ſponte teſtificetur, & abſque licentia ſui Abbatis, eius teſtimonium tenet?

RESP. Tenere voluerunt gloſ. & ſcribb. in auth. de Monachis. §. cogitandum, & Rod. vbi ſup. art. 4.

X.

Edita Anno 1436. Militanti Eccleſiæ licèt immeriti, & infra pag. 277. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia multi in bonis, & iuribus Congregationis Monachorum S. Iuſtinæ, Ordinis S. Benedicti, præiudicium inferebant, & bona, redditus, ac cēſus occupabant, & ſuper illis multas iacturas Monachi patiebantur, ſupplicatur Papæ pro opportuno remedio. §. 1. & 2. Qui ideo in Conſeruatores, & Iudices deputat Archiepiſcopum Mediolanenſē, Epiſcopum Ariminenſem, & Abbatem Mōtis Caſini, aduerſus violatores, & perturbatores, aut ſuper prædictis dāna inferentes, in litibus d. Congregationis. §. 3. Amplāſque eis facultates largitur. §. 3. & 5. Contrariis omnibus derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. An coram iſtis Conſeruatoribus poſſet Congregatio aliquem conuenire pro ſolutione alicuius domus, vel affictus, & huiuſmodi?

RESP. Videtur non poſſe, attendendo deciſ. Rotæ 174. par. 3. lib. 3. diuerſorum, & ſcripta à Guttierez de pract. quæſt. in 9. quæſt. Sed ſi attendimus generalitatem verborum huius priuilegij conceſſi, ne ſuper ſuis redditibus Congregatio iacturam patiatur, verior eſt ſententia affirmatiua, per ea quæ egregiè deducit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. q. 65. art. 12. vbi latè. Nec obſtat ſupracitata Rotæ deciſ. quia loquitur de Conſeruatoria reſtricta circa quædam beneficia huius Congregationis, per Sedem Apoſt. aliis commendata, inter quos non erat ille Congregationis debitor, coram Conſeruatoribus ab ea conuentus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hi Conſeruatores, Iudices ordinarij, vel potiùs delegati cenſentur?

RESP. Delegati ſunt, ideóque de illis tractatur in cap. 1. & vlt. de offic. del. leg. in 6. Et hoc pro certo tradit Nauar. in conſ. 1. aliàs 3. lib. 1. de offic. deleg. n. 1. & Petrus Greg. in Syntagm. Iur. lib. 47. cap. 22. num. 23. poſt Sylueſtr. in Summa. §. Conſeruator. num. 3. verſ. Decimoquintò, & Summa Armil. in d. §. Conſeruator. num. 4.

XI.

Edita Anno 1437. Magnas omnipotenti Deo gratias, & infra pag. 278. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia populi Orientales, & Occidentales conuenerunt, vt Concilium alibi, quàm Baſileæ cogeretur. §. 1. & 2. Idémque Imperator Conſtantinopolitanus, & Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac alij poſtulabant. d. § 2. Illud ergo hic Pontifex à Ciuitate Baſileæ ad Ciuitatem Ferrariæ transfert: vnde poſtea Florentiam tranſlatum fuit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, Ioſephum Patriarcham prænominatum, ante abſolutionem Concilij obiiſſe?

RESP. Obiit quidem, quaſi ſubitanea morte præuentus, religionis ſtudioſiſſimus, & vnionis; vnde Seuerinus Binius ſcribit in notis huius Concilij. & Ciacon. in vita huius Pont. confeſſionem fidei Catholicæ in obitu tenuiſſe, in qua etiam Papam verum in terris Chriſti Vicarium profitebatur, & Purgatorium fatebatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid euenit Marco illi Epheſino Epiſcopo, acerrimo diſputatori in illo Concilio?

RESP. Triſtiſſimus fuit finis eius; perſiſtens namque in perfidia ſua, quamuis ab Epiſcopo Coronenſi fuiſſet victus poſtremò in publica concertatione, ad fidem tamen reuerti noluit; & tanta inde abſorptus eſt triſtitia, vt intra

L 4 paucos

paucos dies cum ſua perfidia expirauerit, vt ex Antonino, qui d. Concilio interfuit, recenſet Seuerinus Binius in notis ad iſtud Concilium.

X I I.

Edita Anno 1437. PRouenit ex veſtræ deuotionis affectu,& infra pag.279.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concedit Fratribus Eremitis de Societate q. Fratris Petri de Piſis, facultatem eligendi Confeſſorem, qui eos ſemel in vita poſtquam in Societate remanere deliberauerint, ab omnibus caſibus, de quibus Sedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda, abſoluat. §. 1. Et plenariam indulgentiam in articulo mortis concedat. d. §. 1. Necnon facultatem habeat eligendi Sacerdotes, qui in eorum Eccleſiis ſacra miniſtrent. §. 2. Diſpenſéntque cum Fratribus ſuper irregularitate, vt diuinis Officiis intereſſe poſſint. §. 3. Indulget eiſdem Fratribus cum excommunicatis verſari,pro quærendis eleemoſynis. §. 4. Et Altare portatile in eorum locis habere. §. 5. Cæmeteriaue. §. 6. Sacros Ordines à quocumque Epiſcopo recipere. §. 7. Loca retinere, & acquirere, & omnibus gratiis aliorum Eremitarum perfrui. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Hæc Societas fuerat à Sede Apoſtolica approbata?

R E S P. Martinus V. eam approbauerat anno ſalutis 1421. & ſui Pontific. 4. die 5. Iunij, vt in quadam eius Bulla legitur, quæ eſt prima impreſſa in lib. Priuileg. huius Societatis, dum ſub B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ protectione eam ſuſcepit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis d. Societatis promotor fuit, & de quo tempore?

R E S P. B. Petrus patria Piſanus, ex nobili proſapia de Gambacurta, circa annum 1380. ſolitariam vitam elegit, & prope Vrbinum domicilium extruxit, vt ſcribit poſt alios Rod. de quæſtionibus Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic. 9. & pleniùs Azorius de Inſtit. moralibus. tom. 1. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1663.

X I I I.

INter cætera grauia pulſantia, & infra pag. 279. *Item*; In eminenti Apoſtolicæ, & infra pag. 289. *Edita Anno* 1438, & 1444.

C O M P E N D I V M.

Reducit numerum Clericorum Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ ad ſeptem, vt ex prouentibus eorum decentiùs viuant,auctiſque ſtipendiis, promptiùs Cameræ ſeruitiis incumbant. §. 1. & ſeqq. Approbat ordinationes à Clericis præfinitas, in ſubſequenti conſtit. 1. annexas. §. 1. & 2. Earum prima eſt, quod reductio Clericorum ad ſeptem firma cōſiſtat; & alij à voce ſe abſtineāt, & ſolo nomine Clericorum contenti remaneant. §. 3. Secunda eſt circa munus Decani. §.4.Tertia eſt circa loca Camelium omnium in Camera, & ordinē rerum ibi agendarum.§.5.Quarta eſt circa munus Clerici menſarij.§.6. Quinta eſt circa diuiſionem minutorum ſeruitiorū. §. 7. Sexta eſt circa admiſſionem Clericorum ſupranumerariorum.§.8. Septima eſt circa exemptionem Clericorum ad ampliorem dignitatem translatorum. §. 9. Octaua eſt circa infirmos, & abſentes. §.10. Nona eſt circa exequias decedentium. §. 11. Decima circa celebrationem feſti S. Laurentij Martyris. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Hæc numeri Clericorum reductio, eſtne alio reſpectu laudabilis?

R E S P. Eo reſpectu etiam laudanda, quia numeroſitas detrahit authoritati, cap.2. diſt.59.cap.22.diſt.93.Simile habetur de numeroſitate Referendariorum in auth. de Referendar. ad fin. necnon de Cardinalibus, Iacob. de Concil. lib. 1. artic. 1. num. 215.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur feſtum S. Laurentij Martyris præcipuè colitur ab iſto Sacro Collegio Cameræ?

R E S P. Iſtud Collegium redditus Romanæ Eccleſiæ colligere, & in pauperum ſubuentionem, aliáſque eius neceſſitates erogare diligenter curat, vt notiſſimum eſt,& ideo illius B.Laurentij feſtum præcipuè agit, qui olim Eccleſiæ theſauros in pauperes erogabat,Caſſan. de glor.mundi,part.4.conſid.14. Grauat.

ad

ad Veſtr. in pract. Rom. Cur.lib.2. cap. 1. in 2. additione.

XIV.

Edita Anno 1438. AD vniuerſalis Eccleſiæ regimen, & infra pag. 281. Bullar.

COMPENDIUM.

Abbates quicumque, & quacumque auctoritate, etiam Apoſtolica, ad Abbatias Ordinis Ciſtercienſis promoti, Abbati d. Ordinis, Viſitatoribuſque, & Reformatoribus eiuſdem, prout antea ſubiecti ſint. §. 1. & 2. Inobedientes excommunicationis ſententiæ ſupponuntur, ita vt obedire eis debeant. §. 1. iuncto §. 3. Conſtitutiones, & alia contraria tolluntur. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Obedientia, de qua in 1. & 3. §. aſtringetne Abbatem inferiorem, Abbati generali obedire, ſi ei præcipit, vt acceptet aliquem Epiſcopatum?

RESP. Non, quia Prælatus non poteſt ad altioris perfectionis obligationem eius ſubditum arctare, vt poſt D. Bernardum tradit Rod. de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 20. artic. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſſet fortaſſe ſubditum cogere ad tranſmeandum inter gentes barbaras, è Regno natiuo ipſius ſubditi, ad prædicandum verbum Dei.

RESP. Non, quia hoc Ciſtercienſes non vouent, neque eorum conſtitutiones id præcipiunt, & ideo Clerici Societatis Ieſu ſpecificè vouent has longinquas, valdéque difficiles peregrinationes, ad Rod. vbi ſupra, attic. 7.

XV.

Edita Anno 1439. NOn mediocri dolore afficimur, & infra pag. 282. Bullarij.

COMPENDIUM.

Quia Archiepiſcopus Cantuarienſis mouit controuerſiam Ioanni tit. S. Balbinæ Presbytero Cardinali, ſuper præcedentia, hic Pont. inquit Cardinalatus dignitatem cæteris in Romana Eccleſia eſſe ſublimiorem de conſuetudine, tam apud Sedem Apoſtolicam, quàm generalia Concilia obſeruata. §. 3. Cardinaliúmque officium, nempe, quod ſummi Pontificis ſint coadiutores, iuſſu Dei à B. Petro, eiúſque ſucceſſoribus inſtitutum fuiſſe. §. 4. Cardinaléſque fuiſſe à B. Syluestro nuncupatos in Concilio Nicæno. §. 5. Horum Papæ aſſiſtentium, adinſtar cæleſtis Hierarchiæ, tres ſunt ordines: Diaconi Cardinales, Presbyteri Cardinales, & Epiſcopi Cardinales. d. §. 5. Cardinales aſſiſtentes Papæ, repræſentant Apoſtolos aſſiſtentes Chriſto conuerſanti in terris; Epiſcopi autem repræſentant Apoſtolos ad prædicandum miſſos. d. §. 5. Cardinales membra Papæ dicuntur, & qui eos offendunt, læſæ Maieſtatis rei ſunt. §. 6. Legatique de latere Papæ dicuntur, cùm ab eo mittuntur. §. 7. Conſtantinus Imperator loco Petri à ſe honorari affirmauit. §. 8. Cardinalium cætum Romana Eccleſia cæteris illuſtriorem conſtituere potuit, quæ omnes dignitatum gradus præfiniuit. §. 9. Conſuetudo S. R. E. ac vniuerſalis hanc Cardinalium præeminentiam approbauit. §. 10. Et Concilia etiam generalia id obſeruarunt. §. 11. Cardinalatus dignitas à S. R. E. ante alios Prælatos nominari conſueuit. §. 12. In prælationibus præponenda eſt dignitas Cardinalatus, etiam vbi non vti Cardinales, ſed vti ſuarum Eccleſiarum Prælati interſunt. §. 13. Cardinales, quia vnà cum Papa tegunt omnes Eccleſias, & à ſolo Papa iudicantur, præcedunt Archiepiſcopos, quia vnam eorum quiſque Eccleſiam regit, & à Papa, & Cardinalibus iudicantur. §. 14. Contraria conſuetudo Eccleſiæ Cantuarienſis non ſuffragaretur. §. 15. Hortatur ex his Archiepiſcopum Cantuarienſem, vt huic determinationi acquieſcat. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Vbi legimus, B. Syluestrum nomine Cardinalium vſum fuiſſe, vt dicitur in §. 5.

RESP. Legimus in cap. Præſul. cauſ. 2. quæſt. 4. aliàs 5. quod citat, corruptè tamen, poſt Oldrad. in conſ. 63. Cardin. Tuſch. in verb. Cardinales, concluſ. 95. num. 1. & Petrus Greg. in Syntagm. Iur. lib. 15. par. 2. cap. 4. ſub nu. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cauetúrne aliqua imperiali lege, Cardinales eſſe membra Papæ, vt hic dicitur in §. 6.

RESP. Henricus VII. Imperator à

Clem. V. in Vrbe coronatus, hanc ſubſequentem edidit legem anno 1313. multa ſcitu digna pro fidei Chriſtianæ firmitate, & Papæ Cardinaliumque, quos præclaram Papæ corporis partem appellat, præeminentias continentem, quam propterea ex Alberic. in rubrica. Cod. de Summa Trinit. deſumptam, hic intexere opportunum duxi. Cuius legis tenor talis eſt.

Henricus VII. diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Auguſtus, ad æternam rei memoriam. Reddentes honorem, & debitam reuerentiam ſummæ, & indiuiduæ Trinitati, cuius prouidentia, & miſeratione benigna, Romani Imperij diadema ſuſcepimus, & gubernamus Imperium, in qua ſpem noſtram præcipuè ponimus, credentes firmiter, ſimpliciter profitemur, Patrem, vnigenitum Filium, ex Patre genitum, & Spiritum ſanctum ex vtraque procedentem, vnam Deitatem ſub pari maieſtate, & pia Trinitate, ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicámque doctrinam eſſe colendam. Hæc eſt fides recta, quæ contra omnes premit errores, quam diuinum Petrum Principem Apoſtolorum, & Paulum Doctorem gentium, nouimus tradidiſſe. Qua diuinæ memoriæ Conſtantinus noſter inclytus Prædeceſſor Romanum muniuit, & auxit Imperium. Cunctóſque populos noſtro ſubiectos Imperio, in iſta volumus religione verſari, & præſente in perpetuum valitura lege ſancimus. Omnes hæreticos vtriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur diffidamus, atque bannimus, confirmantes Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, & pœnas, quæ aduerſus hæreticos, fautores, & receptores eorum, ſine quibus diutiùs manere non poſſunt, hactenus ſunt ſtatutæ. Mandantes inſuper cunctis ſæcularibus Poteſtatibus, vt conſtitutiones Romanorum Pontificum contra prædictos, vel in cauſa fidei editas obſeruent, & faciant ab aliis abſeruari, Sanctam Romanam Eccleſiam, ſicut matrem, & ipſius Sedis Antiſtitem, ſicut Chriſti Vicarium, & B. Petri ſucceſſorem veneramur, & præcipimus ab aliis ex debito venerari. Ipſam enim Romanam Eccleſiam, in ſpiritualibus, Diuinæ prouidentiæ altitudo vniuerſis diſpoſitione incommutabili prætulit Eccleſiis, & totius Orbis præcipua inſigniuit, & ideo eſſe omnium Eccleſiarum caput, vt Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant, ac ſereniſſimi noſtri teſtantur afflatus. Quapropter Romanum Pontificem, & ipſius Eccleſiæ Cardinales, qui ſunt eius corpus, oris pars præclara, ab omni iniuria eſſe præcipimus alienos. Mandantes noſtra conſtitutione, vt ſæculares quicunque Poteſtates conſtitutiones tam Pontificum, quàm Principum Romanorum, contra tales ſacrilegos editas obſeruent, & faciant ab aliis obſeruari. Hanc itaque noſtræ Serenitatis conſtitutionem in corpore iuris ſub debita rubrica inſeri volumus, & mandamus. Datum Piſis 1313. menſe Aprilis, Imperij noſtri anno primo, Regni verò quinto.

X V I.

Regularem vitam profeſſis, & infra pag. 284. Bullarij. *Edita Anno 1439.*

C O M P E N D I V M.

Monachis profeſſis Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti, ad alium, præter Carthuſianorum Ordinem, tranſire prohibet. §. 2. Contra facientes, nec non Abbates, aliis licentiam concedentes, excommunicationis ſententiæ ſubmittit. §.3. Contariiſque derogat. §.4.

Scholion primum.

Quæro. Cur ad Carthuſianos tantùm permittitur tranſitus?

R E S P. Quia eorum Religio nunquam permittit eſum carnium, etiam tempore maximæ ægritudinis, ſilentiúmque ſtrictiſſimum eſt, & clauſura quaſi perpetua. Latè Nauarr. conſ. 10. de Regularib. num.2.iuxta impreſſ. Brixiæ, & in comment. 4. de Regularib. ſub num. 31.

Scholion ſecundum.

Quæro. Monachus tranſiens ad Carthuſianos, an ſuas veſtes ſecum poſſit deferre?

R E S P. Poteſt, cùm nudus tranſire non poſſit, & conceſſo vno, cenſetur conceſſum neceſſarium ad illud. l. penultima, cum ibi not. ff. de vſufr. ſed non ſibi alia neceſſaria, quia licentia tranſeundi eſt intelligenda ſine præiudicio tertij, & ſic Religionis, à qua tranſit. cap. Super, in fin. 27. de offic. deleg. & l. 2. §. Si quis à Principe. ff. nequid in loco publico fiat.

X V I I.

XVII.

Edita Anno 1439. LÆtentur Cœli, & exultet terra, & infra pag. 284. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat lætitiam conceptam, laudéſque Deo refert de concordia ſecuta inter Latinam Eccleſiam, & Græcam, in Concilio Florentino, conſentiente Ioanne Palæologo Romanorũ Imperatore,& aliis vniuerſalem Eccleſiam repræſentantibus, circa nonnullos articulos, in eodem Concilio hac de cauſa acto. §. 1. Explicat etiã diffinitiones circa quinque articulos.§.2. Primum, circa proceſſionem Spiritus ſancti. §. 3. Secundum, circa confectionem corporis Chriſti in azymo, vel fermentato pane. §. 4. Tertium, circa pœnas Purgatorij, & pia opera pro defunctis. §.4. Quartum, circa ſalutem animarum.§.6. Quintum, circa earumdem damnationem.§.7.Diffinit etiam primatum Petri. §. 8. Renouat quatuor Patriarchatus,Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Renouatio horum Patriarchatuum nónne indicat, iam aliàs ſic eos fuiſſe conſtitutos?

RESP. Hoc indicat; nam conſtitutio firmata fuit in Concilio Conſtantinopolitano,vt in c.6.diſt.22 & in Concilio Lateranenſi,vt in cap. 23.de priuileg.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ante d. Concilium Conſtantinopolitanum eratne hic idem ſtatus Patriarchatuum?

RESP. Non,vt videre eſt apud Petr. Greg. in Syntagm.Iuris lib.15.par.1.cap. 5.num.4.& ſeq. vbi antiquiores ad hoc authores allegat. Addo vnum,quod non poſtulas, nempe alios præter prædictos quatuor eſſe Patriarchatus, vt patet Aquileienſis, & alij, de quibus meminit Lancell. Conrad. in ſuo opere de Templo Iudicum. lib. 2. cap. 2. ſub num. 4. & Caſſan. in catalog. glor. mund.par.4. conſid. 9. verſ. An autem.

XVIII.

Edita Anno 1439. LIcèt Romanus Pontifex omnes Religiones, & inf.pag.285.Bull.

COMPENDIVM.

Quia Moniales Ordinis S.Claræ Fratrum Minorum B.Franciſci curæ ſubiectæ, aſſerebant ſe grauari oneribus impoſitionum,& gabellarum,ſupplicarunt Papæ pro opportuna prouiſione.§.1.Qui propterea eas eximit à iuriſdictione & ſuperioritate Ordinariorum. §. 2. Et ab omnibus oneribus eiuſmodi. §. 3. Legatis, Patriarchis, & aliis Prælatis, ita præcipit. §. 4. Contraria tollit.§. 5. Ordinis Fratrum Minorum ſuperioritatem præſeruat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Hæc exemptio à iuriſdictione Ordinariorum, eſtne ſublata à Concilio Tridentino?

RESP. Non puto ſublatam, ſed confirmatam in cap. 9.ſeſſ.24.verſ. Quæ verò. & tradit Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 63. art. 5. vbi in ſpecie meminit de hac bulla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Appellatione Legatorum Sedis Apoſtolicæ, de quibus hic mentio habetur, continentur etiam Legati à latere?

RESP. Non continentur, ſed ſpecialis expreſſio de eis facienda eſt, ad tex. in cap. 6. Abbatum. 36.de elect.lib. 5. cum ibi not. & in cap. 1. de verbor. ſignificat. in 6. & in terminis noſtris Rod. vbi ſupra artic. 4.

XIX.

EXultate Deo adiutori noſtro, & infra pag. 286. Bullarij. *Edita Anno 1439.*

COMPENDIVM.

Refertur exultatio cum gratiarum actione omnipotenti Deo, in princ. Eo quòd vltra vnionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, vnio ſecuta eſt etiam Armenorum. §. 1. Pro cuius ſtabilimento compendium vnitatis fidei Armenis datur, ſacro id approbante Concilio Florentino. §. 4. Primò, de Symbolo fidei. §. 5. Secundò, de duabus naturis Chriſti.§.6.Tertiò,de duabus voluntatibus, & duabus operationibus Chriſti.§. 9. Quartò,de Conciliis vniuerſalibus,& de B. Leonis veneratione. §. 8. Quintò, de ſeptem Sacramentis nouæ legis. §. 9. Sextò, de Baptiſmo. §. 10. Septimò, de Confirmatione, ſeu Chriſmate. §. 11.

M 2 Octauò,

Octauò, de Euchariſtia. §. 12. Nonò de Pœnitentia. §. 13. Decimò, de Extrema vnctione. §. 14. Vndecimò, de Ordine. §. 15. Duodecimò, de Matrimonio. §. 16. Decimotertiò, de Fidei regula tradita ab Athanaſio. §. 17. Decimoquartò, de Decreto vnionis cum Græcis. §. 18. Decimoquintò, de feſtiuitatibus celebrandis. §. 19. Refertur poſtremò Armenorum approbatio in omnibus prædictis, & in cæteris, quæ S. R. Eccleſia tenet, & docet, atque iubet. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quod olim erant Armeni pluribus erroribus infamati, & ab Occidentalibus eorum nomen malè auditum?

R e s p. Quia ob diuturnum tempus, quo Manichæi incoluerunt Armeniam, aliíque hæretici, eam pluribus erroribus infecerunt, teſte Baronio in Annalib. Eccleſ. tom. 11. pag. 57. vbi perleges exẽplum cuiuſdam Simeonis Armeni, viri ſancti, & iuſti, qui Romam veniens, ob infenſum nomen Armeni, de hæreſi falſò fuit accuſatus, & iuſto Dei iudicio, accuſator à maligno ſpiritu correptus; ſed ab eodem Simeone ſigno Crucis deinde fuit liberatus. Qui autem eſſent errores Græcorum, vide in Director. Inquiſit. part. 2. quæſt. 18.

Scholion ſecundum.

R e s p. Eſtne verum, quod Armeni tempore Gregorij VII. Sacramentum Chriſmatis, de quo in §. 11. non balſamo, ſed butyro conficiebant?

R e s p. Sic legitur in Epiſtola 26. eiuſdem Greg. VII. & meminit Baron. in Annalib. Eccleſ. Romæ cuſis, tom. 11. pag. 556.

X X.

Edita Anno 1440.

FIde digna relatione percepimus, & infra pag. 297. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia dubitatum fuit in Ciuitate Lycij, ſi non communicantes in die Reſurrectionis Dominicæ mortaliter peccarent, in princ. Et quamuis Papa aliàs reſcripſiſſet Epiſcopo Lycienſi, quod ſatis erat ſi paulò ante, vel poſt quis communicaret, nihilominus contigit vt ſupra dubitari. §. 1. Nunc ergo declarat ſufficere, quod communicet in hebdomada ſancta, vel infra Octauam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi adeſſet conſuetudo legitimè præſcripta, quod alio tempore communicet?

R e s p. Satisfacit præcepto, ſecundum Nauar. in cap. Conſideret. §. Caueat, de pœnit. diſt. 5. num. 1. & in Manuali Confeſſ. cap. 21. num. 1. vbi loquitur de intelligentia huius conſtitutionis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis non communicat in Paſchate, & peccat, ſi non communicat poſtea infra annum, nouum peccatum committit?

R e s p. Nauarrus vbi ſupra opinionem ſequitur affirmatiuam, contra ſententiam antiquorum Patrum, quos recenſet, cui tanquam magis communi hærendum videtur.

X X I.

SVper gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ, & inf. p. 290. Bul. *Edita Anno 1441.*

C O M P E N D I V M.

Indulget Congregationi Fratrum S. Hieronymi de Feſulis, vt Regulam S. Auguſtini profiteantur. §. 1. & 2. Et ipſam Congregationem, de Feſulis nuncupari. §. 3. Conuentum Feſulanum caput Cõgregationis conſtituit, & inibi prima vice Capitulum generale congregari mandat. §. 4. Et ibi vnum Præpoſitum generalem & ſingulos aliarum domorum Rectores eligi iubet. §. 5. & 6. Quorum officia in primordiis aliorum Capitulorum generalium expirare declarat. §. 7. Statuta in Capitulis facta firmari poſſe concedit. §. 8. Super quibus Prior, Rectores prædicti, cum eorum Fratribus, diſpenſare poſſint. §. 9. Fratréſque vagantes ad clauſtra reducant. §. 10. Perſonas Ordinis abſoluant, & cum eis diſpenſent, præterquàm in reſeruatis à Sede Apoſtolica. §. 11. Sacramenta miniſtrent. §. 12. Profeſſio vt emittenda. §. 13. Contrariorum derogatio. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Quare conuentus Feſulanus caput Ordinis conſtituitur, & Congregatio de Feſulis nuncupatur?

R e s p. Quia in Ciuitate Feſulana primùm

mùm regularis obſeruantia ab his Fratribus cœpta fuit, vt habetur ſup. in conſt. 3. Greg. XII.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Ciuitas fuit deſolata, & nullus in ea inſignis locus remanſit, vt inquit Lapus allegat. 123. retinetur tamen adhuc denominatio de Feſulis?

R e s p. Retinetur, ſicut retinetur etiam nomen Epiſcopatus de Feſulis, licèt in Ciuitate Florẽtiæ Epiſcopus reſideat. Scribit idem Lapus, & in bullis modernorum Pontificum exiſtentibus in Bibliotheca Genitoris mei, eoſdem Fratres S. Hieronymi de Feſulis nuncupatos vidi.

XXII.

Edita Anno 1441. REgimini vniuerſalis Eccleſiæ,& infra pag. 291. Bullarij.

COMPENDIVM.

Redigit in vnam Congregationem Fratres S. Ambroſij. §. 1. & 2. Eámque nuncupari iubet Congregationem Fratrum S. Ambroſij ad Nemus Mediolanenſe. §.3. Et in eo Capitulum generale quolibet triennio celebrari iubet. §. 4. Ibique conſtitutiones Regulæ S. Auguſtini non contrarias præfiniri poſſe indulget. §. Priorémque generalem eligi. §.4.Eius,& Viſitatorum munus explicat. §. 7. Priorum facultatem in abſoluendis Fratribus promit.§.8.& ſeq.Et in eiſdem coërcendis.§.11.Nouiſque locis recipiẽdis.§.12.Ambroſianum officium à Fratribus,vt conſueuerunt, recitari mandat.§. 15.Priuilegia locorũ Ordinis inter ſe cõmunicat.§.16.Cõtrariiſq;. derogat. §.17.

Scholion primum.

Quæro. Officium Ambroſianum retineturne etiam poſt editum à Pio V.Breuiarium, ex ſacro Concilij Tridentini decreto reſtitutum, aliis Breuiariis interdictis?

R e s p. Pius V. anno 1568.interdixit Breuiaria,quæ ab ipſa prima inſtitutione per Sedem Apoſt. vel conſuetudinem ducentos annos antecedentem approbata non erant, vt videre eſt in eius conſt.64.§.5.Ideo non ſe extẽdit ad illud officium à conſuetudine approbatum, quod ſeruari hic Pont.præcipit in hoc §. 24 Quod optimè nouit B. Carolus dum in 5.decreto Synod.Mediol.a.hoc officiũ Ambroſianum expreſſè præſeruauit, quinimò in decreto 7. Synod. 3. eius ritum ſeruari voluit etiam à Confratribus, quorum Solidtates inſtitutæ erant in Eccleſiis, in quibus idem ritus more Ambroſiano adhibetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. In Eccleſiis, vbi ſolùm more Ambroſiano celebrandum eſt, poteritne etiam more Romano Miſſę Sacrum fieri, vel è contra?

R e s p. Carolus, vbi ritu Romano celebrandum eſt, ibi Miſſæ ſacrificium Ambroſiano more fieri vetuit, & è contra in Synod. 3. decret. 19.

XIII.

CAntate Domino,quoniam magnificè fecit, & inf.p. 293.Bul. *Edita Anno 1441.*

COMPENDIVM.

Exultat de vnione Iacobinorum cum S. R. E. vltra vnionem Græcorum, & Armenorum, in princ. Agitque gratias D. N. Ieſu Chriſto.§.1. Commendat Patriarcham Iacobinorum d. vnionis cupidiſſimum.§.2. Expoſitionem fidei ſubnectit. §. 3. Circa Trinitatem.§.4. Circa veram creationem, nouique & veteris Teſtamenti dationem.§.6. Circa diuinitatem Chriſti.§. 8. Circa eius Natiuitatem, Paſſionem, Reſurrectionem, & Aduentum. §. 9. Circa humani generis redemptionẽ.§. 11. Circa legalia veteris Teſtamenti.§.12. Circa eſum ciborum.§. 14. Circa ſalutem Catholicorum. §. 15. Approbat Concilium Nicænum. §. 16. Conſtantinopolitanum.§.17.Epheſinúmque. §. 18. Damnat ſecundam Synodum Epheſinam. §. 19. Approbat Concilium Chalcedonenſe.§.20.Conſtantinopolitanúmque ſecundum.§.21. Et etiam tertiũ. §.22.Florentinum,& alia à Sede Apoſtolica acta, vel approbata. §. 23. Explicat formam qua vtitur S. R. E. in conſecratione Corporis, & Sanguinis Chriſti.§. 24. Et qualitate panis.§. 25. Nuptiarúmque multiplicationem.§. 26. Refert poſtremò acceptationem Iacobinorum de omnibus prædictis. §. 27.

Scholion primum.

Quæro. Vnde appellantur Iacobitæ?

R e s p. A Iacobo hæretico diſcipulo Patriarchæ Alexandrini, hoc nomen ſortiti fuit, vt ſcribit Arnald. Albertin.

Digitized by Google

in repetit. rubr. de Hæret. in 6. de 7. errorib. Iudæor. num. 12. vbi ſubdit, quod iſti populi in partibus Orientis occupãt magnam partem Aſiæ, terram Mambræ, quæ eſt propinqua Ægypto, & tertam Æthiopiæ, vſque ad Indiam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si dixero Æthiopes, intelligẽturne expreſſi ſub hoc nomine Iacobitæ?

R E S P. Sic puto, ex præclaro, quod extat teſtimonio Epitaphij in marmoreo monumento huius Pontificis apud Baſilicam S. Petri de Vrbe, in quo hi verſus inciſi leguntur.

Eugenius iacet hic Quartus, cor nobile cuius
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu, Cæſar vterque pedes.
Alter, vt accipiat fidei documenta Latinæ:
Alter, vt aurato cingat honore caput.
Quo duce, & Armenij, Græcorũ exẽpla ſecuti
Romanam agnorunt, Æthiopéſque fidem.
Inde Syri, ac Arabes, mũdiq; à finibus Indi,
Magna, ſed hæc animo cũcta minora ſuo.
Nã valida rursũ Teucros iam claſſe petebat,
Cùm petiit, illum ſuſtulit atra dies, &c.

X X I V.

Edita Anno 1442. QVamquam ex debito ſummi Pontificatus, & inf. p. 296 Bull.

C O M P E N D I V M.

Quia Congregatio Canonicorum ſęcularium S. Georgij in Alga Venetiarum multum proficit, & populorum deuotio augmentum recipit. §. 1. Eam eximit Congregationem, eiúſque perſonas, bona, & loca omnia, necnon colonos, & laboratores, affictuarios, procuratores, & negotiorum geſtores, ab omni decimæ contributione, & onere Ordinariorum, & Sedis Apoſtolicæ, aut aliàs quomodolibet, imponendis. §. 2. Clauſulas huius priuilegij præſeruatiuas apponit. §. 3. Exactoribus inhibet. §. 4. Contraria quæcumque remouet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid ab aliquo Ordinario Congregatio vexata poſtea fuit?

R E S P. Ab Epiſcopo Patauino circa annum 1446. cui, & aliis hic Pont. celeriter inhibuit, vt vidi in eius Bulla die 25. Ianuarij dicti anni edita, apud Canonicos huius Congregationis in Monaſterio S. Saluatoris in Lauro de Vrbe nuncupato, aſſeruata.

Scholion ſecundum.

Quæro. Paulus III. (vt percepi) exẽptiones omnes, & alia priuilegia Monachorum Congregationis Caſſinenſis huic Congregationi elargitus fuit, cur ergo Genitor tuus inter dicti Pauli conſtitutiones non edidit?

R E S P. Quia (vt arbitror) Pius V. in ſua conſtit. 92 ampliorem dictæ Congregationis gratiarum elargitionem dedit, vt videri poteſt, meíque Genitoris inſtitutum fuit, neceſſarias Religionum conſtitutiones edere, prætermiſſis aliis, quarum infinitus eſt numerus.

X X V.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 297. *Item*; Ad hoc circa, & infra pag. 298. Bullarij. Edita Anno 1443.

C O M P E N D I V M.

Generales Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Congregationem eorumdem Fratrum de Obſeruantia exemerunt ab obedientia Prælatorum d. Ordinis. §. 1. Dederuntque licentiam eligendi Præſidentem Capituli tunc celebrandi. §. 2. Nec non Vicarium pro regimine d. Congregationis. §. 3. Priuilegiáque multa Ordinis eidem Congregationi conceſſerunt. §. 4. Vnde Congregatio aucta eſt, & in regulari obſeruantia multum profecit. §. 5. Hic ideo Pont. prædicta approbat. §. 6. Regiménque d. Congregationis eius Vicario delegat. §. 7. Necnon Capitulum congregandi facultatem tribuit. §. 8. Vicario in Congregatione tribuit poteſtatem, quam Prior habet in Ordine. §. 9. Statutáque condẽdi. §. 10. Et deſuper diſpenſandi. §. 11. Aliúmque ſibi ſubrogandi in caſu abſentiæ. §. 12. Authoritatem Prioris generalis Ordinis Congregationem viſitandi; & corrigendi præſeruat. §. 13. Eleemoſynas quæri Congregationi permittit. §. 14. Indulta communicat omnibus locis, & perſonis de Obſeruantia. §. 15. Declarat tria dubia exorta ſuper hac Bulla. §. 1. & ſeqq. Bullæ ſubſeq. prohibet vti gratiis, & conſequendi dignitates extra Ordinem abſque licentia. §. 5. Communicat gratias cuiuſcumque Congregationis viuendæ.

Digitized by Google

vniendæ. §. 6. Bona venientium ad Religionem, decernit eſſe Congregationis. §. 7. Contrariis omnibus derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Stante communicatione priuilegiorum inter loca, & Societates Fratrum de Obſeruantia, de qua in §. 15. ſi vna Societas præſcriptione perderet priuilegium, poſſet iuuari priuilegio alterius Societatis non præſcripto?

RESP. Non poteſt, quia communicatum dicitur ius priuilegij, non autem eius vſus, vt ſummè notandum eſſe tradit Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 55. artic. 19. in fin.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fratres iſti de Obſeruantia poſſuntne vti priuilegiis Ordini elargitis, & ipſis ſimpliciter communicatis, quæ eſſent eorũ Obſeruantiæ contraria?

RESP. Non, quia talis communicatio ſemper intelligitur conceſſa in his, quæ Obſeruantiæ non aduerſantur, aliàs tenderet in deſtructionem Religionis, quod non eſt dicendum, vt tenet Rod. vbi ſupra artic. 22. ad finem.

XXVI.

Edita Anno 1446. INter curas multiplices, quibus, & infra pag. 299. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quoniam Monachi S. Baſilij in Prouinciis Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ indigebant reformatione, hic Pont. eorum Capitulum Romæ celebrari iuſſit. §. 1. In quo firmatum fuit, deſtinari in dictis Prouinciis Viſitatores, qui perſonas, & loca viſitent, & corripiant. §. 2. Qui taxam pro ſalariis Magiſtrorum, & expenſis ſtudentium exigant. §. 3. Quæ ſtatuta hic comprobat. §. 4. Viſitatoribus omnes parere iubet. §. 5. Eiſdem facultatem contra quaſcumque Ordinis perſonas, etiãſi Archimandritæ fuerint, tribuit. §. 6. Stipendia eiſdem deſignat. §. 7. Contrariis omnibus derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Regula S. Baſilij eſt antiquior regula S. Benedicti?

RESP. Hoc eſt certiſſimum, & poſt alios Iuriſtas vide conſ. 2. Collegij Paduani impreſſum poſt conſ. Card. Zabar. num. 39. & ſeqq. & num. 62. Et plenius in conſ. 4. Caccialupi ibidem impreſſo num. 39. & ſeqq. vbi inquit, quod Baſilius apud Græcos primò inſtituit Monachos ante B. Auguſtinum, poſtea B. Benedictus regulam accommodauit, in qua cùm Gregorius primus fuiſſet Monachus, dedit licentiam, quod omnes Latini profiterentur regulam S. Benedicti, & ampliata eſt apud Latinos, Baſilij verò apud Græcos, vt poſtremò ſcribit Card. Tuſchus in verb. Religio. concluſ. 138.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur vtitur illis verbis, *etiamſi Archimandritæ fuerint?*

RESP. Quia eſt nomen ampliſſimæ dignitatis, ita vt appellentur à Iuſtiniano in l. 4. §. Manifeſtum. Cod. de Summ. Trin. Reuerendiſſimi. Et ſic non veniebant appellatione Monachorum, cùm Archimandritæ ſuperiores ſint quam Monachorum Abbates, vt gloſ. ibi, & communiter DD. affirmant.

XXVII.

LIcèt militans in terris Eccleſia, & infra pag. 301. Bullarij. *Edita Anno 1447.*

COMPENDIVM.

Cùm Nicolaus de Tolentino miraculis, virtutibúſque clarus extitiſſet. §. 1. Ioannes XXII. de eius canonizatione egit. §. 2. Præclara etenim opera B. Nicolaus fecit. § 3. Vigiliis, ieiuniis, orationibuſque vacau t. §. 4. Obitus tempore audire meruit, *Euge ſerue bone, & fidelis*, &c. §. 5. Miraculis claruit tam antè, quàm poſtea. §. 6. Virum latere perditum, & oculi cæcitate laborantem, ſigno Crucis liberauit. §. 7. Mulierem ſanguinis fluxu ſanauit. §. 8. Puerum ſubmerſum vitæ reſtituit. §. 9. Virum ſuſpenſum, mortuúmque ſuſcitauit. §. 10. Miracula trecenta, & vnum fecit. §. 11. Hic ideo Pontifex B. Nicolaum SS. catalogo adſcribit. §. 12. Eiúſque feſtum pro die 10. menſis Septembris inſtituit. §. 13. Indulgentias eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, quod nomen huius S. Nicolai fuit ſuis parentibus diuinitus prænunciatum?

RESP. B. Nicolaus Barẽſis, cuius feſtum celebrat Eccleſi die 6. Decembr. huius S. Nicolai parentibus ſuſcipiendæ

4 M prolis

prolis deſiderio Barum voti cauſa profectis, prædixit, quod maſculus eis filius naſceretur, ipſique ſuum Nicolai nomen imponerent, vt ſcribit præter D. Antonin. par. 3. tit. 24. cap. 10. Sur. in vita huius Sancti tom. 5. die 10. Septembris.

Scholion ſecundum.

Quæro. Miracula indicata tantùm in §. 12. quis recenſet, & explicat?

RESP. Nonnulla ſcribit Antonin. & Mombrit. & Sur. vt meminit Baron. in Martyrolog. Sed ſubdit Sur. in fine, quod tanta eſt illius miraculorum copia, vt referri omnia vix poſſint, opúſque ſit calamo illius ſcribæ velociter ſcribentis, qui virtutis ſuæ digito, in menſe tabulas lapideas exarauit.

XXVIII.

Edita Anno 1447.

ORdinis tui præſertim familiarum, & infra pag. 302. Bull.

COMPENDIVM.

Vicarij Fratrum Minorum de Obſeruantia in partibus Ciſmontanis regimini ſubiicit Moniales S. Claræ, tam primi, quàm ſecundi, & tertij Ordinis. §. 1. & 2. Declarat eas Moniales eſſe vocales in electione Abbatiſſæ, quæ per annos tres, vel circa in Monaſteriis degerint. §. 2. numerúmque vocalium pro maiori parte eſſe debere. § 3. Ieiunium perpetuum modificat. §. 4. Zoccos ligneos, & ſandalia, & ſi opus ſit etiam calceamenta deferre indulget. §. 5. Dicto Vicario dat facultatem diſpenſandi circa cibum, & ſilentium, à Regula perpetuò indictum. §. 6. Declarat non peccare mortaliter tranſgrediẽtes præcepta Regulæ, præter ea, quæ concernunt principalia vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & clauſuræ, aut ſuper electione, & depoſitione Abbatiſſæ. §. 7. Indulget etiam ſagina, & lardo vti poſſe in cibis. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Dictio illa, *vel circa*, in §. 2. circa tempus, quo vocales ſteterunt in Monaſteriis, quem ſenſum recipit?

RESP. Modicum tempus importat. l. 2. §. Exactis ff. de orig. iur. Alex. conſ. 120. lib. 2. & Gemin. conſ. 24. num. 9. vbi exemplificat, eſſe decem dierum. Sed verius puto, Superiorum recto arbitrio hoc modicum diiudicari debere, ad Menoch. caſu 46. num. 4. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. In d. §. 2. non dicitur, an poſſit eligi in Abbatiſſam, quæ ſtetit in Monaſterio per annos tres, vel circa, vt dicitur de vocalibus, quid ergo erit?

RESP. Dubium ſuſtulit Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 7. quod requirit, quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixiſſe, quæ in Abbatiſſam eligenda eſt.

XXIX.

INter cætera deſideria cordis noſtri, & infra pag. 303. Bullarij. *Edita Anno 1447.*

COMPENDIVM.

Quidam Prælati, & Principes Germani, ob diſſenſionem ſecutam tempore Concilij Baſileæ, neutrales fuerunt, & modò huic Summo Pontifici obedientiam præſtiterunt. §. 1. Quo tempore cùm multa acta fuerint in d. natione circa beneficiorum collationes, quæ Pontificis authoritatẽ requirunt, ideo collationes Ordinariorum factas Pontificia authoritate roborat. §. 2. Eorúmque poſſeſſores nõ moleſtari iubet. §. 3. Lites deſuper vertentes extinguit. §. 4. Eaque beneficia, & Eccleſias denuo confert. §. 5. Ius contendentibus ſuper Eccleſiis Fiſnigeſ. & Oſilienſ. præſeruat. §. 6. Acta tempore ſuſpenſionis in præiudicium iuriſdictionis Metropolitanorum, & Diœceſanorum, Principatuum, Dominiorum, Terrarum, Regis, & Electorum, & Archiepiſcoporum prædictorum, &c. irritat. §. 7. Obligationes circa annatas Cameræ Apoſtolicæ debitas relaxat. §. 8. Diſpenſationes, & indulta (præter hic expreſſa) confirmat. §. 9. Circa ſententias Romæ, vel Baſileæ promulgatas prouidet. §. 10. Adhærentes Concilio Baſileæ poſt eius diſſolutionem abſoluit, ſi ad Pontificis obedientiam redierunt, vel redierint infra ſex menſes. §. 11. Contrariis derogat, in fin.

Scholion primum.

Quæro. Concilium Baſileæ, de quo in §. 1. quando fuit indictum, diſſolutum, & finitum?

RESP. Indixit Martinus V. anno 1431. vt ſupra in eius conſtit. 14. Hic autem Eugenius diſſoluit, & ad Ciuitatem Ferrariæ primùm tranſtulit anno 1437. vt ſup. in eius conſtit. 11.

Anno

Anno autem 1443. illi Concilio finis impoſitus fuit, vt ex eius actis liquet, & refert Ciacon. in vita Fœlicis V. eo tempore antipapæ, pag. mihi 914. in fine.

Scholion ſecundum.

Quaro. Poſt diſſolutionem ergo durauit Concilium Baſileæ?

R E S P. Durauit, ſed Conciliabulum à die d. diſſolutionis, & tranſlationis dicitur, vt omnium copioſiùs, & magis eruditè demonſtrat Cathald. de Boncomp. in ſuo tractat. de poteſt. Papæ, in 1. tit. de tranſlatione Concilij Baſileæ.

NICOLAVS V.

Italus, creatus anno 1447.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1447.

AD ſacram Petri Sedem, & infr. pag. 305. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Federicus Imperator III. Principéſque Germaniæ ex vna, & Legatus Papæ ex altera partibus, concordata, ſeu ordinationes aliquas ſuper reſeruatione, & collatione Eccleſiarum, & beneficiorum firmarunt. §. 1. Pontifex illa approbat, modificando extrauang. Execrabilis. Ad regimen de præbend. §. 2. Reſeruando beneficia Vicecancellarij, Camerarij, Auditorum Rotæ, Abbreuiatorum, &c. Declarat cap. 16. Nicolai III. de elect. in 6. §. 3. Vacationeſque futuras in menſibus ſex pro Ordinariis, & aliis ſex, pro Papa reſeruatis. §. 4. Et quoad annatas. §. 5. Conſtitionem vltimam Eugenij IV. hanc immediatè præcedentem comprobat. §. 6. Tranſumptis Bullæ credi iubet. §. 7. Sanctionem pœnalem adiicit. §. 8.

Scholion primum.

Quaro. In ſex menſibus, in quibus Papa non confert beneficia, vt in §. 4. poteſt ſaltem Coadiutorias cum futura ſucceſſione concedere?

R E S P. Non, vt cenſuit Rota in deciſ. vnica. Caſſad. in tit. de Pact. quæ canonizata poſtmodum fuit in deciſ. Put. 225. lib. 3. in nouis, per totam, in vna Germana Concordatorum. Idémq; placuit eidem Rotæ in deciſ. 10. lib. 3. par. 3. diuerſ. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quaro. Appellatione Abbreuiatorum, veniunt Abbreuiatores de Parco minori in iſta reſeruatione?

R E S P. Veniunt, quia Abbreuiatores de Parco maiori, & minori, vnum & idem Collegium faciunt, & non differunt, niſi in perceptione portionum; & plus, & minus non faciunt differre ſpecie. l. fi. ff. de fund. inſt. & ita determinauit Rota coram Puteo, lib. 1. deciſ. 234. in vltimò impreſſis, loquens de intelligentia extrauag. Benedict. XII. cuius verba in hanc Bullam tranſlata ſunt.

II.

Edita Anno 1450.

MIſericordias Domini in æternum cantabo, & infra pag. 306. Bullarij.

COMPENDIVM.

Mirabilia fecit Dominus, vt hominem in viam ſalutis reduceret, in princ. Angelos quandoque deſtinando. §. 1. Patriarchas mittendo. §. 2. Prophetáſque. §. 3. Et tandem Filium morti tradendo. §. 4. Qui, poſt eius ad cœlum aſcenſionem, dimiſit Apoſtolos, quorum opera, vltra alia, multi ſe Dei ſeruitio dedicarunt. §. 5. Et continuè in ſua Eccleſia renouat viros electos, vt quaſi noui Apoſtoli alios ad Dei ſeruitium trahant. §. 6. Inter quos eſt S. Bernardinus de Senis, qui vitæ exemplo, & prædicationis opere, in tota Italia Euangelium renouauit. §. 7. Miracula quamplura fecit, ita vt ad Eugenium IV. pro eius Canonizatione inſtatum fuerit. §. 8. Qui negotium Canonizationis tribus Cardd. delegauit, & tandem veritate comperta, illum canonizare cogitauit, ſed interim obiit. §. 9. Hic Pontifex requiſitus, idem negotium tribus aliis Cardd. commiſit, & abundantiùs veritas habita fuit. §. 10. Inſuper alios deputauit tres Epiſcopos, qui maiora miracula verificarunt. §. 11. Poſtremò Epiſcopum Senas, & Aquilam miſit, qui retulit miraculorum perſeuerantiam in dies eſſe maiorem. §. 12. Hic Pontifex omnia in Conſiſtorio ſecreto referri voluit, & examinari. §. 13. Et in alio ſimili Conſiſtorio, vnanimiter Cardinales Canonizationem fieri votarunt. §. 14. Pontifex Prælatorum eadem

dē vota eſſe reperit in Cappella maiori. §. 15. In Conſiſtorio publico Canonizationem fieri decreuit. §. 16. Nonnullas eius virtutes refert. §. 17. Et de conſenſu Cardinalium, S. Bernardinum catalogo Sanctorum Confeſſorum adſcribit. §. 18. Indulgentiam eius Eccleſiam viſitantibus elargitur. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Miracula hic ſolùm indicata quis recenſet?

R E S P. Vnum, vel duo refert Sur. in eius vita, ſubdens alia multa non fuiſſe deſcripta, & Chronicon Franciſcanorum mox editum, locupletiùs eius præclara facta continet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tempus ſui obitus, & locum ſepulturæ, quis me edocebit?

R E S P. Apud eoſdem, ac Baron. in Martyrolog. & Ciacon. in vita huius Pont. perleges, die 20. Maij 1444. in Ciuitate Aquilæ obiiſſe, & Ciacon. in vita huius Pont. & eius corpus primùm in Eccleſia S. Franciſci ſepultum, & poſt eius Canonizationem, hoc eodem anno 1450. ſecutam, dedicatum eius remplum, & illuc tranſlatum fuiſſe die 22. Septembris anno ſequenti.

III.

Edita Anno 1450. OLim tam in generali, quàm in Lugdunēſi, & infr. p. 308. Bull.

C O M P E N D I V M.

Narrat, tam in generali, quàm in Lugdunenſi Conciliis promulgatam fuiſſe excommunicationem, vltra pœnam cōfiſcationis bonorum, & perpetuæ ſeruitutis, in eos, qui arma, & ſimilia Sarracenis deferunt, vel eis quoquo modo fauent. §. 1. Hic modò Pont. eamdem prohibitionem repetit contra eos, qui victualia infra decennium, alia verò quandocumque detulerint, aut deferri permiſerint, in Alexandriam, & partes Ægypti, & Terras Soldano ſubiectas.

Scholion primum.

Quæro. Quod eſt illud Concilium, quod venit appellatione Concilij generalis, de quo hic in principio?

R E S P. Eſt Concilium Lateranenſe 4. ſub Innoc III. congregatum anno 1215. quod concurſu Patrum, & celebritate, anteriora Concilia ſuperauit, vt poſt alios ſcribit Ciacon. in vita ipſius Innocen. Et poſt illud, actum fuit Concilium Lugdunenſe primum, de quo etiam loquitur iſta conſtitutio, anno 1245. Et hoc indicat etiam Genitor meus hic in prima eius apoſtilla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui dicuntur Sarraceni?

R E S P. Turcæ hoc loco intelliguntur, vt ex contextu apparet, & de illis multa ſunt in iure canonico, in tit. de Iud. & Sarrac. & à Sara vxore Abrahæ nomen ſibi vſurparunt, cùm verè ab Agar ancilla originem traxerint; & vna voce Turcæ appellantur, & à Mahometo perfidos errores pertraxerunt, de quibus, & Mahometi exortu, & fraudibus, vide Eymer. in Director. Inquiſit. par. 2. q. 21. & Pegnam ibi in comment. 46. vbi antiquiores allegat, & latiùs Albert. in repet. rubr. de Hæret. in 6.

IV.

IMperator æternus cuncta cœleſtia, & infra pag. 309. Bullarij. *Edita Anno 1452.*

C O M P E N D I V M.

Imperator omnium Deus Orbem ſub Regnorum ditione conſtituit gubernari, vt omnes ſub iuris, & honeſtatis legibus viuerent pacificè, in procem. Videns poſtea hominem ab ipſius factoris cultu aberrare, vnigenitum ſuum miſit in Mundum, vt eum ad cultum reuocaret, qui rediturus ad Patrem, Vicarium ſibi inſtituit, qui commiſſis populis ſalubriter præſideat. ibidem. Hic ergo Pont. in d. Vicariatu ſucceſſor, & Eccleſiæ militanti, ſub qua Imperium Romanum æterno Imperatori famulatur, præſidens, libenter ſui officij debitum exequitur, vt ipſius Imperij, & ſingulorum iura Regnorum feliciter gubernentur. § 1. Sacrum autem Imperium per obitum Alberti Regis Romanorū Principis, vacauit, & ideo Electores Imperij Fridericum in Imperatorem elegerunt. §. 2. Qui Regni gubernacula annorum duodecim curſu feliciter rexit. §. 3. Poſtea Romam veniens ab iſto Pont. petiit coronari. §. 4. Qui eius electioné approbauit, & diademate Imperiali coronauit. §. 5. Illiq; obediētiam præſtari iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Qua in Eccleſia coronatio acta fuit? RESP.

R E S P. In Baſilica S. Petri, in qua fieri Romæ debet,apud altare S. Mauritij,non autem B. Petri : in hoc enim ſolus Papa coronatur, in illo verò Imperator.Gl.in Clem.vnic.§.porrò, in verb. Veſtigiis,de iureiur. Fuit nãque S. Mauritius glorioſus miles,& pro Eccleſia,& fide Chriſti,ſub Maximiano, & Diocletiano paſſus eſt, vt ſcribit Reſtaur. Caſtald. in in ſuo Tract. de Imperat. q. 24. ad finé.Sed placet,quod ſit de modo,non autem de ſubſtantia, quin alibi fieri poſſit, vt dicitur ibid. ſub num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne verum, quod eodem tempore iſte Imperator Leonoram Regis Edoardi Luſitaniæ filiam, in vxorem duxit, & idem Papa in eadem Eccleſia S. Pet. in nuptiis hos cõiuges benedixit?

R E S P. Sic affirmat poſt alios Ciac. de vita, & geſt. huius Pont.in verſ. ſeq. verò anno, vbi ſubdit, Imperatricem Roſam aurezm à Pont. donatam, manu tunc geſtaſſe; & Imperatorem poſtea ad Eccleſiam S. Io. coronatum de more proficiſcentem, in ponte Hadriani 265. Milites aureos creaſſe.

CALLISTVS III.

Hiſpanus, creatus anno 1455.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1455.

QVæ laudabili, & prouida Prædeceſſorum, & inf.p.309.Bull.

COMPENDIVM.

Eugenius IV. in ſua conſt. 13. de qua ſupra,multa ſtatuit circa Cameram Apoſtolicam, eiuſque Clericos. §. 1. Nicolaus V. Clericos ſupranumerarios à conſultationibus excluſit; & à Camera clauſa exire decreuit. §. 2. & ſeq. Hic Pontifex prædictas conſtitutiones approbat. §. 6. Et his conſtitutionibus non niſi certa ſeruata forma, derogari poſſe voluit. §. 7. Clericos Cameræ veros Papæ familiares, eiuſque & Sedis Apoſtolicæ Capellanos eſſe declarat.§.8.

Scholion primum.

Quæro. Theſaurarius cur ſic appellatur?

R E S P.Quia præeſt ærario Cameræ, congeritque,& recipit, atque curat pecuniam di ærarij. Veſtr. in Pract.Rom. Cur. lib. 2. cap. 3. & meliùs Grauat. ibi in addit. & poſtremò Tuſch. in verb. Theſaurarius.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt Camera Apoſtolica?

R E S P. Camera eſt locus præcipuus Palatij Papæ, vbi aſſeruari ſolent eius introitus,atque prouentus, ad tex.in § 1. de vſib.feudor.& gloſſ.in l.Sed addes.21. §. ſi inquilinus, in verb. Cameratam.ff. locat. Sed hic accipitur pro collegio ſelectorum virorum ad colligendum, diſtribuendumque dictos introitus,& lites circa eos emergentes diiudicãdas.Caſtr. conſt. 106. lib. 1.num. 4. & meliùs Dec. conſ.404. n. 1.& ſeqq. & Mandoſ. ſuper reg. 4. Cancell. quæſt. 6. num. 5. & 6.

I I.

SAcræ merita Religionis, & infra pag. 316. Bullarij. *Edita Anno 1456.*

COMPENDIVM.

Canonici Congregationis S. Saluatoris ſupplicant Papæ pro declaratione, quod verè ipſi ſunt Canonici Regulares Ordinis S. Auguſt. §.1.Qui declarat eos fuiſſe,& eſſe tales.§.2.Decernitq; pro talibus cenſeri,& reputari debere, & omnibus priuilegiis perfrui, quibus Canonici Regulares dicti Ordinis perfruuntur.ibid.Contrariis non obſtantibus.§.3.

Scholion primum.

Quæro. ſi Papa non dixiſſet, eſſe veros Canonicos Regulares, ſed ſolùm, vt ſequitur, pro talibus cenſeri, eſſéntne veri Canonici Regulares?

R E S P. Eſſent, quia hæc verba Papæ æquipollent illis. l. 1.§. fin. vbi Iaſ.num. 14.ff. Quod quiſque iur.latè Pariſ. conſ. 71. lib. 1. num.5. vbi num.11. id maximè procedere affirmat, cùm Papa concedit eiſdem omnia priuilegia huiuſmodi Canonicorum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Verbum, *Canonicus*, & verbum, *Regularis*, ſynonyma ſunt, nónne ergo ſuperuacaneè hic fuerunt congeminata?

R E S P. Ceſſat battologia, quia verbum,*Canonicus*,genus eſt continens duas ſpecies Clericorũ, videlicet,qui habere poſſunt patrimonia ſæcularia, & propria, vocantúrque Sæculares; necnon Clericorum viuétium in communi, nec

habere poſſunt patrimonia ſeparata, qui vocantur Regulares, quaſi duplici vinculo canonicali vitæ adſtricti, vt latè deducit Nauar. de Regular. comment. 1. num. 3. & 4.

III.

Edita Anno 1457. Super gregem Dominicum, & infra pag. 321. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ad Ordines Mendicantium tranſire voluerunt. §. 1. Hic Pontifex hunc tranſitum irritat. §. 2. Declarans, hunc Ordinem reſpectu quarti voti peregrinationum tranſmarinarum pro redimendis Captiuis ab infidelibus, & ſe excambiando pro Captiui redemptione, illis cenſeri ſtrictiorem, ibid.

Scholion primum.

Quæro. Cur hoc vltimum huius Pontificis decretum à Clemente VIII. correctum fuit, vt Genitor tuus hic adnotauit in eius rubrica?

RESP. Quia non ſolùm primæua Regula, & vota tunc emiſſa ſpectanda ſunt, ad diiudicandam Regulã ſtrictiorem; ſed etiam aliæ poſt Regulam editæ reformationes, & earum obſeruantia, vt ibi dicam, & tradit Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 52. art. 4. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de Religioſis ad Religionem non ſtrictiorem tranſire prohibitis, locum habet etiam quoad Oblatos?

RESP. Sicut Oblati poſſunt ire ad ſtrictiorem, quemadmodum profeſſi, vt poſt alios tradit Rod. vbi ſupr. artic. 7. Ita è conuerſo dicendum eſt, non poſſe tranſire ad laxiorem, cùm eadem contrariorum ſit diſciplina. l. Et ſi contra tabulas. 35. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. in fi. & ſociorum æqua ſors eſſe debet in conſolationibus, & paſſionibus, cap. 1. cum ibi not. de ſepult.

IV.

Edita Anno 1457. Vrget nos ſuſcepti cura regiminis, & infra pag. 312. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Monaſterium S. Saluatoris Meſſanẽſis diœceſis, Ordinis S. Baſilij, tenues habet redditus, & Beſſario Epiſcopus Tuſculanus, qui illud obtinet in Commendam, illud reſtaurare, & Monachos ad ſtatum regularem reducere proponit. §. 1. Hic Pontifex dictum Monaſterium, Monachos, & Miniſtros, iuriſdictiones, & bona eximit ab omni ſuperioritate Archiepiſcopi Meſſanenſis, & aliorũ, & à collectis, ac ſub B. Petri protectione recipit. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Lapſi forſan mores iſtorum Monachorum fuerunt in cauſa, quod hoc Monaſterium eſſet commendatum Epiſcopo, de quo in §. 1.

RESP. Veriſimile videtur; nam hactenus Monaſteria cõmendari cõſueuerant maiorib. Eccleſiæ Prælatis, vt ab eis lapſi Religioſorum mores reſtituerẽtur. Cãpeg. de Comm. benef. n. 5. Vide Rebuff. in pract. benef. in tit. de Commenda, iure conqueritur de abuſu Commendarum, num. 11. & ſeqq. prout laudandus eſt Epiſcopus iſte Commendatarius, qui Monachos ad regularem ſtatum reducere curabat, vt dicitur in §. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vſus commendandi Monaſteria, his temporibus qualis eſt?

RESP. Commendantur perpetuò ad vitam alicuius ad ipſius vtilitatem, vt exinde commodiùs ſe valeat ſuſtentare, & ideò non ſunt reuocabiles. Sarn. in Regul. Cancel. in tit. de publ. reſignat. q. 4. Campeg. vbi ſupra, num. 6. & Rota deciſ. 791. par. 1. diuerſ. num. 11.

PIVS II.

Italus, creatus anno 1458.

CONSTIT. I.

Rationi congruit, & conuenit honeſtati, & infra pag. 311. Bul. *Edita Anno 1458.*

COMPENDIVM.

Enarrat, Deum pluries ſuſcitaſſe viros ſanctos pro hominum ſalute. §. 1. Et proximis retroactis temporibus ſuſcitaſſe S. Vincentium Valentinum pro confutatione errorum infidelium, quorum copia augebatur. §. 2. Qui ætatis ſuæ anno 18. habitum Fratrum Prædicatorum ſuſcepit, & deinde magiſteriũ Theologiæ

Digitized by Google

Theologiæ conſecutus fuit. §. 3. Prædicatione deinde infidelium errores confutauit, & annum 70.tranſcendens, obdormiuit in Domino. §. 4. Cuius ſancti viri ſigna Sedi Apoſtolicæ nunciarunt.§. 5.Duces,& Prælati Britãniæ cum Martino V. Eugenio IV.& Nicol.V.egerunt.§. 6. Reges quoq; & Generalis Ordinis S. Dominici, aliiq; teſtificati ſunt præclara merita,& miracula S. Vincent.§.7.Nicolaus ideo V. informationem prædictorũ tribus Cardd.delegauit.§.8.Coram quibus multa miracula verificata fuerunt. §. 9. Calliſtus I I I. qui illi ſucceſſit,in Conſiſtoriis ſecretis, habuit relationem verificationis virtutum eius, & miraculorum, ideoque ad vlteriora procedi iuſſit.§.11.& Canonizationis diem indixit pro die 29. Iunij huius anni. §. 12. Qua die illum Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit.§.13. Eius feſtum die 6. Aprilis agi iuſſit. §. 14. Miraculorum proceſſum in Monaſterio B. Mariæ ſuper Mineruam dicti Ordinis, aſſeruari præcepit. §. 15. Illius Eccleſias viſitantibus Indulgentias conceſſit.§.16.Bulla autem Canonizationis,præueniente obitu Calliſti I I I. non expedita, ab iſto Pont. expeditur. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quod feſtum, quod vigore huius Bullæ die 6. Aprilis agendum erat, obſeruatur agi 5. die?

R E S P. Quia,ni fallor,ea die quinta compertum eſt obiiſſe, vt ex computo, quem refert,ſic ſcribit Baron. in Martyrolog.hac eadem die 5.& cõcordat Ciacon. in vita Calliſt. III. verſ. Pontifex.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huius Confeſſoris res geſtas vbi quæram?

R E S P. Petrus Rau. Ordinis Prædicatorum, quatuor libris digeſtas conſcripſit, & plura de eodem S. Antonin. in 3. par. tit. 23. cap. 8. vt refert Baron. in loco mox citato.

I I.

Edita Anno 1458. RELigionum exceſſus, quos antiquus hoſtis,& inf.pag.314.Bul.

C O M P E N D I V M.

Cùm nonnulli Regulares ad Studia, vbi illa vigent, à ſuis Superioribus deſtinati,ab illis exemptos ſe prætendant, Rectorũmque Studiorum,& eorum priuilegiorum priuilegiis vtantur.§.1. Ideo hic Pontif. iuriſdictioni ſuorum Generalium totaliter ſupponit. §. 2. Contrariis, & Studiorum omnium, ac ordinationum priuilegiis derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Solus Prælatus poteritne licentiam dare alicui Regulari,vt ad litterarum ſtudia ſe transferat, vt innuere videtur textus hic in §. 1.

R E S P. Non, ſed cum conſilio Conuentus. cap. 2.vbi Canon. communiter, ne Cler. vel Monac. in 6. Bene verum eſt, quod Conuentus conſilium ſequi non tenetur. cap. Cùm olim. 7. cum ibi not. de arbitr.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Prælatus licentiam huiuſmodi dare recuſaret, poterit ille Regularis ab Epiſcopo obtinere?

R E S P. Non, ſi Regularis ille, vel eius Ordo eſt à iuriſdictione exemptus. Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 67. artic. 1. in fine.

I I I.

TRiumphans Paſtor æternus, & infra pag. 315. Bullarij. *Edita Anno* 1459.

C O M P E N D I V M.

Ad omnipotentis Dei, totiuſque Curiæ ſupercæleſtis laudem & gloriam, fidei propagationem, vniuerſaliſque Eccleſiæ,& diuini cultus, & animarum ſalutem,Eccleſiam Senenſem,in Metropolitanam, & Sedem Epiſcopalem, in Archiepiſcopalem erigit.§. 1. & 2.Eccleſias Suan. Cluſin. Groſſetan. & Maſſan. ei ſubiicit. d. §. 2. Archiepiſcopis Senenſibus priuilegia Archiepiſcoporum tribuit. §. 3. Contrariis derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Archiepiſcopus in diœceſi ſuorum Suffraganeorum poteritne cognoſcere cauſas ſubditorum illis?

R E S P. Non poterit, niſi præcedat Suffraganei negligentia, vt notat gl. & alij in cap. Paſtoralis.11.de offic.iud.ordin. Quorum ſententiam veram eſſe, non obſtante oppoſitione Panorm. ſcribit Gamb. de author.leg.num.32. part.2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Suffraganeus autem iudicátne aliquid de Metropolitano?

R e s p. Nihil iudicat; ſed antiquior dumtaxat Suffraganeus abſentiam Metropolitani à ſua Eccleſia vltra ſex menſes debet per litteras, vel nuncium Romano Pontifici denunciare infra tres menſes, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, vt decreuit Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 1.

I V.

Edita Anno 1459. CVm ſeruare in rebus ordinem, atque modũ, & inf. p. 316. Bull.

C O M P E N D I V M.

Quia præcedentia cuique debetur ſecundum eius dignitatem, ideo Epiſcopos vbique præcedere debere Protonotarios decernit, in princ. In Cappella tamẽ Pōtificia quatuor ex ipſius Protonotariis, qui de rebus ibi geſtis rogari cõſueuerũt, honorabiliorẽ locũ habeãt §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Nónne hęc Bulla indicat, Protonotarios vſque ad hæc tempora præceſſiſſe?

R e s p. Certè hoc indicat, & firmiter tenet Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 5. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Epiſcopis hæc præcedentia debetur?

R e s p. Quia Epiſcopi locum tenent Apoſtolorum. cap. vlt. diſt. 68. Protonotarij autem aſſimilantur Euangeliſtis, cùm ſint deputati ad deſcribendum acta Pōtificis, vt hic habetur in §. 1. & tradit Iacobat. in loco præcit. Vel ad deſcribenda geſta Martyrum, vt inquit Rota in deciſ. 1033. par. 3. diuerſor; lib. 3: num. 1. & Caſſan. in catal. glor. mund. par. 4. conſid. 29. poſt Gomeſ. in proœm. Reg. Cancell. quæſt. 1.

V.

Edita Anno 1459. EXecrabilis, & priſtinis temporibus inauditus, & inf. p. 316. Bul.

C O M P E N D I V M.

Scandaloſam, & improbam ait eſſe appellationem ad futurum Concilium. §. 1. Eam ideo prohibet. §. 2. Contrauenientibus, ſi ſingulares perſonæ ſint, excommunicationis, ſi verò Vniuerſitates, interdicti, nec non omnibus criminis læſæ Maieſtatis, & hæreſis pœnas infligit. §. 3. Eaſdemque tabellionibus, & teſtibus, ac cæteris fautoribus, & conſultoribus imponit. ibidem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Vniuerſitatibus pœnam non edixit excommunicationis, ſicut aliis, ſed interdicti?

R e s p. Excommunicatio omnium pœnarum, quas inurit Eccleſia, grauiſſima eſt. cap. corripiantur. 17. cauſ. 24. quæſt. 5. & ſub Vniuerſitate comprehenduntur diuerſi generis homines, quorum aliquos verè credendum eſt non deliquiſſe, licèt quod à maiori parte fit, ab omnibus factum eſſe cenſeatur, toto tit. de his quæ fiunt à maiori par. Capit. Propterea ad euitandum periculum hac grauiſſima pœna innocentes plectendi, diffinitum eſt, Vniuerſitates excommunicari non debere, ſed ſupponi Eccleſiaſtico interdicto, cuius pœna minor eſt. cap. Romana. 5. §. in Vniuerſitatem, de ſeutent. excommun. in 6. Et ſic in ſpecie tradit Toled. in ſua Sum. lib. 1. cap. 10. numer. 2. & Vgolin. de cenſur. Eccleſ. par. 2. §. 1. pag. mihi 118. num. 1. in comment. ad Bullam cœnæ Domini editam à Clem. VIII. Adde etiam Vniuerſitatem non habere animam, cui inhæret excommunicatio. Nauarr. in Man. Confeſſor. cap. 27. num. 13. Seraphin. de priuileg. iuram. in priuileg. 83, num. 28.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis appellaret ad præſens Concilium, cùm in §. 1. denegetur appellatio ad Cõcilium futurum?

R e s p. Pontifex ideo dixit de futuro, quia rarò contingit illud eſſe congregatum, quando quis appellat; ſed non ob id excluditur, quin appellans ad Concilium iam congregatum, huic ſanctioni contraueniat, vt ſingulariter notat Vgolin. de cenſur. Pontific. reſeruat. par. 2. cap. 2. §. 1. num. 1. prope finem, pag. mihi 118.

V I.

MIſericordias Domini, quas in dies, & infra pag. 317. Bullar. Edita Anno 1461.

C O M P E N D I V M.

Narrat elementa omnia, & animalia Creatori obedire, & gratitudinem oſtẽdere, in princ. Hominem verò ſe æqualem Deo facere voluiſſe. §. 1. Chriſtum tamen

tamen Crucis mortem, vt naturam humanam ſaluam faceret, ſubire dignatum fuiſſe. §. 2. Subdit nihilominus magis hominem ingratum fuiſſe, & multos à fide deuiaſſe. §. 3. Verumtamen ſemper aliquot fuiſſe viros Deo acceptos, qui eius iram placarunt. §. 4. Inter quos B. Bernardinus Senenſis extitit, qui Ordinis B. Franciſci profeſſor, virtutibus, & miraculis clarus fuit, & ideo à Nicol. V. canonizatus, §. 5. Catharina etiam Virgo Senenſis Angelicam in terris vitam egit. §. 6. Vrbanus VI. Innoc. VII. & Greg. XI. ob varia impedimenta detenti, eam non canonizarunt. §. 7. Hic ideo Pontif. precibus Federici III. Imperatoris, ac Ducis Venetiarum motus. §. 8. Inquiſitionem de eius vita, & miraculis fieri iuſſit. §. 9. Quæ vera comperta fuerunt. §. 10. Quorum aliqua recenſet. §. 11. & ſeqq. Habitiſque votis de eius canonizatione, Sanctarum Virginum albo adſcribit. §. 14. & ſeq. Eiuſque feſtum die 1. Maij agi iubet. §. 16. Et Indulgentias eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Quis latiùs præclaras res geſtas huius Virginis deſcripſit.

R E S P. Raymundus Capuanus, Ordinis Prædicatorum profeſſor, qui huius piæ Virginis Confeſſarius fuit, necnon Io. Tholoſanus, S. Antonin. in 3. par. tit. 23. cap. 14. Surius in vitis Sanctorum die 29. Aprilis, ac Stephanus Senenſis Prior Carthuſiæ Ticinenſis, qui antequam ſolitarium illud viuendi genus profiteretur, piis Virginis colloquiis adfuit: necnon Ludouicus Granatenſis, ac Ioannes Pinus in ſuo libro de claris mulieribus, qui aſſerit vitam huius Virginis vernaculo ſermone ſcripſiſſe Nicolaum Burgium Senenſem, poſtquã ſuperimpoſito ſibi ciliciolo, quo illa viuens vti ſolebat, & diligenti cultu adhuc aſſeruatur, iam ſemimortuus, repentè collectis viribus aſſurrexit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod Baron. in Martyrolog. ſub hac die enunciat bullam canonizationis de die 22. Octobris?

R E S P. Vel credendum eſt Codicem manuſcript. de quo meminit, eſſe mendoſum, vel eumdem Pontif. de eadem canonizatione (vt antiquitus aliqui Pontt. effecerunt) ad aliquem Principem, vel Vniuerſitatem particulares literas dediſſe.

V I I.

Cum ex ſacrorum Ordinum collatione, & infra pag. 319. Bull. *Edita Anno 1461.*

C O M P E N D I V M.

Quoniam in collatione ſacrorũ Ordinum animarum cura tribuitur, ideo exceſſus in ea commiſſi grauiſſimè puniendi ſunt, in prin. Et cùm nonnulli Clerici extra tempora à iure ſtatuta, quidam ante ætatem legitimam, aliique abſque dimiſſoriis literis ſe faciant promoueri; ideo ſic promotos abſque canonica diſpenſatione, ab Ordinum executione ſuſpendit. §. 1. & 2. Et præſumentes, durante ſuſpenſione, in Ordinibus miniſtrare, eo ipſo irregularitatem incurrere, & beneficiis priuari poſſe decernit. d. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Ætas legitima, de qua hic, quæ dicitur?

R E S P. Secundum canones, ætas legitima ad Subdiaconatum eſt annorũ 18. ad Diaconatum 20. & ad Preſbyteratũ 25. vt habetur in clem. 3. de ætat. & qualitate. Sed hodie attendendum eſt Concilium Trid. ſeſſ. 23. de reformat. c. 12. vt ad Subdiaconatum requiratur ætas ann. 22. Diaconatum 23. & Preſbyteratum 25. Intellige autem de anno incepto, cùm ſimus in fauorabilibus; & ità erat ſecundum d. clem. 3. vbi ſic tenet Imol. num. 14. Syluest. in Sum. in §. ætas, num. 4. & Nauar. in Manual. Conf. cap. 25. num. 116.

Scholion ſecundum.

Quæro. Habetne locum iſta conſtitutio in Ordinibus minoribus?

R E S P. Non, vt verba illa, *cura animarũ*, &c. indicant & in puncto ità tenet Nauarr. in Man. Cõfeſſ. c. 25. n. 70. verſ Dixi. & conſ. 28. de ſent. excom. n. 15. in impreſſis Brixiæ. Mãd. ſuper Regul. Cãcell. 24. quæſt. & Lopez in Pract. canon. crim. in verſ. Tertiò erit. Sed eſt aduertendum ex decreto Conc. Trid. ſeſſ. 6. de reform. cap. 5. ſecus eſſe in promoto ad minores Ordines abſque dimiſſoriis ſui Prælati. Siquidem ipſo iure ſuſpenſus

N 4 eſt

eſt ab executione Ordinum ſuſceptorum: neque gaudet priuilegio fori, pręſertim in criminalibus, ex decreto eiuſdem Concilij, ſeſſ. 7. cap. 10.

VIII.

Edita Anno 1461. AD retinendas inſolentias tranſgreſſorum, & inf. pag. 320. Bul.

COMPENDIVM.

Condemnati pro homicidio, ſeu de aliquo loco bāniti, & diffamati non poſſint ab aliquo Officiali, abſque expreſſa licentia Papæ, gratiari, aut ſaluum conductum obtinere, aut ibidem morari, ſed capiti puniantur. §. 3. Appellare nequeant. §. 4. Banniti pro homicidio, cenſeantur banniti ab omnibus locis eorum vicinis per 40. milliaria, ibid. Homicidæ notorij, aut de homicidio infamati, vel condemnati, non poſſint habere officia, & dignitates, perpetuò ſint infames, teſtimonium ferre, nec Tabellionatus officium exercere, aut iudicare poſſint, ab omnibúſque actis legitimis ſint ſuſpenſi. §. 5. Et admiſſi ad d. officia, eóſque admittentes, pœnam quingentorum ducatorum auri, & alias incurrant, ibidem.

Scholion primum.

Quæro. Illud verbum, *diffamati*, de quo in §. 5. quomodo intelligendum?

RESP. Non eſt intelligendum de infamatione ſimplici, nempe de mala fama, quamuis plenè probata, quæ ſolummodo indicium facit ad inquirendum; ſed eſt intelligendum de diffamatione, quæ æquipolleat condemnationi, cùm vna pars alternatiuè alteram declaret, l. 1. ff. de reb. dub. vt in puncto huius bullæ, ſic cenſuit Rota coram Seraphino in eius deciſ. 376. par. 1. mox impreſ. Condemnationi autem tunc dicitur æquipollere, cùm ex ea ad condemnationem deueniri poſſit, vt declarauit Rota in eadem cauſa deciſ. 393. num. 12. eiuſdem Seraphini.

Scholion ſecundum.

An bannitus habeat facultatem teſtandi, eo quod eſt ſuſpenſus ab omni actu legitimo, vt in §. 5.

RESP. Non habet, quia actus legitimus dicitur, qui à iure ciuili eſt inuentus, vel approbatus. l. actus. 78. iuncta gl. 1. & ibi Dec. & Cagn. n. 2. ff. de reg. iur. Et talis eſt actus teſtandi, qui vel origine, vel approbatione, dicitur eſſe de iure ciuili. Bart. in l. ex hoc iure. 5. ff. de Iuſtit. & iur. num. 17. Iaſ. num. 46. Et ita hanc bullam intellexit Honded. conſ. 59. lib. 1. num. 71. & ſeqq. cum aliis cumulatis à Farinac. quæſt. 101. num. 38. & ſeqq.

IX.

LIcèt ex debito miniſterij Paſtoralis, & infra pag. 321. Bullarij. *Edita Anno 1462.*

COMPENDIVM.

Comprobat omnia priuilegia Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti. §. 1. Loca omnia etiam Congregationi concedenda, à Prælatis eius regantur, illíque à Capitulo, vel Abbate, vel Viſitatoribus eligantur. §. 2. Solutio autem annatæ præſeruatur Cameræ Apoſtolicæ. §. 3. His priuilegiis non cenſeatur derogatum, niſi à Papa ſpecificetur. §. 4. Exemptio à ſolutione decimarum datur. §. 5. & 6. Ad teſtificandum, & eundum ad proceſſiones non cogantur. §. 7. Hæreditates Monachorum, & Oblatorum Congregatio conſequatur. §. 8. Sacros Ordines à quocumque Antiſtite ſuſcipere poſſint. §. 9. Et celebrare tempore interdicti. §. 10. Recipere ad Ordines quos poſſint. §. 11. Communicantur Congregationi priuilegia Congregationis Caſſinenſis, in omnibus, & per omnia, ac ſi ipſis ſpecialiter, & expreſſè eſſent conceſſa. §. 12. Declaratur exemptio ſuperiùs conceſſa. §. 13. Et ius ſepeliendi. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi iſta Congregatio vellet vti aliquo ex priuilegiis communicatis, contra d. Congregationem Caſſinenſem?

RESP. Regula eſt, quod non poſſit priuilegiatus ſuo vti priuilegio contra alium æquè priuilegiatum. Marſil. ſingul. 99. Priuilegiatus, & ſing. 681. Tradidi tibi. Roman. conſ. 385. num. 4. verſ. Secunda ratio. Præterquàm ſi iſta Congregatio tractaret de damno vitando. l. verum. 11. §. vlt. ff. de minorib. Bart. & alij in in auth. quas actiones. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & de communi Rimin. conſ. 166. num. 14. & Rimin. Iun. conſ. 185. num. 117.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Oblati huius Congregationis Oliuetanæ, vti vellent aliquo ex priuilegiis Ordinis contra ipſos Monachos eiuſdem Congregationis?

RESP. Non poſſunt, quia priuilegia Ordinis principaliter ſunt Monachis conceſſa, & ad eorum fauorem ſunt conſecutiuè communicata Oblatis, non autem ex æquo, vt in caſu præced. & bene deducit Rod. de quæſtion. Regular. tom.1. quæſt.55. artic. 21. verſ. Loquendo autem.

X.

Edita Anno 1463. IN minoribus agentes, non ſacris Ordinibus, & infr.pag.322.Bullar.

COMPENDIVM.

Quæ hic Pontifex egit in minoribus tempore Concilij Baſileenſis, ignoranter contra Eccleſiam Dei feciſſe affirmat. §.1. Ideo ad imitationem S. Auguſtini, ea reuocat, & retractat. §.2. Et illis nullam præſtari fidem ſuadet. §. 3. Occurrénſque obiectioni, quod cum Pontificatu mutauerit propoſitum, eius acta quæ aliter non ſe habere demonſtrant, ipſe recenſet. §. 4. Errorem ſuæ opinionis, Iulianum S. Angeli Cardinalem, & Ioannem Corauagialem, deinde etiam Cardinalem ſibi aſſerit oſtendiſſe. §. 5. & 6. Quo cognito, ſtatim Romam veniſſe, & Eccleſiæ ſe renunciaſſe ſubdit. §. 7. Sacros poſtea Ordines ſuſcepiſſe inquit. §. 8. Multúmque in hac re Thomam Theologum, & poſtea in Pontificatu Nicolaum V. nuncupatum, ſibi profuiſſe aſſerit. §. 9. Explicat latè eius ſententiam, quoad authoritatem Papæ etiam ſupra Concilium. §. 10. Vniuerſitati ergo Scholæ Colonienſis, cui hæc Bulla dirigitur, iſta ſignificat, & contraria, tamquam erronea reuocat. §.11.

Scholion primum.

Quæro. Hic Pontifex quomodo erga Eccleſiam Dei, quam in hac eius retractatione inquit offendiſſe, ſe geſſit?

RESP. Ipſum verè ſummum, optimúmque fuiſſe Pontificem, præclara eius acta, & perpetuo digna encomio, quæ apud Platinam, Onuphrium, Nauclerum, & Papyrium Maſſonum, atque Ciaconium, ſumma cum tui animi oblectatione perleges, optimè teſtantur, retractationiſque huiuſmodi veritatem omnibus patefaciunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quando, & qua occaſione cœpta eſt quæſtio, an Papa ſit ſupra Concilium, vt innuitur in §. 10.

RESP. Cùm in Concilio Piſano Cardinales, qui in eam vrbem conuenerant, de tollendo ſchiſmate, quod inter plures Pontifices verſabatur, ſeriò tractarent, in hanc quæſtionem inciderunt, vt ſcripſit S.Antonin.in 3.par.ſuæ Hiſtor. tit.2. cap. 5. §.2. & refert Fr. Paulus Fabullot.Congregationis Fratrum Ambroſianorum Theologus, in princ.ſuæ diſp. Theolog.hoc ann. 1613.Venetiis impreſſæ, quam, vt vides, præ manibus habeo.

X I.

INeffabilis ſummi prouidentia Patris, & infra pag.326. Bullar. *Edita Anno* 1464.

COMPENDIVM.

Inter Fratres Prædicatores, & Fratres Minores orta fuit ardua diſputatio, dum eorum aliqui affirmabant, hæreticum, vel peccatum eſſe, aſſerere, ſanguinem Chriſti in triduo Paſſionis ab eius diuinitate fuiſſe diuiſum: alij verò contrarium aſſeuerabant. §. 1. Hic Pontifex de hoc articulo prædicari, aut diſputari prohibet, vel ſuaderi. §. 2. Cuiuſcumque Ordinis Fratribus, ſi contrauenerint, pœnam excõmunicationis latæ ſententiæ imponit. §.3. Sedique Apoſtolicæ eos denunciari iubet. §. 4. Eoſdem Fratres Prædicatores, & Minores, mutua ſe charitate tractare præcipit. §.5. Sanctionem pœnalem apponit. §.6.

Scholion primum.

Quæro. Num iſte Pontifex, vel alter eius ſucceſſor, hunc articulum definiuit?

RESP. Nonnulli ab iſto Pontifice, eiúſque ſucceſſore Paulo II. ſancitum dicunt, ſanguinem effuſum diuinitati per triduum adiunctum fuiſſe. Sed hoc minimè verum puto, eo quod Genitor meus nullum Summi Pontificis diploma deſuper emanatum habere potuit, etiãſi non mediocriter Pontificias Conſtitutiones exquirere inuigilauerit. Et ita nouiſſimè tradit Franciſcus Collius Theolog. & Collegij Ambroſiani Doctor, in ſuo Tractatu de ſanguine Chriſti lib. 5. diſputat. 4. cap.2. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quas lueret pœnas, qui huic Pontificiæ ſanctioni contrairet?

RESP. Vltra excommunicationem latæ ſententiæ, de qua in 3. §. aliis alligaretur pœnis arbitrariis, ſtante ſanctione pœnali, de qua in §. 6. Ita tenet Martin. Laudenſ. de Priuileg. quæſt. 18. niſi (vt ille inquit) has Papæ litteras contemneret, credens, aut tenens, obediendum ei non eſſe: tunc etenim hæreticus cenſeretur. Idem ſentit Thiber. Decian. in 5. lib. ſui Tract. crimin. cap. 15. verſ. vigeſimoquinto, & nouiſſimè Farinac. quæſt. 184. num. 10. poſt medium, ex Repertor. Inquiſit. in verb. hæreticus.

PAVLVS II.

Italus, creatus anno 1464.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1464. LIcèt Eccleſiarum omniū vniuerſalis cura, & infr. p. 326. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat eius in Vrbe, eiúſque diſtrictu Vicarium, Epiſcopum Torcilanum in ſpiritualibus, vſque ad eius beneplacitum. §. 1. Dat ei facultatem viſitandi omnes Eccleſias, & Monaſteria, tam ſæcularia, quàm regularia, etiam exempta, & eorum perſonas corrigendi. §. 2. Cauſáſque ciuiles, & criminales cognoſcendi. d. §. 2. Eccleſiaſtica etiam Sacramenta conferendi. d. §. 2. Eccleſias quoque ædificandi, & reconciliandi. d. §. 2. Et alia faciendi, quæ ad Vicariatus officium de iure, vel conſuetudine pertinenr. d. §. 2. Contrariis derogat. §. 3. Obedientiam ſibi ab omnibus præſtari iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. In Vrbe extant Eccleſiæ titulares Cardinalium, in quibus quoad ſuos ſubditos habent ius Epiſcopale, quæro ergo, an Vicarius eorumdem cauſas cognoſcet, & perſonas corriget, vt hic in §. 2.

RESP. Affirmatiuè inquit Io. Andr. in cap. 5. de offic. Vicarij, vbi ſpecificè loquitur de Vicario Papæ ſub num. 11. Et quamuis Martin. Laudenſ. in tract. de Cardinalib. quæſt. 75. id non ſeruari dicat de conſuetudine, contrarium tamen videtur tenuiſſe Butr. quem ſequitur Ioan. Franc. Paui. de offic. & poteſt. Capit. par. 2. quæſt. 10. num. 37. & 39. in fine. Et ſeruari etiam videmus quotidie, & millies in die practicari, & ita teneas, prout ſic tenendum dixit Panorm. in d. cap. 5. ſub num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Collatio beneficiorum ſpectatne ad Vicarium de iure, vel conſuetudine, de quibus in §. 2. in fine?

RESP. Non ſpectare aſſerit Io. And. in cap. 5. de offic. Vicar. ſub num. 8. Bellam. num. 7. & Anch. num. 2. Idémque tenet Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 16. num. 1. ac Io. Franc. Paui. de offic. & poteſt. Capit. d. num. 39.

II.

CVm in omnibus iudiciis ſit rectitudo iuſtitiæ, & inf. p. 327. Bul. Edita Anno 1465.

COMPENDIVM.

Quia in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum iuſtitiæ rectitudo, & conſcientiæ puritas eſt præcipuè obſeruanda, ideo mandat Iudicibus earum, vt cauſas in ſupplicationibus expreſſas, earúmque verificationem, diligenter attendant, & Eccleſiarum indemnitatibus conſulant. §. 1. Contrauenientibus inferioribus Epiſcopo excommunicationis, Superioribus per annum ſuſpenſionis pœnam irrogat. §. 2. Complices eiſdem pœnis ſupponit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Circa cauſam euidentis vtilitatis, quæ ſolet eſſe frequentior in ſupplicationibus, quid Commiſſarius cauſæ attendere debet iuxta §. 1.

RESP. Si agitur de alienatione vtili, inquirere debet, an magis expediat vnam, quàm aliam rem alienare: ſi agitur de permutatione, tenetur in bonorum comparatione diligenter ſe gerere. Feder. de Sen. conſ. 249. num. 2. Rota deciſ. 178. par. 2. diuerſ. num. 7. & 9. vbi ſubdunt, quod ſi cauſa neceſſitatis eſt in ſupplicatione expreſſa, ſatis eſt de ea tantùm conſtare.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quando dicetur probata euidens vtilitas, quæ frequentiùs in huiuſmodi ſupplicationibus apponitur?

RESP.

Resp. Quando circa vtilitatem nulla poteſt dubietas conſiderari, vt cauetur ſup. in Conſt. 1. Leon. I. §. 2. in fin. cuius ſumma eſt in c. ſine exceptione. 52. cauſ. 12. quæſt. 2. Corn. conſ. 243. lib. 2. n. 3. ac Barbat. conſ. 46. lib. 1. n. 1. Et ideo Rota coram Pamphilio in vna Romana inualiditatis cenſus, 24. Maij 1591. tenuit non conſtare de euidenti vtilitate Eccleſiæ, dum alienat, imponendo aliquem cenſum pro extinctione alterius ſimilis cenſus.

III.

Edita Anno 1466. Munera excæcare oculos ſapientum, & infra pag. 327. Bullar.

COMPENDIVM.

Multa proueniunt mala, cùm Officiales & Miniſtri Iuſtitiæ munera recipiunt, in princ. vbi Prophetæ, & Iſidori ſcripturas citat. Et ideo Officialibus Status Eccleſiaſtici munerum receptionem, præter eſculenta, & poculenta, quæ biduo conſumi poſſunt, interdicit, ſub pœna excommunicationis tam ipſis recipientibus, quàm dantibus, necnon dupli eius, quod acceperint. §. 1. Idque eos iurare debere præcipit. §. 2. Collationem officiorum à Papa conferri ſolitorum aliis prohibet. §. 3. Bannitorúmque remiſſionem. §. 4. Pœnarum etiam condonationem. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. An quid modicum, quod non ſit de eſculentis, & poculentis recipiens, incidat in hanc Bullam?

Resp. Textus eſt clarus, iuncta gl. communiter ibi recepta in cap. ſtatutum. 11. §. Inſuper de reſcript. in 6. quod tenet etiam gl. & Canon. in cap. etſi. 18. de ſimon. Quia in his modicis ceſſat ratio corruptionis, ſicut in eſculentis, & poculentis: & modicum munus non venit propriè muneris appellatione. Tiraq. in ſuo Tract. de Iudic. in reb. exig. verſ. octuageſimoſecundo, vbi 94. exempla in ſimili articulo cumulauit, quorum aliqua ſcripſit etiam Marſil. conſ. 80. nu. 11. & ſeqq. Exiguum namque munus iudicantis animum non immutat. Nauarr. in comment. Conſtitutionis Gregorianæ de dat. & recept. ſub num. 20.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum, ſi non Iudex principalis cauſæ, ſed eius conſultor, vel aſſeſſor, munus recipiat?

Resp. Proculdubio in eo locum habet iſta Conſtitutio, ſi quidem Miniſter eſt Iuſtitiæ, dum conſulit ad hoc, & in eo pernicioſior eſt munerum receptio, quàm in aliis, per ea, quæ ſcripſit Pacius Scala in ſuo tract. de conſil. ſapient. cap. 11. vbi iura, & DD. allegat.

IV.

Viros ſanguineos, & doloſos, & infra pag. 328. Bullar. *Edita Anno 1466.*

COMPENDIVM.

Vindictæ tranſuerſalis in Vrbe abuſum enarrat, in princip. & §. 1. & 2. Illud ergo crimen patrantibus plures pœnas imponit, nempe criminis læſæ Maieſtatis, priuationis beneficiorum, confiſcationis bonorum, & alias. §. 1. & ſeqq. Fautoribúſque pœnas rebellionis, confiſcationis, depoſitionis, & priuationis infligit. §. 4. Principalium delinquentium domos demoliri iubet. §. 5. Pacis fractoribus eaſdem ferè pœnas imponit. §. 7. Et hanc Bullam in ſtatutis Vrbis deſcribi mandat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Inter pœnas, de quibus hic, non connumeratur pœna picturæ in loco publico, ac auerſo capite, & pedibus ſuperioribus; & tamen hæc pœna impoſita fuit quandoque pro vindicta tranſuerſali; vnde hoc ergo?

Resp. Conſtitutiones Apoſtolicæ hanc pœnam minimè imponunt, ſed bannimenta generalia Status Eccleſiaſtici, vbi ſeruantur. cap. 44. & 45. dummodo offenſus attineat offendenti intra quartum gradum, vt aduertit Farinac. conſil. 55. lib. 2. num. 15. intelligendo de quarto gradu ſimplici, non autem de quarto, & quinto, num. 24. & ſeq. Imò ſubdit num. 27. quandoque prætermittitur hæc pœna, quando ex hac pictura poſſunt magis irritari animi eorum de aliqua familia ex principalioribus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod pœna demolitionis domus de qua in §. 5. his temporibus non imponitur?

R. Quia ab huiuſmodi crimine vindictæ

tranſuerſalis homines in Vrbe abſtinere cœperunt, & ideo in nouis poſtea ſtatutis editis à Greg. XIII. anno 1580. illa pœna expreſſè dempta fuit, vt habetur in cap. 33. lib. 2. vbi in cæteris ſaluberrima hæc Pauli II. Conſtitutio comprobatur.

V.

Edita Anno 1467. Ambitioſæ cupiditati illorum præcipuè, & infra p. 329. Bull.

COMPENDIVM.

Occurrere volens, ne immobilia Eccleſiarum indebitè vſurpentur, eorum alienationem, dominij conceſſionem, hypothecam, infeudationem, & emphyteoſim, necnon locationem vltra triennium, præterquàm in caſibus à iure permiſſis, ac de rebus in emphyteoſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc non niſi in euidẽtem Eccleſiarum vtilitatem, fieri prohibet. §. 1. Fructus verò, ac mobilia, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, pro inſtanti temporis exigentia excipit. d. §. 1. Innouat prohibitiones ſuorum Prædeceſſorum. §. 2. Alienationes aliter factas irritas decernit. §. 3. Alienantes, & recipientes excommunicat. d. §. 2. Alienanti alias pœnas imponit. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Iſta conſtitutio, cuius publicatio non reperitur, ſed extat inter extrauagantes communes, præſumiturne vſu recepta?

RESP. Rota coram Mohed. in deciſ. 1. de conſtit. & deciſ. 8. de locat. & conduct. tenuit opinionem negatiuam, volens, quod onus probandi illius obſeruantiam, eius ſit, qui in ea ſe fundat, & idem tenet in deciſ. 896. par. 3. diuerſ. lib. 3. necnon Caualc. deciſ. 43. lib. 1. num. 2. Caiet. in §. excommunicatio. 75. & ſequitur Sarmient. de reddit. Eccleſ. cap. 2. num. 20. Quamuis contrarium teneat Bemn. in deciſ. 13. num. 9. ac Becc. conſ. 92. lib. 1. num. 1. verſ. Ego verò. vbi alios citat. Sed Nauarr. in Man. Confeſſ. cap. 27. numer. 150. ait, nullibi fuiſſe receptam hanc Paulinam, quoad pœnas, ſecus autem quoad nullitatem actus. Et hanc ſententiam ſemper ſecuta eſt Rot. vt poſt Put. teſtatur Robubuſter. in deciſ. 578. par. 1. diuerſ. numer. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Permittitur in §. 1. emphyteuſis rei Eccleſiaſticæ, ab antiquo in emphyteuſim locari ſolitæ, in euidentẽ tamen Eccleſiæ vtilitatem, ſed non explicatur, an ſufficiat vtilitas, quæ interuenit in prima conceſſione, an verò tempore ſecundæ etiam interuenire debeat, quid ergo in hoc tenes?

RESP. Etiam tempore renouationis vtilitatem requiri, attendendo illud verbum Bullæ, *& tunc*, quod extremitatem deſiderat. l. 4. §. 1. ff. de condit. & demonſt. Honded. conſ. 52. lib. 2. num. 61. vbi ſic pluries Rotam tenuiſſe recenſet.

VI.

Decet Romanum Pontificem, & infra pag. 330. Bullarij. Edita Anno 1469.

COMPENDIVM.

Plures Pontifices multa Eccleſiaſtica beneficia Monaſteriis, & aliis locis piis vniuerunt. §. 1. Vnde amplius non vacabant, & ſic Cameræ Apoſtolicæ communia ſeruitia non præſtabantur. §. 2. Hic ideo Pont. mandat, hæc beneficia vnita, & in Camera taxata, ſoluere debere communia, & minuta ſeruitia: alia verò, pro quibus ſolui conſueuerat annata, eam pariter ſingulis annis quindecim ſoluere debere. §. 8. & anni terminus datur ad ſoluendum quidennium præteritum, & obligandum pro futuris. §. 4. Alioquin vniones irritæ redduntur. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. An ante hanc Bullam Pauli quid ſoluerent hæc beneficia perpetuò vnita?

RESP. Illi, in quorum commodum hæ vniones cedebant, promittebant, obligabántque ſe, & ſucceſſores pro ſoluendo in futurum certis conuentis temporibus, vt puta quindecim, aut decem, & octo, vel viginti annis, beneficiorum vnitorum annatas ſoluere Reuerendæ Cameræ, habita ratione ſũmæ, quæ pro vnoquoque beneficio ante vnionem ſoluebatur. Ita teſtatur Galleſ. vir multæ eruditionis, & magnus practicus Romanæ Curiæ, in ſuo Tract. de annat. in fine. Hic autem Pont. ſublata d. varietate, ſolutionem annatæ ad annos

annos quindecim nunc ſtabiliuit, vt ſubdit idem Galleſ. eo loco.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quindennia ergo veniunt appellatione annatarum?

R e s p. Abſque dubio, quia eſt ſolutio fructuum primi anni beneficiorum vnitorum, & non eſt ſpecies annatarum, ſed nomine tantùm ex accidenti differens, vt ſcripſit Galleſ. vbi ſupra, qui cæteris perfectiùs de hac materia mihi ſcripſiſſe videtur.

V I I.

Edita Anno 1470. INeffabilis prouidentia ſummi Patris, & infra pag. 331. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Bonifacius VIII. quolibet centeſimo anno viſitantibus Baſilicas SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, verè pœnitentibus, & confeſſis, pleniſſimam peccatorum remiſſionem conceſſit. §. 1. Clemens VI. ad annum 50. reduxit, & addidit viſitationem Baſilicæ S. Ioannis in Laterano. §. 2. Gregor. IX. ſtatuit etiam viſitari Baſilicam S. Mariæ Maioris. §. 3. Vrbanus VI. reduxit ad annum 33. §. 4. Martinus V. approbauit. §. 5. Nicolaus V. confirmauit. §. 6. Hic Pontifex ad annum 25. reducit. §. 7. Proponitque nonnulla conſideranda ab indulgentiam huiuſmodi conſequi volentibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cur iſta reductio à Platina, & aliis quibuſdam Hiſtoricis Sixto IV. tribuitur?

R e s p. Non iure tribuitur, quia Sixtus IV. in extrauag. 4. de pœniten. & remiſſ. hanc Pauli II. reductionem continet, & approbationem, & eſt certiſſimum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur iſte annus remiſſionis peccatorum, annus Iubilæi nuncupatur?

R e s p. Quia hic annus eſt veræ lætitię ſpiritualis, quo animæ ſalutis cōcepto deſiderio, læti Domini obſequio ſe ſubmittunt, ſuorum delictorum omnium remiſſionem conſecuturi. De quo verbo, *Iubilæi*, nonnulla ſcripſit gl. notabilis ſup. extrauag. Bonif. VIII. necnon Clem. VIII. infrà in ſua conſtit. 58. Io. Hugo in ſuo Tractat. de offic. quat. Prælat. in tit. de libert. diuin. & Petrus Albin. de Pontif. poteſt. num. 140. & ſeqq. apud quos videre etiam poteris, quibus rationibus celebratio anni Iubilæi quolibet quinquageſimo anno congruens videretur.

SIXTVS IV.

Italus, creatus anno 1471.

CONSTIT. I.

DIſpoſitione diuina, quamuis immeriti, & inf. pag. 332. Bull. *Edita Anno 1472.*

C O M P E N D I V M.

Eugenius IV. Nicolaus V. & Calliſtus III. multa ſtatuerunt pro bono regimine Cameræ Apoſtolicæ. §. 1. Quæ omnia hic Pont. approbat. §. 2. Theſaurariúmque & Clericos d. Cameræ familiares ſuos, & veros Sedis Apoſtolicæ Capellanos declarat. §. 3. Expeditiones Cameræ, & Cancellariæ pro eis, eorumque nepotibus, & familiaribus gratis expediri mandat. §. 4.

Scholion primum.

R e s p. Vnde eſt, quod Clerici Cameræ, dicuntur Papæ & Sedis Apoſtolicæ Capellani, vt in §. 3.

R e s p. Arbitror ex eo ſic appellari, quod Papæ in Capella in multis inſeruiunt, vt patet omnibus ex lectura libri Cærimonialis; & ex eadem ratione, ni fallor, Auditores Rotæ etiam Capellani Papæ nuncupantur, vt liquet ex eodem libro Cærimoniali.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fuitne vnquam orta controuerſia pro expeditione, de qua in §. 4. gratis habenda pro Clericis?

R e s p. Tuſchus in verb. Cancellaria, inquit fuiſſe moram controuerſiam, & deciſam tamen ad fauorem Clericorum, per ſententiam Vicecancellarij, & Camerarij. Quam ſententiam ſubdit cōprehendere omnes Camerales, quia vnicum eſt eorum Collegium, & omnes vniformiter gaudent priuilegiis Collegialibus, & dum ipſe fuit Gubernator Vrbis (qui in Camera tenet locum Cardinalis Camerarij, ideóque Vicecamerarius nuncupatur) hoc habuit in facto, & obtinuit in expeditione literarum Epiſcopatus Narnienſis ſibi collati.

II.

Edita Anno 1472.

ROmani Pontificis indefeſſa ſolicitudo, & infra pag. 333. Bull.

COMPENDIVM.

Narrat, Collegium Auditorum Rotæ Romanæ cæteris præſtare integritate, & doctrina. §. 1. Pro cuius, & Sedis Apoſtolicæ maiori gloria, & ornatu, eorum numerum, de præſenti quatuordecim, ad duodecim reducit. §. 2. Quem numerum excedi prohibet. §. 3. Auditoréſque ante admiſſionem, ante Vicecancellarium examinari iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Fuitne vnquam maior Auditorum numerus, quàm quatuordecim, hic indicatus in §. 2.

RESP. Fuerunt quandoque antiquioribus temporibus viginti, & vltra, teſte Gomeſ. in proœm. Reg. Cancell. verſ. Nam ſatis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur præcipit eos examinari coram Vicecancellario, cùm id antea præcepiſſet Martinus V. vt ſup. in eius conſt. 3. §. 15. & 16.

RESP. Fortaſſe Camerarius coram ſe examinari prætendebat, etiam poſt Bullam Martini, eo quia antiquioribus temporibus Camerarius Papæ, de eius mandato, per dationem cappæ, tocchetti, & birreti, eos admittebat ad officium Auditoratus, vt habetur in deciſ. Bellam. 210. & refert Gomeſ. proximè citatus.

III.

Edita Anno 1472.

PRæclara Sanctorum merita, & infra pag. 333. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, B. Franciſcum de Aſſiſio Ordinem Fratrum Minorum inſtituiſſe. §. 1. Quos eius ſequi veſtigia, & multum proficere inquit. §. 1. Et ipſe, qui eius Ordinis profeſſor fuit, pro celebriori feſtiuitate S. Franciſci præcipit eam obſeruari, & obſeruantibus Indulgentiam elargitur annorum quinquaginta de iniunctis pœnitentiis, cum totidem quadragenis. §. 2. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Iſte B. Franciſcus, de quo alias locuti ſumus, cur appellatur Patriarcha pauperum?

RESP. Quia inter omnes pauperes Euangelicos (præter Apoſtolos, & Diſcipulos Domini) primatum obtinuit. Eman. Rod. de quæſt. Regul. lib. 1. q. 13. artic. 5. vbi etiam ſubdit aliam rationem; quia ſcilicet fuit primus Generalis Miniſter ſui Ordinis, habens iuriſdictionem Patriarchalem ſuper omnes Fratres Minores exiſtentes in omnibus mundi nationibus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt ergo, quod hi Fratres dicuntur extare Indulgentiam plenariam pro d. feſtiuitate S. Franciſci cùm de minori Indulgentia tantùm habeatur hic in §. 4.

RESP. Feſtum S. Franciſci deuotè celebrantibus Indulgentia, de qua hic, datur, & iſti hac die maiorem, quàm ſuam Indulgentiam non habent; ſed tamen hac eadem die Fratres bene dicũt extare Indulgentiam plenariã pro omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, & ſancta communione refectis, qui Eccleſias B. Franciſci viſitauerint, & ibi orauerint pro his, quæ continentur in Breui Six. V. ſignato die 28. Septemb. 1585. quod Genitor non poſuit in ſuo Bullario, quia vulgatiſſimum eſt in omnibus Eccleſiis Ordinis Fratrum Minorum.

IV.

SAncta Minorum Religio, & inf. pag. 334. Bullarij. Edita Anno 1472.

COMPENDIVM.

Gregorius XI. authoritatem Protectoris Ordinis S. Franciſci præſcripſit. §. 1. Hic Pont. qui eiuſdem Ordinis profeſſor fuit, eam conſtitutionem per-vtilem cognouit. §. 2. Eam propterea approbat. §. 3. Et declarat, ac reſtringit, vt neque Protector habeat authoritatem in caſibus contentis in Bulla Greg. IX. niſi quando non vniuerſi, ſed ſolùm aliqui ab vnitate fidei, vel S. R. Eccleſiæ obedientia, vel regulæ obſeruantia deuiarent. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Poteſtne Protector dare alicui licentiam ingrediendi loca Monialium?

RESP. Non poteſt, quia Martinus V. in ſua conſtit. 1. §. 4. poſita in Appendice Bullarij pag. 15. hanc poteſtatem explicitè

explicitè abſtulit, vltra quod ampliores prohibitiones ſuperuenerunt poſtea à Pio V.& Gr.XIII.vt ſuo loco dicemus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erit pœna Fratrum non obedientium Protectori in concernentibus munus ſuæ protectionis?

R E S P. Pœnam excommunicationis à Iulio II. impoſitam fuiſſe ſcribit Cordiiba in addit. ad compend. priuileg. Fratrum Minorum, in §. Protector Ordinis, & ſequitur Eman. Rod. de quæſt. Regul. lib. 3. quæſt. 42. art. 1. in fine.

V.

Edita Anno 1474 SEdes Apoſtolica, à qua in omnibus, & infra pag. 335. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, Archiepiſcopum Conſentinum B. Franciſco de Paula licentiam dediſſe conſtruendi Eccleſiam,ſiue Oratorium ſub vocabulo S.Franciſci,vbi ipſe B. Franciſcus cum ſociis vitam Eremiticam ducere cœpit. §. 1. Hic Pont. committit poſtea Epiſcopo S. Marci, vt d.licentiam validaret,& dictis Eremitis aliorum Eremitarum priuilegia cõmunicaret.§.2.Qui Epiſcopus hęc adimpleuit. §. 3. Supradictus Archiepiſcopus exemptionem à iuriſdictione ſua eiſdẽ conceſſerat.§.4.& B.Franciſcũ Superiorem eorundem cum omnimoda facultate elegerat. §. 5. Et Sacerdotibus facultatem dederat,Miſſam etiam ante diem celebrandi. §. 6. Confeſſioneſque audiendi. §. 7. Alia etiam bona, & perſonas recipiendi. §. 8. Priuilegia inſuper Mendicantium dederat. §. 9. Exemptionem à ſua iuriſdictione conceſſerat. §. 10. Sediſque Apoſtolicæ protectioni ſubmiſerat. §. 11. Quas conceſſiones à Papa ſpecificè approbari B. Franciſcus poſtulat. §. 13. Papa prædicta omnia confirmat.§.14. Et eximit à ſuperioritate quorumcumque Ordinariorum.§.15.Extenditque omnia priuilegia ad omnia loca huius Congregationis. §. 16. Contrariis derogat. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore initiata fuit iſta Eremitarum Congregatio?

R E S P. Anno 1450.inquit Eman.Rod. lib.1.quæſt.Regul.in quæſt.5.a.7. Sed tamen Frater. Gaſpar Paſſarel. in vita huius S. Franciſci ab eo relata, poſt priuilegia huius Ordinis cap. 4. & 6. ſentit, hunc B. virum anno 1435. circiter Fratres congregare cœpiſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur iſte B. Franciſcus eius Fratres Minimos appellauit?

R E S P. Quia Iacobus, & Vienna eius parentes,filiorum deſiderio, votum S. Franciſco de Aſſiſio ediderunt, filium ſuſcipiendum, Franciſcum nuncupaturos, & per annum in ſua Eccleſia Domino famulaturum. Editus eſt ergo B. Franciſcus, quem parentes ad domum S. Franciſci de Aſſiſio Ciuitatis S. Marci, decimum circiter agentem annum, duxerunt, eumque Domino obtulerunt; vbi puer in Dei timore educatus, per annum continuum manſit, & annum deinde attingens decimum nonum, in Eremo, quam petierat, cœpit cõgregare Fratres,quos Minimos humilitatis gratia, exemplo Minorum appellaſſe credendum eſt,vt colligitur ex his, quæ ſcribit idem Paſſarel. proximè cit. cap.3. & ſeqq.

V I.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licèt,& infra p.337.Bul. *Edita Anno* 1474

C O M P E N D I V M.

Enunciat, Eugenium V. & Clem. IV. Bullas edidiſſe pro Fratribus Minoribus S. Franciſci. §. 1. & 2. Quas ipſe Pont. comprobat. §. 3. Ampliátque vt celebrare poſſint tẽpore interdicti, & cum Altari portatili. §. 4. Ordiniſque Prælati poſſint abſoluere Fratres. §. 5. Extendit etiam facultatem,vel ius ſepeliendi mortuos.§.6. Eximit à ſolutione eius,quod Ordini legatur.§.7.Et à decimis.§.8. Iuriſdictionéque Ordinariorum.§.9 & 13 Facultatẽ audiendi cõfeſſiones.§.10. Loca Monialium deſtituta eis appropriandi.§.11.Mortuos cum habitu Tertiariorum ſepeliri volentes non alibi quam in locis Ordinis,velabſque licentia Fratrum, ſepeliri decernit, §. 12. Cum Fratribus diſpenſandi,quo ad irregularitatẽ & illegitimitatẽ.§.14. Dãnat,cõfeſſos Fratribus,iterũ Parochis confiteri debere.§.15.Cõmunicat. Ordini priuilegia Ordinis S.Dominici.§. 16.

Perturbatores prædictorum coërceri iubet. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegium Altaris portatilis, de quo in §. 4. eſtne reuocatum à Concilio Tridentino ſeſſ. 22. poſt canones?

R E S P. Nauarrus in Manual. Confeſſ. cap. 25. num. 81. tenet eſſe reuocatum, dum Concilium eo loco mandat Epiſcopis, vt per cenſuras prohibeant, ne Miſſæ ſacrificium extra Eccleſias à ſæcularibus, & regularibus quibuſcumque peragatur. Sed contrariæ eſt opinionis Eman. Rod. de quæſt. Regul. quæſt. 29. art. 3. quando ſcilicet Epiſcopi Regularibus ita celebrantibus non prohibent, vt Concilium requirit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Intelligitur autem hoc priuilegio hos Fratres vti poſſe in præiudicium Eccleſiæ Parochialis, circa oblationes, decimas, & primitias?

R E S P. Certè non, vt ſcribit Syluest. Sum. in verb. Altare.n.6. & Eman. Rod. tom.1.artic.3.quæſt.28.

VII.

Edita Anno 1474. Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 340. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Eugenium IV. Martinum V. & Gregorium XI. Bullas edidiſſe pro Ordine S. Dominici. §. 1. Eas iſte Pontifex approbat. §. 2. Ampliátque concedens, Fratres celebrare poſſe tempore interdicti, & in Altari portatili. §. 3. Abſoluíque & diſpenſari in multis ab eorum Prælatis. §. 4. Liberam dare ſepulturam in eorum Eccleſiis. §. 5. Eximit etiam à ſolutione pro legatis, & decimis. §. 6. & 7. A iuriſdictione quoque Ordinariorum. §. 8. & 12. Dat eiſdem Fratribus facultatem perſonis eis confeſſis, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis Sacramenta miniſtrandi, ſi Parochi abſque rationabili cauſa miniſtrare recuſent, aut differant malitioſè. §. 9. Loca Monialium deſtituta ſibi applicandi. §. 10. Mortuos cum habitu Tertiariorum ſepeliri volentes, non alibi quàm in locis Ordinis, vel abſque Fratrum licentia ſepeliri decernit. §. 11. Ampliat damnationem opinionis, quod confeſſi his Fratribus, iterum Parochis confiteri debeant. §. 13. Communicat priuilegia Fratrum Minorum S. Franciſci. §. 14. Perturbatores in præmiſſis coërceri mandat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Vbi ſepelitur, qui non diſponit ſepeliri cum eiuſmodi habitu, de quo in §. 11.

R E S P. Ciuis, vel incola, ſi non eligit ſepulturam, quam quiſque arbitrio ſuo eligere poteſt, certiſsimum eſt, quod erit ſepeliendus in ſepulchris ſuorum maiorum, aut in Eccleſia Parochiali. cap. 1. de ſepult. & cap. 4. eod. tit. in 6. & inquit Rota in deciſ. 745. corã Manzaned. part. 2. diuerſor. n. 3. in recentiorib. Exterus verò habens hoſpitium in Ciuitate, ſepeliendus eſt in Parochiali Eccleſia illius habitationis, ſi aliam non eligit. Archidiac. in d. c. 1. n. 3. Armil. in verb. Sepultura, nu. 12. Syluest. n. 8. Gig. conſ. 97. n. 3. & id clarum eſſe cenſuit Rota in deciſ. Seraph. 1135. n. 1. Viator autem tranſiens, & non habens hoſpitium in Ciuitate, nec eligens ſepulturam, dubitant Summiſtæ, & etiam Canoniſtæ, an in Cathedrali, vel in Parochiali ſit ſepeliendus. Sed verius eſſe, quod in Parochiali ſepelitur, tenuit Rota in d. deciſ. Seraph. n. 2. Maiorum autem appellatione qui veniant, tradit Panormit. in d. cap. 1. & Oldrad. conſ. 25. num. 2. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. De irrationabili recuſatione, aut malitioſa Parochorum dilatione, de qua in §. 9. quomodo conſtabit?

R E S P. In textu huius §. Confeſſorum aſſertioni ſtandum eſſe dicitur: ſed Genitor meus in Apoſtilla ad ipſum textum, cautè adnotauit attendendam eſſe nouam Leonis X. diffinitionem infra in ſua conſt. 22. §. 7. Ibi etenim Leo decreuit, Confeſſores eiuſmodi Sacramenta miniſtrare non poſſe, niſi Parochorum denegatio abſque legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut recuſatio coram publico Notario facta, doceatur.

VIII.

Et ſi vniuerſis Romanæ Eccleſiæ, & infra pag. 343. Bullarij. *Edita Anno 1474.*

COMPENDIVM.

Quia ob ſiniſtros euentus incolis ciuibus,

ſtibus, & ædificiis Vrbs Roma eſt plurimùm diminuta, ideo, vt virorum & ædificiorum copia inſtauretur, hic Pont. omnibus Curialibus, & aliis tam ſæcularibus, quàm regularibus adminiſtrationem obtinentibus, Prælatiſque & Cardinalibus qui in Vrbe, & infra decem milliaria ædificauerint, aut ædificia, vel cenſus, au alia bona acquiſierint, dat facultatem liberè de eis diſponendi etiam ad fauorem incapacium. §. 1. Et eorum hæredibus etiam illegitimis dat ius in illis ab inteſtato ſuccedendi. §. 2. Prohibétque omnibus Officialibus eos deſuper moleſtare. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Curialium nomine nónne veniebant Cardinales, quamuis de eis non fuiſſet ſpecifica facta mentio?

RESP. Veniebant, quia materia eſt fauorabilis. Oldrad. conſ. 211. num. 4. Secus verò ſi materia eſſet odioſa, vt pleniùs ſcribit idem Oldrad. in conſt. 293. num. 2. & ſeqq. & ſignanter num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis non ſimpliciter emit bona in Vrbe, ſed pro ſe, vel perſona per eum nominanda, quis acquirit priuilegium, de quo in §. 1.

RESP. Aut nominat, aut non. Primo caſu, nominato vſque à principio dicitur acquiſitum rei emptę dominium, & conſequitur hoc priuilegium. Secundo verò caſu, emptori. Ancharan. conſ. 127. num. 1. Alex. conſ. 232. lib. 6. num. 3. & ſeqq. Dec. conſ. 543. num. 4. & Cephal. conſ. 325. lib. 3. num. 13.

IX.

Edita Anno 1475. ETſi cunctis Eccleſiaſtici Status perſonis, & infr. pag. 344. Bullar.

COMPENDIVM.

Benedictus XII. in ſua conſtit. 3. de qua ſup. iuſſit omnes Monachos & Moniales S. Benedicti, Ordinis Ciſtercienſis, pannis bruni, vel albi coloris dumtaxat vti poſſe pro vſu ſuarum perſonarum. §. 1. Et quia fuit dubitatum, an intellexerit de colore bruno, vel griſeo, fuit introducti habitus diuerſitas apud Monachos, & Moniales d. Ordinis. §. 2. Declarat ideo hic Pont. quod intelligitur de colore nigro. §. 3. Iubétque de cætero pannis nigri, vel albi coloris tantummodo vti. §. 9. Et alterius habitus vſum prohibet. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Color niger veſtium quid denotat?

RESP. Mortificationem carnis, & triſtem vitam in meditanda paſſione Chriſti, quam Monachi habere debent. Zabar. in Clem. 1. de ſtatu Monach. in princ. Caſſan. in catalogo glor. mund. par. 12. verſ. Color etiam obſcurus. conſid. 93.

Scholion ſecundum.

Quæro. Color verò albus quid indicat?

RESP. Puritatem vitæ, & candorem conſcientiæ, quibus Monachi intenti eſſe debent; laudatúſque eſt propterea ſæpe in ſacris Scripturis, & à Deo laudatus fuit, vt recenſet Caſſan. vbi ſup. in verſ. Et color albus. conſid. 93.

X.

DVm ad vniuerſos regulares Ordines, & infr. pag. 344. Bull. Edita Anno 1476.

COMPENDIVM.

Martinus V. in ſua conſtit. 7. de qua ſuprà, omnes Canonicos Regulares vbique profeſſos vniuit in vnam Congregationem. §. 1. Eugenius IV. Baſilicam S. Ioannis in Laterano de Vrbe eidem Congregationi reſtituit. §. 2. Nomen Congregationis Lateranenſis conceſſit. §. 3. Nicolaus V. idem confirmauit, conceſſitque omnes gratias, quibus Eccleſia Lateranenſis, & dependentes ab ea perfruuntur. §. 4. Calliſtus III. regimen eiuſdem Eccleſiæ Canonicis ſæcularibus dedit. §. 4. Paulus II. Congregationi reſtituit. §. 5. Hic Pontifex dictis Canonicis ſæcularibus iterum dedit. §. 6. Nomen autem, & titulum Congregationis Lateranenſis confirmauit, & denuo confirmat. d. §. 6. Omnia eius priuilegia comprobat. §. 7. Exemptionem à quorumcumq; iuriſdictione, ſubſidiiſque, & impoſitionib. elargitur, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recipit. §. 10. & ſeqq. Altaris portatilis vſū concedit. §. 14. Tempore interdicti celebrare poſſe, cum excommunicatis à iure conſeruari, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & mortuos ſepelire poſſe

P indul

indulget. §.15. & ſeqq. Eximit à præſtationibus, & decimis. §. 18. Cauſas cognoſcere, & Monialium curam ſuſcipere non cogantur. §. 19. Sepulturam liberam in cœmeteriis habeant. §. 20. Canonicam portionem non perſoluant. §. 21. Præſcriptionis 60. annorum priuilegio donantur. §. 22. Prælati congregationis cum Canonicis diſpenſant ſuper irregularitate, &c. §. 23. Confeſſores deputent. §. 24. Cùm piratis quando conuerſari, & bona alienare poſſint. §. 25. & 26. Confeſſoréſque eligere. §. 27. Et venientes ad Ordinem recipere. §. 28. Et ad alium Ordinem tranſire, vel non. §. 31. Priuilegiis Congregationis Monachorum S. Iuſtinæ, vel Caſſinen. perfruantur. §. 32. Prædicéntque verbum Dei. §. 33. Dubia in gratiis Congregationis orιunda ad eius fauorem interpretentur, & actus contrarij ſibi non præiudicent. §. 34. & ſeq. Apud eos inuitos nemo celebret. §. 38. Confeſſiones apud eos non impediantur. §. 39. Conſeruatores habeant cum ampla iuriſdictione. §. 40. Non obſtantibus quibuſcunque. §. 41.

Scholion primum.

Quæro. Si Eug. IV. hanc Baſilicam Congregationi reſtituit, videtúrne ſupponere, ad eam hactenus ſpectare?

RESP. Proculdubio, vt clarè liquet ex conſtitut. 2. Paſchalis, de qua ſup. Quinimò etiam tempore Alexan. qui in Pontificatu præceſſerat Paſchalem II. eadem Baſilica erat d. Congregationis, vt perlegi in quadam Bulla Innocentij IV. impreſſa in libro Priuilegiorum d. Congregationis, Mediolani cuſo anno 1606. pag. 153.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hanc reſtitutionem ab Eugenio IV. quando Congregatio obtinuit?

RESP. Anno 1445. Eugenius motu proprio de conſilio Cardinalium primùm, ſequenti autem anno pleniori deſuper edita Conſtitutione reſtituit, quam in eodem libro perlegi pag. 315. poſt dictum motum proprium pag. 311.

XI.

Edita Anno 1476. DVm attenta meditatione, & infra pag. 349. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eugenius IV. in eius conſtit. 3. ſup. mitigauit Regulam Fratrum Carmelitarum, ab Honor. III. comprobatam ſup. §. 1. Pius II. dubium excitatum ſuper d. mitigatione Eugenij IV. circa ieiunium auferens, voluit diſpenſationem à ieiunio, arbitrio Prioris generalis fore remiſſam. §. 2. & 3. Hic Pont. approbat, & arbitrio d. Prioris remittit etiam declarationem numeri, & qualitatis ieiunij. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si iſte Prior diſpenſaret Fratrem aliquem à ieiunio, quod Regula præcipit, vel Sancta Romana Eccleſia, dicitur ille diſpenſatus ad eſum carnium?

RESP. Negatiuam ſententiam poſt Archiep. Florent. tenet Summa Armill. in §. Ieiunium, num. 10. & Nauarr. in 2. par. Decret. cap. 21. num. 23. vbi hoc intelligit habere locum, ſi diſpenſatus eſcis ieiunio congruis ſuſtentari poſſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Prior diſpenſaret, vt Frater in die ieiunij ante horam comederet, diceretur diſpenſaſſe à ieiunio?

RESP. Non, quia diſpenſatio non ſe extendit ad aliam partem ieiunij non expreſſam, vt poſt S. Tho. ſcribit Nauar. vbi ſupra num. 22. & ſequitur Rod. de quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 100. artic. 2. verſ. Illud tamen.

XII.

ET ſi vniuerſis xenodochiis, hoſpitalibus, & infra pag. 349. Bulla. *Edita Anno 1476.*

COMPENDIVM.

Omnia hoſpitalia, & loca pia Ordinis S. Spiritus, & intitulata ſub inuocatione ſancti Spiritus, membra Hoſpitalis ſancti Spiritus in Saxia de Vrbe declarat. §. 3. Eáque Fratribus d. Ordinis tantùm à Commendatore conferri decernit. §. 4. Cæteris nomen Magiſtri Generalis, aliàs Commendatoris interdicit. §. 5. Contrauenientibus pœnas apponit. §. 6. Quæſtum abſque licentia Commendatoris vetat. §. 7. Beneficia vacantia ob contrauentionem Fratrum, Commendatorem conferre indulget. §. 8. Formam colligendi eleemoſynas præſcribit. §. 9. Obſtantia tollit. §. 10.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Quis promotor fuit pij operis hoſpitalitatis?

RESP. Ioticus vir beatiſſimæ memoriæ, primus huiuſmodi pietatis officium inueniſſe dicitur. Hæc ſunt verba tex. in l. Omnia.33. Cod.de Epiſcop. & Cleric.gl.ibidem in verb.dicitur.Zab. in cap. 3. de Relig. domib .num.3. Petr. Craſ. in repet. cap. Cùm ad ſedem. 15. de reſtit. ſpol.num.28. vbi non videtur admittere ſenſum Bald. in d. l. Omnia. vbi inquit tex. & gl. Intellige, Ioticum d. officium Hoſpitalis primò inſtituiſſe in Ciuitate Conſtantinopolitana, quaſi alibi antiquius eſſet inſtitutum. ſed tex. & gl. abſolutè intelligit. Lap.de Caſtel. in ſuo tract.de Hoſpit.n. 1. ac idem Bald. Caſtrenſ. & Sylic.in d. l. Omnia.

Scholion ſecundum.

Quæro. Derogatio,de qua in §.10.tollit priuilegia antiqua, alijs hoſpitalibus conceſſa, eligendi Priorem?

RESP. In facti contingentia derogare, tenuit Rota coram Seraph.in eius deciſ. 612. mox impreſſ. per totam.

XIII.

Edita Anno 1476. SEdes Apoſtolica æqua ſemper in omnibus, & infra pag. 350. Bul.

COMPENDIUM.

Refert, approbaſſe quaſcumque gratias à Sede Apoſtolica Eremitis B. Petri de Piſis elargitas.§.1. Et dediſſe illis facultatem eligendi Confeſſorem, qui eorum vota peregrinationum commutaret.§.2.Quodque eorumdem Prior cũ eis diſpenſare poſſet ſuper irregularitate. §. 3. Dictíque Eremitæ etiam extra tempora ad ſacros Ordines promoueri poſſent à quocumque Antiſtite de licentia d. Prioris. §. 4. Refert etiam Eugenium IV. quotannis eorum Capitulum generale cogi decreuiſſe. §. 6. Et Nicolaum V. quolibet triennio celebrari,& in eo Rectorem generalem eligi voluiſſe.§.7. Sed cùm ex cõſtitutionibus Societatis eligatur primùm Vicarius generalis, in cuius manibus Rector, & omnes Patres renunciant, & deinde eligantur quatuor Socij,à quibus eliguntur Priores, & poſtea per totum Capitulum eligantur Rector generalis,& eius Vicarius.§.8. Hic Pont. id confirmat. §. 9.Et ſup. d. facultatem eligendi Confeſſorem iterum concedit. §. 11. Capitulumque generale quolibet triennio, Prouincialeque ſingulis annis cogi iubet.§.12.In Cap. generali Vicarium generalem ipſius Capituli primùm eligi, & in eo Priorem generalem, & cæteros officia renunciare, & deinde alios ſex deputari, & eos, vel eorum ſaniorem partem, omnia facta Capituli determinare, & Priores eligere decernit. §13. Ipſoſque ſic electos cum toto Capitulo, vel maiori eius parte, Rectorem generalem ad triennium, eiúſque duos, vel plures Vicarios eligere mãdat.d.§.13.

Scholion primum.

Quæro. Ille numerus ſex deputandorum,vt in §.13. eſt præcisè ſeruandus?

RESP. Non hodie,quia Alex. VI.die 14. Aprilis 1496. arbitrio Capituli remiſit, vt ſex, quinque, vel quatuor eligat, vt vidi in eius Bulla in lib. priuil. huius Ordinis impreſſa.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *vel eorum ſaniorem partem*, & alia, *pro maiori parte*, de quibus in §.13.quomodo intelligenda?

RESP. Verba,*maior pars*, reſpiciunt numerum; *ſanior* verò authoritatem,zelum, & meritum. Anan. conſ. 62. num. 2. verſ. Circa ſecundũ.vbi alios allegat.

XIII.

ILlius qui pro Dominici ſaluatione gregis, & infra pag. 352. Bul. Edita Anno 1478.

COMPENDIUM.

Enunciat,Innocentium III.inſtituiſſe in Vrbe Hoſpitale S. Spiritus in Saxia, ipſumque & alios Pontt.multas ei gratias conceſſiſſe. §. 1. Quod hic Pontifex à fundamentis reædificauit. §.2. Et Eugenius IV. inſtituit ibidem Confraternitatem piorum virorum. §. 3. Quam iſte Pont. denuò erigit. §. 5. Et vnà cum multis Curialibus eam ingreditur. §. 6. Confeſſoris electionem tribuit. §. 8. Confratrum ſepulturam etiam tempore interdicti permittit. §. 10. Decedentibus in Hoſpitali, vel ei ſeruientibus gratias Confratrum tribuit. §. 11. Diſpoſitiones ad fauorem Hoſpitalis quiſque Notarius notificet.§.13.Ipſi & Confeſſores ſuadeant infirmis ſubuentionem

Hoſpitalis.§.14. Confratres faciant proceſſionem in feſto Pentecoſtes,& conſequentur Indulgentias.§.16. Funera Confratrum cum decentia fiant.18.Miſſæ pro Confratribus viuis, & defunctis celebrentur.§.9.Regimen Hoſpitalis ſit Præceptoris,aliàs Commendatoris. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Cur ſuaderi debet infirmis ſubuentio Hoſpitalis,vt in §.14.

RESP. Quia opus valde pium eſt hoſpitalitas,& in ſacris literis plurimùm commendata, & ob eam meruit Abraham Angelos habere in hoſpites,Geneſ. cap. 19. Vnde Apoſtolus ad Romanos cap. 12. omnes Chriſtianos ad hoſpitalitatem hortatur, adeò vt nollet quempiam fieri Epiſcopum, niſi eſſet hoſpitalis. c. 3.1.ad Timot.& cap.1 ad Titum. ſcribit Nauarr. in conſ. 2. de empt. & vend.num.1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Commendator, cui in §. 20. datur totale regimen Hoſpitalis, poterit fortaſſe eligere certas perſonas, ibi perpetuò alendas, ita quod illis viuentibus alij non admittantur?

RESP. Nequaquam poterit; quia hoc eſſet contra mentem Papæ, & ſcandaloſum, vt ſcribit Lapus de Caſtell. in ſuo Tract.de Hoſpital.num.59.& 60.

X V.

Edita Anno 1478.

ETſi de cunctorum Chriſti fidelium,& infra pag.354.Bullarij...

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Officialibus locorum Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubiectorum,obſeruantiam Conſtitutionum èdi tarum à Prædeceſſoribus,& Legatis à Sede Apoſtolica in dictis locis, ab Ægidio Cardinali Legato in vnum collectarum, cum modificationibus, additionibus, & correctionibus Gabrielis Cardinalis S.Clementis,& aliorum in Prouincia Marchiæ Legatorum.§.1.& 2.Conſtitutionumque à Pio II. & Paulo II.contra bannitos editarum.§. 3. Prohibétque eiſdem Officialibus, ne pro collatione officiorum quidquam percipiant. §. 4. Neque Indicum viagiis participent. §.6. Proceſſus non circumducant.§.7.Pœnas ad manus Theſaurariorum peruenire non impediant.§. 8. Cauſas in prima inſtantia non auocent. §.9. In cauſis commiſſarius nihil petant.§.10. Iſtáque Bulla quotannis publicetur. §. 11. Conſtitutionéſque prædictæ, Ægidianæ nuncupatæ, in omnibus locis, abſque tamen præiudicio ſtatutorum, atque conſuetudinum eorum,& etiam in Vrbe obſeruentur. §. 12.Contrariis non obſtantibus.§.13.

Scholion primum.

Quæro. An dictæ conſtitutiones ſunt ſeruadæ in litibus,cauſiſq; Eccleſiaſticis?

RESP. Non, quia Ægidius fuit Legatus ad gubernium temporale, vt dignoſcitur ex Conſtitut.1. Innoc. VI. qui eum creauit Legatum, fol. 217. Bullar. & ita firmauit Rota,vt in deciſ.Seraphini 424. in nouiſſimè impreſſis, & antea in alia Rubei deciſ. 124. impreſſa poſt tract.Statil. Pacifici de Salu. interd.pag. 550.in primò impreſſis,& in altera Blanchetti 126.ibid.impreſſa pag.551.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*An in Terris Romanæ Eccleſiæ mediatè ſubiectis ſeruandæ ſunt?

RESP. Non, quia in exordio huius Bullæ expreſsè loquitur de locis immediatè ſubiectis,& ita dixit Rota in deciſ. 182.& in deciſ.187.lib.3.par.3.diuerſ.

X V I.

DIuina æterni Dei ſapientia, & infra pag.356.Bullar. Edita Anno 1478.

COMPENDIVM.

Pius II. Collegium ſeptuaginta Abbreuiatorum literarum Apoſtolicarum, certis aſſignatis emolumentis,pro expeditione contra Turcas impendendis, inſtituit.§.1.Paulus autem II.reſtituta eiſdem pecunia reuocauit.ibid. Hic Pontifex,vt debitus ordo in expeditione literarum Apoſtolicarum rectiùs obſeruetur,d.Collegium Abbreuiatorum 72. renouat. §. 4. Quorum duodecim de Parco maiori, & viginti duo de Parco minori, & reliqui examinatores nuncupantur.§.4.& 5.Hæc officia compatibilia cum aliis officiis Romanæ Curiæ eſſe decernit.§. 6. Probíque viri,& in officio Abbreuiatoris inſtructi, vel idonei, vt inſtruantur,ad ea eligantur.§.7.Habitum adinſtar Scriptorum dictarum literarum deferre indulget. §. 8. Emolumenta aſſignat.

gnat. §. 9. & ſeqq. Supplicationes diſtribuantur inter eos. §. 13. Quædam eis emolumenta concedit. §. 14. & 15. Et Cappellam, & Altare habeant in domo Vicecancellarij Papæ. §. 16. In admiſſione ad officia ſoluant iocalia. §. 17. Officia eorum reſignabilia ſint. §. 18. Priuilegiis Scriptorum perfruantur. §. 19. Collegium ſtatuta pro eo condere poſſit. §. 20. Tranſumptis huius Bullæ, & priuilegiorum Scriptorum credatur. §. 21. Abbreuiatores laici vxorem ducere poſſint. §. 22. Vicecancellarius deputet Viceregentem Cancellariæ, qui commiſſiones examinet, &c. §. 23. Diſponátque de 22. officiis Abbreuiatorum. §. 25. Reliqua ad Papam pertineant. §. 27. Vicecancellarius prædictorum executor deputatur. §. 29. Clauſulæ præſeruatiuæ apponuntur. §. 30. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 31.

Scholion primum.

Quæro. Abbreuiatores de Parco maiori, in quo differunt ab Abbreuiatoribus de Parco minori?

RESP. Illi ex ſupplici libello ſignato, literas Apoſtolicas gratioſas ſignant, quarum dictatura, vocari ſolet minuta, & tandem Bullam expeditam examinant, ſi cum ſupplicatione concordat, vt ſcribit Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 4. num. 2. & 3. & Petrus Gregor. in Syntag. Iur. lib. 15. cap. vltim. num. 3. qui ſubdunt, quid ſpectet ad officium Abbreuiatorum Parci minoris.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Papa ad Abbreuiatorum officia requirit homines inſtructos, vt in §. 7.

RESP. Quia etiam Rota in litibus aliqua ab Abbreuiatoribus peritis circa expeditiones beneficiorum ſcire quærit, & eorum relationi credit, vt legitur in deciſ. 592. lib. 3. par. 3. diuerſor. numer. 5. & in deciſ. 72. Caputaq. libro 1. in fine.

XVII.

Edita Anno 1478.

Licèt ea, quæ de mandato noſtro ritè fiunt, & infra pag. 359. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Petrus de Oſma, & alij in Hiſpaniarum Regnis, quaſdam falſas, & Catholicæ fidei contrarias propoſitiones pertinaciter defendebant, præſertim circa peccatorum confeſſionem, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta. §. 1. Hic ideo Pont. Archiepiſcopo Toletano earum examinationem, & præfatorum reductionem, demandauit, & quatenus perſiſtere vellent, eos hæreticos declararet. §. 2. Et ille dictum Petrum, eiúſque ſequaces ad ſe vocari fecit, illiſque non comparentibus, eorum propoſitiones hæreticas declarauit, confeſſionē ſcilicet peccatorum non iure diuino compertam fore. Peccata mortalia ſola cordis contritione, prauaſque cogitationes ſola diſplicentia deleri, & alia ſcandaloſa, quæ ſilentio prætermittuntur. §. 3 Et iſte Pontifex his in ſuo Conſiſterio relatis, duobus Cardinalibus eaſdem propoſitiones iterum examinandas, & referendas commiſit, & illi ſcandaloſas eſſe Pontifici, & Cardinalibus retulerunt §. 4. Papa igitur de conſenſu Cardinalium, geſta à d. Archiepiſcopo confirmat. §. 5. Eáſque propoſitiones hæreticas declarat. §. 6. Eidem Archiepiſcopo mandat, vt contra d. Petri ſequaces, illas hæreſes non abiurantes, & eumdem Petrum, prout errantē ſecuti ſunt, ita ſe emendantem ſequi recuſantes, tanquam hæreticos procedat. §. 7. Et hanc Conſtitutionem, dictúmque Archiepiſcopi proceſſum, & dicti Petri abiurationem publicari mandat. §. 8. Contrariis derogat. §. 9. Sanctionem pœnalem apponit. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Cur Deus prolabi nonnullos permittit in huiuſmodi hæreſes, & errores?

RESP. Vt viri Catholici, & literati in ſacris eloquiis excitentur, atque vt ſic lapſi humiliores deinceps fiant, ac in pœnitentiæ operibus exerceantur, ſecundùm Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. de form. ſent. contra eum qui abiur. verſ. verum. & Pegn. ibidem in comment. 44. verſ. At in ſumma, addit illud tertium hæreſis commodum, quod D. Paulus commemorat 1. ad Corinth. cap. 11. *Vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* vbi alia etiam commoda recenſet ex ſententia D. Auguſt. Et quæ primùm dixi, ſic in facto Deum permiſiſſe

ſiſſe videtur, dum literatorum, & Catholicorum ſtudium, & Petri abiuratio refertur, vt latiùs explicat Gongal. de Illeſca in 2. par. Hiſtor. Pontific. pag. mihi 113.

Scholion ſecundum.

Quære. Hæreſis nomen quandiu eſt, quod electionem damnatæ ſectæ ſignificat, & quare?

RESP. Poſt inſtituta Chriſtianæ Religionis fundamenta, hoc nomen apud Chriſtianos infame eſſe cœpit, quo ſignificantur, qui contra Chriſti fidem, aut illius Eccleſiam credunt, vel docent: quia cùm lex noſtra ab omnipotenti Deo data ſit per IESVM Chriſtum filium eius, non autem ab hominibus electa, proinde quiſquis aliam fidem, aut doctrinam eligit, meritò hæreticus, & infamis eſt, vt ſcribit Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. comment. 26. verſ. Nomen verò.

XVIII.

Edita Anno 1479. EA quæ ex fidelium deuotione, & infra pag. 361. Bullar.

COMPENDIVM.

Narrat, ſibi pro parte Franciſci Ducis Britanniæ, & Margaritæ vxoris Duciſſæ propoſitum fuiſſe, quod in Ducatu Britanniæ, & alijs locis innouatus eſt antiquus, & pius ille orandi ritus, videlicet centies quinquagies Aue Maria, & quindecim Pater noſter deuotè recitare, nuncupatus Pſalterium Virginis Mariæ. §. 1. Quem ritum quia nonnulli improbant, Dux & Duciſſa ſupplicarunt Papæ pro illius confirmatione. §. 2. Qui illum approbat. §. 3. Et ita orantibus pro qualibet vice quinque annos & totidem quadragenas Indulgentię pro qualibet quinquagena dicti Pſalterij concedit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore, & à quo fuit primò introductus hic pius modus orandi, qui antiquus dicitur in §. primo?

RESP. B. Dominicus Prædicatorum Ordinis inſtitutor introduxit, vt inquit Genitor meus in rubrica huius Bullæ, & cauſa introductionis refertur à Pio V. tibi per eum indicatur. Annum verò 1200. deſignat Nauarr. de Oration. in miſcellan. 13. num. 16. licet quidam putent de tempore Leonis IV. qui anno 847. ad Pontificatum aſcendit; & ſit antiquitus inductum, vt receuſet Soar. de Orat. l. b. 3. cap. 9. num. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur credis in Prouincia Britanniæ deuotionem ſic orandi eſſe præcipuam, vt Duces Papæ narrarunt?

RESP. Quia cùm cœpiſſet hic modus orandi ferè omitti anno 1460. Beatiſſima Virgo apparuit in rupe Britanniæ P. Alano Fratri d. Ordinis S. Dominici egregio Doctori, & egregiè ſibi deuoto, illum adhortando, vt magna cura, & ſtudio per ſuam, ſuoſúmquè Fratrum prædicationem dictum orandi ritum renouaret, prout renouari cœpit, & quia multi detrahebant, Duces ſupplicarunt Papæ, vt hic dicitur in conſtitutione. Hæc Nauarr. in loco mox allegato.

XIX.

SAcri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, & infra pag. 361. *Item*, Expoſuiſti nobis, & infra pag 363. Bullar. *Edita Anno 1479. & 1487.*

COMPENDIVM.

Enunciat merita, & laudes Ordinum S. Dominici, & S. Franciſci, in princ. Indulgentias eorum Eccleſias viſitantibus concedit. §. 4. Et facultatem eligendi Confeſſorem. §. 5. Authoritatem Prælatis Ordinis datam abſoluendi Fratres, reſtringit. §. 6. Et poſtea declarat in §. 2. conſtit. huic annexæ. Gratias Ordinum Sororibus, & Tertiariis communicat. §. 7. Iubet non moleſtari ſuper collectione eleemoſynarum, & prædicatione. §. 8. Poſſint ſepelire mortuos cum habitu recepto à Prælatis eorum. §. 9. Habentes beneficia, non gaudent priuilegiis abſque licentia Prælatorum. §. 10. Generales puniunt Fratres etiam ſeruientes Inquiſitioni. §. 11. Inquiſitores vnius ex iſtis Ordinibus, contra Fratres alterius non procedant. §. 12. Concedit eiſdem priuilegia aliorum Ordinum Mendicantium. §. 13. Perturbatoribus pœnas indicit. §. 14.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Hæc Bulla eſtne illa, quam Fratres Minores Mare magnum vocitant?

R E S P. Non iſta, ſed quæ ſuprà eſt ſub nu. 6. vbi hic Pont. omnia ferè, & ampliſſima quidem priuilegia Ordinis, etiam à Prædeceſſoribus elargita, edidit. Et ita dicunt omnes ſuper priuilegiis Mendicantium ſcribb. & poſtremò Eman. Rod. quæſt Regul. quæſt. 7. artic. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Non moleſtat quis collectorem eleemoſynarum in actu collectionis,de qua in §.8.ſed ante collectionem, vt putà perſuadet non dari Fratribus eleemoſynas ante tempus collectionis, quid ergo dicendum?

R E S P. Incidit in hanc Bullam,quoniam contrauentores priuilegiorum iſtorum Ordinum dicuntur etiam illi, qui indirectè illis contraire audent, cap. Quanto.26. cum ibi not. de Priuileg.

X X.

Edita Anno 1480.

ET ſi de cunctarum Ciuitatum temporali dominio,& infra pag. pag.364.Bullatij.

C O M P E N D I V M.

Ad tollendam Vrbis omnem deformitatem, eiúſque ornatum ampliãdum, dat facultatem Camerario, & Magiſtris viarum cogendi vicinos, ad vendendum domos locari ſolitas aliis vicinis, quorum domus pro dirigendis viis demoliuntur.§.2.Statuit quid agendum, pluribus ad hoc vicinis concurrentibus. §.3. Et quid ſi plures habeant domos diruitas. §.4. Domini domus cogantur eas vendere pro constructione platearum, & nouorum ædificiorum. §. 5. Quis præferendus, pluribus ædificare volentibus. §. 6. Contra recuſantes vendere quid faciat Camerarius,& Magiſtri viarum. §. 7. Ædificare volentes quid implere teneantur.§. 8. Vendere volentes, tenentur vendere vicinis, alioquin venditiones nullæ ſint.§.9.Contrariis derogat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Venditiones factæ alteri,quàm vicino, ſunt nullæ ipſo iure, vel potiùs vicino id volente?

R E S P. Volente vicino, & non alias, quia de eius commodo Papa cogitauit: & ſic de hac Bulla loquendo, tenuit Rota in deciſ. Put. 8. lib. 2. nu.1. vbi allegat ſimile de prohibitione emphyteutæ non alienandi irrequiſito Domino, non enim alienario irritatur, niſi eo volente. Iaſ. in l.2.Cod. de iur. emphyt. in 5. notab. & deinde hoc ampliat, etiam ſi annullaretur à Bulla ipſo iure alienatio,iux. deciſ.2.Caſſad. de loc. & cond. nu. 6. Pariſ. de reſign. benef. lib. 3. q. 4. in fine.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Nunquid venditor tenetur requirere vicinum?

R E S P. Hæc Bulla non dicit, & propterea non tenetur, vt conſulendo ſic in terminis huius Bullæ tradit Pariſ. conſ. 125. lib 4.nu.4. & Anton. Bard. in comment. huius Bullæ quæſt. 6. Et hinc eſt, quod Gregorius XIII. in ſua conſtitut. 22.§.8.venditorem expreſsè inquit vicinum requirere debere.

X X I.

Edita Anno 1482.

SVperna cæleſtis patria, & infra pag. 366. Bullatij.

C O M P E N D I V M.

Lætatur Pontifex, lætarique debent vniuerſi Chriſti fideles,de Canonizatione S. Bonauenturæ. §.1. & 2. Qui multis & virtutibus, & miraculis claruit. §.4. Ordinis S. Franciſci profeſſor fuit.§. 4. Doctrina præfulſit.§.5.Humilitate,& innocentia emicuit. §. 6. Generalis dicti Ordinis,eique & Fratribus maximo adiumento fuit. §. 8. Cardinalis, & Epiſcopus Albanẽſis à Greg.X. creatus fuit. §. 9. Concilio Lugdunenſi præfuit, & profuit.§. 10.Et vſque ad obitum multis virtutibus floruit. §. 11. Poſt obitum miraculis illuſtris fuit. §. 12. Imperator, & alij Principes, & Ciuitates pro eius Canonizatione apud hunc Pont. inſtiterunt. §. 13. Qui Canonizationis proceſſum tribus Cardinalibus commiſit. §. 14. Poſtea reiterari iuſſit. §. 15. Cardinales pro Canonizatione votum dederunt.§. 16. Papa in Conſiſtorio publico orationes, & ieiunia indixit. §. 17. Prælati poſtea votarunt pro Canonizatione. §. 18. Papa tandem illum catalogo S S. Confeſſorum adſcripſit. §. 19.

Feſtum pro Dominica 2. menſis Iulij inſtituit. §. 20. Feſtum duplex in Ordine S. Franciſci agi iubet: d. §. 20. Eccleſiam, vel ſepulchrum eius viſitantibus indulgentias elargitur. §. 21. Etetiam Eccleſiæ SS. Apoſtolorum de Vrbe. §. 22. Fratres Minores in Vniuerſitate Pariſienſi iis gaudere indulget gratiis, quibus iidem perfruuntur Fratres Prædicatores. §. 23. Hortatur omnes orare apud S. Bonauenturam pro exaltatione S. R. E. §. 24.

Scholion primum.

Quæro. Miracula, quibus S. Bonauenturam clarniſſe dicitur in §. 12. quis me poterit edocere?

RESP. Octauianus de Martinis Sueſſonus aliqua recenſet in luculenta eius oratione coram hoc Pont. in Conſiſtorio hac de Canonizatione habita, quam deſcribit Sur. de vit. SS. ſub die 14. Iulij. Plura quoque S. Antoninus in 3. par. tit. 24. cap. 8. & 9. & copioſiùs Chronicon Franciſcan. vt meminit Baron. in Martyrolog. ead. die. Nonnulla deſcripſit etiam Ciacon in vita Greg. X.

Scholion ſecundum.

Quæro. Alias de hac Canonizatione literas eiuſdem Pontificis extare audiui; credisne verum?

RESP. Alienum à veritate puto, cùm iſtæ a Genitore meo collectæ tantummodo in 2. Tomo Opuſculorum S. Bonauenturę perlegantur, quas citat etiã Baron. vbi ſuprà. Et hinc corrigendus videtur Ciacon. qui in vita huius Pont. dicit, die 28. Aprilis 1581. catalogo Sanctorum S. Bonauenturam adſcripſiſſe, cùm ex hac conſt. dies fuerit 14. menſis Aprilis 1582.

XXII.

Edita Anno 1484. Religionis zelus, & infra pag. 368. Bullarij.

COMPENDIVM.

Agit de forma eligendi Magiſtrum Generalem, aliàs Commendatorem Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe. §. 1. Et etiam Protectorem. §. 2. Commendatori præcipit, vt de Hoſpitali expoſitis diligenter curet. §. 3. Hoſpitale, & eius membra eximit à ſolutione gabellarum, aliorumque onerum. §. 4. Et à ſuperioritate, & iuriſdictione omnium, præterquàm Commendatoris. §. 5. Gratias, & priuilegia Monachorum Congregationis Caſſinenſis Hoſpitali communicat. §. 7. Contraria quæcunque remouet. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Infans expoſitus Hoſpitali, de quo habetur in §. cuius loci dicetur?

RESP. Si eius pater, & mater ignorantur, erit ciuis illius Ciuitatis, vbi extat Hoſpitale. tex. eſt in l. 1. & ibi not. per Bart. ff. ad municipal. num. 21. Angel. in l. hæres. 19. §. 1. ff. de Iudic. in fine, & ſequitur Boër. deciſ. 13. nu. 41.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid in tit. de infantib. expoſit. in Cod. & decretal. infantes exponere vetitum fuerat?

RESP. Vtique; exponere ſiquidem eo loci intelligebatur pro abiicere contra officium pietatis, & quaſi alimenta denegare: hic autem permiſſum eſt exponere Hoſpitali, vt in eo expoſiti, piè alantur, ac bonis moribus, & virtutibus imbuantur, quod patet etiam ex Innocentij IV. bulla 7. ſuprà.

XXIII.

Qvoniam nonnulli iniquitatis filij, & infra pag. 396. Bullarij. *Edita Anno 1484.*

COMPENDIVM.

Refert, hactenus Summi Pœnitentiarij literis plenè credendum fore, abſque eo, quod non habeant inſertas eius facultates, & mandatum Papæ in eis enunciatum. §. 1. & ſeqq. Et declarat eius authoritatem aliis delegari poſſe, etiam in his, quæ ſpectant ad forum conſcientiæ. §. 5. Eiuſque literas in vtroque foro probare, & ſuffragari. §. 6. Contrarium attentantibus pœnas infligit. §. 7. Contrariis omnibus derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Hoc officium, eiúſque dignitas, quo tempore, & à quo introductum fuit?

RESP. Benedictus II. qui ad Papatum aſcendit anno 685. introduxit, & reſedit ab initio in ſimplicibus multæ ſcientiæ, & immaculatæ vitæ Confeſſoribus. Deinde illud munus quindecim Cardinales ſubiêre; & tandem vni Cardinali demandatũ fuit, vt hæc omnia

aſtrua

aſtruit doctiſſimus Gomez in proœm. Regul. Cancellariæ, cuius fidei omnino ſtandum eſt, cùm ipſe Pœnitentiariæ Regens fuerit. Quibus addo, quod ex Clem. 2. de elect. §. 1. patet, quod vſque ad tempora Clem. V. plures erant Pœnitentiarij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc idem officium expirat morte Papæ?

R E S P. Non expirare decreuit Clemens V. in cap. 2. §. 1. de elect. quia tunc verſabatur circa pœnitentias, ſeu caſus pœnitentiales, vt notat Zabar. num. 5. in fi. & idem ſcribit Caſſan. in catal. glor. mundi. par. 4. conſid. 17. & Grauat. ad Veſtr. in Pract. Rom. Curiæ lib. 1. cap. 2. in fin. Sed cùm poſtea cœperit verſari etiam circa nonnulla alia fori exterioris, vt notat Veſtr. vbi ſup. num. 42. ideo circa hæc expirare decreuit Pius IV. in ſua conſtitut. 53.

X X I V.

Edita Anno 1484. CVra Paſtoralis officij, & infra pag. 371. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Conſanguinei, vel affines vſque in quartum gradum reorum, qui pro aliquo crimine in Statu Eccleſiaſtico condemnati haberi non poterunt, compellantur emere illorum bona confiſcata, ſi confiſcata ſint, vel pro concurrenti quantitate, ſi in aliqua quantitate ill condemnati fuerint. §. 2. Conſanguineis autẽ non extantibus, vel impotentib. Vniuerſitates locorum cogantur, ſi cõdemnationes ad fauorem Cameræ Apoſtolicæ ſunt ceſſuræ. §. 3. Et ſi condemnati habent parentes, ſub quorum ſtant poteſtate, teneantur illi pro filiis vſque ad quantitatem legitimæ, quæ tunc eis deberetur, morientibus ipſis parentibus. §. 4. Obſtantia irritat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi condemnatus quoque habet filios?

R E S P. Tunc non intrat diſpoſitio huius conſtitutionis in §. 4. quæ condita videtur in odium, & pœnam delinquentis, non autem eius filiorum, vt copioſè in terminis huius bullæ oſtendit Tob. Non. in conſ. 95. per totum, quem ſequitur Honded. conſ. 74. lib. 2. num. 2. vbi deciſiones & doctrinas ad hoc multas congerit, & præſertim Lud. in deciſ. Peruſ. 11. num. 27. qui pariter de hac, vel ſimili conſtitutione, aut ſtatuto loquitur, & ſubdit Honded. in fine ſic Peruſij primùm, & poſtea Romæ in Rota iudicatum fuiſſe die 31. Martij 1596. coram R.P.D. Blanchetto, in qua cauſa ſcripſiſſe, & in Rota obtinuiſſe, inquit Farinac. quæſt. 24. num. 172. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi condemnatus ſit filius arrogatus, vel ſpurius?

R E S P. Primo caſu hanc Bullam Sixti non intelligi de filio arrogato, ſi delinquat: in pœnalibus namque filij appellatione non venit arrogatus, ſed natus; conſulendo tenet Tob. Non. in conſ. 100. num. 4. & ſeqq. & latiùs Eugen. conſ. 49. num. 5. & ſeqq. Secundo autem caſu eadem ſententia negatiua ex eo probatur, quod ſpurius non eſt in poteſtate patris, vt loquitur conſtitutio. Ita in terminis huius Bullæ reſpondet Honded. in conſ. 95. lib. 1. num. 84. & 114. & ſeqq. vbi plenè, & Caball. caſu 250. num. 18.

INNOCENTIVS VIII.

Italus, creatus anno 1484.

C O N S T I T. I.

SVmmis deſiderantes affectibus, & infra pag. 571. Bullarij. *Edita Anno 1484.*

C O M P E N D I V M.

Quia in partibus Alemaniæ ſuperioris plerique cum dæmonibus abutebantur, multáſque incantationes, & ſortilegia, ac alia mala committebant, & nonnulli dubitabant, Inquiſitores hæreticæ prauitatis contra illos procedere poſſe. §. 1. Hic Pont. contrarium declarat. §. 2. Illiſque prædicandi verbum Dei, & alia in præmiſſis opportuna faciendi facultatem tribuit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Iſtæ literæ, quæ diriguntur ad Inquiſitores Alemaniæ, extendunt ſe ad alios Inquiſitores?

R E S P. Extendi oſtendit Spineus in ſuo Tract. de Strigib. cap. 3. & additionibus, loquens de iſtamet Bulla, pluresq; rationes adducit, & ei adhæſit Pegna

in ſua adnotatione ad hanc eamdem Bullam impreſſam poſt Dirſtor. Inquiſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſtam iuriſdictionem concedit fortaſſe hic Pont. vel Inquiſitores iam habebant?

R E S P. Veritas eſt, quod eam habebant, ſi ſortilegia, & alia maleficia manifeſtam ſapiebant hæreſim, vt habetur in cap. Accuſatus. 8. §. Sanè de hæretic. in 6. Et Pontifex illud vnum dumtaxat mihi efficere videtur, quod declarat ſortilegia, & alia mala hic enunciata, ſapere d. hæreſim, & remouet impedimenta, quæ deſuper Inquiſitoribus inferebantur, quod ſentit etiam Spineus proximè citatus.

II.

Edita Anno 1484. ALto diuinæ prouidentiæ conſilio, & infra pag. 372. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſterium Vallis Vmbroſæ conſtituitur caput totius Congregationis Monachorum Vallis Vmbroſæ, ſub vno Abbate generali, nuncupando Vallis Vmbroſæ. §. 15. & 16. Qui Abbas ſit perpetuus, cæteri verò temporales. §. 17. Capitulũ generale ſingulis annis celebretur, in eóque ipſe Abbas præſideat, octóque eligantur Diffinitores. §. 18. Qui totum repræſentent Capitulum cum omnimoda poteſtate. §. 19. Quam exercet generalis Abbas, cum maiori parte Diffinitorum. §. 20. Alij Abbates, & Priores annuatim eligantur in d. Capitulo. §. 21. Viſitatoréſque ibidem conſtituantur ad executionem ordinationum Capituli. §. 22. Generalis, & Viſitatores de Prælatis d. Congregationis diſponere poſſint. §. 23. Capitulum non diſſoluatur, antequam locus pro alio deputetur. §. 24. Monachi tranſlati dicantur profeſſi eius loci, ad quem tranſlati ſunt. §. 25. Abbates antiqui priuilegiis ſuorum Monaſteriorum vti poſſint. §. 26. Commendatarij ad fauorem Congregationis de licentia Sedis Apoſt. cedere poſſint. §. 28. Loca ceſſa ſoluant quindennia Cameræ Apoſtolicæ. §. 29. Regimen Congregationis ſit Prælatorum eiuſdem. §. 30. Monaſteria aliis commendari prohibetur. §. 31. Prælati ingredientes Capitulum, officiis abſoluti cenſentur. §. 33. Generalis, & Diffinitores de Abbatiis, & Prioratibus vacantibus diſponant. §. 34. Prælatura non accedentis ad Capitulum vacet. §. 35. De ea prouideat Generalis cum Viſitatoribus. §. 36. Et etiam de vacantibus inter Capitula. §. 37. Prælati perpetui vt cedant ad fauorem Congregationis. §. 38. Generalis Abbatis in omnes omnimoda eſt iuriſdictio. §. 39. Vallis Vmbroſæ priuilegia confirmantur. §. 40. Generalis, cum Diffinitoribus, deputet profeſſum ad ſcribendum acta Capituli. §. 41.

Scholion primum.

Quæro. Poteſtatem, de qua in §. 19. nónne habebat de iure Canonico in ſuos Monachos?

R E S P. Non, niſi quoad diuini cultus reuerentiam, & vtilitatem Monaſterij; vt explicat Rod. tom. 2. quæſt. Regul. q. 63. art. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne talis hodie poteſtas Abbatis in Monachos, vt etiam contra regulam poſſit aliquid contra eos innouare?

R E S P. Non, vt per tex. in cap. Cùm in Eccleſiis. 10. de maiorit. & obed. teuet Gemin. in conſ. 135. num. 2.

III.

APoſtolicæ Cameræ, ex qua non modò, & infra pag. 376. Bullarij. *Edita Anno 1484.*

COMPENDIVM.

Pius II. decreuit, quod obligati in Camera Apoſtolica pro annatis beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſi in termino præfixo non ſoluerent, in excommunicationis ſententiam inciderent, & priuationis beneficiorum. §. 1. Sed quia impetrantes beneficia ſic vacantia, lites multas patiebantur, ideo exactio dictarum annatarum retardata fuit. §. 2. Hic Pont. ideo Pij II. Conſtitutionem innouat. §. 3. Debitoribus annatarum ad ſoluendum dilationem concedit. §. 4. Qua elapſa, non ſoluentes illas pœnas incurrere decernit. §. 5. Solutio autem annatæ inſtrumento probari debet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Annata, de qua hic agitur, ſolutúrne

nitur ne etiam de penſionibus?

R E S P. Quicquid de iure communi dici poſſet, ex ſtylo Romanæ Curiæ ſoluitur, vt cuique notiſſimum eſt, quia penſio de fructibus beneficij extrahitur. Intellige tamen de penſionibus, prout de beneficiis, quæ excedunt valorem ducatorum ducentorum auri de Camera, vt euidentiùs fuit poſtea deciſum à Clem. V I I. in ſua Conſtit. 33. Cùm ſicut, in Bullar. pag. 601.

Scholion ſecundum.

Quæro. In ſolutione annatæ de beneficiis, valoris vltra ducat. viginti quatuor, habetúrne reſpectus ad diſtributiones quotidianas?

R E S P. Negatiuè; illæ etenim non veniunt appellatione fructuum, de quibus ſoluitur annata, quia dantur reſidentibus tantùm, vt poſt alios ſcripſit Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancell. §. 7. in proœm. num. 166. & ſeqq. vbi propterea ſubdit, Canonicos S. Petri de Vrbe non ſoluere annatam, quia annata conſiſtit in diſtributionibus quotidianis, quæ dantur his, qui horis interſunt, vt habetur in cap. 10. de præbend. inter Extrauag. commun. verſ. Licet.

I V.

Edita Anno 1485

CVm ſicut accepimus nonnulli, & infra pag. 376. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quidam dubitarunt, ſi in cauſis, in quibus intereſſe Cameræ Apoſtolicæ reſultare poteſt, ſolemnitates iudiciales, & iuris poſitiui coram Clericis dictæ Cameræ, prout in aliis tribunalibus Vrbis ſeruari ſolent, ſeruari deberent. §. 1. Ideo Pontifex in his cauſis ſummariè ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſola facti veritate inſpecta, procedi poſſe decernit. §. 2. Contrariſque derogat. § 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid important d. clauſulæ, *ſummariè, &c. procedendi?*

R E S. P. Multa operantur, quæ potiùs tractatum, quam breuiloquum ſermonem meum requirunt; de eis tamen vltra Bart. in extrauag. Ad reprimendum, in verb. Summariè. & verbis ſeqq. fusè tradit Oſaſc. in deciſ. 1. Pedemont. per tot. Marcheſ. de commiſſ. par. 1. cap. 8. num. 50. & Tuſch. in verb. Summariè. concluſ. 491. cum ſeqq. apud quos, & alios ab eis congeſtos, quàm multos diſces effectus eiuſmodi clauſularum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc facultas ſummariè procedendi, intelligitur in omnibus inſtantiis, an in prima tantùm?

R E S P. In omnibus, quia eadem ratio intereſſe Cameræ in eis militat; & tamen eſt certiſſimum, quod ſemel data commiſſio ſummariè, &c. procedendi, ſeruit pro omnibus inſtantiis. Caſſad. de reſcript. deciſ. 8. num. 1. Bellam. deciſ. 41. & 525. Vant. de nullit. ex defect. proceſ. num. 58.

V.

CVm ab Apoſtolica Sede, ad quam, & infra pag. 377. Bullar. *Edita Anno 1485.*

C O M P E N D I V M.

Reuocat conceſſiones iurispatronatus cuicumque à Rom. Pont. ad beneficia electiua emanatas ab annis 25. citra. §. 1. Et ad beneficia non electiua irritat, quatenus qui imperrarunt, fructus eorum ad medietatem veri valoris non auxerunt, vel Eccleſias de nouo in eis non ædificarunt, ſeu funditus deſtructas non reædificarunt, vel loca, ſeu fundos ad eas ædificandum non conceſſerunt. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Cur hoc ius nuncupatur patronatus?

R E S P. Quia ſicut pater ducit filium de non eſſe ad eſſe, ex procreatione, vel ad bene eſſe ex dotatione; ita etiam dicendum eſt de eo, qui fundat Eccleſiam, quoniam deducit ad eſſe, vel dotat, quoniam deducit ad bene eſſe. Ita tradunt Zabar. Io. Andr. Panormit. & alij, in rubric. de iur. patron. & alij, quos congerit Lambert. de iur. patron. lib. 1. in 2. art. 1. quæſt. princ. num. 8. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Reædificare Eccleſiam nónne ille dicitur, qui tecto aut pariete carentem reſtaurat?

R E S P. Non equidem: niſi ſit deſtructa in totum, vt fusè ſcribit Berous conſ. 4. lib. 1. num. 27. & ſeqq. vbi hanc veriorem ſententiam eſſe affirmat. Quinimò ipſa reædificatio debet eſſe de materia

Q 2 non

non vili, vt putà ſi fieret tectum de cannis. Rota deciſ. 306. par. 1. diuerſ. num. 1. & 2. vbi hoc idem ſub num. 5. diffinitur de reparante fundum Eccleſiæ & reducente ad culturam, quia hoc non eſt dotare Eccleſiam, ſed eius dotem, ſeu fundum meliorare, vel augere. Gemin. conſil. 32. in fin. Rota deciſ. 457. lib. 1. diuerſ. n. 18.

V I.

Edita Anno 1485. Circumſpecta in omnibus actibus ſuis, & infra pag. 378. Bullarij.

COMPENDIUM.

Narrat, Auditores Rotæ poſt multos eorum labores condigna meritis præmia reportare conſueuiſſe, & ad Eccleſias Cathedrales, aut Metropolitanas promoueri, in princ. Decernit officium Auditoratus Rotæ vacare per Auditoris promotionem eiuſmodi, vt Paſtorali officio incumbere poſſit. §. 2. Ita iudicari iubet. §. 3. De Auditoratu ſic vt ſuprà vacante ſtatim à Papa prouideri poſſe decernit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Ex hoc, quod hic dicitur de laboribus Auditorum, quid aliud, quàm futura remuneratio inferri poteſt?

R E S P. Quod eorum priuilegia non veniunt in generali derogatione, quacumque verborum expreſſione concepta. Latè Roman. conſ. 436. num. 1. 10. & ſeqq. vbi in 1. apoſtilla Mandoſ. adducit concord. & nouiſſimè Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancell. gſ. 9. §. 2. n. 49.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod Reuerendiſsimus Dominus Franciſcus Sacratus Ferrarienſis, quamuis à Paulo V. ad Archiepiſcopatum Damaſcenum de menſe Nouembris 1612. promotus, adhuc ſedet in Rota?

R E S P. Ex ſpeciali ipſius Pauli indulto, quod non contradicit rationi huius Bullæ, de qua in §. 2. quia eiuſmodi Archiepiſcopatus eſt titularis in partibus infidelium non requirens reſidentiam, vt in Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de reformat. Sed mox ob eius præclara merita Cardinalis creatus fuit à Sanctiſsimo D. N. Gregor. XV. die 15. Aprilis currentis anni 1621.

V I I.

Apprimæ deuotionis affectum, & infra pag. 379. Bullarij. *Edita Anno 1485.*

COMPENDIUM.

Deputat Petrum de Vicentia eius Capellanũ, in Auditorem ſui Camerarij, & cauſarum Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ cum omnibus honoribus, & oneribus conſuetis. §. 2. Facultatem ei tribuit cauſas delictorum cuiuſcumque Curialis cognoſcendi. §. 3. Cauſáſque omnes tam ciuiles, quàm criminales, & mixtas in Curia mouendas. §. 4. Et cauſas appellationum à ſententiis Iudicum Vrbis, & Status Eccleſiaſtici. §. 5. Proceſſuumque, & ſententiarum Romanorum Pontt. & cenſurarum Eccleſiaſticarum. §. 6. Contractuum quoque in Curia initorum. §. 7. Cum omni, & quacumque alia ſolita facultate, & authoritate. §. 8. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Videtúrne tibi ex Bulla dignoſci, quòd vſque ad hæc tempora Auditor Cameræ non erat Iudex Ordinarius, vt eſt hodie, ſed erat delegatus?

R E S P. Id ſuadetur ex Bulla, & expreſsè hoc tenet Bellam. in deciſ. 196. vbi ſubdit, quod propterea non poterat eius iuriſdictio prorogari, & idem affirmat in deciſ. 210. Et hinc Genitor aduertit hìc in notis ſuis, illius iuriſdictionem à ſucceſſoribus Pontt. fuiſſe ampliatam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Auditor Cameræ pater Curialium millies in die vocitatur?

R E S P. Quia antiquitus erat ſolummodo Iudex cauſarum Curialium, aliàs Curtiſianorum) teſte Bellam. in deciſ. 210. in fin. & ſequitur Mandoſ. de Reg. Cancellar. in reg. 31. quæſt. 4. num. 7. Et habemus claram deciſ. Rotæ 728. in antiq. ſecundum veterem impreſsionem fol. mihi 62. quam ad hoc citat Grauat. ad Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 4. num. 10.

V I I I.

Deuotionis augmentum vobis Deo propitio, & inf. p. 380. Bul. *Edita Anno 1486.*

COMPENDIUM.

Ad tollendam Monachis Congrega-tio

tionis S.Iuſtinæ de Obſeruantia, Ordinis S.Benedicti, materiam inquietudinis, mandat omnibus, quibus cauſæ authoritate literarum Apoſtolicarum de iure delegari poſſunt, vt legitimè requiſiti, ad earum executionem literarum Sedis Apoſtolicæ conſeruatoriarum procedere debeant per ſe, vel alios, iuxta earum continentiam, perinde ac ſi literæ à principio eis directæ fuiſſent, & nominatim eiſdem mandatum extitiſſet, vt eas exequerentur, licet aliàs Conſeruatores eſſe nequirent. §. 1. & ſeqq. Quibuſcumque non obſtantibus. § 4.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt perſonæ, quibus Sedes Apoſtolica cauſas committit?

R E S P. Bonifacius VIII. in cap. Statutum. 11. de reſcript. in 6. edixit, nullis niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſas literarum Sedis Apoſtolicæ authoritate, aut Legatorum eius committi: & Clemens VIII. hoc idem decreuit in ſua Conſt. 3. incipiente, Sanctiſſimus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *per ſe, vel alios*, nónne ſunt ſuperflua, cùm delegatus Papæ poſsit ſubdelegare?

R E S P. Non, quia idem Bonifacins VIII. in cap. vlt. §. vices, de offic. Iud. deleg. in 6. hanc facultatem Conſeruatoribus expreſsè ademit, & ſcribb. ibi communiter hoc affirmant.

I X.

Edita Anno 1486. AD Romani Pontificis ſpectat officium, & infra pag. 380. Bull.

C O M P E N D I V M.

Multi Pontt. Ordini Monachorum Ciſtercienſium conceſſerunt exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum, & ſolutione impoſitionum. §. 1. Qui Ordo pro confirmatione huic Pontifici ſupplicauit. §. 2. Et ipſe confirmat. §. 3. Quinimò de nouo concedit exemptioné ab omni ſuperioritate, & correctione Ordinariorum, & à ſolutione ſubſidiorum etiam charitatiuorum, procurationum, collectarum, & aliarum exactionum pro tempore imponendarum. §. 4. Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Confirmatio eſt ſola approbatio conceſsionis præcedentis, ad cap. Inter dilectos, in 6. §. cæterùm, de fide inſtrum. quid ergo proficit huic Ordini?

R E S P. Multa poteſt operari, quæ longo indigerent ſermone. Vnum inter alia operatur, quod priuilegio confirmato non cenſetur derogatum, niſi de confirmatione expreſſa mentio fiat à derogante. Alex. conſ. 30. lib. 5. in princ. & latiùs in conſ. 122. lib. 4. n. 7. vbi apoſtilla dat concord.

Scholion ſecundum.

Quæro. Subſidium charitatiuum, de quo in §. 4. quid eſt?

R E S P. Eſt ſubſidium, quod ex rationabili cauſa cum charitate moderatum, Superior ab inferiore poſtulat, de quo extant vberrimi tract. duo, nempe Bartholom. Bellenc. & Remcij de Conny, apud quos omnia ebibere poteris.

X.

DIlectus filius noſter Antonius de Brixia, & infra pag. 381. Bul. Edita Anno 1486.

C O M P E N D I V M.

Quia Officiales Ciuitatis Brixiæ recuſarunt exequi ſententias Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, contra hæreticos latas, niſi eorum proceſſus antea vidiſſent. §. 1. Hic Pontifex aſſerens crimen hæreſis eſſe merè Eccleſiaſticum, Inquiſitoribus mandat, vt infra ſex dies, ſub pœna excommunicationis & aliis cenſuris Eccleſiaſticis, illos cogant ad eas liberè exequẽdas. §. 2. Cõtrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ante huius Pontificis ſanctionem, in qua habetur, crimen hæreſis eſſe merè Eccleſiaſticum, in §. 2. quid aſſerebant Doctores?

R E S P. Frequentiori calculo idem tenebant, vt per Clar. in §. Hæreſis, num. 4. & 6. & Roland. à Valle, conſ. 20. lib. 3. num. 10. necnon Pegn. qui alios cumulat in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 85. pag. mihi 569.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Romani Pontifices hoc idem iam antea diffiniuerant?

R E S P. Omnium primus (ni fallor) id ſanciuit Bonifacius VIII. in cap.

Q 3 Vt

Vt Inquiſitionis. 18. §. Prohibemus, de Hæretic. in 6. quem tex. citant omnes DD. proximè indicati, & etiam Genitor meus ad rubr. Conſtit. 17. Alexandri IV. in Bullar. pag. 92. tom. 1.

X I.

Edita Anno 1487. CVm ſicut non ſine diſplicentia & infra pag. 382. Bullar.

COMPENDIVM.

Ad obuiandum fraudibus, prohibet ſub pœna excommunicationis, cuius abſolutio, præterquàm in mortis articulo, Romano Pontifici reſeruatur, ne quis in literis Apoſtolicis afferat ſe talem, qualis non eſt, vt gratis ipſæ literæ expediantur. §. 1. Et ipſe gratiæ nullæ fiunt. §. 2. Iſtaque conſtitutio publicetur. d. §. 2. Contrariis quibuſcumque derogatur. §. 3. Publicatio ſubnectitur in fine.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi de gratia expediret aliàs literas, abſque aliqua mala expreſſione?

RESP. Adhuc ipſæ literæ nullæ ſunt, quoniam gratia à Papa hic irritatur, & conſequenter literæ nullæ ſunt. Pariſ. conſ. 77. libro 4. n. 12. quem ſequitur Rebuff. in pract. benef. par. 2. in tit. de reſcript. & Perin. Val. num. 65.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo pacto poterit ipſe prouiſus ſibi conſulere?

RESP. Hoc totum Papæ exprimat, & impetret literas nuncupatas, perinde valere, præuia abſolutione, & ſoluat pro prima gratia, & tunc dabitur ei ſecunda gratia, dummodo non ſit alius, cui præiudicetur, vt docet Practicus Rebuff. in loc. cit. & etiam Pariſ. d. conſ. 77. num. 15.

X I I.

Edita Anno 1487. NOn debet reprehenſibilis iudicari, & infra pag. 382. Bullarij.

COMPENDIVM.

Romani Pont. officium Secretariorum introduxerunt, quorum opera in rebus arduis vtuntur. §. 1. Eorum numerum Calliſt. III. & Pius II. ad ſex reduxerunt. d. §. 1. Hic verò Pont ad ſuſtinendas maximas impenſas pro Vrbis liberatione ab oppreſſionibus paſſas, recepta pecunia à Secretariis, eorum Collegium ad numerum 24. inſtituit, & auxit. §. 2. Indultis gaudere decreuit. §. 3. Statutáque inſuper condendi facultate. §. 4. Cardinalis Vicecancellarius locum eis aſſignet in Cancellaria, &, vt ſui corporis membra reputans, congruenti honorificentia per reliquos Cancellariæ Officiales proſequi faciat. §. 5. Palatij Apoſtolici veros Prælatos, & Papæ veros familiares conſtituit. §. 6. Locũ Secretarię in Palatio concedit. §. 7. Bullas a Plumbatoribus ad eos deferri mandat. §. 8. Literæ Apoſtolicæ gratis pro eis expediantur. §. 9. Abſentes à Curia, quoad emolumentorum perceptionem pro præſentibus habeantur. §. 10. De officiis liberè diſponant. §. 11. Notarij Sedis Apoſtolicæ reputentur. §. 12. Habitus, & inſignia à Vicecancellario recipiant. §. 13. Vnus ex eis à Collegio deputetur Secretarius domeſticus Papæ. §. 14. Emolumenta eis aſſignantur, & aſſecurantur. §. 15. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Oppreſſionum enunciatarum in §. 2. & liberationis Vrbis pleniorem enarrationem quis me docebit?

RESP. Nonnulla, vltra Hiſtoricos illorum temporum, recenſet lectu digna Ciacon. in vita huius Pont.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt præeminentia Secretariorum in Cancellaria, ex vi verborum. §. 2.

RESP. Caſſan. in catal. glor. mundi. par. 4. cõſid. 29. inquit eſſe maiores poſt Vicecancellarium, & eſſe ſimiles Magiſtris Scriniorum, qui diuerſis nominibus nuncupari poſſunt. Et Gig. in tract. de crim. læſ. Maieſt. in tit. qual. & à quib. quæſt. 21. num. 6 eos appellat Cancellarios Papæ; ſed veritas eſt, quod Protonotarij eos præcedunt, vt Curialibus omnibus notiſſimum eſt.

X I I I.

FInem litibus quę in Palatio Apoſtolico, & infra pag. 386. Bullarij. *Edita Anno 1487.*

COMPENDIVM.

Ad releuationem litigantium in Rota, quaſdam edicit conſtitutiones. Et primò, quis Auditor dicatur præueniſſe. §. 1. Quod citationes ad partis notitiam deuentæ validæ ſint. §. 2. Quod in

cauſis viduarum, & pupillorum, vel non excedentibus ſummam flor. 500. procedatur, vt in beneficialibus. §. 3. Remiſſoriæ in qualibet inſtantia ab Auditore concedi poſſint. §. 4. Ad reiterationem terminorum nulliter, & malè obſeruatorum partes, earumue Procuratores admittat. §. 5. Regeſtris de partibus credi valeat. §. 6. Super articulo grauaminis, & negotio principali procedatur refectis expenſis. §. 7. Fatalia Auditor proroget. §. 8. Appellationem recipiat etiam decurſo momento temporis vltra à lege præfixum §. 9. Nullitates quaſdam non attendat. §. 10. Sequeſtra concedat. §. 11. Deſcribatur hæc conſtitutio in libris Rotæ. §. 13. Et ſingulis annis legatur. §. 14. Auditori aliquid facere aſſerenti de conſilio Coadiutorum, credatur. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi termini eſſent ſeruati ab aliquo Procuratore, qui non eſſet, dabitur forſan iſta reiteratio terminorum, atque ſanatio, de qua in §. 5.

RESP. Dabitur virtute verbi, *nulliter*, dummodo qui eam petit ſit principalis, vel legitimus Procurator, vt de hac Bulla loquens dixit Caſſad. in deciſ. 8. de reſcrip. num. 10. quam citat Veſtr. in Pract. Rom. Curiæ l. 5. cap. 13. ſub num. 1. & ſequitur Marcheſan. de commiſſ. l. 2. c. 1. num. 63. in penultimò impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid hæ facultates competunt Auditori Rotæ, in cauſa ei, vti Prælato, extra Rotam delegata?

RESP. Non competere inquit Veſtr. vbi ſupra num. 5. verſ. Cum Bulla. & ſequitur Marcheſ. in loco cit. nu. 66. ea ratione, quod hæc Bulla loquitur in cauſis in Rota vertentibus. Sed contrarium affirmare poſſum, ſi recordamur, quod Pius IV. poſtea in ſua conſt. 59. §. 9. in Bullar. pag. 85. hanc eandem facultatem expreſsè conceſſerit omnibus Prælatis, & etiam Auditoribus Rotæ in cauſis extra Rotam commiſſis, quam miror doctiſſimos viros autedictos non vidiſſe.

XIV.

Edita Anno 1488. Licèt ea, quæ laudabili, & infra pag. 387. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, inſurrexiſſe quoſdam facinoroſos, homicidas, & bannitos ab Vrbe, qui cupientes ad Vrbem redire, pro habenda ab offenſi, vel occiſi hæredibus pace, ſine qua redire non poſſunt, peiora ſe facturos minantur, niſi pacem cum eis faciant. §. 1. Omnibus ergo iſta minantibus, vel minas, & ambaſiatam huiuſmodi ſcienter afferentibus, graues pœnas indicit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Facinoroſus quis propriè dicitur?

RESP. Qui in criminibus frequenter verſatur. Nauar. conſ. 59. incipiente; Quidam, de ſent. excomm. lib. 5. num. 2. ſecundum impreſſionem Brixienſem; vbi quod ſubdit de franchiciis in Vrbe, ſcias etiam ante hæc tempora fuiſſe Deo dante, & Pontificum authoritate penitus ſublatum.

Quæro. Pax habenda ab hæredibus, ſufficitne ſi à maiori parte eorum habeatur?

RESP. Controuerſa eſt admodum iſta quæſtio; ſed affirmatiua opinio videtur magis æqua, & magis communis. Ioan. de Amic. conſ. 88. num. 6. & ſeqq. vbi declarat quæ dicatur maior pars hæredum, & poſt alios Farinac. quæſt. 14. ſub n. 15.

XV.

Qvoniam intelleximus, quod nonnulli, & infra p. 387. Bull. *Edita Anno 1489.*

COMPENDIVM.

Mercatores, qui ad ripas Vrbis victualia, & mercimonia per mare, & ex Ciuitate Vetula per terram conducere ſolent, ab hoc exercitio retrahuntur, ob dilationes quinquennales, vel ſimiles eorum debitorum dari ſolitas, & ob eorum appellationes ad alios Iudices, quàm ad Cameram Apoſtolicam; ideo hic Pont. pro conſeruanda Vrbis abundantia, illas dilationes prædictis dari prohibet. §. 1. Et ad ſolam Cameram appellari permittit. §. 2. Et huic Conſtitutioni, non niſi certa adhibita forma, derogari vetuit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid venit appellatione victualium, de quibus hic?

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Omne id, quod ad vitam hominis eſt neceſſarium. l. verb. Victus. 4. ff. de verb. ſignificat. cum aliis vulgatis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid putas de ſclauis Turcis, qui nobis ſeruiunt?

R E S P. Non veniunt, vt clarè habetur in l. mercis. 207. ff. de verb. ſignif. vbi gloſ. in verb. Mangones inquit, quod ſeruorum comparatores non dicuntur mercatores, ſed venalitiarij, & cum ea tranſeunt ſcribb. ibidem.

X V I.

Edita Anno 1488. INter deſiderabilia cordis noſtri, & infra pag. 338. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quidam inſtituerunt in Vrbe Confraternitatem ſub inuocatione S. Ioannis Decollati, ad piè confortandum, & ſepeliendum condemnatos ad mortem, & Eccleſiam in honorem S. Ioannis ædificari curarunt. §. 1. Eámque piorum eleemoſynis perficere. & Capellanum ad condemnatorum confeſſiones audiendas, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda tenere intendentes, ſupplicarunt Papæ pro approbatione. §. 2. Quid. Confraternitatem approbat, & ſepulturam damnatorum, cuiuſuis licentia ſuper hoc minimè requiſita, in illa Eccleſia concedit. §. 3. Capellano dat facultatem damnatos conſolandi, eorum confeſſiones audiendi, & Euchariſtiæ, & alia Sacramenta petita ab eis miniſtrandi. §. 4. Confraternitati authoritatem ſtatuta condendi tribuit. §. 5. Confeſſorémque, qui Confratres abſoluat, &c. deputandi licentiâ concedit. §. 6. Priuilegiúmque fori A. C. elargitur. §. 7. Hæreditates damnatorum (ſine præiudicio Fiſci) etiam ex minus ſolemni diſpoſitione habere permittit. §. 8. Indulgentias viſitantibus Eccleſiam impartitur. §. 9. Quibuſcumque non obſtantibus. § 10.

Scholion primum.

Quæro. Quam vim habent illa verba, *cuiuſuis licentia minimè requiſita*, de quibus in §. 3.

R E S P. Releuant Confratres ab onere petendi, & obtinendi licentiam ab ipſo Papa, vel à Iudice qui tulit ſententiam, ad text. in l. 1. ff. de cadauer. punitor. & tradit Clar. in quæſt. vlt. num. 1. Gomez. in tit. de delict. c. 14. n. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa facultas Sacramenta miniſtrandi damnatis ad mortem, vt in §. 4. extendit ſe ad Extremam vnctionem?

R E S P. Non, niſi eiuſmodi damnati eſſent ita infirmi, vt abſque miniſterio Iuſtitiæ, iudicio Medicorum eſſent in periculo mortis ex ipſa infirmitate, vel ſenectute; quemadmodum nec nauigaturis, aut bellaturis datur, eo quod non imminet eis mors ex defectu naturæ, vt ex S. Thoma docet Sylu. in ſua ſumm. §. Vnctio. quæſt. 5. Clar. quæſt. 99. nu. 3. Couarr. var. reſolut. lib. 2. cap. 1. nu. 11. & Pegna, qui de communi teſtatur in Director. Inquiſit. par. 3. commen. 159. verſ. Non tamen.

X V I I

OFficij noſtri debitum, & infra pag. 389. Bullarij. *Edita Anno 1491.*

C O M P E N D I V M.

Narrat, multis modis executionem citationum, & exped. tionum Rom. Curiæ Iudicum impediri. § 1. His ergo, contra quos cauſæ in Curia Romana commiſſæ ſunt, eiuſmodi impedimenta præſtantibus, amiſſionis iurium ad cauſam, & inhabilitationis pœnam infligit. §. 2. Alios verò quos cauſa non tangit, eorúmque fautores excommunicat. §. 3. Notarioſque executionis inſtrumenta dare recuſantes aliis pœnis innodat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Curia Romana, de qua loquitur hic Pont. in §. 2. vbi eſſe dicitur?

R E S P. Idem eſt Curia Romana, & Curia Papæ, & ideo iſta Curia eſt, vbi Papa reſidet cum ſuis Officialibus, non autem ſi quò eat, citò rediturus, & non cum ſua audientia. Anchar. in Clem. Ne Romana. §. Sanè, de elect. num. 5. Felyn. in cap. Ego de iureiur. num. 9. Et ſic Curia Romana eſt aliquando, vbi non eſt Papa, vt ſentit Felyn. ibid. Nauar. de dat. & prnmiſſ. n. 19. verſ. Tertiò, ad fin. & ad noſtrum propoſitum Vgolin. de cenſ. Eccleſ. parte 2. in explanatione cap. 8. Bullæ Cœnæ Domini §. 2. num. 1. & hæc placet, dum hic agitur de

cauſis

cauſis, & litibus, quæ non tractantur cum Papa, ſed cum eius Officialibus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum vacante Sede?

RESP. Vbi ſunt Cardinales, & Officiales, apud quos cauſæ tractantur. Ita ſcribit Vgolin. in loco nunc citato. Quáuis contra vtrumque quæſitum tuum faciant quæ nouiſſimè tradit Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancellar. §. 1. gl. 13.

XVIII.

Edita Anno 1492. DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 390. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monet, & requirit omnes, qui cenſum aut canonem, quem pro factis eis conceſſionibus Cameræ Apoſtolicæ ſoluere tenentur annuatim in feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, vt illû d. Cameræ, & in loco d. Cameræ, vbicumque pro tempore erit, perſoluât. §. 1. Monet quoſcumque, quibus vlterior dilatio ad ſoluendum data eſt, vel mandatum, vt aliis, vel alibi, quàm in d. Camera ſoluât, quatenus in feſto prædicto in Camera compareant, & quare non ſoluerint, docere debeant. §. 2. Committit Clericis, vt ceſſantes adimplere prædicta, pœnas priuationis incurriſſe declarent. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4. Huius bullæ transſumptis credi iubet. §. 5. Sanctiouem pœnalem apponit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Emphyteuta, qui tenetur aliquid ſoluere annuatim, poteſt cogere Cameram ad recipiendum ſolutiones pro pluribus annis?

RESP. Non, quia intereſt Cameræ, vt fiant ſolutiones annuatim, cum per particulares ſolutiones faciliùs probetur dominium. l. ſi certis annis. 28. Cod. de pact. cum ibi not. & ſic reſpondet Bart. in l. eum qui. 5. ff. de ann. legat. num. 3. Bald. in l. 2. Cod. de iure emphyt. num. 39. vbi poſt Cyn. & alios, ſic firmat etiam Iaſon ſub num. 63.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi vellet ſoluere pro anno tantùm, ſed ante feſtum, de quo in §. 1.

RESP. Camera non tenetur recipere, cùm fuerit conuentum ſub certa die ſolutionem fieri, fauore Cameræ, cuius intereſt, vnica tantùm die Clericos, & Officiales ſuos inſimul coadunari ad recipiendos omnes cenſus, & non eorum partem; ad l. qui Romæ. 122. ff. de verb. obligat. vbi Iaſon ita tenet ſub n. 2. & alij communiter ſequuntur, & magis in terminis Iaſon in l. 2. Cod. de iur. emphyt. num. 180. ad finem. & Corbul. de cauſ. priuat. ob non ſolut. canon. qu. 8. in princip.

ALEXANDER VI.

Hiſpanus, creatus anno 1492.

CONSTIT. I.

INter multiplices curas, & infra pag. 391. Bullarij. *Edita Anno 1493.*

COMPENDIVM.

Prohibet omnibus, tam laicis quàm Clericis, quacumque dignitate præditis, ius ſibi dicere, coadunationes, vel caualcatas facere, vel mouere, abſque ſufficienti Papæ, vel Officialium licentia, vel per incurſiones loca Sedis Apoſtolicæ inuadere, vel aliquem de loco ſuo extrahere, aut ad aliquam vindictam proſilire, quauis occaſione, vel cauſa. §. 1. & 2. Contrauenientibus graues pœnas infligit. §. 3. Contrariis omnibus derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Licebitne furem nocturnum propria authoritate capere?

RESP. Recipit hæc Bulla interpretationem paſſiuam à iure communi, quod hoc permittit. l. Ait Prætor. 10. §. ſi debitorem. ff. quæ in fraudem creditor. Marſil. in pract. crim. §. diligenter. num. 128. Lancel. Conrad. de offic. Præt. in tit. de furib. num. 26.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi fiat aliqua hominum coadunatio, vel caualcata ad bonum finem, vtputà ad ſecurè ineundam pacem inter duos inimicos?

RESP. Hæc Bulla ad iſtum caſum non ſe extendit, per ea, quæ ſcribit Boſſ. in tit. de crim. laſ. Maieſt. num. 23. Bertaz. conſ. 123. lib. 1. num. 2. quem refert, & ſequitur Thuſc. in verb. Adunantiæ, num. 6. & idem Bertaz. conſ. 76. lib. 1. num. 30. Aym. conſ. 4. num. 26. ad fin. Menoch. conſ. 28. lib. 1. num. 12.

R Alciat.

Alciat. conſ.364. in fi. ac Farinac. quæſt. 113. num. 159. vbi tamen nu. ſeq. hoc limitat non procedere his temporibus ex Bulla Sixti V. 6. qui amplioribus vtitur verbis. Quod verum arbitror; intelligo tamen, ſi clarè non conſtaret de bono fine, pro quo coadunatio facta fuit: tunc enim non pœna Bullæ Sixti V. ſed alia mitiori, eos punitos vidi, quod ſentit etiam Farinac. vbi ſuprà num. 174.

II.

Edita Anno 1493. INter cætera diuinæ Maieſtati beneplacita opera, & inf. p.392.Bul.

COMPENDIVM.

Ferdinandus Rex, & Elizabeth Regina Regnum Granatæ à Sarracenis recuperarunt, in princ. Elegerunt poſtea Chriſtophorum Columbum ad inquirendum alias Inſulas incognitas. §. 1. Et inuentæ fuerunt. §. 2. Et in eis pretioſa diuerſi generis. §. 3. Studuerunt ipſi Rex, & Regina ad fidem Chriſtianam eas gentes inducere. §. 4. Ad quod hic Pont. eos enixè hortatur. §. 5. Et illas Inſulas, & terras firmas à polo arctico, ſcilicet Septentrione, ad antarcticum, ſcilicet Meridiem, inuentas, & inueniendas, verſus Occidentem, & Meridiem eis donat, vt ad Catholicam fidem inducant. §.6. Sine præiudicio iuris quæſiti aliis Chriſtianis Principibus illas poſſidentibus. §. 7. Hortatur eoſdem, vt tranſmittant probos viros pro dicta conuerſione. d. §. 7. Acceſſum abſque Regis licentia ad eas pro mercibus habendis, cæteris prohibet omnibus. §. 8. Contrariis derogat. §. 9. Tranſumptis credi iubet. §. 10. Sanctionem pœnalem adiicit. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Admirabilis ergo fuit hæc nouarum Iuſularum inuentio, de qua in §. 2.

RESP. Ciacon. in vita huius Pont. ſic ait. Res admirabilis, & toto Orbe inaudita, ac inſigniſſima fuit detectio, & inuentio nouarum Inſularum, & continentis, quam Indiam Occidentalem, & nouum regionum Orbem vocant, luſtrante Chriſtophoro Columbo, anno 1492.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num alij quoque Pont. eiuſmodi conquiſitionem Inſularum, & infidelium conuerſionis negotium, Regi Luſitaniæ commiſerunt?

RESP. Non ſolùm Martinus V. & Nicolaus V. ſed etiam Calliſt. III. & Sixt. IV. id curarunt, vt poſt alios Ferdinand. Rebell. teſtatur circa finem ſui operis de obligationib. vbi aliquas conceſſionum prædictorum Nicolai, & Calliſti particulas intexit.

III.

PIæ vitæ ſtudio conuenit, & infra pag. 393. Bullarij. *Edita Anno 1496.*

COMPENDIVM.

In Italia ſunt nonnullæ domus virorum laicorum, Congregationis, vel Societatis Fratrum Apoſtolorum, pauperis vitæ nuncupatorum, qui Mendicantes ſunt, & in communi viuunt, certum habitum Religioſorum ab Innoc. VIII. conceſſum deferentes. §. 1. Iidem poſt annum, in manibus vnius ex d. Congregatione obedientiam, paupertatem, & caſtitatem ſimpliciter vouent; ſed ad libitum poſſunt ex d. Congregatione quandocumque recedere, & ad proprios lares dimiſſo habitu redire, in maximum eius detrimentum. d. §. 1. Hic Pontifex ad ſupplicationem Vicarij Generalis d. Congregationis, totam d. Congregationem, eiúſque Fratres, tam quoad profeſſionem, quàm cætera vota ſubſtantialia, obſeruantiæ regulæ S. Auguſtini ſubiicit, & illius religioni aggregat. §. 2. Præſentes tamen inuitos arctare non poſſint. §. 2. Non obſtantibus quibuſcumque. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid operantur illa verba in §. 2. *Fratres non arctari inuitos ad hanc reformationem?*

RESP. Tollunt dubium, an Fratres tenerentur perſeuerare in d. Congregatione ſic reformata, in quo tres ſunt opiniones DD. quas refert Ròd. tom.3. quæ. Regul. quæſt. 52. artic.16.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta Congregatio ante hanc Bullam poterat dici noua Religio introducta contra prohibitionem Innoc. in c. vlt. de Relig. domib. & prohibitionem

nem Greg.X.in cap.1.eod.tit.in 6.

R E S P. Non, quia Religio verè, & propriè illa dicitur, in qua tria vota ſubſtantialia non ſimpliciter, ſed ſolemniter emittuntur. Verùm iſta Congregatio cum votis ſimplicibus, & facultate recedendi ab ea, non erat Religio, ſed honeſtus modus viuendi, ad Sylueſt. in ſua Summ. in verb. Religio. §.1. num.1. & latiùs Rod. tom.3 quæſt. Regular. in quæſt. 48. art. 4. Præſertim quod Innocentius VIII. permiſit habitum Religioſorum, qui etſi non facit eos Religioſos, excuſauit tamen à contrauentione d. prohibitionis.

I V.

Edita Anno 1496. ADmirabile Sacramentum viuificæ Crucis, & infra pag. 394. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Anno 1492. vltima Dominica menſis Ianuarij, dum Petrus tit. S. Crucis in Hieruſalem de Vrbe Cardinalis, eamdem Eccleſiam reparari faceret, in altiori eius teſtudinis parte repertus fuit titulus Hebraicis, Græcis, & Latinis literis conſcriptus, qui ſupra capue IESV Chriſti in Cruce pendentis appoſitus fuit, & in eadem Eccleſia debita nunc reuerentia cuſtoditur. §.1. Hic Pont. pro maiori d. Eccleſiæ frequentatione, Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, eam vltima Dominica menſis Ianuarij, quotannis viſitantibus, omnium ſuorum peccatorum remiſſionem elargitur. §.2.

Scholion primum.

Quæro. Hic titulus Crucis vnde, & à quo Romam delatus fuit?

R E S P. Helena Conſtantini Imperatoris mater, ab Hieroſolymis in hunc locum detulit, vt habetur in 6. lectione Officij Inuentionis S. Crucis in Breuiario Romano, & refert Ciacon. in vita Innoc. VIII. vbi ſubdit, quod mille & centum annis, in parua feneſtra theca plumbea muro lateritio clauſus, ſupra arcum maiorem Eccleſiæ latuerat. Et in vita Sylueſt. I. inquit: *Helena poſt inuentam Crucem, Romam, vbi Conſtantinus filius Auguſtus tunc agebat, nauigationem direxit, ad quem, partem Crucis Chriſti, & tres clauos, in ſepulchro Chriſti repertos attulit.* Et paulò infrà; *Portionem autem Crucis in Baſilica à nomine ipſius matris Heleniana antea vocata & titulum Crucis repoſuit: deinde à ligno Crucis ab Hieroſolymis aduecto, S. Crux in Hieruſalem dicta vſque in hodiernam diem.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Crux Domini, cuius Inuentionis diem feſtum Romana Eccleſia agit die 3 Maij, iuxta text. in cap. Crucis. 19. de conſ. diſtinct. 3. quo tempore, & à quo reperta fuit?

R E S P. Anno Chriſti 326. Sylueſtr. Papæ anno 13. & Conſtantini Imperatoris anno 21. Helena eius mater ferè octuagenaria, beatiſſimũ Crucis ſignum, in quo Mundi ſalus pependit, diuinis illuſtrationibus edocta, 308. minus annis, poſtquam ſubter terram defoſſum delituerat, ſtudioſiſſimè perquiſiuit, & reperit. Et in eius Inuẽtione præclara euenerunt miracula, quæ indicat Baron. poſt alios in Martyrolog. & luculenter recenſet in Annal. tom.3. pag. 329. & ſeqq. iuxta impreſſionem Romanam, cui adhæret Ciacon. in vita Syluest. I. verſ. Anno ſequenti. Ex quibus perſpicitur, quod illud decretum in cap. Crucis, non iure Euſebio I. tribuitur.

V.

AD ſacram Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & infra pag. 394. Bullarij. *Edita Anno 1497.*

C O M P E N D I V M.

Cùm multa ſint merita Fratrũ Eremitarũ S. Auguſtini. §.1. Et officium Sacriſtæ Capellæ Palatij Apoſtolici ab immemorabili tẽpore citra, alicui ex profeſſoribus d. Ordinis committi conſueuerit. d. §.1. Hic Pontifex, ne dicta Religio ſuper hoc priuilegio de cætero moleſtetur, ſtatuit, perpetuis futuris temporibus officium d. Sacriſtæ alicui d. Ordinis profeſſori committi debere. §.2. Commiſſionéſque aliter fiendas irritat. §.3. Contrariis omnibus derogat. §.4.

Scholion primum.

Quæro. Merita ergo Religionis induxerunt Papam ad huiuſmodi perpetuam deputationem?

RESP. Nulli dubium, vt prooemium

R 2 pate

pateſacit, & rationabiliter, quia ſicut Sacriſta particularis eſt eligendus de ſanctioribus Eccleſiæ viris,ad tex.in cap. 2. vbi gloſ. & DD. de offic. cuſtod. & notat Sylueſt. in Summ. in verb. Sacriſta: ita pari ratione vna ex ſanctioribus Religio ad curam Sacriſtiæ Palatij Apoſtolici præficienda erat.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quod Sacriſta etiam Theſaurarius nuncupatur in cap. 1. diſt. 25.

RESP. Quia præeſt toti Theſauro Eccleſiæ, cui ſeruit, ad text. in cap. 1. de offic. Sacriſtæ. & bene explicat Petr. Greg. in Sytagm.Iur.par. 2.lib. 15. cap. 39. ſub nu. 5. vbi ſubdit, Gazophylacium,de quo ſæpe meminit ſacra Scriptura, locum eſſe Eccleſiæ, in quo eius Theſaurus veſtium, vaſorumque ſacrorum, & pecuniarum aſſeruatur.

VI.

Edita Anno 1497.

CVm ex relatione filij Mariani, & infra pag. 395. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia multi emphyteutæ feudatarij, & cenſuarij Romanæ Cameræ Apoſt. in ſolutione canonum, & penſionum defecerunt contra iuramenta in inueſtituris præſtita, tenoréſque inueſtiturarum, ac iuris diſpoſitionem, & ſpeciales monitiones huius Papæ, in princip. Ipſe ſub excommunicationis, & priuationis pœnis, quas ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc fert in eoſdem,niſi his monitis paruerint, monet quatenus infra menſem debeant perſoluiſſe, & in futurum in Vigilia, aut die feſtiuitatis BB. Petri, & Pauli ſingulis annis. §. 1. Et ſi non ſoluerint, Præſidentes Cameræ eos declarent in eas pœnas incidiſſe.§.2.Compenſationes, neque aliam præter ſolutionis exceptionem admitti decernit. §. 3. Hanc ſanctionem publicari iubet.§.4. Contrariis derogat. §.5.Publicatio ſubſequitur.§.6.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba,*ex nunc, prout ex tunc,* & è contra,de quibus in §. 1. quid operantur?

RESP. Operantur, vt vnum tempus alteri ineſſe videatur. Ang. Imol. Alex. in l. huiuſmodi. 20. ff. de verbor. ſignif. Pariſ. conſ. 26. lib. 2. num. 128. Sed ante purificationem non ſoluti canonis poſt effluxum tempus hic expreſſum non operantur hunc effectum. Gloſ. Card. & Imol. in Clem. 1. de conceſſ. præb. & Pariſ.conſ.82.lib.4. nu. 17. Caſſad. deciſ. 3. de præbend. num. 10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi emphyteuta debens ducatos decem pro canone, ſoluiſſet eos decem, vno tantùm nummo excepto?

RESP. Pœnam caducitatis non euitat ſecundum doctrinam Specul. in tit. de emphyt. §. 1. num. 46. quam multis rationibus, & frequentiori calculo approbarunt ſcribb. quos cumulauit Corbul. de cauſ. priuat. ob non ſolut.can.ampliat.5. per totam.

VII.

Edita Anno 1497.

PLantatus in agro Dominico, & infra pag. 396. Bullarij.

COMPENDIVM.

Expoſuerunt Papæ Prælati prouinciarum Tuſciæ, & Lombardiæ Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, quod ſi Monachorum ipſarum prouinciarum vnio fieret, & crearetur Congregatio S. Bernardi nuncupata, multum ſuſciperet incrementum.§.1. Dux Mediolani,& dicti Prælati pro d. vnione ſupplicarunt. §. 2. Qui Pontifex has prouincias inſimul vnit. §. 3. Et ex eis vnam Congregationem S. Bernardi in Italia nuncupandam inſtituit. §. 4. Reformationes illius ab eius Præſidente, & Viſitatoribus exequi mandat. §. 5. Ad Capitulum qui accedere debeant, decernit.§.6.Diffinitorum Capituli electio vt fiat. §. 7. Capitulum vt incipiat. §. 8. Quot Diffinitores eligendi in eo, & ex eis Præſidentes. §. 9. Electores in Officiales eligi poſſint.§.10. Diffinitores quid agere valeant. §. 11. Prælaturæ triennio durent. §. 12. A ſententiis Diffinitorum appellatio prohibetur.§. 13. Eorum officium decem dierum ſpatio terminatur.§.14.Locus futuri Capituli per eos pronuncietur. §. 15. Eorum eſt electio Præſidentis. §. 16. Præſidentis munus quantum duret. §. 17. Et quale ſit.§.18.Si decedit, locū eius tenent

tenent Viſitatores. §. 19. Ordinationes præcedentes hanc vnionem, indigent approbatione Capituli. § 20. Quæ vnio à nemine impedienda eſt. §. 21. Confirmantur omnes gratiæ, vtrique Congregationi hactenus conceſſæ, & huic nouæ Congregationi conceduntur. §. 22. Contrariis derogatur. §. 23. Ordinationes Monaſterij S. Ambroſij Mediolanenſis præſeruantur. 24.

Scholion primum.

Quæro. Iſte Ordo Ciſtercienſis veniet appellatione Ordinis S. Benedicti?

RESP. In materia fauorabili veniret, ſecus in odioſa. Bellam. conſ. 30. nu. 18. & ſeqq. Quia, etſi iſte Ordo profitetur Regulam S. Benedicti, eſt tamen Ordo de per ſe, ſicut Cluniacenſis, & Præmonſtratenſis, ſicut Tuſch. in verb. Fratres, conclu. 462. nu. 8. poſt Bellam. vbi ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Monaſterium S. Ambroſij, de quo in §. vltimo, eſtne huius Ordinis Ciſtercienſis?

RESP. Illi fuiſſe conceſſum eum exemptione à iuriſdictione Archiepiſcopi, dixit Rota coram Seraphin. in deciſ. *960.* in nouis, vbi dictam exemptionem declarat.

VIII.

Edita Anno 1499.

ETſi vniuerſis Romanæ Eccleſiæ dominio, & infra pag. 398. Bull.

COMPENDIVM.

Viam directam, Alexandrinam à ſuo nomine nuncupatam, à Porta Caſtri S. Angeli, ad Plateam S. Petri ſtrauit. §. 4. Ædificantibus, vel ementibus domos in ea, concedit priuilegia, quæ acquirentibus bona in Vrbe Sixt. I V. in ſua Conſtit. 8. de qua ſup. conceſſit, & ipſe etiam Pontifex elargitus eſt. §. 2. Decretum irritans apponit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne iure cautum, à Principis nomine opus huiuſmodi publicum denominari poſſe?

℞ESP. Cauetur in l. 3. in fine. ff. de operib. public. & notat Bard. de iure congr. ſuper interpret. Conſtitutionis Sixt. I V. num. 9. in fin. pag. mihi 23

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſtitutio huius Pontificis enunciata in §. 2. cur à Genitore tuo non eſt edita?

RESP. Eius fuit inſtitutum, Conſtitutiones, quæ primùm à Pontificibus ſuper aliquo articulo emanarunt, in medium proferre, non autem aliorum ſucceſſorum nihil noui deſuper diſponentium. Edidit proprerea Conſtitutionem Six. I V. qui primùm in hoc priuilegia conceſſit, altera huius Pontificis nihil vltra diſponentis prætermiſſa. Eam tamen videre deſiderans, habes in priori Genitoris mei Bullarum collectione pag. 135.

IX.

Edita Anno 1499.

AD Sacram B. Petri Sedem, & infra pag. 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio pauperum Ieſuatorum centum, & quinquaginta annis decurſis, vel circa, inſtituta, omnes Eccleſias, & Oratoria conſtruxit ſub inuocatione S. Hieronymi, quem in Protectorem ſuû elegit, eiúſque feſtum ſingulis annis deuotè celebrauit. §. 1. Supplicauit ideo Papæ, vt Fratres Ieſuati S. Hieronymi de cætero nuncupétur, eádémq; denominationem Cõfraternitatibus laicis in eorum Eccleſiis inſtitutis concedere poſſit. §. 2. Papa petita concedit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quo anno punctualiter iſta Congregatio inſtituta fuit?

RESP. Anno 1355. ſecundum hiſtorias, & nouiſſimè affirmat Eman. Rod. tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 5. artic. 8. & author fuit B. Ioannes Columbinus, vt tibi dixi ſup. ad Conſt. 11. Martini V. Qui B. Ioannes anno 1366. ad cæleſtê patriam euolauit, Vrbano V. tunc ſedente in Cathedra B. Petri, vt ſubdit eo loco Rod. præcit. & de hac Bulla meminit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis primò hunc Ordinem approbauit?

RESP. Huius Ordinis profeſſores omnes affirmant habere priuilegium confirmationis ab Vrbano V. quod ſcribit etiam præd. Rod. ſed inter eius Ordinis impreſſa priuilegia non inueni, &

mihi inueriſimile eſt, quod Martinus V. dum in d. eius Conſt. 11. recipit Ordinem ſub ſua protectione, & hic Alexander, ac ſucceſſores nuſquam de huiuſmodi Vrbani diplomate verbum fecerint, & tamen ex Apoſtolicarum literarum lectione conſtar, antiquiores literas enunciari conſueuiſſe. Niſi dicamus, tacitè Vrbanum approbaſſe, dum illum Ordinem tolerauit, & tempore Martini iam multæ domus conſtructæ fuerunt.

X.

Edita Anno 1500. IN eminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, & infra pag. 399. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inſtituit officium recipiendi, videndi, ſummandi, & referendi literas Apoſtolicas in officium vacabile ad inſtar aliorum officiorum Reuer. Cameræ Apoſtolicæ. §. 1. Gratiſque & priuilegiis Scriptores earundem literarum donat. §. 2. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi officia quot modis vacant?

RESP. Per ceſſum, vel deceſſum, id eſt, per reſignationem, vel mortem, vt omnibus Curialibus notiſſimum eſt, & ſcribit Gabr. conſ. 63. lib. 2. nu. 15. & 17. ac Roland. conſ. 11. lib. 2. nu. 10. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis morte naturali nō obiit, ſed in pœnam triremium ob aliquod crimen fuit condemnatus?

RESP. Officium vacat, quia per huiuſmodi pœnam ſtatus ciuilis hominum conſumitur. l. penult. §. fin. ff. de var. & extraord. cognit. & ſic non remanet ſubiectum, in quo officium perſiſtat, vt docet Caſtrenſ. in conſ. 9. lib. 1. nu. 2. & ita practicatur, & conſonat tex. in l. quod ad ſtatum. 12. ff. de pœnis.

X I.

Edita Anno 1502. IN eminenti Sedis Apoſtolicę ſpecula, & infra pag. 400. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prædeceſſorum morem ſequendo, Pont. iſte in die Cœnæ Domini per eius literas publicè excommunicauit eos, qui recurrentes pro eorum cauſis, & negotiis ad Romanam Curiam, & ea ibidem proſequentes, vel eorum Procuratores, & Iudices offendunt. §. 1. Eas modò pœnas innouat. §. 2. Aliáſque infligit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi offendatur quis extra Romanam Curiam, occaſione ramen litis in Curia vertentis?

RESP. Incidit in iſtas pœnas; hæc etenim Bulla, quamuis vti pœnalis, & rigoroſa videatur reſtringenda, quia tamen conſulit quieti, ac ſecuritati litigantium, dicitur fauorabilis, & extendenda, & propterea habet locum vbicumque fiat offenſio, & perturbetur ſecuritas eiuſmodi, vt Rota declarauit coram Put. deciſ. 104. lib. 1. n. 1. & coram Vicecom. deciſ. 639. num. 2. par. 1. diuerſ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi non appareat, occaſione litis aliquem collitigantem, vel eius Iudicem, aut teſtem, & ſimilem perſonam fuiſſe offenſam?

RESP. Intrat hæc Bulla, quia conſtito de delinquēte, & alia cauſa nō probata, præſumitur offenſio ſecuta ex cauſa litis. Rota coram Put. deciſ. 102. lib. 1. & in deciſ. ſeq. necnon coram Vicecom. d. deciſ. 639. nu. 1. vbi ad hoc allegat etiam aliam deciſ. Ptolom. 136. Fauorabilis namque eſt, vt dixi, hæc Bulla, & ideo extendenda. Gonzal. in ſuo com. ad 8. Regul. Cancell. §. 6. nu. 59.

X I I.

ET ſi ex paſtoralis officij, & infra pag. 401. Bullarij. *Edita Anno 1502.*

COMPENDIVM.

Quia ob multorum Caſtrorum gubernium magna extitit controuerſia inter Ciuitates Spoleti, & Interamnæ, ortáque nonnulla ſcandala, hic Pontifex eorum gubernium à dictis Ciuitatibus, & aliis, earúmq; regimine eximit. §. 1. & 2. Et Clericis Cameræ Apoſtolicæ totaliter concedit. §. 3. Quibuſcumque contrariis, & priuilegiis dictorum locorum plenè derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hæc generalis Priuilegiorum dictarum Ciuitatum, & locorum derogatio,

rogatio, de qua in §. 4. abrogauit ea totaliter?

R E S P. Totaliter abſtulit in his, quæ huic diſpoſitioni aduerſantur dumtaxat, non autem in aliis. Quia, etſi clauſulæ derogatoriæ ampliſſimæ ſint, reſtringuntur tamen ad terminos principalis diſpoſitionis, cui apponuntur. Alex. conſ. 7. lib. 7. nu. 14. 15. & 17. & Rota coram Seraph. deciſ. 1358. nu. 5. in nouiſſima impreſſione, par. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hi Clerici Gubernatores poſſunt condere ſtatura in iſtis locis, perpetuò duratura?

R E S P. Poſſunt, quia ſunt Gubernatores perpetui, licèt ſingulis annis exercitum Gubernioium inter Clericos diſtribuatur, cap. fin. cum ibi not. de offic. deleg. Corn. conſ. 235. lib. 2. num. 8. Tuſch. in ſuis concluſ. in verb. Gubernator.

IVLIVS II.
Italus creatus anno 1503.
CONSTIT. I.

Edita Anno 1503.

SVper cathedram Paſtoralis præeminentiæ, & infrà pag. 402. Bul.

COMPENDIVM.

Enarrat, Monaſterium Caſſinenſe Ordinis S. Benedicti, caput eſſe omnium Monaſteriorum d. Ordinis, & in eo corpus S. Benedicti multa cum veneratione conſeruari. §. 1. Illud annectit Congregationi Monachorum S. Iuſtinæ de Obſeruantia. §. 2. Et eorum Congregationem præcipit denominari Caſſinenſem, aliàs S. Iuſtinæ. §. 3. Priuilegia d. Congregationis S. Iuſtinæ cõceſſa, communicat huic Congregationi. §. 4. Contrariiſque omnibus derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Fuit vnquam dubitatum de exiſtentia corporis S. Benedicti in Monaſterio Caſſinenſi, vt aſſeritur in §. 1.

R E S P. Anno ſalutis 1090. Vrbanus II. Caſſinum progreſſus, cùm in Vigilia S. Benedicti ſæuiſſimo calculi dolore cruciaretur, & de præſentia corporis illius dubitaret, viſum eſt ſibi per quietem S. Benedictum aſſiſtentem cernere, illumque ſcrupulum ſibi euellere, & proximè ei ſanitatem prædicere, & expergiſcens ſe reſtitutum ſenſit. Ita ſcribit Ciacon. in vita ipſius Vrbani. Sed & antea anno 1022. & Pontif. Benedicti VIII. anno 11. Henricus Imperator, dum prope d. Monaſterium degens acribus doloribus vexaretur, quamuis maximam in d. Monaſterium deuotionem gereret, venerabiliſque Oratoriũ non vidiſſe fateretur, hæſitabat tamen, an S. Benedictus ibi requieſceret: cùm autem præ dolore, nec plenè vigilans, nec integrè dormiens quemdam pateretur exceſſum, apparuit ei B. Benedictus, cui languorem protinus confitenti, *Scio*, inquit Benedictus, *te, an hic quieſcam dubitare, ſed, vt nullo amplius dubio mouearis, hoc certum tibi ſignum erit. Cùm primo mane ſurrexeris, in egeſtione vrinæ tuæ tres ſimul emittes grãdiuſculos lapides, & ex tunc dolore iſto non vltrà detineberis. Ego autem ſum Frater Benedictus.* His dictis euanuit, vt poſt alios recenſet Baron. in Annal. Eccleſ. to. 11. pag. 72.

Scholion ſecundum.

Quæro. Imperator ille fuit priſtinæ ſanitati reſtitutus?

R E S P. Euigilans Imperator continuò ſurrexit, ac iuxta viſionis ſeriem ſanitati redditus, Deo, & B. Benedicto gratias egit, mirificiſque donis d. Monaſterium ditauit, tantæque poſtea ad hunc ſanctum locum deuotionis fuit, vt ſi aliquanto diutiùs vixiſſet, relicto Imperij culmine Deo ſe in ſanctæ conuerſationis habitu ſeruiturum hoc in loco promitteret. Sic ſcribit Leo Oſtienſis lib. 2. Chronic. Caſſinenſ. cap. 44. & latiùs Baron. vbi ſuprà.

II.

QVia nihil eſt, quod magis expediat, & infra pag. 403. Bull. Edita Anno 1504.

COMPENDIVM.

Barones, & Communitates Status Eccleſiaſtici cuſtodiant eorum loca, & libera teneant à furibus, latronibus, ſicariis, & aliis delinquentibus. §. 1. Iudices omnes ad requiſitionem cuiuſcumque damnum paſſi, ad declarationem pœnarum, & refectionem damnorum excutiuè procedant. §. 2.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi damnum ſit in confinibus duarum Communitatum?

RESP. Vtraque tenetur ad damni refectionem, iuxta communem DD. ſententiam, de qua teſtatur Alber. in tract. de ſtatut. par. 2. quæſt. 75. & Clar. quæſt. 82. num. 3. poſt Afflict. ſuper Conſtitut. Regn. lib. 1. rubr. 27. num. 23. Fallit tamen in homicidio; nam ſi medietas cadaueris reperiatur in vno territorio, & alia medietas in altero, illa Communitas tenetur, in qua reperitur medietas cum capite. Ita pulchrè ſcribit Affl. vbi ſuprà num. 22. poſt Iſern. ibid. in addit. num. mihi 80. vbi ſic iudicatum audiuiſſe refert, & cum eis ſtat Baiard. quæſt. 82. num. 5. qui ſub num. 23. ſequendo ſupradictam regulam, recenſet doctrinam Bald. in l. ſi quis non dicam rapere. 5. C. de Epiſcop. & Cleric. numer. 10. quod ſi quid fuerit caputum in vno territorio, & fuerit in alio rotatum, vtraque Communitas tenetur. Sed Bald. aliter ibi ſentire videtur, refert tamen Bart. aliter dicentem. Scias tamen hæc procedere in terminis iuris communis, ſed hodie ex Bulla 28. Leonis X. damnum paſſus agit contra quam vult Communitatem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quot homines conſtituunt Vniuerſitatem ad iſtum effectum?

RESP. Quinque patresfamilias ad minus. Et ideo Bald. in cap. 1. de elect. numer. 8. tenet eiuſmodi ſtatuta, quæ obligant Communitates ad refectionem damnorum, in earum territoriis ſecutorum, non habere locum in illis Vniuerſitatibus, in quibus non ſunt quinque patresfamilias, & hoc idem tenet Marſil. in ſingul. 232. & ſequitur Baiard. quæſt. 82. num. 1.

III.

Edita Anno 1505. & 1513. CVm tam diuino, & infra pag. 403. *Item*; Si ſummus rerum, & infra pag. 404. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ſimoniæ labes in electione Romani Pontificis eſt valde abominabilis, & pernicioſa, decernit de fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio, quod ſi electionem Romani Pontificis, ab eo, qui eligitur, vel aliquo de Cardinalibus votum dantibus, per ſimoniacam hæreſim, dando, promittendo, vel recipiendo res, vel bona, vel promiſſiones per ſe, vel alium, fieri contigerit, electio nulla ſit, & à quocumque Cardinali, qui electioni interfuerit, opponi poſſit, ſicut de vera hæreſi. §. 1. Pro Rom. Pontifice non habeatur, ſed à quocumque priori honore, dignitate, & beneficio, eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat, & tamquam hæreſiarcha ad prædicta inhabilis habeatur. d. §. 1. Electióque nec per adorationem confirmari poſſit. §. 2. Cardinaléſque ab eius obedientia diſcedere valeant. §. 3. Et contra volentem ſe regimini vniuerſalis Eccleſiæ ingerere, auxilium brachij ſæcularis inuocare poſſint. §. 4. Cardinales autem ſimoniacè eligentes, omnibus dignitatibus, & beneficiis, abſque alia declaratione priuati exiſtant. §. 5. Complices etiam atroces pœnas incurrant. §. 6. Promiſsiones ſimoniacæ irritæ ſint. §. 7. Cardinales verò prædicti non amplius alium Pont. eligant. §. 8. Contrariis omnibus, & ſignanter cap. 6. de elect. derogat. §. 9. Contrarium ſtatuentibus pœnam excommunicationis latæ ſententiæ infligit. §. 10. Et iſta Bulla iterum à Papa, Sacro approbante Concilio, confirmatur in conſt. ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Simoniacus cur dicitur hæreticus?

RESP. Quia emens, vel vendens votum in electione Papæ, dicitur emere, vel vendere Vicariatum Chriſti, & ſic facultatem ligandi, & ſoluendi, & Sacramenta miniſtrandi, quæ ſimonia hæreſim ſapit. Iacobat. de Concil. par. 4. num. 53. & ſeq. Felyn. in rubr. de ſimon. poſt princip. Eymeric. in Direct. Inquiſit. par. 2. quæſt. 6. num. 2. & quæſt. 31. num. 2. per tex. in c. 5. cauſ. 1. quæſt. 1. & conuenit magis textus in cap. 21. eadem quæſt. & in cap. 9. diſt. 79.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur eius fratres vocat Cardinales, qui filij Papæ dicuntur, vt in cap. 6. de except.

RESP. Cùm Papa loquitur de omnibus Cardinalibus, vocat fratres, quia eorum

Digitized by Google

quia eorum aliqui Epiſcopi ſunt, qui Papæ fratres nuncupantur, cap. 37. de offic. delegat.

I V.

Edita Anno 1505. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 405. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Bonifacius V I I I. in Extrauag. 1. de elect. decreuit, prouiſos de beneficiis Eccleſiaſticis non ſe ingerere in illis, literis Apoſtolicis non expeditis. §. 1. Alexander V. ſimilem edidit ſanctionem. §. 2 Pius II. pœnas impoſuit prouiſis non ſoluentibus annatas. §. 3. Innoc. V I I I. non abſimilem conſtitutionem edidit. §. 4. Hic Pontif. eas omnes confirmat, & pœnam priuationis apponit. §. 5. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Literæ iſtæ Apoſtolicæ, de quibus hic in. §. 1. quando dicuntur expeditæ?

R E S P. Quando ſunt plumbatæ, & non antea, vt tradit Gomeſ. de Regul. Cancell. ſuper reg. de non iudic. iuxta formam ſupplicat. quæſt. 1. verſ. & tamen, vbi ponit pro ſecunda ratione eam, quam Pontt. in hac materia conſiderant, & enunciant in eorum Bullis, ne ſcilicet Papæ Officiales remaneant ſine, emolumentis ſuorum officiorum, cùm laborent circa reuiſionem, & expeditionem literarum; & ſic Rotam iudicaſſe refert Creſcent. in vna Salamât. Parochialis de menſe Nouemb. 1539.

Scholion ſecundum.

Quæro. Annatæ, de quibus habetur in. §. 3. quomodo regulantur?

R E S P. A valore expreſſo in impetratione beneficij, & non excedunt valorem vnius anni. Rota in deciſ. Seraphin. 960. in vna Burgenſ. quidenniorum, num. 12. in nouis.

V.

Edita Anno 1505. MIlitanti Eccleſiæ licèt immeriti, & infra pag. 407. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregatio Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, expoſuit Papæ, multa eius bona á pluribus occupata fuiſſe, & quamplures alios ſuper eiuſdem bonis multiplices inferre iactutas, iniurias, atque moleſtias, ideóque ſupplicat pro opportuna prouiſione, cùm difficile nimis ſit, pro ſingulis querelis ad Sedem Apoſtolicam recurſum habere. §. 1. Ipſe ergo Conſeruatores, & iudices deputat, omnes locorum Ordinarios, eorúmque Vicarios, & omnes perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, ſuper reſtitutione dictorum bonorum, ac prædictis moleſtiis, iniuriis, & damnis præſentibus, atque futuris. §. 2. & 4. Omnibúſque contrariis derogat. §. 3. Ampláſque facultates dictis Conſeruatoribus concedit, & addit clauſulam, quod à data præſentium ſit illis iuriſdictio attributa. §. 5. Huius etiam conſtitutionis exemplis credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi Conſeruatoriæ erunt ſtrictè, vel largè interpretandæ?

R E S P. Quamuis data ſit pro Congregatione Religioſorum, odioſa cenſetur, tamquam exorbitans à iure communi, & Ordinariorum iuriſdictioni contraria, cap. 1. in fin. de offic. deleg. in 6. & ita tenuit Rota deciſ. 171. lib. 2 par. 3. diuerſorum in fin. loquens de Conſeruatoria Monachorum Congregationis Caſſinenſis, quicquid dicat Iaſon conſ. 145. lib. 4. num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cuius effectus eſt illa clauſula, *quod à data præſentium*, &c. de qua in §. 5.

R E S P. Non tenetur Conſeruator in ſuis citationibus inſerere tenorem huius reſcripti, vt ſcribit Iaſon in loco citato, & ſimpliciter refert Gratian. de diſceptat. forenſib. lib. 1. cap. 179. numero 32.

V I.

CVm homines ſe inuicem quantum poſſunt, & infr. p. 408. Bul. *Edita Anno 1505.*

C O M P E N D I V M.

Confirmat ſanctiones Pij I I. & Sixti I V. §. 3. extenditque ad omnes pro crimine capitali, tam in Vrbe, quàm extra eam condemnatos, & brigoſos pacem facere recuſantes, ius ſibi dicentes, aut caualcatam facientes. §. 4. Prohibet eos receptari, vel fauorem eis præſtari. §. 5. Contrauenientes ma-

S ioris

ioris excommunicationis ſententia innodat, beneficiiſque, & bonis, ac feudis priuat, & rebelles S. R. E. declarat. §. 6. Ad illa, vel alia in poſterum obtinenda, & quoſcumque actus legitimos faciendos, ipſo iure inhabiles declarat, ibid. Scientibus, & infra triduum non reuelantibus, eaſdem pœnas imponit. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi pœnæ ipſo iure impoſitæ, habentne locum, ſi in vita delinquentis non ſit prolata ſententia ſuper delicto?

RESP. Locum habent, lata ſententia declaratoria facti poſt illius mortem, vt probat Boſſ. in tit. de ſenten. num. 47. Gomez. in tit. de delict. cap. 1. num. 80. verſ. Sextus caſus, & Honded. conſ. 59. num. 6. loquens in terminis huiuſmodi Bullarum contra bannitos editarum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Inhabilitas ad exercendum actus legitimos, extendit ſe forſan ad ſucceſſionem ex teſtamento?

RESP. Controuerſa eſt inter Doctores iſta quæſtio, ad ſcripta per Farinac. quæſt. 102. num. 42. & ſeqq. Sed ſublata eſt controuerſia ex ſubſeqq. Bullis aliorum Pontificum, qui expreſsè abſtulerunt factionem teſtamenti actiuam & paſſiuam, quod aduertit etiam Chartar. de execut. ſent. contum. cap. 1. num. 423. Tob. Non. conſ. 93. num. 4. & Baiard. quæſt. 71. num. 16. quos refert Farinac. vbi ſuprà num. 12. in fine.

VII.

Edita Anno 1506.

ACcepimus Fiſco Cameræ Apoſtolicæ, & infra pag. 409. Bul.

COMPENDIVM.

Quia ob appellationes in cauſis maleficiorum in Prouincia Marchiæ ad Vrbem, vel aliò, Fiſcus eas cauſas minus defendit, & delicta remanent impunita, ideo mandat Theſaurario d. Prouinciæ, ne eiuſmodi appellationes in cauſis maleficij, aut fractæ pacis, induciarum, vel treugæ admittat, niſi priùs facto actuali depoſito. §. 1. Prohibétque appellationes ab Officialibus aliter admitti. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Nónne illa dictio, *aut*, ſignificat cauſam fractæ pacis, eſſe ciuilem, & diuerſam à criminali prius nominata?

RESP. Hæc dictio propriè ſumpta diuerſitatem præ ſe fert. l. hæc verba. 124. cum ibi not. ff. de verbor. ſignificat. Sed plures alias ſignificationes habet, & ſignanter quod ponatur quandoque pro, *etiam*, & pro, *id eſt*, ad l. in familiæ. ff. famil. hercif. & l. 1. Cod. vbi de poſſeſſ. agi oport. cum aliis cit. ab Alber. in ſuo Dictionario.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hic autem in qua eſt ſignificatione ſumenda?

RESP. Vtroque modo; nam ſi agit Fiſcus ad ipſam pœnam delicti fractæ pacis, cauſa eſt criminalis. Clar. quæſt. 1. ſub num. 1. Foller. in Pract. crimin. §. audiantur excuſatores num. 176. & tunc dictio, *aut*, ſtare poteſt expoſitiuè. Si verò Fiſcus agat ad pœnam conuentionalem ex contractu initæ pacis, ſtare poteſt diſiunctiuè, & ampliatiuè, quia etiam iſto caſu depoſitum fieri debet, vt habetur etiam in conſt. 52. Pij IV. in Bullar. fol. 69. num. 2. quamuis cauſa potiùs ciuilis ſit, quam criminalis. Corn. conſ. 42. lib 2. num. 9 in fine Bertazzol. qui alios citat in conſ. 280. lib 2. num. 6. Rota deciſ. 226. in antiquis, iuxta antiquiorem impreſſionem.

VIII.

EX iniuncto nobis deſuper Apoſtolicæ, & infra pag. 410. Bullar. *Edita Anno 1506.*

COMPENDIVM.

Quia Gubernatores, & Officiales Status Eccleſiaſtici, Iuſtitiæ miniſterio, & negotiis publicis præpoſiti, necnon Clerici, ac regulares in multis delinquunt. §. 1. Mandat Clericis ſuæ Cameræ Apoſtolicæ præſidentibus, vt quotannis aliquot ex eis deputent ad viſitandum loca dicti Status Eccleſiaſtici, vbi de præmiſſis diligenter inquirant, & relatione facta in Camera, omnia terminentur, & delinquentes puniantur. §. 2. Et quoſcumque formandi proceſſus occaſione torquendi, &c. facultatem concedit. §. 3. Præcipit Legatis & Archiepiſcopis, & aliis omnibus, vt eis obediant.

diant. §.4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quaero. Poterunt ad torturam, de qua in §. 3. deuenire denegatis defenſionibus?

R E S P. Non, quia hæc facultas expreſsè legi debet in reſcripto Principis. Marſil. in Pract. crimin. §. conſtante. nu.26. Alberic. de ſtatut. par.3. quæſt.32. nu.2. Farinac. quæſt.39. nu.16.

Scholion ſecundum.

Quaero. Quid ſi reus præcisè reſpondere recuſat?

R E S P. Poterunt, ſi interrogetur de eo, quod ſubſtantialiter infert ad delictum, & poſſit reus veriſimiliter recordari, & cauſa ſit grauis, & conſtet de corpore delicti. Capic. deciſ. 145. in fin. Clar. quæſt. 45. num. 6. Chartar. de interrogand. reis lib.3. cap.2. nu. 16. & ſeq. & Farinac. quæſt. 37. numer. 182. & ſeqq.

I X.

Edita Anno 1506. PErcepimus à fide dignis, & infra pag. 411. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Præcipit Clericis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ ſuæ, Theſaurario, Fiſco, & alijs ſuis Miniſtris, ne participent in affictibus, & ſimilibus contractibus ipſius Cameræ. §. 1. Pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis omnium officiorum, dignitatum, & emolumentorum eis imponit d. §. 1. Notitiâ habentibus, & per ſe vel alium non manifeſtantibus, eaſdem pœnas infligit. §. 2.

Scholion primum.

Quaero. Quid eſt notitiam habere ad hoc propoſitum?

R E S P. Multi multa loquuntur, ſemper tamen mihi placuit, vt is dicatur notitiam habere, qui vel vidit, vel à fide dignis audiuit, iuxta glo. communiter receptam in cap. cupientes. 16. in verb. notitiam, de elect. in 6. vel ex veriſimilibus cauſis cognouit, aut vehementer opinatur, ad tex. in cap. Hoc videtur. 8. cauſ. 22. quæſt. 5. Alberic. in ſuo Dictionario in verb. notitia, & in verb. ſcientia. Nauarr. conſ. 4. de Hæretic. lib. 5. incip. An ſepeliens, num.3. & in Manuali Confeſſ. cap. 25. nu. 46.

Scholion ſecundum.

Quaero. Quid ſi ego audiui ab homine, qui an fide dignus ſit, prorſus ignoro?

R E S P. Reuelare teneris, quia tutior via eſt eligenda, ad effugiendam pœnam excommunicationis. M. Ant. Genuenſ. Epiſcopus Iſerniæ in Praxi Archiep. Cur. Neap. c. 2. n. 10.

X.

Edita Anno 1506. DVdum ad ſacrum Ordinem Minimorum & infra pag. 411. *Item*; Virtute conſpicuos, & infra pag. 417. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus IV. in ſua Conſtitut. 4. de qua ſuprà, Ordinem Fratrum Eremitarum S. Franciſci de Paula approbauit. §. 1. Innocentius VIII. approbauit. §. 2. Alex. VI. Regulam eiuſdem S. Franciſci in 13. diſtinctam capitula confirmauit. § 3. Et etiam eiuſdem Ordinis gratias. §. 4. Sixtus, & Innocentius prædicti priuilegia Ordinum Mendicantium elargiti ſunt. §. 5. Alexander VI. eandem Regulam ab ipſo S. Franciſco pro Fratribus reformatam, & aliam pro Tertiariis editam approbauit. §.6. Societatémque iſtorum Eremitarum in Ordine Fratrum Minimorum inſtituit, & gratias confirmauit. §. 7. Et dictam Regulam, vt præmittitur, reformatam ab eis obſeruari iuſſit. §. 8. Tertiariorſimque Regulam ſuſcipi poſſe decreuit. §.9. B. Franciſcum d. Ordinis Correctorem generalem declarauit. §. 10. Indulgentias conceſſit. §. 11. Bona omnia piè elargita, retineri indulſit. §.12. Hic Pontifex facultatem pro Ordinis regimine conſtitutiones condendi conceſſit. §. 13. Priuilegia quatuor Ordinum Mendicantium communicauit. §. 14. & 37. Gratias Ordinis ad illius famulos, habitúmque geſtantes, & in articulo mortis ſepulturam in eo eligentes, extendit. §. 15. Ætatem annorum 22. ad presbyterarum ſufficere voluit. §. 16. Moleſtantem hos Fratres inter ſe excommunicauit. §. 17. Priuilegia locorum Ordinis

inter ſe communicauit.§.18. Eius Prælatos paramenta Eccleſiarum benedicere conceſſit.§.19. Noua loca ædificare poſſe voluit.§.20.Quemcumque Epiſcopum eius Eccleſias conſecrare permittit.§.21. Eáſque Prælatos Ordinis benedicere, ac reconciliare.§.22. Fratres alterius Ordinis in iſto receptos remanere.§.23.Confeſſorem eligere. §. 24. Gratias Ordinis tutricibus, & fundatricibus communes facit.§.25.Ordinis Correctores obſeruãdos eſſe præcipit.§. 26. Tres Regulas B. Franciſci,primam pro Fratribus,ſecundã pro Sororibus,& alteram pro Tertiariis obſeruari iuſſit.§.27.& ſeqq. Facultatem quoſcumque alios Religioſos recipiendi concedit.§.33. Confeſsionéſque audiendi.§.34 Exemptionem à decimis,& quarta funeralium, & aliis dat.§. 35. Priuilegia ſub nomine Eremitarum conceſſa innouat.§.36.Conuentus non moleſtari iubet.§.38.Confluentibus Sacramenta miniſtrari indulget. §. 39. Apoſtatis omnes prouiſiones aufert. §. 40. Indulgentias elargitur.§.41. Correctoris generalis, & Diffinitorum authoritas deſcribitur in §.1. ſubſequentis conſtitutionis. Quídque agendum in electione illius,& aliorum Prælatorum.§ 2. & ſeqq. Lectores in Theologia vt liberè legant. §. 4. Sacri Ordines à quo recipiendi. §. 5. Vbique noua-loca recipienda,& Sacramenta miniſtranda.§. 6. Morari poſsint Fratres in terris interdictis. §. 7. Prælati vt Fratres abſoluunt. §. 8. Exemptio datur à cura Monialium. §. 9. Fratres aliis non ſeruiant.§.10. Correctoris generalis auctoritas Inquiſitioni, aut verbi Crucis prædicationi deputati.§.11.Et in diſcedentes ab Ordine.§.12.Apoſtaráſque.§.13.Et expulſos. §.14. Habitus conſimilis aliis interdicitur. §. 15. Ingredientes Ordinem bona incertorum dominorum portare poſſunt.§.18. Sepultura in locis Ordinis omnibus eſt libera,non tamen Fratribus inuitis.§.19.& ſeq.Tempore interdicti vt celebrent.§.21.Fratres confiteantur Prælatis Ordinis.§.22.Aliis perfruantur gratiis.§.23.& ſeqq.Qui eos abſoluant, & cum eis diſpenſent. §. 27. Necnon coërceant appellatione remota. §. 30. Exemptionem à decimis,&c.Fratribus concedit.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, quod hæc Religio Minimorum eſt cæteris Religionibus arctior?

R e s p. Ita legitur in alia huiuſmet Pontificis Conſtit. edita in libro Priuilegiorum iſtius Religionis, collectorum è Paſſarello,pag.mihi 43.& incipit,Sacer Ordo. Intellige tamen quoad Ordines Mendicantes.vt ſentit Nauarr. in terminis huius Conſtitutionis in conſ. 10. incip.An Religio.lib.3.de Regularib.

Scholion ſecundum.

Quæro. Exemptioni à quarta funeralium,de qua in §.35.derogauitne Concil. Trid.ſeſſ.25.cap.13.

R e s p. Super hocmet priuilegio Iulij II. Minimis dato,orta quæſtione, Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concilij Tridentini cenſuit,illi ante dictum Concilium conceſſo minimè derogatum eſſe, ex decretis eiuſdem Concilij, vt teſtatur Steph. Quaranta de Priuileg. Regul. in verb. Priuilegia,pag.mihi 409.

X I.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pag.420.Bullarij. *Edita Anno* 1507.

COMPENDIVM.

Paulus II.Conſtitutionem eius 5.edidit de non alienandis bonis Eccleſiaſticis, de qua ſuprà. §. 1. Hic Pontifex pro minori Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Olìueti diſpendio, dat eius Prælatis facultatem circa huiuſmodi alienationes,iuxta formam d.Conſtitutionis Pauli II. §. 2. & ſeqq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5. Pretium bonorum vbi deponendum ſit.§.6.

Scholion primum.

Quæro. Si iſta Congregatio fundum alienat pro ſolutione debitorum,tenebitur emptor probare, pretium verſum fuiſſe in illam cauſam,vt alienatio ſuſtineri poſſit?

R e s p. Teneri voluit Rota coram Rubeo Decano die 17. Nouembris 1581. in vna Rom. deuolutionis domus, inter iſtos Monachos Oliuetanos S. Mariæ Nouæ de Vrbe, & Alexandrum & alios de Piccionibus, vbi teſtatur ita communiter à Doctoribus teneri.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc verſio nónne ſufficienter probatur ex præexiſtentia veri debiti,& illius ſolutione?

RESP. Huiuſmodi verſionem coniecturis, & præſumptionibus ſatis ſufficienter probari dixit Rota in deciſ.mox cit.Sed in puncto, quod hoc modo dicatur probata ipſa verſio, firmauit contra hos Monachos Oliuetanos Rota coram eod.Rubeo in eadem cauſa deuolutionis domus,12.Februarij 1582.

XII.

Edita Anno 1507. Etſi ad vniuerſos Regulares, & infra pag.421.Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat omnes gratias Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Olueti.§.1. Eas iubet in dubio ad fauorem Congregationis interpretari. §. 2. Communicat priuilegia inter loca Congregationis. §. 3. Vna tamen omnium ſit Congregatio.§.4.Capitulum generale edere poſſit conſtitutiones ab omnibus obſeruandas. §. 5. Reformatio Monaſterij vt fienda.§.6. Obedientia Prælatorum erga Abbatem,aliorúmque erga eos.§.7. Appellatio à Capitulo,& Abbate prohibita. §. 8. Iudicia iuxta conſtitutiones fiant. §. 9. Translatio ad aliam Religionem à Prælatis Congregationis non permittenda, niſi de licentia Papæ, de ea expreſſam mentionem faciente. §. 10. Apoſtatarum receptio interdicta. §. 11. Tranſlati ad loca Monachorum Conuentualium pro Conuentualibus habeantur.§.12.Loca omnia gratiis eis à Sede Apoſtolica conceſſis,dummodo Congregationis inſtitutis non ſint contrariæ,gaudeant. §. 13. Loca non ſint ad inuicem ſubiecta,ſed Congregationi. §. 14. Loca etiam Congregationi vnita regantur ab eius Prælatis, à Capitulo, vel Abbate eligendis.§.15.Qui ad eorum nutum amoueantur. §. 16. Electíque ſtatim adminiſtrent.§. 17. Ipſiſque abſentibus,aliis adminiſtratio detur. §. 18. Monaſteriorum, & Prioratuum collatio de cætero vt fienda. §. 19. Intrantes Ordinem qui impedit, excommunicatur. §. 20. Et etiam qui Monachum ad eius ſeruitia extra Ordinem acceperit.§.21. Vagantes ad Ordinem reuocentur. §. 22. Exemptio datur ab Ordinariorum, & aliorum omnium iuriſdictione. §. 23. & ſeq.Necnon à gabellis. §.25.Decimíſque. §.26.Legata Ordini acquiruntur. §. 27. Præſcriptio annorum 60. Ordini præiudicat. §. 28. Celebrant Monachi etiam tempore interdicti.§.29. A quocumque Antiſtite Ordines ſuſcipiunt.§.30. Prælati cum eis diſpenſant. §.31. Confeſſiones audiunt.§.32.Participantes cum excommunicatis quando ligentur. §.33. Prælatorum facultas diſpenſandi à recitatione diuinorum. §. 34. Sepultura in locis Congregationis vt conceditur. §. 35. Simonia beneficialis vt incurritur. §. 36. Priuilegia Congregationis a derogationibus vt præſeruantur.§.37. Indulgentiæ perſonarum Congregationis quæ. §. 38. Itinerantes vt ante diem celebrare poſſint.§. 39. Facultas habendi Conſeruatores datur.§ 40. Contrariis derogatur. §. 41.Fides tranſumptis huius Conſtitutionis debetur.§.42.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Congregatio eſtne arctior,vt prætendit, cæteris Congregationibus Monachorum Regulæ S. Benedicti?

RESP. Sic ſcribit Lapus alleg. 130. incip. Pro dubij, numer. 1. & ſequitur Tuſch. in verb. Religio, concluſ. 140. num.1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Facultas Abbatis,de qua in §. 15.intelligitur, vt poſſit etiam conſtituere Priorem in aliquo Monaſterio ſibi ſubiecto, in quo hactenus ex cauſa fortaſſis non fuit ab eo deputatus?

RESP. Conſtituere poſſe oſtendit in terminis eiuſmodi conſtitutionis Monachorum Montis Olueti Panorm. in conſ.25.lib.2.num.1. vbi ſoluit etiam alia duo dubia exinde ſuborta.

XIII.

Militantis Eccleſiæ regimini, & infra pag.426.Bullarij. *Edita Anno 1507.*

COMPENDIVM.

Vrbanus II. & alij Romani Pontt. nonnullas gratias Congregationi Monachorum Vallis Vmbroſæ Ordinis S. Benedicti conceſſerunt. §. 1. Quæ hic

Pont.approbat,& priuilegia à Principibus quoque, & Prælatis elargita confirmat. §. 2. & 3. Indulta Congregationi Caſſinenſi, eiuſque Monachis conceſſa, & concedenda, huic Congregationi, & eius Monachis communicat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5. Et tranſumptis huius Conſtitutionis credi iubet.§.6.

Scholion primum.

Quæro. Iſta communicatio priuilegiorum extenditur ad illa, quæ alicui Monacho Congregationis Caſſinenſis dantur?

R E S P. Negatiuam ſententiam tenet Rod.de quæſtionib.Regular.tom.1.quæſt. 55.art. 18. ad finem, vbi ſubdit, quod ſi contrarium decretur, tota Religionum obſeruantia funditus euerteretur, cùm in vnaquaque Religione ſint aliqui Patres ob iuſtiſſimas cauſas in multis diſpenſati.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hac eadem igitur ratione dicendúmne erit, non cenſeri communicata priuilegia regulari obſeruantiæ huius Congregationis contraria?

R E S P. Bene arguit, & ante hoc idem tradidit Rod.d.quæſt.54. art. 12. in fine.

X I V.

Edita Anno 1507. CVm ſicut accepimus, in noſtra Camera, & infra pag. 427. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Præcipit omnibus Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ Officialibus,& Miniſtris, omnibúſque aliis,quatenus ſcripturas,& libros & documẽta quæcumq; ad ipſam Cameram quoquo modo ſpectantia,debeant infra octo dies in d. Cameram reportaſſe, & illa adnotari feciſſe. §. 1. Et quod nullus de cætero illa habere, & retinere poſſit vltra terminum decem dierum, abſque expreſſa Clericorum licentia,in libris Cameræ adnotanda.§. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quis haberet aliquam ſcripturam publicam penes acta Curiæ rogatam, ſpectantem ad litem vertentem inter eum,& Cameram?

R E S P. Satis erit denunciare apud quem Notarium ſcriptura illa rogata ſit. Graff. in ſuis deciſ. lib. 4. cap. 8. numer. 24.in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi in termino octo dierum non reportaui ſcripturas,quia tempore huius reſcripti eram abſens; & illud ignoraui in d.termino,nunquid pœna excommunicationis me comprehendet poſt d.terminum?

R E S P. Crederem te comprehendere,per ea quæ ſcribit Sotus lib.4.diſt.22. quæſt.1.art.2.caſu 1.& Nauar. in Manuali Confeſſ.cap.25.num.46.in fine. Ideo illas reportes,tutiorem viam eligens, quamuis aliter ſcribat M. Ant.Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ in Prax. Archiep. Cur. Neap.cap.2.ſub num.7.

X V.

SIcut prudens paterfamilias, & infra pag. 427. *Item*; Apoſtolatus officium, & infra pag. 430. Bullarij. *Edita Anno 1507.*

C O M P E N D I V M.

Pro inſtrumentorum,ſcripturarum,& actorum in Vrbe ſalubriori conſeruatione, erigit Collegium centum, & vnius virorum Archiuij Romanæ Curiæ. §. 1. & ſeqq. Qui eo ipſo,quod ad huiuſmodi officium aſſumuntur, abſque alia legitima creatione, Notarij exiſtant, & de omnibus contractibus,& vltimis voluntatibus rogare,& inſtrumẽta cõficere poſſint.§.4. Archiuium habeat publicum in Palatio Apoſtolico, ad quod omnes Vrbis Notarij portent notas inſtrumẽtorũ. §.5.Alij in Vrbe, & ſuburbiis rogare volentes,à Collegio examinati, & approbari ſint,aliàs rogare non poſſint, ac vti falſarij puniantur. §. 6. Defunctorum Notariorum protocolla ad Archiuiũ deferantur.§.7. Proceſſus cauſarum finitarum ad illud portentur.§.8. Correctores decem deputentur, qui alios Scriptores recipiendos examinent.§.9. Et Notarios creare poſſint.§.10.Collegium legitimat baſtardos in Dominio Papæ.§.11. Archiuij Scriptores teſtium in Curia examinandorum interpreres ſint.§. 12. Et Notarij omnium Iudicum Romanæ Curiæ non habentium proprium Notarium. §. 13. Statutáque inter ſe formare valeant. §. 14. Familiaritatis Papæ gratia donantur.

nantur. §. 15. Officiáque ad eorum libitum reſignare poſſint §.16. Decretum irritans apponit. §. 17. Contrariis derogat. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Si quis Notarius non matriculatus in Archiuio, tempore magnæ peſtis conficeret inſtrumentum, excuſaretur à pœna, de qua in §. 6.

RESP. Excuſari voluit Rota deciſ. Peregrin. 74. par. 3. diuerſ. lib. 1. loquens ſpecificè de Bulla huius Archiuij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Habes alium caſum, in quo idem Notariu- poſſet excuſari alio tempore quam peſtis?

RESP. Si conſtaret de legalitate Notarij, & de veritate rogatus, excuſaretur Notarius, quamuis non matriculatus, quaſi iſto caſu Bulla hæc non fuerit vſu recepta. Put. deciſ. 296. lib. 1. in nouis per totam, & Thanus deciſ. 113. in manuſcript.

XVI.

Edita Anno 1508. ROmani Pontificis, in quo diuina, & infra pag. 331. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ferdinandus Aragonum, & Siciliæ Rex, Militiæ de Calatraua perpetuus adminiſtrator à Sede Apoſtol. deputatus, exponit Papæ, ſtatutum d. Militiæ cauere certam portionem à Militibus de fructibus beneficiorum pro communi theſauro præſtandam eſſe. §. 1. & 2. Eorúmque collectores in Capitulo generali eligi debere. § 3. Et in quos vſus conuerti debeant præfiniuit. §. & ſeqq. Hæc ſtatuta ipſe Ferdinandus approbauit. §. 8. Et modò Papæ ſupplicat, quatenus eadem ſtatuta, & facultatem præſentandi Ordinariis locorum presbyteros pro cura Eccleſiarum huius Militiæ, comprobet. §. 9. Et hic Papa prædicta approbat, atque concedit. §. 10. Indultáque omnia Ordini Ciſtercienſi conceſſa, & quæ in vſu ſint, ad hanc Militiam extendit. §. 11. Contrariis derogat. § 12. Tranſumptis huius Bullæ credi iubet. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Hæc Militia vnde hoc nomen ſortita eſt?

RESP. A loco Calatrauæ in regione Toletana, vbi Militum templariorum Cœnobium fuerat, qui cùm Saracenis reſiſtere non valerent, nouis his Militibus cedere iuſſi ſunt, vt ſcribit Petr. Calefact. de Equeſtr. dignit. num. 25. poſt Caſſan. in catal. glor. Mundi. par. 9. conſid. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis huius Militiæ author fuit, & de quo tempore?

RESP. Sanctius Rex Hiſpaniarum anno 1160. ſecundum Caſſan. vbi ſuprà, ſed ſecundum Petr. Calefact. in loco cit. anno 1120. à quo pariter diſcordat Ciacon. in vita Calliſt. II. dicens ab eodem Rege hanc Militiam inſtitutam anno 1121.

XVII.

DVm ad fructus vberes, quos Carthuſienſis Ordo, & infra pag. 432. Bullarij. *Edita Anno 1508.*

COMPENDIVM.

Refert fructus Ordinis Carthuſienſis, in princip. Et quod omnes Fratres vnius Prioris Carthuſiæ Gratianopolitanæ, & Diffinitorum Capituli obedientiæ ſubſunt. §. 1. Et ſi aliter fieret, Ordo ad laxiorem viuendi modum declinaret. ibid Decernit ideo hic Pont. quod non procuretur aliqua diuiſio, ſeu exemptio, ſub grauibus pœnis, à communi obedientia dicti Prioris & Capituli generalis. §. 2. & 3. Et prædictis Priori, & Capitulo dat facultatem diſpenſandi cum Fratribus d. Ordinis, etiam ex aliis Ordinibus Mendicantibus receptis. §. 4. Derogat omnibus contrariis. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Vſque modò in aliis huius Ordinis conſtitutionibus oblitus ſum abs te quærere, quis fuit eius inſtitutor; & an ille inter Sanctos relatus ſit à Leone X. vt pluries legi, & nouiſſimè apud Baron. in Martyrolog. die 6. Octobris, & Rod. quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic. 8.

RESP. Bruno Alemanus nobilis ci-

nis Colonienſis, cum aliquibus eius ſociis, dicti Ordinis promotor fuit, teſte Rod. vbi ſuprà, poſt Caſſan. in catalog glor. mundi. par. 4. conſid. 62. & cæteros ab eo relatos. Canonizatum verò à Leone X. vt ſcribit Rod. vbi ſuprà, & Baron. in Martyrolog. ac Surius in vita huius Sancti, ratum non habeo, quia in Bibliotheca Genitoris mei, eius Bullam non inueni, nec ab ipſo, qui diligẽter huiuſmodi Bullas vndique exquiſiuit, editam video. Sed in eadem Bibliotheca decretum reperi Leonis prædicti, qui Fratribus d. Ordinis dumtaxat in eorum domibus, & Eccleſiis feſtum illius ſolenniter colendi, debitáque deuotione die 6. Octobris celebrandi, necnõ commemorationem ſingulis diebus de eo faciendi, licentiam viuæ vocis oraculo conceſſit die 9. Iulij 1514. Romæ. Quod quidem decretum legitur in manuſcriptis literis teſtimonialibus Antonij de Monte Cardinalis tit. S. Praxedis, eo tempore d. Ordinis Protectoris, à Priore Carthuſiæ Papiæ per eundẽ Genitorem meum hoc anno 1614. habitis. Et concordat Surius vbi ſuprà in verſ. Is Pontifex, licèt in fine ponat epigramma, in quo dicitur, Leonem de voto Cardinalium inter Sanctos adſcripſiſſe, & diploma Leonis in magna Chartuſia aſſeruari.

Scholion ſecundum.

Quæro. Mendicantibus omnibus tranſire ad Carthuſienſes permittitur hic in §. 4.

RESP. Videtur permitti, ſed clarè diffinitum eſt à Martino V. in Extrauag. 1. de Regular. & probat Nauar. de Regular. comment. 4. nu. 31. in fin. Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 52. artic. 18.

XVII

Edita Anno 1508.

ETſi ad bene merendum, & infra pag. 433. Bullarij.

COMPENDIVM.

Facultas data Fratribus Ordinis Eremitarum S Auguſtini, noua loca acquirendi, & ſuſcipiendi, extenditur etiam ad quaſcumque domos, & Eccleſias Parochiales, cuiuſcumque ſint Ordinis, & profeſſionis. §. 1. Priuilegia hactenus conceſſa confirmantur. §. 2. Et gratiæ Ordinum Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & Seruorum conceduntur. d. §. 2. Generalis, & Vicarius Ordinis ſacris vſibus neceſſaria benedicere poſſint. §. 3. Ab Ordine exitus prohibetur. §. 4. Et deſuper litigari interdicitur. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Generalis ergo vigore Apoſtolici indulti, & non de iure communi poterit benedicere calices, & paramenta?

RESP. Ita profectò, quia virtute Ordinis facultas huiuſmodi paramenta benedicendi, ad Epiſcopum ſpectat. Nauarr. in Manuali Confeſſ. cap. 25. nu. 84. ad finem. Ioan. Franc. Leon. in ſuo Tract. Theſaur. for. Eccleſ. par. 1. cap. 6. de benedict. num. 7. & nouiſſimè Iacob. Sbroz. in ſuo Tract. de Vicar. Epiſcop. lib. 2. quæſt. 10. num. 8. vbi alios allegat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid hac facultate benedicendi paramenta vti poſſunt Generalis, & Vicarius extra eorum loca?

RESP. Negatiua ſententia mihi probatur, arg. tex. in cap. 3. de priuileg. in 6. verſ. Alibi autem.

XIX.

Edita Anno 1509.

REgis pacifici, qui regnat in cœlis, & infra pag. 433. Bullarij.

COMPENDIVM.

Duella in locis S. R. Eccleſiæ mediatè, & immediatè ſubiectis, ex quacunque cauſa, etiam à legibus permiſſa, fieri ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibet §. 1. & 2. Duellantes, ſiue pugiles, vbique impunè capi, & puniri poſſe decernit. d. §. 2. Et corpora in duellis morientium in ſacris locis ſepeliri vetat. ibid. Communitatibus & Baronibus ſub eadem pœna excommunicationis, & interdicti Eccleſiaſtici, & quatuor millium ducatorum pro prima vice, & priuationis feudi pro alia vice, permiſſionem duellorum prohibet. §. 3. Contrariiſque conſuetudinibus, & indultis derogat. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Ante hanc legem duellum eratne aliquo iure prohibitum?

RESP. Nedum canonico, & ciuili, vt

vt in cap.1.de purgat. vulga. & l.1.Cod. de Gladiat. ſed etiam de iure diuino, vt eruditè oſtendit poſt alios Barbat. conſ. 62. lib. 1. num.8. Lancellot. in ſuo Templo Iudic. lib. 1.cap.1.§.3.nu. 7. vbi alios congerit. Grat. conſ.3.lib. 2. num. 5. & ſeqq. & Soc. Iun. conſ. 123. lib. 2. num. 1. & ſeqq. & Viuius comm. opinio. 232. vbi de communi. Et quæuis conſuetudo in contrarium corruptela dicenda eſſet, vt ibi ſubdit Barbat. & latè Grat. vbi ſuprà, & Socin. iam citat. Et principes aliter faciendo peccarent, vt per Syluan. conſ. 51. nu. 1. & Soc. præcit. num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne ſaltem hoc ius nouum, quod corpora mortuorum in duello non ſepeliantur in loco ſacro?

RESP. Non,quia iam vetitum fuerat in cap. 1. & 2. de Torneam. Foller. in Pract. crim. par. 2. cap. 27. nu. 2. Intelligendo tamen id procedere,ſi mortuus ex condicto pugnauit, ſecus ſi caſu fortuito ibi periit, vt eiſdem iuribus cauetur expreſsè, & tradit Lancellot. iam citatus.

X X.

Edita Anno 1509.

Romanus Pontifex pacis, & infra pag. 434. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conſuetudinem capiendi,& retinendi bona Chriſtianorum per naufragium, vel iactum, leuandæ nauis gratia, aut alia vrgenti neceſſitate, factum ad litora maris locorum S. R. Eccleſiæ mediatè, & immediatè ſubiectorum, declarat eſſe corruptelam, neminique ſuffragari debere. §. 1. & 2.Pœnas à lege,vel Canone, contra huiuſmodi ſpoliatores innouat.& confiſcationis bonorum pœnam addit. §. 3. Dominos locorum, & Vicarios, hæc permittentes, eo ipſo excommunicatos fore decernit. ibid. Raptores prædictos in fragranti crimine repertos, & latrones, & graſſatores puniri mandat. ibidem. Excipit caſum,quo nautæ in manifeſto periculo conſtituti, illorum opem implorent, qui eis non ſine vitæ diſcrimine in perſonarum, & rerum conſeruatione, aut recuperatione, auxilio fuerint. ibidem. Indulgentiam auxilium præſtantibus confert. §.4.Executorem deputat.§.5.Contrariiſque derogat.§.6.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi huiuſmodi conſuetudo non eſſet de naufragantium bonis rapiendis,ſed certa,& moderata portione bonorum eiuſmodi recuperatorum, auxiliatoribus danda?

RESP. Licita eſſet, & fauore naufragorum inducta, vt celeriùs ſuccurrantur. Sum. Armill. in verb. Naufragium, num. 2. verſ.Si autem.& Syluest. numer.3. Alberic. in ſuo Dictionario, in verb. Naufragium. Et Romæ extat conſuetudo de quarta bonorum ope auxiliatorum recuperatorum, vt habetur infrà in Conſt.42. Pauli III.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pœna legis, & Canonis indicata in §. 3. quæ eſt?

RESP. Pœna legis ciuilis erat quadrupli.l.1.ff. de incend. ruin. & naufrag. Canonis verò, excommunicationis, cap. 1.de raptoribus.Cuius abſolutionem nemini hactenus reſeruatam fuiſſe dicit; quamuis hodie aliter cautum ſit in Bulla Cœnæ Domini, vt aduertit Nauarr. conſ.1.de pœnitent. lib. 5. incip. Epiſcopus,num.1.

X X I.

Edita Anno 1509.

Exponi nobis nuper feciſti,& infra pag.435. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat Clementem III. Ordini Fratrum Minorum de Obſeruantia conceſſiſſe, vt Ordines Mendicantes non poſſint ædificare Monaſteria prope loca d. Ordinis infra ſpatium cannarum tercentum,in princ. Idémque priuilegium poſtea datum fuiſſe Ordini Fratrum Prædicatorum, vt inter eos eſſent communia eorum priuilegia. §. 1. Illud inſuper Clem. IV. reduxiſſe contra Fratres Prædicatores ad cannas 140.§. 2. Et ideo dubitatum fuiſſe, an dicta reductio noceret dictis Fratribus Minoribus. §.3. Declarat ergo iſte Pont. eis non nocere, illudque eiſdem iteratò concedit.§.4.

Scholion primum.

Quæro. Hoc priuilegium nónne eſt omnibus Ordinibus Mendicantium effe-

ctum commune, per communicationem priuilegiorum, per eos plures à Sede Apoſt. obtentam?

R E S P. Commune eſſe ſcribit Eman. Rod. de quæſt. Regul. lib. 2. quæſt. 49. artic. 5. Sed non practicari hoc priuilegium inquit Sorbus in Compend. Priuileg. Mendic. in. §. Ædificare.

Scholion ſecundum.

Quæro. An ſtante dicto priuilegio, poſſit aliquis Eremita penes dicta loca in Eremo habitare?

R E S P. Affirmatiuè, nixus declarationi Bonifacij VIII. in cap. 1. de exceſſ. Prælat. in 6. vbi ſic ad literam decreuit, dummodo non extet de propinquo hominum habitatio.

X X I I.

Edita Anno 1509. SVſcepti tegiminis nos cura ſollicitat, & infra pag. 435. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, Pium II. prohibuiſſe appellationem ad futurum Cōcilium. §. 1. Venetóſque nihilominus à monitione ipſius Iul. II. quod Sedis Apoſtolicæ loca occupata dimitterent, ad futurum Concilium prouocaſſe. §. 2. Et ſimiliter Bentiuolios Bononiæ occupatores. §. 3. Refert inſuper, nonnullos prætendere, non contrauenisse d. prohibitioni Pij II. eo quod actuali appellationi, & ſcripturæ ſe non immiſcuerunt. §. 4. Iſte ergo Pont. eam prohibitionem ad iſtum caſum extendit. §. 5. Venetorum, & aliorum appellationes eſſe irritas decernit. §. 6. Et loca ad quæ contrauentores declinarr, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. §. 7. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cur inquit Genitor tuus in rubr. huius Bullæ, hanc prohibitionem primò relatam fuiſſe in Bulla Cœnæ Domini à Gregor. XIII.

R E S P. Quia in Bulla 25. Cœnæ Domini ab iſto Pont. edita, & alia Bulla 10. Paul. III. quas ipſe habere potuit, hæc prohibitio non legitur, & etiam quia Nauarr. ſuper ſuo Manual. Confeſſor. capite 27. numero 58. Gregorium XIII. inquit primò eam prohibitionem poſuiſſe in ſua Bulla Cœnæ Domini, quam ibi Nauarr. interpretatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta prohibitio a Greg. XIII. & eius ſucceſſoribus iteratur annis ſingulis in Bulla Cœnæ Domini, remiſſiùs, præſertim quoad Conſultores, & alios, quam deciderit Iulius hic; dicas modò, hæc lex ab illis modificatáne remanet?

R E S P. Non modificari iſtam ab illis puto, ex eo quod vtraque lex ad primatum Sedis Apoſt. præſeruandum edita eſt, & inſimul conueniunt, per ea quæ Bart. num. 7. Imol. num. 15. & alij communiter tradunt in l. 1. §. hoc autem edictum. ff. de nou. oper. nunc. & facit tex. in auth. de Adminiſtr. offic. in fine.

X X I I I.

LIquet omnibus Chriſtianæ fidei cultoribus, & infra p. 437. Bull. *Edita Anno 1509.*

C O M P E N D I V M.

Sicut B. Petrus Apoſtolorum Chriſti Princeps fuit, ita illius Baſilicam in Vrbe congruentiùs reſtaurari conuenit, & ampliari. §. 1. Eius ergo reſtaurationi manum apponit, & abſque piis Chriſti fidelium ſubuentionibus perficere non poſſe videns, ideo aliquid ſubſidij, pecunia, vel opere infra annum dantibus, aut promittentibus, dedit facultatem eligendi Confeſſorem, qui in foro conſcientiæ certis caſibus eos abſolueret. §. 2. & 3. Et poſtea annum ad eius beneplacitum prorogauit, & pro Vltramontanis Commiſſarium ad eos deſtinauit. §. 4. Eóque vita functo, nunc alium deputat. §. 5. & 6. Eleemoſynáſque elargientibus, plenam peccatorum remiſſionem concedit. §. 7. Licentiámque eligendi Confeſſorem, qui certis exceptis caſibus eos abſoluat, impartitur. §. 8. Commiſſario dat authoritatem pro ſubſidio d. fabricæ componendi ſuper incertis, & prauè quæſitis, ac malè ablatis. §. 9. & ſeqq. Necnon ſuper debitis illis, quibus Romana ſuccedit Eccleſia, ac legatis, locis, & perſonis, in genere, abſque vlla ſpeciali determinatione, & propriis nominibus non expreſſis. §. 11. & ſeq. Dat etiam facultatem diſpenſandi in multis caſibus. §. 14. Componendíque cum occupatoribus bonorum Eccleſiaſticorum.

§. 15.

§. 15. Et ſuper relictis ob malè ablata, vel piis locis, & perſonis incertis, vel bonis reſtituendis ei, cui receptio non competit. §.16. Ac ſuper relictis pro redemptione captiuorum, vel propterea debitis. §. 17. Vel exponendis in conuiuiis, ac publicis ſpectaculis in diebus feſtiuis. §. 18. Et declarandi dubia ſuper præmiſſis exorienda. §. 19. Suſpendendi Indulgentias locorum piorum. §. 20. Commiſſarium impediri prohibet. §. 21. Alios ab eo ſubdelegari indulget. §. 22. Quibuſcumque non obſtantibus. §.23.

Scholion primum.

Quæro. Quod hic dicitur, Commiſſarium componere poſſe ſuper relictis pro malè ablatis, in §. 16. quomodo intelligendum?

R E S P. Fabricæ Commiſſarius ſuper illis componit, ſi verè legatarius non probat ſibi aliquid ablatum, quia tunc legatum ei integrè deberi videtur, non propriè vti legatum, ſed tamquam debitum, arg. l. ſi ſeruo. 84. ff. de hæredib. inſtituen. per quem. Sic tenet in terminis non abſimilis Bullæ Roman. conſ. 164. num. 4. cui adhæret Tiraquell. de reuoc. donat. §. libertis ſub num. 88. vbi latè.

Scholion ſecundum.

Quæro. Legata incertis perſonis, de quibus in d. §.16. dicenturne legata dotium pro puellis ab hærede teſtatoris nominandis?

R E S P. Non, quia idem eſt legata certa eſſe ab initio, vel poſtea, vt in priuilegio Regi Franciæ dato per Papam de legatis incertis, reſpondet Oldrad. in conſ. 61. ſub numero 3 quem ſequitur Pariſ. conſ. vltim. libro 3. in fin. & Mantica de coniectur. vltim. volun. libro 8. titut. 4. ſub num. 18. & eſt text. apertus in l. 1. ff. de leg. 2. vbi id fauore vltimarum voluntatum diffinitum puto, & ita deciſum fuit à Rota coram R. P. D. Caualerio, in vna Romana fideicommiſſi della Porta, die 27. Iunij 1612.

X X I V.

Edita Anno 1510.

FIde digna relatione, & infra pag. 440. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, in Prouincia Marchiæ multa homicidia plerîſque modis patrari, & præſertim, quod per procuratores homicidæ defendi ſolent, in princ. Ideo ſtatuit, vt quiuis in Prouincia Marchiæ delatus pro crimine, cuius pœna ſit capitalis, vel ſanguinis, maximè in cauſa homicidij, per procuratorem excuſatorem, &c.non admittatur, niſi in carcere conſtitutus.§. 1. Et ſi Iudex ex cauſa aliquem duxerit admittendum, poſſit in quocumque iudicij ſtatu, etiam poſt ſententiam, ad carceres recurrere. §. 2. Niſi extaret ſtatutum in loco,quod reus contumax habeatur pro confeſſo, quo caſu non audiatur, niſi liquidò conſtet de eius innocentia.d. § 2. Gratiati à Papa,eiúſque Legato, aut Camerario, de aliquo homicidio, coram Præſidente d. Prouinciæ comparere, & gratias iuſtificare debent. §. 3. Homicida inſuper attingens annum 20. pro maiore habeatur in omnibus in præmiſſis delictis. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

*Quæro.*Hæc Bulla in §.4.eſtne intelligenda etiam de attingente annum 20. non contumace?

R E S P. Non, quia pars præcedens Bullæ loquitur de contumacibus, vt per alios non audiantur, &c. Et in hoc §. 4. extat illa dictio, *inſuper*, quæ eſt ampliatiua cum repetitione præcedentium qualitatum. Cuman. conſ. 112. numero 2. Dec. conſ. 190. num. 7. & Surd. deciſ. 285.num.10. Et etiam, quia conſtitutio pœnalis, & correctoria, reſtringenda eſt ad cauſam, pro qua emanauit. Bald. in l.3.§. ex hoc edicto. ff.naut. caup. & ſta. Aym. conſ. 236. num. 6. & ſeq. Honded. conſ. 99. num. 8. & ſequentibus. Et hunc ſenſum tenuiſſe Sacram Conſultam, Genitor meus pluries mihi aſſeuerauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huic Bullæ in §. 1. ſatisfacit Iudex, ſi reo vnum, vel alium locum pro carcere aſſignat?

R E S P. Satisfacere ſcribit Angel.loquens de ſimili ſtatuto in l. penultim. ff. quod met. cauſ. num. 2. & Iaſ. in repet. l.admonendi.31. ff. de iureiur. num. 174. vbi id cordi tenendum eſſe inquit, & ſequitur Cotta in memor. in verb. carceres variantur, necnon Tiraq. de

T 2 pœnis

pœnis temperand. cauſ. 31. num. 12.

XXV.

Edita Anno 1511. Conſueuerunt Romani Pontifices, & infra pag. 441. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Pontifices Romanos pro Chriſtianæ Religionis præſeruatione conſueuiſſe in die Cœnæ Domini, hæreticos, & alios mox dicendos, anathematizare, in princ. & §. 1. Hæreticos ergo quoſcumque anathematizat. §. 2. Piratáſque maritimos. §. 2. Noua etiam pedagia imponentes, aut prohibita exigentes. §. 3. Falſificantes literas Apoſtolicas. §. 4. Arma, & alia prohibita deferétes ad Chriſtiani nominis inimicos. §. 5. Victualia deferentem ad Vrbem impedientes. §. 6. Perturbantéſque venientem, aut recedentem à Romana Curia, aut ibi morantem. §. 7. Offendentes, aut offendere facientes Prælatos. §. 8. Siue recurrentes ad Romanam Curiam, aut in ea litigantes. §. 9. Impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, eorúmque complices. §. 10. Offendentes Romipetas, & peregrinos ad Vrbem deuotionis cauſa accedentes, morantes, & recedentes. §. 11. Inuadentes loca S. R. E. §. 12. Contraria quæcumque non obſtare declarat. §. 13. Hanc Bullam certo modo publicatam, vbique ligare decernit. §. 14. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Vtrùm piratæ, de quibus in §. 2. incidant in hanc excommunicationem, ſi nihil cum effectu deprædantur?

RESP. Affirmatiuè, vnà cum Vgolino de cenſur. Eccleſ. par. 2. in explanatione ſimilis Bullæ Clem. VIII. ea ratione, quod Pont. eos punit, qui præſumũt prædari, & ſic qui eo animo mare ingrediuntur; vbi reſpondet nonnullis contrarium ſentientibus, qui intelligi debent quando Bulla eſſet reſtringenda vigore verborum ſubſeq. vt tenet etiã Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 20. num. 6. & Graff. mox citandus nu. 67.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi incidenter bellando quis in mari cum inimicis ſuis, eos bonis ſpoliaret?

RESP. Tunc non intrat hæc Bulla, quæ dirigitur contra eos, qui ex animo principaliter piraticam exercent, vt inquit Fumeus in Sum. Armil. §. Excommunicatio. 13. & Nau. in Man. Confeſſ. cap. 27. num 59. Sylueſt. in ſua Sum. §. Excommunicatio. 7. num. 56. & Iacob. Graff. lib. 4. deciſ. caſ. conſc. cap. 18. in explanatione cap. 3. Bullæ Cœnæ Domini à Sixt. V. editæ, & latiùs Rebuff. in ſuis comment. ad ſimilem Bullam Pauli III. ſup. 3. cap. quæ commentaria ſunt in praxi ſua beneficiali.

XXVI.

Ex paternæ charitatis officio, & infra pag. 442. Bullarij. *Edita Anno 1511.*

COMPENDIVM.

Narrat, Alexand. VI. vnionem feciſſe de Congregatione Monachorum Ordinis Ciſtercienſis Tuſciæ, & Congregatione Lombardiæ, & ex eis Congregationem S. Bernardi in Italia conſtituiſſe, vt ſupra in illius Conſtit. 7. §. 1. Et deinde eam reuocaſſe; ſed poſtea ab ipſis Congregationibus concordatis reintegratam fuiſſe, cũ capitulis infraſcriptis. §. 2. & 3. Quod Capitulum alternatis vicibus, in vna, & deinde in alia ex dictis Prouinciis celebretur. §. 4. In eligédiſque Prælatis certa forma ſeruetur. §. 5. & ſeqq. Et Priores aliqui in Capitulo vocem habeant. §. 9. Profeſſi de vna ad aliã Prouinciã non tranſmittantur abſq; demeritis. §. 10. Monaſteria reformanda regantur à Prælatis ſuæ Prouinciæ. §. 11. Præſidentis authoritas quæ ſit in electione, & priuatione Monachorum. §. 12. Gratiæ poſt diuiſionem alteri Congregationi conceſſæ, ſint ad inuicem communicatæ. 13. Literæ contra hæc obtentæ, nullæ ſint. §. 14. Horum capitulorum vnionis confirmatio petitur. §. 15. Papa confirmat omnia. §. 16. Contrariiſque derogat. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Quod in Capitulo fecit maior pars, num bene factum dicitur de iure communi?

RESP. Dicitur, ſi ſit etiam ſanior, cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte Capituli; vbi ſcribb. declarant vim & efficaciam verbi, *ſanior.*

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi maior pars vnius Capituli vellet conſtituere cõtrarium eius, quod priùs ab omnibus in alio Capitulo conſtitutum fuerat?

RESP. Controuerſa eſt opinio, ad ſcripta per Roman.conſ.352.num.12.iunctis allegationibus apoſtillæ, quæ propterea rationabiliter inquit, tenendam eſſe diſtinctionem Felyn. in cap. 6. de conſtit.num.18.

XXVII.

Edita Anno 1511.

Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & infra pag.443. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bononiam proficiſcens pro recuperatione quarumdam Terrarum Sedis Apoſtolicæ,quidam Cardd.ab eo diſceſſerunt,& Papiam ſe contulerunt,& moniti à Papa ad ipſum redire recuſarunt, §.1. Ibidem poſtea Conciliabulum, Piſanum nuncupatum,indixerunt,eo quod de ipſo Papa, vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizante, agendum eſſet. §. 2. Qui prætextus vani demonſtrantur.§.3.Conciliorúmque generalium indictio ſolummodo ad Papam ſpectat, etiamſi de eius cauſa agatur.§.4.& 9.& ſeq. Et legitimè ipſe Papa impeditus,non contrauenit iuriiurando præſtito de tenendo Concilium generale poſt biennium à die ſuæ aſſumptionis.§. 5. & ſeq.Nec terminus ſibi aſſignatus ad accedendum ad Concilium competens fuit.§. 11. Neque locus congruus,neque tutus.§. 12. & 13. Et ex his indictio dicti Conciliabuli nulla fuit atque præſumpta.§. 14. Eam ergo hic Pontifex damnat. 15. Authores eius, atque complices grauibus pœnis alligat.§.16.Loca d.Conciliabuli, & ad quæ eos declinare contigerit, Eccleſiaſtico interdicto ſupponit.§.17.Sacrum,& Oecumenicum Concilium Lateranenſe Romæ anno ſequenti celebrandum indicit. §.18.Prælatos,& alios ad illud conuocat. §. 19. Imperatorem, & alios Principes hortatur, vt venientibus faueant. §. 20. Venientibus, eorúmque familiaribus ſecuritatem concedit.§.21. & ſeq. Irritum quodcumque in contrarium attentandum decernit. §. 22. Huius indictionis Bullam publicari iubet. §. 24. Eiuſque tranſumptis credi iubet.§.25.

Scholion primum.

Quæro. Qui fuerunt Cardinales dicti Conciliabuli authores,& complices?

RESP. Bernardinus Carauaial moderator,Guillelmus Briſſonetta,Renatus de Pria,Fridericus de S.Seuerino,& alij, vt ex actis Concilij Lateranenſis ſeſſ. 3. conſtare inquit Binius in ſuis notis ad hoc Conciliabulum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Recuperauit hic Pontifex, vt ſtudebat,Terras occupatas, vt hic dicitur in principio?

RESP. Bononiam recuperaſſe, & Parmam, & Placentiam,& omnia Inſubrum oppida,Hiſtorici teſtantur,& poſt alios Ciacon. in vita huius Pontificis.

XXVIII.

Edita Anno 1512.

Decet Romanum Pontificem,& infra pag. 448. Bulla ij.

COMPENDIVM.

Ad tollendum contentiones iuriſdictionum inter Iudices almæ Vrbis, decernit omnes (non tamen mercatores notabiles,vel Oratores Principum, aut Communitatum, vel familiares Cardinalium,vel Curiales) incolas Romæ habitantes, & ciues Romanos ſæculares conueniri in Curia Capitolij, aut coram alijs Officialibus ſæcularibus Vrbis, prout ad eorum officium ſpectat.§. 1. & 2. Clericos verò coram Vicario Papæ, vel alijs Officialibus Eccleſiaſticis Vrbis.§.3.Pro delictis Curialium (non tamen mercatorum, & aliorum, vt ſuprà exceptorum,qui coram Aud. Cam. conueniri debent) in Curia Gubernatoris, vel Aud.Cam.vel Mareſcalli locum præuentioni eſſe decernit.§.4.Ad Aud.Cam. appellatur à Mareſcallo; & eius Iudex quotannis ſyndicetur. §. 5. In cauſis priuatis Gubernator tribunal non teneat; ſed ſit omnium Iudicum Superintendens, & regimen Ciuitatis totaliter curet,Officialium, & maximè Notariorum criminalium tranſgreſſiones, cauſáſque mercedum manu regia cognoſcat. §. 6. Officiales omnes ſyndicari debent. §. 7. A Iudicibus Curiæ Capitolij ad Capitaneum appellationum appellatur. §. 8.

Tabula marmorea mercedum pro Notariis, & executoribus affixa ſeruetur. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Coram Senatore hoc mane dubitatum fuit, an ille dicatur ſe declaraſſe Vrbis incolam, qui anno præterito citatus coram Vrbis Gubernatore, fecit ab ipſo Senatore eam cauſam vigore huius priuilegij, & aliorum populo Romano conceſſorum reaſſumi, quis ergo hunc punctum in ſpecie decidit?

R E S P. Affirmatiua opinio eſt tenenda, quam in ſpecie tradit Lucas Pætus in Pract.Cur.Capit.lib.1.cap.6. num. 5.verſ.Hinc dicebam,& pro ea habemus deciſ. Rotæ coram Litta in vna Romana Salu. interdict. die 7. Nouembris 1601.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi exemptus à iuriſdictione Cur.Capit.vt in §. 3. ibi conuentus non oppoſuit, & receptæ ſunt probationes?

R E S P. Dic ſibi præiudicaſſe,niſi eſſet exemptio talis, quæ conſenſu partis remitti non poſſit, vt eſt in Clerico. Ita hanc Bullam interpretata eſt Rota coram Cantuccio in vna Rom. fideicommiſſi domus,deciſ.105. parte 2. diuerſor. num.6.& ſeqq.

X X I X.

Edita Anno 1512. SI noſtrarum Ciuitatum, & infra pag.449.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reintegrat inclytum populum Romanum ad ſuperioritatem, & iuriſdictionem in Ciuitate Tiburtina. §.1. & 2. Conſeruatores dicti populi pariter reintegrat ad iuriſdictionem eis ex ſtatutis Vrbis competentem, tam in ipſa Vrbe,quàm in d.Ciuitate Tiburtina,& aliis eorum caſtris.§.3. Decernitque in d. eorum iuriſdictione per cuiuſuis mandata, & præſertim Clericorum Cameræ non impediri. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus.§. 4.

Scholion primum.

Quæro. Cùm iſta Conſtitutio ſit reintegratoria iuriſdictionis, noui aliquid inducit?

R E S P. Non, vſque ad §.3. verſ. *Decernentes*,cùm ſimpliciter reponat populum in ſua, quam antea habebat, iuriſdictione.Sed in verſ.*Decernentes*, nouum ius inducit, nolens à Clericis Cameræ, & aliis Officialibus perturbari,prout ex vi d.verbi *Decernentes*, ſic tenuit gloſſ. in Clem.ſi.de ætat.& qualitat.& in aliis locis,quæ notat Nauarr.in cap.9. de reſtit. ſpoliat.in ſolut.quintæ oppoſit.numer.8. poſt Panormit. in d. Clem. fin. numer.5.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Hoc verbum,*Decernentes*,ſemper eſt noui iuris inductiuum?

R E S P. Non, vbi repugnat ſubiecta materia, quæ apparet quod eſt noua; nam tunc receditur à propria verbi ſignificatione, & attenditur ſubiecta materia. Gloſ. & ſcribb. in Clem.vnica de conceſſ.præb. Panormit.in c.2. de iudic. ſub num. 20. vbi in fin. alia duas affert declarationes.

X X X.

INter cæteros in militanti Eccleſia, & infra pag. 450. Bullarij. *Edita Anno 1512.*

C O M P E N D I V M.

Confirmat ordinationes, & gratias Canonicorum Regularium Congregationis S.Saluatoris, cuius in minoribus conſtitutus Protector fuit. §. 1. Eorum dubia ad Congregationis fauorem interpretari iubet.§.2. Priuilegia cuiuſque Monaſterij alteri communicat. §.3. Vnitatem regularis obſeruantiæ vbique teneri præcipit.§.4. Eos veros eſſe Canonicos declarat. §. 5. Priuilegia aliorum Ordinum Congregationi elargitur §. 6. Capitulo generali dat authoritatem,ſtatuta pro bono Congregationis regimine edendi. §. 7. Contrauentionémque ex contemptu tantùm ad peccatum obligare declarat. §.8. Prælati reformationi iuxta Congregationis inſtituta intendant.§.9. Capituli generalis correctioni omnes ſubſint.§.10.Generaliſque Prioris obedientiæ.§.11.De cuius licentia,& non aliàs ad Sedem Apoſtolicam appellatur. §. 12. Contra Prælatos, & Canonicos, iuxta formam conſtitutionum procedatur.§.13. Ipſi extra Congregationem nemini

mini ſeruiant, nec ſine licentia ad alios Ordines tranſeant. §. 14. Et fugitiuos Congregatio recipere non cogatur. §. 15. Habitum abſque licentia nemo dimittat. §. 16. Vagantes extra clauſtra coërceantur. §. 17. Ingredientes Congregationem non impediantur. §. 18. & ſeq. Et bona incertarum perſonarum habentes, portare poſſint ad Congregationem. §. 20. Canonici choro non aſſiſtere, vel officia recitare, quando excuſentur. §. 21. Sacris initiari à quocumque antiſtite poſſint. §. 22. Generalis, Diffinitores, Viſitatores, & Prælati, in quibus diſpenſent. §. 23. 28. & 29. Generalis ſacris vſibus neceſſaria benedicit. §. 24. Sacerdotes ante diem vt celebrent. §. 25. Altari portatili quando vtantur. §. 26. Tempore interdicti vt celebrent. §. 27. Perſonæ Ordinis quando ſibi eligant Confeſſores. §. 30. Indulgentias vt conſequantur. §. 31. Legatorum mandata exequi non cogantur. §. 32. Exempti vt ſint à ſuperioritate Ordinariorum. §. 33. & ſeqq. Mortuos in Eccleſiis eorum ſepeliant. §. 34. Exempti vt ſint à ſolutione datiorum. §. 37. Decimarúmque. §. 38. Procurationum quoque Legatorum, & Nunciorum. §. 40. Loca habita retineant, & noua acquirant. §. 41. & ſeqq. Præſcriptio 60. annorum tantùm contra eos attendatur. §. 42. Bona vt alienent. §. 43. Monaſteria etiam apud Sedem Apoſtolicam vacatura à Prælatis Congregationis tantùm regantur. §. 46.

Scholion primum.

Quæro. De iſtis Canonicis S. Saluatoris, an de aliis Lateranenſibus ſunt intelligenda antiqua Iura Pontificia de Canonicis loquentia?

RESP. De Lateranenſibus, nam iſtorum Congregatio iamdiu poſt illos inſtituta fuit à Greg. XII. vt ſuprà in eius conſtit. dictum fuit, & aduertit Rod. tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 3. art. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Scopetini iidem Canonici S. Saluatoris, vt fertur, appellati fuerunt?

RESP. Quia, vt inquit D. Antonin. in 1. par. ſuæ Hiſtor. tit. 15. in Monaſterio S. Donati de Scopeto, prope Florentiam ſito, Congregatio iſta initium habuit. Sed Rod. mox cit. antiquiorem eorum fuiſſe originem demonſtrat, nec repugnat quod quandoque ab illo inſigni eorum Monaſterio de Scopeto vocati fuerint.

XXXI.

CVm inchoatum huius ſacri Lateranenſis, & infra pag. 457. Bullarij. *Edita Anno 1512.*

COMPENDIVM.

Vt Concilij Lateranenſis proſecutione durante, Chriſti fideles à Schiſmaticorum peſtifero contagio ſe immaculatos valeant conſeruare, indictionem Conciliabuli Piſani, eiúſque ad Mediolan. vel Vercell. & Sacro approbante Concilio Lateranenſi, dicti Conciliabuli ad alia loca translationem, illique aſſiſtentes, fauentes, qualitercumque conſentientes, & acta omnia irritat, & damnat. §. 1. Et hoc Lateranenſe Concilium ritè indictum, & verum Concilium, Oecumenicúmque pronunciat. §. 2. Tertiam eius ſeſſionem ad quartam diem Nouembris 1512. prorogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quò translatum fuit iſtud Conciliabulum, de quo in §. 1.

RESP. Primùm Mediolanum, vt hic dicitur, deinde Lugdunum translatum ſcribunt omnes, & poſtremò Binius in notis huius Conciliabuli.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliudne Conciliabulum his temporibus contra iſtum Pontificem coactum fuit?

RESP. Conciliabulum Gallicanum Turonenſe, in quo decretum eſt, vt mitterentur ad Pontificem Legati, qui cum eo de pace agerent, vel ſi ipſos nollet audire, eum prouocarent ad conuocandum Concilium Generale, vt ſcribit Binius in notis huius Conciliabuli.

LEO X.

Italus, creatus anno 1513.

CONSTIT. I.

DVm ſingularem fidei conſtantiam, & infra pag. 458 Bullarij. *Edita Anno 1513.*

COMPENDIVM.

Confirmat priuilegia à Prædeceſſoribus

T 4

bus elargita populo Romano, & etiam ſtatuta, nouaſque reformationes. §. 1. & 2. Quamplura officia eidem populo reſtituit. §. 3. Beneficia in Vrbe, & diſtrictu vacantia (nonnullis exceptis) non niſi Romanis ciuibus conferri, etiã cum expreſſa præſentium derogatione decernit. §. 4. Gabellam vini forenſis pro regimine Studij Vrbis aſſignat. §. 5. & 7. Notarios Romanos à contentis in Bulla Iulij II. pro Archiuio Romanæ Curiæ edita, eximit. §. 6. Incolas Vrbis à gabella vini forenſis, & farinæ liberat. §. 8. Conſeruatoréſque Vrbis etiam à gabella vini Ripæ pro vegetibus 25. anno quolibet eximit. ibid. Pretium ſalis minuit. §. 9. Ciuitatem Tiburtinam, & Terram Coræ, cum earum territoriis, pop. Rom. ditioni de conſenſu, quorum intereſt, reſtituit. §. 10. Executores huius Bullæ deputat. §. 11. Contrariiſque derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt quod exteris, & non ciuibus Romanis, vt cauetur in §. 4. beneficia nonnulla in Vrbe, eiuſque diſtrictu conferuntur?

R E S P. Vt Clericorum exterorum quoque bene meritorum perſonis prouideat Papa; & hoc caſu, vel in literis apponit clauſulam, *Accedente conſenſu Populi Romani*, & tunc, illo non accedente, gratia eſt nulla. Rota coram Caputaq. deciſ. 103. parte 3. Vel Papa huic Bullæ ſufficienter derogat, & dictus conſenſus non eſt neceſſarius. Rot. deciſ. 304 par. 2. diuerſor. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Gabella farinæ, de qua in §. 8. quæ, quantáue eſt?

R E S P. Non eſt de ea quærendum, ſed ſummopere laudandum cenſeo Gregorium XIII. cuius authoritate populus Romanus eã extinxit, vt in quodam ipſius Greg. diplomate, die 1. Ianuarij 1583. expedito, perlegiſſe memini.

II.

Edita Anno 1513.

ETſi à ſummo rerum omnium Conditore, & infra p. 460. Bull.

C O M P E N D I V M.

Põtifices, & Principes Ordini Camaldulenſi multa priuilegia dederunt. §. 1. Vnitæ mox fuerunt Congregatio Eremi Camaldulenſis, & Congregatio S. Michaëlis, ſtatutáque edita pro regimine tam Regulari, quàm Conuentuali. §. 2. Hic Pontifex prædicta comprobat. §. 3. Dubia priuilegiorum ad fauorem Ordinis interpretari mandat. §. 4. Priuilegia omnibus Monaſteriis communicat. §. 5. Omnium Monachorum vna ſit Congregatio, Eremi Camaldulenſis nuncupanda. §. 6. & 56. Capitulum generale pro regimine Ordinis ſtatuta facere poſſit. §. 7. Maximè pro reformatione Monaſteriorum. §. 8. Generali obediant Prælati, & eis Monachi. §. 9. Appellatio eis vt prohibeatur. §. 10. Proceſſus vt formentur. §. 11. Tranſitus de loco ad locum vt licitus. §. 12. Fugitiui non recipiantur. §. 13. Tranſlati vt eorum locorum profeſſi cenſeantur. §. 14. Loca, & perſonæ Ordinis his gaudeant gratiis, quæ inſtitutis eius non obſtant. §. 15. Loca ſibi ipſis non ſint ſubiecta. §. 16. Monaſteria vt conferantur. §. 17. Electi vt gubernent. §. 18. & ſeq. Loca Ordinis non commendentur. §. 20. Sed à Prælatis Ordinis conferantur. §. 21. Ingredientes Ordinem non impediantur, & ab Obſeruantibus recipiantur. §. 22. & 103. Ingreſſi non recedant. §. 23. Apoſtatæ coërceantur. §. 24. Ordo à iuriſdictione omnium eximitur. §. 25. Prælati non cogantur intereſſe Conciliis, proceſſionibus, &c. §. 26. In iudicio quando teſtes ſint. §. 27. Ordo eximitur ab impoſitionibus, decimis, præſtationibúſque, &c. ex bonis, hortis, &c. §. 28. vſque 33. Monachi vt ſuccedant. §. 34. Præſcriptio quæ contra eos attendatur. §. 35. Interdicti tempore vt celebrẽt. §. 36. Ordines vt recipiant. §. 37. Prælati vt Monachos diſpenſent. §. 38. Religioſos omnes recipiant. §. 39. Confeſſiones vt audiant. §. 40. Specialis excommunicatio tantùm eos ligat. §. 41. Diſpenſatio ſuper recitatione Officij vt eis detur. §. 42. Sepultura omnibus in locis Ordinis detur. §. 43. Quæ pacta in eorum contractibus permittenda. §. 44. Priuilegia cõſeruentur. §. 45. & ſeqq. Itinerantes vt celebrent ante diem. §. 49. Peregrinatio Eremitis vt permiſſa. §. 50. Familiares vt priuilegiati. §. 51. Conſeruatorũ

electio

electio, & facultas. §. 52. Beneficiorum vnitorum cura. §. 55. Loca Ordinis multa. §. 57. & ſeqq. Monialium ſubuentio. §. 77. & ſequentibus. Loca extra Congregationem vacantia aggregentur. §. 87. Generalis, & Prioris Eremi authoritas. §. 88. & ſeqq. Eligaturque de Conuentualibus. §. 90. Officium vt duret. §. 91. In Eremo ſemper commoretur. §. 92. Duos eligit Vicarios. §. 94. & ſeqq. Capitula duo celebrentur, & quæ. §. 97. & ſeq. Diffinitores qui. §. 100. Eremitæ ad Conuentuales non tranſeant. §. 101. Sed è conuerſo. §. 102. Obſeruantes eamdem omnes viuendi formam ſeruent. §. 104. Licentiæ ſtandi extra Ordinem reuocantur. §. 105. & ſequenti. Beneficia curata vt tenenda. §. 107. & ſeq. Obſeruantium Viſitatores omnia loca viſitent. §. 112. Eremiticæ vitæ rigor ſolùm à Capitulo immutari valeat. §. 113. Eremitarum Capitulum vt fiat. §. 114. & ſeq. Quídue poſſit. §. 117. Barbam deferre poſſint. §. 118. Pecuniam non habeant. §. 119. Temporalium adminiſtratores qui. §. 120. Rationem vt reddant. §. 121. Hoſpitium vt conſtruendum. §. 123. Qui ad eos admittendi. §. 124. Clauſuram non exeant. §. 125. Eremita vt acceptandus. §. 126. Non transferendus. §. 127. Mendicantes vt recipiendi. §. 128. Immunis à quibus. §. 129. & ſequentibus. Recluſi vt Miſſam audiunt §. 133. In quibus diſpenſentur. §. 134. & ſequenti. Eremitæque. §. 136. Peculium morientium extra clauſtra, Eremo applicetur. §. 137. Statuta antiqua reformentur, & eis non derogetur. §. 138. & ſeqq. Oratio pro Sede Apoſtolica, Papa, & Ordinis Protectore, vt fiat. §. 141. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Exemptio hortorum, de qua in §. 33. importat, vt olera aliis vendere poſſint?

RESP. Non, quia intelligitur de hortis, & oleribus pro vſu Monachorum tantùm. Anchar. in cap. ex parte. 10. de decim. num. 2. Panormit. num. 3. Anan. numero 2. Rota coram Seraphin. deciſ. 827. num. 6. vbi ſic ſimilem Bullam Monachorum interpretatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Arrendatarij ſoluerent decimas non ſoluendas, præiudicarent his Monachis?

RESP. Nequaquam præiudicarent, vt Rota tenuit in deciſ. Seraph. 1563. vbi etiam ampliationes videre poteris.

III.

Sedis Apoſtolicæ prouidétia gratiarum, & infra pag. 471. Bullarij. *Edita Anno 1513.*

COMPENDIUM.

Quia Auditores Rotæ Romanæ, & eorum Locatenentes, aſſiduos ſtudiorum labores ſuſtinent in adminiſtranda iuſtitia, omnibus ad Sedem Apoſtolicam confluentibus, & congruentia non recipiunt ſtipendia, decet eos maioribus, quàm alios gratiis, & fauoribus cohoneſtare. §. 1. Hic ideo Pont. iubet literas Apoſtolicas, tam gratiam quàm iuſtitiam concernentes, gratis pro eis expediri. §. 2. & 3. Omnibúſque contrariis derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Locumtenens in quo differt ab Auditore?

RESP. Is dicitur locum tenere Auditoris, qui officio Auditoratus à Papa abſolutus promouetur, vt frequenter contingit, ad Eccleſias Cathedrales, vel Metropolitanas, iuxta Bullam 6. Innoc. VIII. de qua ſup. ſed tamen ex indulto eiuſdem Papæ, tenet locum ſuum in Rota, cum facultatibus, & iuriſdictionibus, quibus antea vtebatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Locum tenet, quem antea tenebat, vel alios Auditores tamquam Epiſcopus præcedit?

RESP. Tenet locum ſuum in Rota, ſecundum antiquitatem Auditoratus, vt ipſamet Rota cenſuit in vna Romana præeminentiarum, 16. Decembris 1585. coram Seraphino, quæ deciſio mox eſt inter alias eius impreſſas 716. numero 15. Et fuit poſtea obſeruatum cum ipſomet Seraphino, qui cùm de anno 1601. creatus eſſet Patriarcha Alexandrinus à Clemente VIII. in Rota loco ſuo ſedit, quouſque ad Cardinalatus honorem ab eodem Pont. euectus fuit. Idémque hodie ſeruatur cum

V Reueren

Reuerendiſſimo D. Franciſco Sacrato ad Archiepiſcopatum Damaſcenum promoto à Paulo V.vt dixi ſup.ad Conſtit. 6. Innoc. VIII. & mox ad Cardinalatum per Greg. XV. vt dixi ſuprà. Extra Rotam verò ſemper ipſe Epiſcopus præcedit, vt eſt notiſſimum, & ſcribit Gratian. diſcept. forenſ. lib. 1. cap. 298.num. 34.

IV.

Edita Anno 1513. DVm ſuauiſſimos, atque vberes fructus,& infr.p. 472. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bonifacius VIII. in ſua Conſt. 9. de qua ſup. in alma Vrbe generale Studium inſtituit. §. 1. Hic Pontifex approbat. §. 2. Lectorum numerum, qualitates, & ſalaria deſignat. §. 3. Aduocationis munus, aut alterius, quàm domi conſulendi officium Doctoribus lectoribus prohibet. §. 4. Lectorum munus indicat. §. 5. Rectori, & reformatoribus Studij prædictorum obſeruantiam, Studiíque correctionem, & reformationem delegat. §. 6. Bidelli officium præfinit. §. 7. Fori priuilegium, & gabellarum exemptionem Scholaribus concedit. §. 8. Executores huius Conſtitut. deputat.§.9. Cardinales Studij defenſores eligit. §.10.Rectoris obedientiam omnibus Curiæ executoribus præcipit. §. 11. Contrariis derogat. §.12. Audire leges pro Canonum intelligentia omnibus permittit. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Rector poteritne Doctores, & Scholares in his quæ eueniunt occaſione ſui regiminis, carcerare?

RESP. Poteſt proculdubio, vt ſcribit Panormit. in cap.1. de elect. in fin.& Rota in deciſ. Achillis de Graſſis 108. num. 1.& ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Rectoris iuriſdictio extendit ſe etiam ad Scholares Clericos, ſi ipſe laicus ſit?

RESP. Hunc articulum latè diſcutit Panormit. in quæſt. 6. Sed mihi opinio negatiua magis placet, quia Bonifacius Papa in d. eius Conſt. 9. §. 2. ſuo Vicario eos ſubiecit.

V.

APoſtolici regiminis ſolicitudo, & infra pag.473. Bullarij. *Edita Anno 1513.*

COMPENDIVM.

Quia error ille à fidelibus ſemper exploſus, denuò ſit exortus, quod ſcilicet anima rationalis mortalis ſit, & vna in cunctis hominibus. §. 1. Hunc ergo errorem damnat, & multis ſacræ Scripturæ argumentis contrarium veriſſimum probat, & dicto errori inhærentes vti hæreticos plecti iubet. §. 2. Philoſophis, vt Catholicam huius articuli veritatem eorum diſcipulis explicent,committit.§.3.In ſacris conſtitutos,Theologiæ,vel ſacrisCanonibus ſtudere mandat. §. 4. Hanc ſanctionem in Studiis generalibus, annis ſingulis, in principio Studij publicari iubet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Iſte error mortalitatis animę, de quo in §.1.à quibus proceſſit?

RESP. Antiquus Arabicorum error fuit, quod anima cum corpore moreretur,vt tradit Eymeric.in Director.Inquiſit.par.2.quæſt.6.num. 59. pag. mihi 245. & Feder.de Senis conſ.252.numer. 1. vbi ſubdit, quod per multos Canones huiuſmodi hæreſis poſtea damnata fuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quamuis manifeſtè, & communiter mortalitas animæ reprobata ſit, nónne præter ſacrarum Scripturarum, & Canonum authoritates, aliquid etiam de immortalitate animæ afferre vales?

RESP.Nicæna Synodus 318.Epiſcopis congregatis,anno 328.celebrata, futuri ſæculi,& reſurrectionis fidiſſima teſtimonia retulit,dum volens ſuis decretis etiam à Chryſantho, & Muſonio Epiſcopis ibi interim defunctis, calculum adiici, quò dignioris eſſent fidei apud poſteros, vt refert Nicephor. lib.8.cap. 23. reliqui Epiſcopi ſubſcripti, ad eorum ſepulchrum tabulis Concilij allatis, eos tamquam viuentes hac oratione allocuti ſunt; *Bonum certamen, Diui Patres, nobiſcum decertaſtis, curſum peregiſtis, fidem ſeruaſtis, ſi igitur cenſetis id, quod à nobis actum eſt, quoniam nunc nullo interpoſito obſtaculo, Trinitatis ſplendore illuſtrati, clarius*

clariùs id perſpicitis, opus eſt, vos nobiſcum libellum ſubſcribere. His dictis, libellum obſignatum ad tumulum eorum depoſuêre, noctémque totam inſomnem peregêre, & poſtridie ad eum locum redière, & ſigna inuiolata inuenientes, libello explicato, ſubſcriptiones illorum reliquis inſertas cognouêre recentes adhuc in hæc verba conceptas. *Chryſanthus, & Muſonius, qui cum Patribus omnibus in ſancta prima Oecumenica Synodo conſenſimus, quamuis corpore tranſlati, manu tamen propria nos libello ſubſcripſimus*; vt poſt Nicephor. vbi ſuprà ſcribit Baron. tom. 3. ſuorum Annal. Eccleſ. pag. mihi. 329. litera C. & D.

V I.

Edita Anno 514. MEretur veſtræ deuotionis ſynceritas, & infra pag. 474. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis Nicolaus III. Clemens V. & alij Pontt. pro ſerenitate timoratarum conſcientiarum Fratrum Ordinis Minorum de Obſeruantia, loca, & bona etiam mobilia in ius, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ ſuſceperint, nihilominus nonnulli adhuc hæſitant, ſi poſſunt habere ampla monaſteria, & pretioſa ornamenta Eccleſiaſtica. §. 1. Supplicant ideo deſuper prouideri. §. 2. Hic propterea Pontifex decernit, ea tamquam cuſtodes licitè habere poſſe. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi iſti Fratres procurarent habere Monaſteria, & ornamenta Eccleſiaſtica pretioſa?

RESP. Non liceret, quia ex Regula eis non licet, & in hac Bulla id non conceditur, ſed ſolus vſus; vt aduertit Corduba in addit. ad Collect. Compendij Priuileg. Fratrum Minorum, in verb. Ornamenta, & ſequitur Rod. quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 25. artic. 2. & loquuntur ſpecificè de hac Bulla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod Collector prædictorum Priuilegiorum has literas ſubreptitiè obtentas aſſerit?

RESP. Autumauit, quod Papæ non fuiſſet narratum præceptum Regulæ de paupertate, & Conſtitutio Clementis V. in Clem. 1. de verbor. ſignific. vbi damnatur ſuperfluitas, & curioſitas. Sed contrarium verius eſt, quia dum Leo hos Fratres decernit eſſe ſolummodo cuſtodes, nihil contrarium Regulæ ſtatuit. Curioſitatem Fratrum non admittit, vt mox dictum eſt in ſcholio præced. Multiplicitatem autem, & pretioſitatem reſpectu diuini cultus rationabiliter permittit, vt Corduba, & Rod. reſpondent in locis præcitatis.

V I I.

SVpernæ diſpoſitionis arbitrio, & infra pag. 474. Bullarij. *Edita Anno 1514.*

COMPENDIVM.

Ad reformationem nonnullorum malorum, reductionémque ad Canonum obſeruantiam, in melioremque ſtatum, ſtatuit in promotione Prælatorum ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias ſeruandam eſſe diſpoſitionem generalis Concilij Lateranenſis ſub Alex. III. congregati, vt in cap. 1. & ſeq. de ætat. & qualit. certis exceptis caſibus. §. 2. & 3. Et non diſpenſentur minores 27. annis, quoad huiuſmodi Eccleſias, & minores 22. quoad Monaſteria. §. 4. De eorum qualitatibus, & Eccleſiarum adminiſtratione, & aliis fiat ante promotionem proceſſus, & à Cardinalibus, ad quos ſpectat, in Papæ Conſiſtorio referatur. §. 5. Promoti autem viſitent Cardinales in Curia præſentes. §. 6. Epiſcopus, & Abbas etiam de notoriis criminibus inquiſiti, defenſiones habeant. §. 7. Prælatus inuitus non transferatur. §. 8. Monaſteria vt de cætero commendanda. § 9. & ſeq. Penſiones in Eccleſiis huiuſmodi non niſi reſignationis cauſa, aut alia in Papæ Conſiſtorio probata, reſeruentur. §. 11. Beneficia à duc. 200. infra, & Hoſpitalia Cardinalibus non commendentur. §. 12. Beneficia abſque legitima cauſa non diſiunguntur. §. 13. Neque vniones fiant. §. 14. Diſpenſatio ad plura incompatibilia beneficia vt deneganda. §. 15. Cardinalium mores qui eſſe debeant. §. 16. Epiſcopos vt fratres tractent. §. 17. Omnium negotia piè promoueant. §. 18. Suorum titulorum loca, & perſonas, vt tractare debeant. §. 19. Conſanguineis modeſtè ſubueniant. §. 20. Commendatas Eccleſias vt regant. §. 21. & ſeq. Fami-

lias vt curent. §. 23. & ſeq. Familiares Papæ vt viuant, & veſtiantur. §. 25. Cardinales de propaganda fide inuigilent. §. 26. Legationum loca perſonaliter gubernent. §. 27. Alij in Curia reſideant, & Papæ inſeruiant. §. 28. In eorum funeralibus expenſæ quæ. §. 29. Vota non reuelent. §. 30. Silentium à Papa indictum ſeruent. §. 31. In eruditione Scholarium quid obſeruare debeant Magiſtri. §. 32. Blaſphematorum pœnæ quæ. §. 33. Clericorúmque incontinentium. §. 34. Sodomitarum quoque. §. 35. Concubinariorúmque. §. 36. Simoniacorum. §. 37. Non recitantium officium. §. 38. Principum ſæcularium, eorúmque Officialium beneficiis, & eorum fructibus ſe ingerentium, pœnæ quæ. §. 39. Violatorúmque libertatis Eccleſiaſticæ. §. 40. Clericorum quoque ſortilegorum. §. 41. Et hæreticorum omnium. §. 42. Hæc Bulla omnes vbique liget. §. 43. Aliis conſtitutionibus quoad pœnas non detrahit. §. 44. Interpretaríque non poſſit. §. 45.

Scholion primum.

Quæro. Prohibitio reſeruandi penſiones in Eccleſiis Cathedralibus, comprehenditne Monaſteria Conſiſtorialia?

RESP. Rota in deciſ. Computaq. 177. par. 1. affirmatiuam ſententiam probauit anno 1551. Sed poſtea multis rationibus contrarium diffiniuit in deciſ. 606. Seraphin. per totam anno 1583. & ita ſeruatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Prohibitioni circa diſpenſationem ad plura incompatibilia, de qua in §. 15. dicitur ſufficienter derogatum per clauſulam, *non obſtante ordinatione generalis Concilij Lateranenſis?*

RESP. Non, quia Concilium generale Lateranenſe, de quo id intelligitur, eſt illud coactum ſub Alexand. III. ita quod illi tantùm, & non iſti derogat: & ita cenſuit Rota in deciſ. Caputaq. 176. & 268. par. 1. Requirebatur etenim ſpecialis iſtius Concilij derogatio. Rota deciſ. 123. par. 1. diuerſor. per totam.

VIII.

ETſi pro cunctarum Ciuitatum, & infra pag. 479. Bullarij. *Edita Anno 1514.*

COMPENDIVM.

Deputat Amadæū Berrutum in Vrbe, eiúſque diſtrictu, & pertinentiis Gubernatorē, & in Camera Vicecamerarium, eiúſque Locumtenentem, cum poſtate, honoribúſque & oneribus conſuetis. §. 1. Cauſas omnes, etiam à ſe, ſuóque Camerario illi commiſſas, & committendas, tam ciuiles, quàm criminales per ſe, vel ſuos Auditores, & Locatenentes cognoſcendi, contra quoſcumque etiam Eccleſiaſticos, ac Religioſos, cuiuſcumque Ordinis. §. 2. Nullo iuris, vel d. Cameræ, aut ſtyli Rom. Cur. ordine, vel conſuetudine ſeruatis, &c. §. 3. 4. & 10. Contra delinquentes etiam nulla præcedente infamia, nullóque proceſſu inquirendi, & caſtigandi, & vſque ad vltimum ſupplicium puniendi. §. 5. Et ſola citatione domi executa, alios Iudices præueniendi. ibid. Super pœnis ab eo indictis priuatiuè quoad alios procedendi. ibidem. Domíque validè prout in perſonam, reos citandi. §. 6. Pœnas omnes arbitrio ſuo augendi, & minuendi. §. 7. Statutiſquè Vrbis derogandi. §. 8. Bannimenta ſub quibuſcumque pœnis publicandi, & alia etiam de mandato Papæ edita interpretandi, & alterandi. §. 9. Appellari à ſententiis ſuæ Curiæ in cauſis criminalibus, vel mercedum, & aliis vſque ad duc. 10. auri, non poſſit. §. 11. Auocari inde cauſas, non niſi Papæ Motu proprio licet. §. 12. Syndicatui, nec ipſe, nec eius Officiales ſtare, aut de aliis in officio geſtis rationem reddere tenentur. §. 14. Irregularitatem minimè incurrunt. §. 15. Et ita vbique, & ab omnibus, & non aliter iudicetur. §. 16. Mandatáque ſua, & ſuorum Locatenentium, vel Auditorum, Bariſellus, & cæteri executores indilatè exequantur. §. 17. Et hæc omnia ad lites, & negotia præſentia & futura extendantur. §. 18. Contraria quęcumque minimè obſtent. §. 19. Gubernator ſolicitè, & fideliter officium exerceat. §. 20.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Ampliſſima hæc facultas Gubernatoris, de qua in §.2.& ſeqq. habétne locum etiam in cauſis commiſſariis, ita vt termini ſubſtantiales minimè ſeruandi ſint?

R E S P. Sic profectò, ſi aduertimus illa verba §.1. *etiam à nobis committendas*; & ita conſtitutionem iſtam intelligit Pariſ.conſ.226.lib.4. num.1. quem ſecuta eſt Rota in deciſ.Seraphin.290. numer.18. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Valebit proceſſus etiam non petito iuramento calumniæ?

R E S P. Non; quia iuramentum eſt iuris diuini.Surd.deciſ 18.num.9. Et ampliſſima facultas ſupradicta remittit ſolummodo ſolemnitates iuris ciuilis, & canonici, non autem diuini.Bartol.in extrauag.Ad reprimendum, in verb. figura, num. 11. Rota in deciſ. Putei 388. lib. 2. poſtremò impreſſis.& in deciſ. Manticæ in vna Bononienſi Attentatorum, die 24. vel 28.Octobris 1588.

I X.

Edita Anno 1515. CVm ſicut nobis nuper exponi feciſtis, & infra pag. 480. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Moniales S.Claræ quædā dubia ſuper 1.& 2.earū Regula declarari, huic Pont. ſupplicant, in princ. Qui declarat primū exortū dubium ſuper recitatione Officij.§.1.4. & 5.Et ſecundum ſuper neceſſitate, quæ excuſet à Choro.§.2.& 6. Necnon tertium ſuper Indulgentiis.§.3.& 6. in verſ.quantum. Dat quoque eiſdem licentiam, duplici Officio celebrandi feſta B.Agnetis, & vndecim millium Virginum.§.7.Cauſas enunciat, ob quas huiuſmodi declarationes edidit. §.8. Contrariiſque derogat. §.9.

Scholion primum.

Quæro. Soror matris noſtræ, quæ huius Ordinis Monialis eſt, in recitatione Officiorū, de qua in §.2.& 6. habet ferè ſemper ſcrupulum non fuiſſe attentam, quo igitur remedio ei ſuccurrendum?

R E S P. Edoce quemcumque ſcrupuloſum, quod ſufficit virtualis attentio, & quod quis non ſe diſtrahat ex propoſito, ſeu per notabilem negligentiam, ſecundum D.Thom.2.2.quæſt.83. & Caiet. ibi art.17.& alios cōmuniter; & bene de his ſcribit etiam Nauarr. in Manuali Confeſſ.cap.13.de orat.num.29.& ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt, quod mulieres magis, quàm viri hiſce ſcrupulis abundant, & quæ remedia eis opportuna poſſunt vltra prædicta adhiberi?

R E S P. Longo ſermone opus eſſet, quia multis de cauſis cauſatur ſcrupuloſitas in fœminis, & in maſculis quandoque, & etiam circa multa, & ideo plura ſunt à DD.excogitata remedia, quę perlegas in Rod. de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 66. art. 2. & ſeqq. vbi latè poſt Gerſon. Caietan. & alios, quos recenſet.

X.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag.481.Bullarij. Edita Anno 1515.

C O M P E N D I V M.

Iudicibus exemptorum ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ præcipit hic Pont. quod ita diligenter eorum correctioni intendant, vt metu pœnæ à ſuis arceantur inſolentiis, & alij eorum exemplo à ſimilibus ſe abſtineant.§.1. & 2. Et ſi ipſi negligentes fuerint, Ordinarij procedant.§.3.Protonotarij, & alij Sedis Apoſtolicæ Officiales, ſi actu eorum officia exerceant, in cauſis tam ciuilibus, quam criminalibus ab Ordinariorum iuriſdictione exempti ſint.§.4. Alij autem Notarij habitum, & rocchettum continuè non geſtantes, aliaque officia actu non exercentes, in criminalibus, necnon in ciuilibus cauſis, auri duc. 25. ſummam non excedentibus, Ordinariis ſubiaceant. ibid. Familiares etiam Cardinalium actu ſeruientes exempti ſint. §. 5. Diœceſani Monaſteria Monialium exēpta ſemel in anno viſitent §.6.Exemptiones irrationabiles irritæ ſint. §. 7. Cauſæ Eccleſiaſticæ, & beneficiales in primis inſtantiis coram Ordinariis cognoſcantur, dummodo beneficia ipſa non ſint de reſeruatis. §. 8. Conſeruatores à Sede Apoſtolica deputati, in altero iurium minimè graduati, Aſſeſſorem partibus non ſuſpectum requiſiti

eligant, & iuxta eorum votum iudicent. §. 9. Impedientes iuriſdictionem Eccleſiaſticam multis pœnis ſubiicit. §. 10. & ſeq. Concilia Prouincialia quolibet triennio celebrari mandat. §. 11. Clementinam 5. de elect. ſeruari decernit, præterquàm ex cauſa in Conſiſtorio approbanda. §. 13. Attentanda in contrarium irritat. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Qui ſunt exempti ab Ordinariis, & ſuppoſiti Conſeruatoribus, de quibus in §. 9. poterunt Ordinariorum iuriſdictioni ſe ſubmittere?

R E S P. Poterunt; ſed ſibi, & non aliis præiudicant. Ferret. conſ. 102. lib. 1. nu. 18. Corn. conſ. 214. lib. 2. nu. 8. Rota in deciſ. Seraph. 595. num. 7. vbi ſubdit ſecus eſſe de exemptis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, de quibus ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quoad cauſas exemptorum & priuilegia quid Concilium Tridentinum diffiniuit?

R E S P. Multa, quæ videas in ſeſſ. 14. cap. 1. & 24. cap. 11. & aliis pleriſque locis, quæ longum, & quaſi otioſum eſſet, huc transferre, quæ tamen compoſitè cumulauit Steph. Quaranta in ſua Summa aliquot Bullarum in verb. exemptio.

X I.

Edita Anno 1515. INter multiplices noſtræ ſolicitudinis, & infra pag. 483. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Montes Pietatis in pleriſque Italiæ Ciuitatibus ad mutuandum pecunias pauperibus, & egenis inſtituti, & à ſanctis viris laudati, & à Pontificibus prædeceſſoribus confirmari fuerunt. §. 1. Sed nonnulli eos illicitos putabant, vbi quid vltra ſortem exigitur à pauperibus præſertim pro immoderatis impenſis. ibid. Alij autem recipere vltra ſortem, quod pro miniſtrorum impenſis, & bonorum conſeruatione neceſſarium eſt, licere affirmabant. §. 2. Oſtendebántque à ſacris viris, & Romanis Pontificibus hac ſententiam probatam fuiſſe. §. 3. Hic ideo Pontifex declarat, Montes Sacro approbante Concilio huiuſmodi licitos eſſe, in quibus aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum, ad illorum conſeruationem pertinentium recipitur. §. 4. Perfectiores autem eſſe, ſi gratuitò hi Montes inſtituerentur, vel ſaltem aliquo pacto huiuſmodi impenſæ pauperibus alleuientur. ibidem. Contrarium prædicantes, aut diſputantes verbo, vel ſcriptis, excommunicationis ſententiam incurrunt. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Hanc Conciliarem diffinitionem nónne omnes DD. approbarunt?

R E S P. Caietanus in ſuo Tractatu de Monte Pietatis tom. 2. opuſc. tract. 6. contradixit, & etiam Sotus de iuſtitia, & iure lib. 6. quæſt. 1. artic. 6. Sed Nauarr. in comment. de vſur. nu. 59. & ſeqq. eorum contradictionem non iure conſiſtere eruditè more ſuo demonſtrat, & ſequitur Lupus de vſur. comment. 3. §. 3. nu. 4. & Iacob. Graff. in ſuis deciſ. par. 1. lib. 2. cap. 110. ſub nu. 16. Et hanc ſententiam bene tuetur Rebell. de obligat. iuſtit. par. 2. lib. 8. quæſt. 13. per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis introduxit hos Montes Pietatis?

R E S P. De certo authore mihi non conſtat, ſed certiſſimum eſt, quod diuini verbi Prædicatores compatientes inopiæ multorum pauperum, qui pecunia in ſuis neceſſitatibus indigentes ab Hebræorum vſuris vexabantur, efficacibus perſuaſionibus induxerunt populum, vt Pietatis intuitu quiſque voluntariè, quod ſibi placeret, offerret, vt ex multis oblatis vna pecuniarum conſtitueretur ſumma integrè conſeruanda, vt cuique pauperi mutuari poſſet. Adunatáque fuit pecunia ſub publicis cuſtodibus repoſita, & Mons Pietatis nuncupari cœpit, prout recenſet Thom. de Vio in ſuo Tract. de Monte Piet. in princ. quem ipſe edidit anno 1548. ante hanc Bullam, & diſcurrit circa tria capitula Montis, ſentiens eorum vltimum eſſe illicitum in eo, quod vltra ſortem quid percipitur, cuius cōtrarium hic ſanctiſſimè diffinitum eſt, & eius rationes leues eſſe patet ex deductis à Nauarr. & Rebell. vbi ſuprà.

X I I.

X I I.

Edita Anno 1515.

INter ſolicitudines noſtris humeris incumbentes,& inf.p.484.Bul.

COMPENDIVM.

Libros, & alias ſcripturas in Vrbe imprimi vetat abſque examine, & approbatione in ſcriptis ſui Vicarij,ac ſui Palatij Apoſtolici Magni Magiſtri. §. 1. & 2. Et in aliis dœceſibus Epiſcopi, & Inquiſitoris hæreticæ prauitatis. d. §. 2. Contrarium præſumentes, libros amittant, publicè libri comburantur, ducatos centum fabricæ S. Petri de Vrbe perſoluant, per annum ab exercitio imprimendi ſuſpendantur, & excommunicationis ſententiam incurrant. §. 3. Et creſcente eorum contumacia, ſupradicti Papæ Vicarius in Vrbe, & Epiſcopi alibi pœnas augeant. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Examinatio, vel licentia huiuſmodi quomodo probanda, & quid pro eis perſoluendum?

RESP. Licentia in ſcriptis habenda eſt, vt nedum hic habetur, ſed etiam in Concilio Triden. ſeſſ. 4. in decreto de editione librorum:gratis autem tam examen, quàm probationem fieri, ibidem expreſsè cauetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Regulares volentes edere libros, nónne ſuorum quoque licentiam Superiorum impetrare debent?

RESP. Sic expreſsè diffinitur in d. Concilio, in quo idem ſtatuitur contra euulgantes libros, aut communicantes. Sub qua prohibitione continentur etiam lectiones, diſputationes, conciones,& his ſimilia,quæ Fratres inter ſe communicare ſolent, modò communicent ad effectum imprimendi Ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione d. Concilij, teſte Capuccino in Compend. Priuileg. Ordin. Mendican. in verb. Imprimere, & ſeq. Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 104. artic. 1. in fine.

X I I I.

Edita Anno 1515.

INter graues ſolicitudines, & curas,& infra pag. 485. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. multa loca Sedis Apoſtolicæ recuperauit. §. 1. Iſte Pont. Parmam quoque, & Placentiam recuperauit. §. 2. Et pro bonorum d. Sedis conſeruatione, innouat omnes conſtitutiones editas contra illa detinentes, aut hoſtiliter inuadentes. §. 3. Pœnaſque multas eis infligit. §.4. Loca,ad quæ illi declinauerint, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. §. 5.Fautoribus quoque pœnas imponit. §. 6. Abſolutionémque à cenſuris ſibi reſeruat. §. 7.Prohiber milites recipi in Terris S. R. E. abſque ſcientia Papæ. §. 8. Contrariis omnibus derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi aliqua factio vnius Ciuitatis, extans extra Ciuitatem, armata manu velit intrare, & ideo inuadat eam Ciuitatem, non vt eam ſubtrahat Eccleſiæ, ſed vt in ea regnet, vbi regnat pars contraria?

RESP. Caiet. in Sum.§.excommunicatio.17.tenet incidere in has pœnas, quia hæc inuaſio tendit ad turbandum regimen Eccleſiæ, quod pacificum haberi nequit, vbi regnant huiuſmodi factiones; & Caietan. ſequuntur Sum. Armil. §. excommunicatio. 16. Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 27. ſub num. 72. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, à Greg. XIII. editæ, & Graff. poſt eius deciſ. in comment. ad ſimilem Bullam Sixti V.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi facinoroſi homines aliquam inuadant Ciuitatem Papæ, & domos inimicorum, illis trucidatis, deſtruant, bonáque ſurripiant?

RESP. Negatiuè, quia potiùs res priuatorum,quàm Papæ inuadere,& deſtruere cenſentur, vt in ſpecie ſic reſpondet Vgolin. in ſuis comment. ad Bullam Cœnæ Domini editam a Clement. VII. in cap. 20. §. 1. vbi refert exemplum de quodam famoſo Bannito Marco Sciarra nuncupato, qui Terras Eccleſiæ ingrediebatur olim,ad patrandum huiuſmodi mala.

X I V.

Digitized by Google

X I V.

Edita Anno 1515. SVm mi bonorum omnium largitoris, & infra pag. 486. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Literas Apoſtolicas ab Abbreuiatoribus non ſubſcriptas irritat. §. 1. & 2. Solicitantibus eas, & vtentibus, pœnas infligit. §. 3. Nobiléſque, & Comites Palatini, & Notarij Sedis Apoſtolicæ, ſi Clerici ſint, creantur. §. 4. Familiares Papæ quoque,& continui commenſales. §. 5. Eorúmque priuilegiis gaudent. §. 6. Quinimò illis præferuntur. §. 7. Expectatiuarum gratiis perfruuntur §. 8. Eximit à ſuperioritate, & iuriſdictione quorumcunque. §. 9. Doctores creare, & baſtardos legitimare poſſunt. §. 10. Scriptorum literarum Apoſtolicarum priuilegiis vtuntur. §.12. Contraria ſubmouentur. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Abbreuiatorum nomen vnde ſumptum?

R E S P. Abbreuiatores appellantur, quia ipſi breui compendio concipiunt impetrata à Papa in ſupplicationibus, quæ poſtmodum latiùs in literis extendunt. Ita inquit Pariſ. conſ. 112. lib. 4. num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eorum officium quo tempore eſſe cœpit?

R E S P. Ante annum 1235. quo à Benedicto X I I. edita fuit extrauag. 13. incip. Ad regimen, de præbend. Quia in ea Abbreuiatorum beneficia collationi Sedis Apoſtolicæ reſeruata fuerunt, de qua meminit Puteus deciſ.234. lib. 1. in nouis, & Mandoſ. in 1. Reg.Cancell. quæſt. vltima.

X V.

Edita Anno 1515. & 1516. SAluatoris Domini noſtri I E S V Chriſti,& infra pag.490. *Item*; Ex ſupernæ, & infra pag. 492. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confratres Hoſpitalis B. Mariæ de Populo, & S. Iacobi in Auguſta de Vrbe, ſtatuerunt in eo de cætero recipi debere infirmos incurabiles, qui in aliis Vrbis Hoſpitalibus non recipiebantur, prẹterquā epidemię,& lepræ morbo infectos. §. 1. Illúdque regi à quatuor cuſtodibus, & duodecim conſiliariis. §. 2. Syndicos etiam duos, ad eius videnda computa. §. 3. Notarios quoque duos, ad ſcribenda ſpectantia ad Hoſpitale. §. 4. Viſitatoréſque quatuor, pro recipiendis, & viſitandis infirmis. §. 5. Hic Pontifex ad magis promouendum hoc pietatis opus, approbat ſupradicta, & illud erigit in Archihoſpitale, & caput omnium ſimilium Hoſpitalium. §. 6. & 7. Syndicis, & Viſitatoribus dat facultatem infirmos curabiles, vagantes per Vrbem, ad alia Hoſpitalia; incurabiles verò ad iſtud Archihoſpitale etiam inuitos ducendi. §. 8. Exemptionem à datiis & gabellis elargitur. §. 9. Priuilegiáque aliorum Hoſpitalium. §. 10. Clerici etiam de bonis Eccleſiaſticis acquiſita poſſint ei donare, & relinquere. §. 11. Notariis iubet, vt d. Hoſpitali omnia ei relicta notificent. §. 13. Indulgentias Confratribus, & aliis elargitur. §. 14. & ſeqq. Hoſpitale, & eius perſonas ſibi immediatè ſubiicit, & ab aliorum iuriſdictione eximit. §. 4. ſubſeq. Bullæ. Facultatem alienandi bona, certa obſeruata forma, concedit. §. 5. Conſeruatores, executores, & defenſores huius Bullæ deputat. §. 6.& 8. Contrariis derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Iſtud Archihoſpitale potéſtne dici beneficium Eccleſiaſticum?

R E S P. Non, quia licèt habeat Eccleſiā,& Capellanos ad adminiſtrationē Sacramentorum, nihilominus ſolummodo locus pius eſt, quia regimen, & gubernium datur adminiſtratoribus,& facultas fructus omnes diſtribuendi in curandis infirmis;& expreſsè non dicit Papa, quod erigit in beneficium Eccleſiaſticum. Tex. eſt in Clem. 2. de præben. & Clem. 2. de Religioſ.domib. Rota deciſ.714. num. 3.& ſeq. & deciſ. 725. num 7. part.1. diuerſ.& deciſ. 114. par.2. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa ſpecifica exemptio à iuriſdictione Ordinariorum, de qua in §. 4. ſubſeq. Bullæ, nónne eſt ſuperflua, cùm Papa ſub B.Petri, & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipit?

R E S P.

R E S P. Non, ſi quidem tollit dubium, an hæc receptio ſub dicta protectione eſſet ſpecialis, quod requiritur, vt importet exemptionem. cap. ex parte.28. de priuileg. Butr. ibi. nu. 3. Henric. Boich. nu. 1. Seraphin. deciſ. 1025. nu. 5. in nouiter impreſſis.

X V I.

Edita Anno 1516.

Temerariorum quorumdam, & infra pag. 494. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Praua inoleuerat in Vrbe conſuetudo, quod durante Conclaui pro electione futuri Romani Pontificis de more cogi conſueto, ſi vox prodierat etiam non vera, quod quiſpiam ex Cardinalibus eſſet in Papam electus, deprædabantur eius bona. §. 1. Contra hos ergo domorum Cardinalium inuaſores hic Pont. pronunciat pœnas ab Honor. III.& Bonif. in offendentes ipſos Cardinales inflictas. §. 3. Contrariis quibuſcumque derogat. §. 4. Sed prius eaſdem Hon. & Bonif. conſtitutiones approbat. §. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Scio quod inter alias pœnas, quas Hon. & Bonif. indixerunt, in cap. Felicis. 5. de pœn. in 6. eſt demolitio domus; quid ergo erit ſi delinquētis domus ſit cum altero communis?

R E S P. Si maior pars eſt delinquentis, tota demolitur, & ſocio pars pretij perſoluitur: ſecus ſi delinquentis portio minor ſit. Clar. quæſt. 82. in verb. Statutum. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis præparauit ſe ad diripiendum bona Cardinalis, & ante direptionem pœnituit?

R E S P. Euitat hanc pœnam, ſi ad aliquem actum poſitiuum extrinſecum non deuenit, per ea quæ poſt Canoniſt. in cap. Felicis. 5. de pœn. in 6. ſcribit Vgolin. de cenſur. par. 2. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini editæ à Clem. VIII. in verſ. Hoſtiliter inſequentes.

X V I I.

Edita Anno 1516.

Conſtituti iuxta verbum Prophetæ, & infra pag. 494. Bull.

C O M P E N D I V M.

Iul. II. in ſua Conſtit. 27. de qua ſuprà, Concilium Lateranenſe V. generale indixit. §. 1. Eo autem poſt indictam ſeſſ. 6. defuncto, hic Pont. illud proſequi mandauit. §. 2. Venientibúſque ad Concilium ſaluumconductum conceſſit. §. 3. Illud pro Principum Chriſtianorum vnione, vniuerſali reformatione, Pragmaticæque abrogatione congregatum fuit. §. 4. Cui Imperator, & Reges conſenſerunt. §. 5. In eo Conciliabulum Piſanum à Iulio II. damnatum, pro damnato habitum fuit. §. 6. Concilium verò Lateranenſe Deo adiuuante actum, & abſolutum. §. 7. Pax & concordia inter Principes Chriſtianos concluſa. §. 8. Hic Pont. d. Concilium Lateranenſe approbat. §. 9. Illius executores in Vrbe, Gubernatorem, Vicarium, & A. C. deputat. §. 10. Acta eiuſdem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia gloſſari, & interpretari prohibet. d. §. 10. Expeditionem contra Turcas indicit. §. 11. Principes ad obſeruantiam pacis, & defenſionem fidei hortatur. §. 12. Prælatos Concilij in pace dimittit. §. 13. Sanctionem pœnalem apponit. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Abſque iſta cōfirmatione ſi Cōcilium fuiſſet promulgatum, obligaſſet?

R E S P. Vtique obligaſſet, quia Papa interfuit; ſecus ſi non interfuiſſet. Nauarr. conſ. 4. incip. Reſponſiones. lib. 1. de conſtitut. nu. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa prohibitio gloſſandi acta huius Concilij, de qua in §. 10. quomodo intelligenda?

R E S P. Ita, vt omnis interpretatio ſit interdicta, niſi fortè illa, per quam verbum, ſenſus, ſeu conſtitutio grammaticaliter ad literam intelligibilis exponatur. Ita docuit Bald. loquens de ſimili conſtitutione Nicolai III. in Auth. ſi qua mulier. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. nu. 43. & ſeq. prout nec dicitur reiecta interpretatio à communi obſeruantia. Alex. conſ. 221. lib. 6. in fine.

X XVIII.

XVIII.

Edita Anno 1516. EX debito Paſtoralis officij,& infra pag. 396. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Iulius II. in ſua Conſtit. 11.de qua ſup. duobus Prælatis Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti,dedit facultatem alienandi eius bona iuxta conſtitutionem 5. Pauli II. de qua ſuprà. §. 1. Hanc facultatem iuſta de cauſa hic Pont. concedit vni ex Viſitatoribus, adiuncto tantùm ſibi eius ſocio, qui ſit d. Congregationis Prælatus, in conuiſitatorem electo. §. 2. & 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si alienatio fiat ab huiuſmodi Prælatis, hanc Apoſtolicam authoritatem habentibus, pro ſatisfaciendis creditoribus, debétne emptor probare in eam cauſam pretium verſum fuiſſe?

RESP. Debet, ſecundum Bald. in Auth. hoc ius. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. nu. 22. Rota in deciſ. Seraph. 338. num. 7. vbi alij DD. allegantur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poterunt iſti Prælati eorum conſanguineis aliquid concedere?

RESP. Regulariter huiuſmodi alienationes præſumuntur potiùs in fraudem, quàm in vtilitatem Eccleſiæ, vt dicunt DD. communiter in Auth. quibuſcunque. Cod. de ſacroſ.Eccleſ.& dixit Rota in deciſ. 720. par. 2. diuerſor. nu. 1. Sed ex hoc ſolùm non reſcinditur alienatio: & ſatis eſt Eccleſiæ,quod non lædatur, ſoluárque conſanguineus tantumdem, quantum alius daret. Rota in deciſ. 335. Cæſ. de Graff. nu. 22. & in deciſ. 1125. Seraph. num. 7.

IX.

Edita Anno 1516. & 1519. INter curas multiplices, & infra pag 497. *Item*; Cùm ſicut,& infra pag. 498. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Sixtum IV. edidiſſe eius Conſtitut. 20. quæ eſt ſup. ſuper iure congrui, ad ornatum Vrbis. §. 1. Iul. II. eamdem approbaſſe. §. 2. Eaſdem hic Pont. innouat. §. 3. Extenditque etiam ad bona locorum piorum. §. 4. Præuentionem inter ædificare volentes admittit. §. 5. & 6. Poſt requiſitionem ædificare volentium, non licere dominis ad habitandum redire, declarat. §. 7. Appellari à ſententiis Magiſtrorum viarum prohibet. §. 1.ſubſequentis Bullæ annexæ. Et extendit ad vineas & viridiaria. §. 3. Executores deputat. §. 4. Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Ius congrui, de quo in §. 1. eſtne fauorabile, vel odioſum?

RESP. In eo, quod cogit dominos eorum domos vendere vicinis, odioſum eſt, tamquam valde exorbitans à iure communi, & diſpoſitione l. dudum. 14. Cod. de contrahend. empt. Latè poſt alios Tiraquell. de vtroque retract. in præfat. n. 60. & Rota in deciſ. Seraph. 734. nu. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si domum vendidi Petro,cum pacto,vt infra biennium eam poſſim redimere, poterit vicinus interim eam retrahere à d. Petro?

RESP. Poteſt, quia hæc venditio eſt vera venditio, & poſſet non redimi. Ita tradit Neapodan. in ſuo Tract. de Iure congr. in prima conſuetudine, in verb. Emit. verſ. Sed quid ſi de ſimulatione. & Afflict.deciſ.378.nu. 9.vbi idem tenet in venditione facta, cum reſeruatione dominij, donec de pretio ſit venditor ſatisfactus.

XX.

PAſtor æternus gregem ſuum, & infra pag. 499. *Item*; Primitiua illa, & infra pag. 501. *Item*; Vitæ, ac morum, & infra pag. 506. *Item*; Diuina diſponente, & infra pag. 507. *Item*; Romanus Pontifex, & infra pag. 507. Bullarij. *Edita Anno 1516. & 1517.*

COMPENDIVM.

Iulius II. in ſua conſt. 27.de qua ſuprà, indixit Concilium Lateranenſe, & ibi de abrogatione pragmaticæ ſanctione in Regno Galliæ editæ, agi iuſſit. §. 1. Gallóſque citauit pro d. abrogatione ad certum terminum. §. 2. Quem hic Pont. illo defuncto, prorogauit. §. 3. Quo elapſo, ad illius reuocationem deueniri cenſuit. §. 4. Prout Leo I. reuocauit acta contra fidem in ſecũda Synodo

Ephe

Epheſina. §. 5. Pragmaticam deinde reuocat. §. 6. Nullámque eſſe decernit, & damnat. §. 7. Omnes Chriſti fideles Rom. Pontifici ſubeſſe declarat, & conſtitutiones Bonif. VIII. & Clem. V. innouat. §. 8. Vſum d. pragmaticæ omnibus interdicit. §. 9. Contrariiſque derogat die 19. Decembris 1516. §. 10. Illam antea abrogauerat Rex Ludouicus IX. tempore Pij II. Sed non obſeruabatur abrogatio, neque Bulla Sixti IV. edita, ſuper concordatis expedita, vt in ſubſeq. §. 2. Iulius II. propterea indixit Concilium Lateranenſe. §. 3. Et eo defuncto, ad illius proſecutionem deuenit. §. 4. Rex autem Franciſcus huic Pótifici perſonaliter fidelem obedientiam Bononiæ præſtitit, & actum inter eos fuit de concordatis loco pragmaticæ. §. 5. & 27. Et concordata firmata fuerunt. §. 6. Super electionibus ad Cathedrales, & Metropolitanas Eccleſias. §. 7. Eccleſiáſque vacantes per obitum apud Sedem Apoſt. §. 8. Electionibus etiam conſanguineorum Regis, ſublimium perſonarum, & Mendicantium reformatorum. §. 9. Monaſteriiſque & beneficiis Eccleſiaſticis. §. 10. Expectatiuis, & reſeruationibus. §. 11. Collationibúſque Ordinariorum. §. 12. Eccleſiarum quoque Parochialium. §. 13. Literis Papæ in forma mandati. §. 14. & ſeq. & §. 33. & 34. Vero valore exprimendo. §. 15. Cauſis in regno cognoſcendis, & earum appellationibus. §. 16. & ſeq. Triennali pacifico poſſeſſore. §. 19. Poſſidentibus beneficia ſine titulo. §. 20. Concubinariis. §. 21. & ſeq. Conuerſatione cum excommunicatis. §. 24. Interdictis Eccleſiaſticis. 25. Reſignationibus beneficiorum. §. 26. His concordatis non erit derogandum. §. 28. Dummodo Rex illa acceptari faciat in ſuo Regno. §. 29. In cæteris non ſit Sedi Apoſtolicæ præiudicatum. §. 30. Hæ literæ à Rege publicentur. §. 31. Quæ à Papa ſignantur die 18. Auguſti 1156. Et Sacro approbante Concilio, quatenus Rex etiam infra ſex menſes acceptari, & in ſuis Regnis ea obſeruari fecerit, iterum approbantur die 19. Decembris 1516. vt in alio ſubſeq. Bullæ §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Vbi reuocationem pragmaticæ à Ludouico IX. promulgatam perlegere poſſem?

RESP. Eam editam habemus in actis Concilij Lateranenſis, ſeſſ. 4. pag. mihi 560. impreſſis Coloniæ Agrippinæ.

Scholion ſecundum.

Quæro Franciſcus Rex quid egit pro obſeruantia concordatorum, de qua hic in fine?

RESP. Obſeruari iuſſit, & publicari fecit Pariſiis in Parlamento die 22. Martij 1517. & obtenta prorogatione termini, in Curiis regiſtrari fecit 12. Aprilis 1518. Sed cùm multi adhuc obſeruare recuſarent, hic Pont. die 15. Iunij 1518. horum concordatorum executorem deputauit ipſum Franciſcum, & Franciæ Regem pro tempore exiſtentem; & Franciſcus die 25. Octobris eiuſdem anni cunctis eius Parlamenti Officialibus obſeruantiam eorundem concordatorum, & tranſgredientium punitionem ſtrictiſſimè demandauit, vt hæc omnia enarrantur in nonnullis huius Papæ, & Regis literis, à Rebuffo in ſuo præclariſſimo tractatu ſuper his concordatis in lucem edito inſertis.

XXI.

SVpernæ maieſtatis præſidio, & infra pag. 508. Bullarij. *Edita Anno 1516.*

COMPENDIVM.

Prædicationis munus in Eccleſia Dei præcipuum eſt, magnæque vtilitatis, ſi rectè exerceatur, in princ. Aliqui tamen Prædicatores aliter ſe gerebant. §. 1. Quos arguit S. Gregorius. §. 2. Eos iubet hic Pont. debere prius examinari de vita, & doctrina, & approbari mandat. §. 3. Quidue prædicandum, & à quibus cauendum decernit. §. 4. & ſeq. Contrauenientib. excommunicationis pœnam, cuius abſolutio Papæ reſeruatur, vltra alias iuris pœnas, imponit, & prædicationis munus interdicit. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Lutherus fortaſſe dedit cauſam huic edicto?

RESP. Crederem; ſed pro certo non affirmarem, quia cœperat iam tum Lutherus, qui Germanam ſuis præ-

ſtigiis dementauit, virus ſuum diffundere; ſed non certum eſt, an adeò diffudiſſet, vt ſingularis tunc Romæ eius eſſet notitia. Sic ſcribit Pegna in apoſtilla ad hanc inter alias Apoſtolicas editas Conſtitutiones, poſt Director. Inquiſit. pag. mihi 87.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne quid vltrà hodie diſpoſitum contra huiuſmodi Prædicatores, ſcandala & errores aſſerentes?

RESP. Paulus III. infrà in Conſt. 30. decreuit, eos ab Inquiſitoribus coërceri; Concilium verò Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. verſ. ſi verò, hoc idem Epiſcopis demandauit.

XXII.

Edita Anno 1516. & 1518. DVm intra mentis arcana reuoluimus, & infra pag. 509. *Item*; Nuper in Sacro Lateranenſi, & infra pag. 511. Bullarij.

COMPENDIVM.

Moderando priuilegia Ordinum Mēdicantium, ſtatuit, Epiſcopos eos viſitare, & corrigere poſſe in concernentibus curam parochianorum, & adminiſtrationem Sacramentorum. §. 3. Prælatoſque & presbyteros ſæculares in eorum Eccleſiis Miſſas celebrare. §. 4. Fratres cogi à Prælatis prædictis ad proceſſiones, non tamen vltra vnum milliare. §. 5. Confeſſores ab Ordinariis approbandos eſſe. §. 6. Fratres poſſe audire confeſſiones forenſium indulget, ſed non abſoluere à ſententiis ab homine latis. §. 7. Et Sacramenta eorum obſequio inſiſtentibus, necnon aliis, ſi Parochi id facere recuſent, miniſtrare. d. §. 8. Et Parochias intrare non poſſe cum Cruce, ad leuanda corpora defunctorum, niſi cum conſenſu Parochi, vbi non vigeat alia cōſuetudo prædictis Fratribus in contrarium. §. 9. Volentes ſepeliri cum habitu Tertiariorum, ſepulturam eligere poſſint. §. 10. Fratres ab Ordinariis ſacros Ordines recipiant. §. 11. Et Eccleſiarum conſecrationes. §. 12. Sponſos non benedicant. §. 13. Campanam in die Sabbathi ſancti poſt Cathedralem pulſent. §. 14. Cenſuras Ordinariorum publicent, & ſeruent. §. 15. Decimarum ſolutionē populis ſuadeant. §. 16. Conſeruatores habeant in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, ſed vltra duas dietas coram eis neminem eorum trahant. §. 17. Excommunicatos ad Religionem non recipiant. §. 18. Tertiarij in propriis domibus degentes, vti laici reputentur; ſed Confeſſorem, & ſepulturam eligere poſſint. §. 19. Tertiarij viri collegialiter viuentes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub d. habitu vitam ducentes, priuilegiis Fratrum gaudeant. §. 20. Non tamen votum ſolemne requiritur, vt in §. 2. ſubſeq. Bullæ annexæ.

Scholion primum.

Quæro. An omnes Tertiarij etiam coniugati habent priuilegium cap. Si quis ſuadente, cauſ. 17. quæſt. 4.

RESP. Habent, cùm viuant ſecundùm modum approbatū à Sede Apoſt. prout ſic DD. tenere, & notandum eſſe, quia ſæpe non aduertitur, notat Collect. Priuil. Mendic. in §. Tertiarij, & ſequitur Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 55. artic. 14.

Scholion ſecundum.

Quæro. An hodie hæc priuilegia mulierum Tertiariarum, de quibus in §. 20. ſeruantur?

RESP. Seruanda eſſe patet ex decreto S. Congregationis Cardinalium interpretum Concilij Tridentini, anno 1612. edito, vbi habetur etiam, quod hoc votum non includit votum paupertatis, & obedientiæ. Cuius decreti tenor hic ſubnectitur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, conſulta reſpondit, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, alióſque ſimiles, ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter viuant, ſeu cum clauſtralibus habitent, & mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu, vitā traduxerint, quemadmodū cauetur Conſtitutione Cōcilij Laterā. ſub Leone

Decū

Decimo, quæ habetur ſeſſ. 11. in fine. Hoc autem voto mulierum, alia duo, ſcilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimò huiuſmodi mulieres, ſi vitam virginalem, aut cœlibem ſimpliciter, expreſſéque vouerint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſum habitantes, ſupradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionéque ab Ordinarij iuriſdictione frui debere, quemadmodum idem Leo poſtea declarauit Conſtitutione edita die 1. Martij 1518. Quod ſi Fratres, Sororeſue tertij Ordinis quid amplius prætendant vigore conſuetudinis, poſſe ius ſuum proſequi in iudicio ordinario.

Hieronymus Card. Pamphilius.

X X I I I.

Edita Anno 1517. ITe & vos in vineam meam, & infra pag. 511. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Recenſentur merita Religionis Fratrum Minorum S. Franciſci, in procem. Refertur differentia inter Conuentuales, & de Obſeruantia. §. 1. Et quod multi Principes inſtiterunt pro eorum concordia apud hunc Pontificem. §. 2. Qui propterea ſtatuit, eligendum totius Ordinis Miniſtrum Generalem ad ſex annos, quibus expletis, ipſo facto ſit abſolutus ab officio. §. 4. Et eligatur de Fratribus Obſeruantiæ. §. 5. Et per vota Miniſtrorum, & Prouincialium. §. 6. Alternatiuéque eligatur, ſemel de Vltramontanis, & ſemel de Citramontanis. §. 2. Et ipſe Miniſter quolibet triennio Commiſſarium deputet de Vltramontanis, ſi eſt de Citramontanis, & è contra. §. 7. Vicariique de Obſeruantia veri Miniſtri cenſeantur. §. 8. Miniſtrorum Prouincialium officium triennio expleatur, quo elapſo, pro abſolutis habeantur. §. 10. Ipſique, & cuſtodes à Capitulo Prouinciali deponi poſſint. §. 11. Et ſint de Obſeruantia. §. 12. Qui ſint Obſeruantes, declarat in §. 13. Omnes Fratres Minores, omiſſis aliis denominationibus, vocentur. §. 14. Obſeruantes ad Conuentuales non tranſeant. §. 15. Nouæque reformationes non inducantur. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba §. 4. *Ipſo facto abſolutus*, & illa in §. 10. *pro abſolutis habeantur*, ſúntne ita præciſè intelligenda, vt non poſſit per menſem, vel menſes, officium protrahi, vel abbreuiari, ſecundum quod Capitula generalia protrahuntur, vel accelerantur?

R E S P. Si agitur de officio Miniſtrorum Prouincialium, ad Miniſtrum Generalem, vt quid agendum ſit ſtatuat, recurrendum putat Capuccin. additionator ad Collectorem Priuilegiorum Mendicantium, in verb. Electio. fol. mihi 224. & ſequitur Rod. tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 52. art. 2. verſ. Secundò eſt aduertendum. Si verò agitur de officio Miniſtri Generalis, ad Summum Pont. recurrendum eſſe ſentit Capuc. & clariùs tenet Rod. vbi ſuprà, ſubdens ſic in facti contingentiæ ſeruatum fuiſſe tempore Clementis V I I I.

Scholion ſecundum.

Quæro. In §. 12. non explicatur, an debeant Prouinciales eligi de corpore Capituli, quid ergo dicendum?

R E S P. Eligi poteſt Prouincialis de tota Prouincia, quamuis non ſit vocalis, & ſic vſu receptum eſſe teſtatur Rod. to. 2. quæſt. Regular. d. quæſt. 52. artic. 6. in princip.

X X I V.

LIcèt felicis recordationis Eugenius I V. & Innocentius V I I I. & infra pag 514. *Item*; Sicut prudens paterfamilias, & infra pag. 515. Bullarij. *Edita Anno 1517. & 1518.*

C O M P E N D I V M.

Quia dubitatum fuit, an Camerarius, & Clerici Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ ſummariè procedere poſſint inter priuatos in cauſis fiſcalibus, & Eccleſiarum, & Monaſteriorum quorumcunque. §. 1. Hic Pontifex quaſcumque cauſas ſummariè cognoſcere poſſe declarat. §. 2. Gubernium quarumdam terrarum approbat, iteratóque Clericis concedit. §. 4. Quæ ſit in illis eorum iuriſdictio, & emolumenta, decernit. §. 5. Quodque gubernium, & authoritatem in Vrbe, & extra tam circa

Datia, quàm circa Dohanas, Graſciam, Zeccam, Carceres, Vias, Theſaurarios, & Depoſitarios, &c. quam hactenus exercere conſueuerunt, exercere poſſe indulget. §. 6. Facultatem Terras, arces, & officia Eccleſiæ quotannis corrigendi confirmat. §. Statuta à Clericis edita, vltra Pontificias conſtitutiones, comprobat in §. 2. & ſeqq. alterius Bullæ annexæ. Quæ ſtatuta hæc ſunt. Primum, de Miſſa audienda in ipſa Camera. Secundum, acceſſu ad eius Tribunal. Tertium, audientia, & habitu. Quartum, expeditione negotiorum in Camera. Quintum, ordine proponendi cauſas. Sextum, facultate ſummariè procedendi. Septimum, propinis. Octauum, prohibitione participandi in afflictibus Cameræ. Nonum, forma affictuum. Decimum, redditione computorum. Vndecimum, Theſaurarij iuramento, ſoluendi ſalaria. Duodecimum, eiuſdémque munere quoad arcium Caſtellanos. Decimumtertium, & decimumquartum, Officialium coërcitione. Decimumquintum, conſultationibus cum Papa, vel Camerario, in arduis. Decimumſextum, adminiſtratione iuſtitiæ. Decimumſeptimum, officio Decani. Decimumoctauum, munere Clerici menſarij. Decimumnonum, examine promouendorum ad Ordines. Vigeſimum, Clericorum humanitate. Vigeſimumprimum, Aduocati pauperum munere. Vigeſimumſecundum, Aduocati, & Procuratoris fiſcalis munere. Vigeſimumtertium, Notariorum reformatione. Vigeſimumquartum, regiſtrandis ſcripturis Cameræ. Vigeſimumquintum, Bulliſque. Vigeſimumſextum, regiſtrationum taxa. Vigeſimumſeptimum, Bullarum expeditione, & librorum Cameræ cuſtodia. cap. 28. Sequitur præceptum obſeruandi Bullam Iulij I I. §. 9. Notarij officium quod. §. 10. & ſeqq. Decretum Camerarij circa beneficiorum reſignationes à Notariis recipiendas. §. 11. & ſeqq. Mandata procuratoria in cauſis Cameræ vt regiſtranda. §. 17. Clerici abſentes vt participant. §. 18. Iocalia admiſſionis Clericorum, & Notariorum, quæ. §. 19. Cauſæ Clericorum, & Officialium Cameræ, vt tuendæ. §. 20. Infirmi vt viſitandi. §. 21. Funeralia quæ. §. 22. Obſeruantia prædictorum omnibus demandatur. §. 23. Iſtáque Conſtitutio quotannis in proxima Camera publicè legatur. §. 24.

Scholion primum.

Quæro. Camera, & Clerici cur ſic appellati?

RESP. Camera eſt locus, in quo primùm erat audientia Pontificis domeſtica de multis, quæ per ſeipſum tractabat, & audiebat: pro quibus faciliùs gerendis adſciuerat ſibi Papa aliquot Prælatos domeſticos, quos propterea Cameræ Apoſtolicæ Clericos, quaſi ad Cameram, ſeu Cameralem audientiam electos, vocamus, vt ſcribit Veſtrius in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. num. 1. & Petrus Greg. par. 2. Syntagm. Iur. lib. 15. cap. fin. num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne verum, quod in illa audientia domeſtica, antiquis iis temporibus, Papa Vrbi, & Prouinciis Magiſtratus dabat?

RESP. Sic ſcribit Veſtrius vbi ſuprà, ſubdens, quod hac de cauſa omnes ad Magiſtratum delecti, etiam hodie iuramentum de fido exercitio præſtant in manibus Cardinalis Camerarij.

XXV.

INtelleximus quoſdam in dubium reuocare, & infra p. 519. Bullarij. *Edita Anno* 1517.

COMPENDIVM.

Dubium exortum, an Chriſti fideles ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, ſi eam audiunt extra Eccleſias Parochiales, in Eccleſiis Ordinum Mendicantium, hic Pontifex affirmatiuè reſoluit, dummodo non fiat in contemptum proprij Sacerdotis Parochialis. §. 1. Contrariis derogat. §. 2. Tranſumptis credi iubet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Concilium Tridētinum ſeſſ. 22. in decreto de obſeru. & euit. in celebrar. Miſſar. quatenus habet, quod Epiſcopi moneant populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus feſtis, & Dominicis, accedant, obſtátne huic ſanctioni?

RESP. Non, quia Concilium non præcipit, quod hoc iubeant Epiſcopi, ſed moneant; vt in ſpecie ſic reſpondet Rod. de quæſt.

quæſt. Regul. tom. 1. qu. 43. art. 7. vbi ſubit in verſ. Præterea, quod ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concil. Tridentini.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cùm ſubdat ibidem dictum Concilium, quod Epiſcopi quæcumque alia huc pertinentia viſa fuerint, inuiolatè cẽſuris Eccleſiaſticis populum obſeruare compellant, nónne ipſi poterunt iubere, vt Miſſæ audiantur in Eccleſiis Parochialibus, quaſi id valdè pertinere videatur ad frequentationem Parochiarum?

RESP. Non iure poſſent, quia generalis eſt totius Orbis conſuetudo, vt etiam in aliis Eccleſiis Miſſas audiant, & Chriſti fidelibus eſt valdè proficua pro eorum ſalute, vt docet Syl ueſtr. in ſua Summa, in verb. Miſſa. §. 2. ſub nu. 5. & ſequitur Rod. vbi ſuprà. Quorum ſententiæ illud adſtipulatur, quod ſicuti huiuſmodi arbitrium Epiſcopis à Cõcilio conceſſum, ſemper eſt reſtringendum ad terminos iuris. Bart. in extrauag. Ad reprimendum, in verb. Videtur. nu. 8. Rota in deciſ. 100. Cæſ. de Graſſ. nu. 7. & deciſ. Seraphin. 29. num. 4. Ita, & multo magis reſtringendum intra cancellos dictæ conſuetudinis vniuerſalis, & Chriſti fidelibus fructuoſæ, vt notant omnes DD. in rubr. Cod. de decurion. libro 10. & in terminis ſupradicti Concilij Ioann. Guttier. canon. quæſt. lib. 1. cap. 31. num. 22.

XXVI.

Edita Anno 1517. Licèt aliàs poſtquam ſtatueramus, & infra pag. 520. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, quod tam Fratres Conuentuales, quàm de Obſeruantia S. Franciſci, in proceſſionibus, & aliis actibus Crucem ſuam deferre poſſint, ſed quod Crux Fratrum de Obſeruantia digniori loco deferatur. §. 1. & ſeqq. Declarat etiam hos Fratres de Obſeruantia fuiſſe, & eſſe veros Fratres S. Franciſci. §. 4. Imponit pœnas perturbatoribus. §. 5. Derogátque omnibus, quæ obſtant. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Delatio Crucis in digniori loco, de qua hic, ſupponit proculdubio totalem præcedentiam Fratrum de Obſeruantia, vt Genitor tuus ſpeciali Bulla diffinitum eſſe in Bulla adnotauit. Quid ergo dicendum, ſi Fratres S. Auguſtini, vel alterius Ordinis, vellent inter dictos Fratres de Obſeruantia, & Conuentuales in proceſſionibus ſe interponere?

RESP. Hanc quæſtionem diffiniuit iam Alex. VI. id eis non licere in ſpeciali eius conſtitutione, quam propterea hic imprimendam duxi.

Dilecto filio Hieronymo de Torniellis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, V I. Generali citra montes, Commiſſario noſtro.

ALEXANDER Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *Expoſui nobis nuper feciſti, quod licèt aliàs pro bono pacis, & concordia, ac ad euitandas diſſenſiones, quibus Religioſi omnino carere debent, voluerimus, & decreuerimus, quoad præcedentiam inter Fratrum Minorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, de Obſeruantia nuncupatorum, Ordinum profeſſores, in proceſſionibus, in quibus præfati profeſſores pro tempore interueniunt, Ciuitatum, ac locorum conſuetudinem, vbi aliud non apparet, obſeruari debere; tamen aliquando contingit, profeſſores dicti Ordinis Sancti Auguſtini Conuentuales velle ſe inter Fratres Conuentuales Ordinis Fratrum Minorum, & præfatos Obſeruantes Ordinis eiuſdem Minorum, intromittere. Quare nobis de remedio ſupplicari feciſti opportuno.* *Propoſitio dubij.*

§. 2. *Nos igitur attendentes, æquum, & conueniens fore, quod profeſſores dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia in dictis proceſſionibus à Fratribus Conuentualibus non ſeparentur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, in dictis proceſſionibus illum modum, & ordinem circa præcedentiam obſeruari debere in Obſeruantibus Ordinis tui, qui in Conuentualibus obſeruatur, ita vt nulla inter eos ſeparatio & diuiſio fiat.* *Eius diffinitio.*

§. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitu-*

Digitized by Google

Con- ſtitutionibus Ordinum prædictorum, iura- trariorũ de-ogatio. Datũ 24. Iulij 1501. mento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Iulij 1501. Pontificatus noſtri anno nono.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid præcedentiæ in Religionibus laudandæ?

R E S P. Proculdubio; vt præter alios ſcribit Rod. de quæſtionib Regularib. tom. 3. quæſt. 37. art. 2. & reſpondet ad illud Euangelij: *Neſcitis quid petatis*, pag. mihi 112.

XXVII.

Edita Anno 1517.

INhærendo veſtigiis prædeceſſorum, & infra pag. 520. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fraudibus prouidere volens mentientium ſe in literis Apoſtolicis, vt earum expeditionem gratis obtineant, eos excommunicationi ſubiicit, à qua non niſi per Rom. Pont. (excepto mortis articulo, & debita ſatisfactione præuia) abſolui poſſint. §. 1. Officialibus fraudis complicibus eamdem pœnam infligit, & à perceptione emolumentorum per annum ſuſpendit. §. 2. Gratias nullas declarat. §. 3. Decretum irritans apponit. §. 4. Hoc decretum publicari iubet. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Publicatio habetur in fine.

Scholion primum.

Quæro. Cur prædeceſſorum veſtigiis inquit inhærere, cùm ſolus Innocen. VIII. ſup. in Conſt. 11. deſuper Conſtitutionem ediderit?

R E S P. Quia Alexander VI. non abſimilem edidit, licèt eam Genitor non poſuerit; ſic etenim teſtantur Rebuff. in pract. Beneſ. par. 2. in tit. de reſcript. & Perin. Val. num. 65. & Pariſ. ante eum in conſ. 77. lib. 4. nu. 10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc fraus, ſiue delictum, quando dicetur conſummatum, & eius pœna incurſa?

R E S P. Statim ſignata ſupplicatione gratiæ, ad deciſ. Rot. vltim. de reſcript. in antiq. quam ſequitur Pariſ. conſ. citat. num 12. & 15.

XXVIII.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 521. Bullarij. *Edita Anno 1518.*

COMPENDIVM.

Enunciat, à Iul. II editam fuiſſe Cõſtitutionem contra Barones, & Communitates Status Eccleſiaſtici, non cuſtodientes eorum loca à furibus, & aliis delinquentibus. §. 1. Eam approbat. §. 2. Declarat rerum ablatarum valorem æſtimandum eſſe à Clericis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, conſiderata qualitate perſonarum, furtorum, & aliis circumſtantiis, & coniecturis, recepióque iuramento partium derobatarum. §. 3. Et ſi furtum fiat in confinibus plurium locorum, damnum paſſus eligat, quem conuenire velit. §. 4. Eoſdem Barones, & Communitates, ad viarum ſecuritatem, latibula prope eas amouere debere decernit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Poteritne aduerſus iuramentum damnum paſſi, de quo in §. 3. admitti probatio in contrarium?

R E S P. Poteſt, & debet, niſi aliter expreſsè caueatur, iuxta communem DD. ſententiam, de qua Angel. de maleſic. in §. necnon ad denunciationem, num. 16. & 17. & Clar. in quæſt. 82. ſub nu. 2. Menoch. de Arbitr. iud. quæſt. 76. num. 17. quem, & alios congerit Baiard. d. quæſt. 82. num. 25.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi damnum paſſus ſit de illa Vniuerſitate, in cuius territorio damnum ſecutum eſt, tenebiturne etiam ipſe contribuere?

R E S P. Affirmatiuè cum Paul. de Caſtro in l. Ab omnibus. 107. §. Titio. ff. de legat. 1. nu. 3. poſt Bart. ibid. nu. 1. Soc. in cap. dilecta. 14. de exceſſib. Prælat. nu. 53. Baiard. quæſt. 82. num. 37.

XXIX.

INtelleximus, quod in Hiſpania, & infra pag. 521. Bullarij. *Edita Anno 1518.*

COMPENDIVM.

Cùm ex teſtium falſis depoſitionibus in cauſis hæreticæ prauitatis, plerumque damnentur inſontes, vel culpabiles veniam conſequãtur, hic Pont. vt acriori longè ſupplicio puniantur, quàm cæteri

cæterì alij falſidici teſtes plecti ſoleant, dat facultatem Inquiſitoribus procedendi contra eos, quos eis legitimè conſtiterit in crimine hæreſis ſcienter depoſuiſſe, aut alium ad falſum deponendum, aut verum tacendum, induxiſſe, vel quempiam ob huiuſmodi teſtimonium occidiſſe, aut membro aliquo mutilaſſe, vel maiori parte bonorum ſpoliaſſe, vel atrociſſima iniuria affeciſſe. §. 1. Eóſque pœnis, de quibus ipſis videbitur, condemnandi, & etiam Curiæ ſæculari tradendi. d. §. 1. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi ſponte falſum teſtis depoſuiſſe fatetur, & errati veniam poſtulat?

R E S P. Mitigari pœna conſueuit, vt in ſpecie ad hanc Bullam notat Pegna in Director. Inquiſ. par. 3. comment. 73. verſ. multis modis. Quod intelligendum venit, ſi ita fatetur teſtis, antequam reus de hæreſi puniatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi huiuſmodi veniam non petat, ſed eius depoſitio defectu iuramenti, vel aliàs fuit inualida?

R E S P. Non minui ex hoc pœnam, communiter à DD. tenetur, eo quod fecit ipſe quantum in ſe potuit, teſte Claro in §. falſum, num. 11. quem in terminis huius Bullæ ſequitur Pegna vbi ſuprà, verſ. id eſt autem.

X X X.

Edita Anno 1518. IN ſupremo Apoſtolicæ Sedis ſolio, & infra pag. 522. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Bonifacius IX. literas Apoſtolicas vbique liberè iuſſit exequi debere, non obſtante indulto per Vrbanum VI. quibuſdam Prælatis dato, quod priùs ipſi eas viderent, & exequi mandarent. §. 1. Hic Pont. illius ſanctionem approbat. §. 2. Contrarias vbicumque editas Conſtitutiones irritas decernit. §. 3. Prælatis liberam executionem literarum Apoſtolicarum præcipit. §. 4. Quibuſcumque contrariis derogat. §. 5. Sanctionem pœnalem adiicit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Cur hæc Bulla in §. 1. habet illa verba, *conceſſionem Vrbani*, & alia vſque ad finem §. quæ non extant in hac eadem Bulla, aliàs à tuo Genitore edita in antiquo eius Bullario?

R E S P. Quia ex probato Codice, quæ deficiebant reſtituit, & propterea hoc ſignum ☩ ibi appoſitum eſt, prout in pleriſque aliis locis reſtitutis illud, vel iſtud ſignum ✳ pro indice apponi voluit; quam reſtitutioné probat etiam tex. Bullæ 39. Clem. VII. in §. 3. in priori Bullar. fol. 347. & in hoc nouo fol. 606. Et hinc corrigenda eſt, vel potiùs ſupplenda hæc eadem Bulla, abſque dictis verbis inſerta à Rebuff. in pract. Benef. in explanatione Bullæ Cœnæ Domini Paul. III.

Scholion ſecundum.

Quæro. In ſanctione pœnali, de qua in §. 7. extat comminatio indignationis omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, quæ eſt ergo huiuſmodi pœna indignationis?

R E S P. Communiter tenetur, pœnam eſſe arbitrariam, Menoch. de Arbitrar. iud. caſu 365. num. 4. Et quamuis ſubdat extendi vſque ad pœnam mortis, hoc intelligo in grauibus, & quoad Principes ſæculares, ſed in Papa non, cùm loquatur, vt Paſtor bonus, vt errantes moneat ad reſipiſcentiam. Ita ſentit Bellen. de charit. ſubſid. cap. 44. numero 14. per text. in cap. 46. de pœnitent. diſt. 1. Et propterea Vgolinus de cenſur. par. 3. ſup. interpret. huius clauſulæ in Bulla Cœnæ Domini Clem. VIII. ſcribit, non ſe extendere ad beneficiorum priuationem, refellendo Rebuff. aliter dicentem in ſuo Tract. de nominat. num. 4. quæſt. 19. quem videas, & etiam Iaſ. in l. vnica. Cod. Si quis Iud. non obtemper. num. 2.

X X X I.

QVàm Deo, & hominibus abominabiles, & inf. p. 552. Bullar. *Edita Anno 1519.*

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſtitut. 19. de qua ſuprà, duellorum vſum in Statu Eccleſiaſtico interdixit. §. 1. Hic Pont. eam approbat. §. 2. Pugnantibus pœnam damnationis memoriæ, & confiſcationis bonorum addit. §. 3. Campum ad pugnandum præſtantibus, pœnam deuolutionis omnis iuris in

ſuis territoriis obtinentibus, abſque alia declaratione adiungit. §. 4. Spectantibus pœnam excommunicationis, & perpetuæ maledictionis, & pecuniariam infligit. §. 5. Locus duelli interdicto Eccleſiaſtico ſupponitur. ibid. Iulij II. Conſtitutionem perpetuò ſeruari præcipit. §. 6. Camerarium, & Clericos Cameræ executores deputat. §. 7. Contraria non obſtare decernit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Num aliqua longa conſuetudo poſſit permittere duellum aduerſus hanc, & alias Conſtitutiones Pontificias contra duella editas?

R e s p. Non, quia inuitaret ad delicta, iurgia, inimicitias, cædes, & alia pleraque mala; & ideo perſcriptibilis non eſt, teſte Oldrad. in conſ. 192. num. 2. & ſequitur Tuſch. in verb. Duellum, concluſ. 805. num. 5. & bene Afflict. videndus ſuper feud. in tit. de pace tenen. verſ. ſi quis hominem, num. 1. & ſeqq. Vltra quod Iul. II. in ſua Conſt. 19. de qua ſuprà, §. 3. in fine, derogauit quibuſcunque conſuetudinibus, & ſucceſſores Pontifices eam confirmarunt, & ampliarunt, vt Genitor meus notauit in rubr. huius Bullæ. Et ſupradicta reprobatio conſuetudinis extenditur etiam ad futurum, ſecundùm Afflict. vbi ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num iure ciuili duellum erat licitum?

R e s p. Videbatur licitum per tex. in l. qua actione. 7. §. 8. Si quis in colluctatione. ff. ad leg. Aquil. Sed ea mihi placet opinio, vt ille tex. intelligatur de antiquo more colluctandi, ſeu pugnandi, non autem formaliter duellandi, vt inquit Roffred. in libell. Iur. Canon. in rubr. de purg. canonic. Additionator ad Bertazzol. conſ. 152. lib. 1. litera E. Sed omnis ceſſat hæſitatio per tex. in l. vnica. C. de Gladiator. vbi clarè legitur eiuſmodi prohibitio.

XXXII.

Edita Anno 1519. DVdum per nos accepto, & infra pag. 524. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quod aliqui Pontifices Ordini Prædicatorum, alij Ordini Minorũ, alij Ordini Eremitarum S. Auguſtini, & alij Ordini Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, diuerſas gratias, prærogatiuas, & priuilegia conceſſerunt, in princ. Subdit, omnia indulta ipſis Ordinibus, ac Ordini Fratrum Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum, illorũmque perſonis, & locis, Eccleſiis, vel eas viſitantibus, necnon Monialibus, Tertiariis, Conuerſis, & Oblatis vtriuſque ſexus elargita, vel elargienda, fuiſſe, & eſſe eiſdem communia. §. 1. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. In iſta communicatione priuilegiorum contineturne etiam communicatus vſus, & non vſus eorum?

R e s p. Non vſus non eſt communicatus, id eſt, ſi vnus Ordo non vtitur, alteri non præiudicat, ſecundùm Panormit. in cap. Cùm acceſſiſſent. 8. de Conſtitut. in fin. & Syluestr. in ſua Summa, in verb. Priuilegium. §. 11. numero 11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne integer contextus huius Bullæ, vel potiùs diminutus in fine §. 1.

R e s p. Non eſt integer, ſed impreſſorum incuria, de qua Genitor meus millies queſtus eſt, deeſt pars quatuor §§. quam propterea ipſe in Appendice huius Bullarij fol. 21. edere non prætermiſit. Et circa hanc, quæ deeſt, partem, aliud quæſitum mihi proponere tunc non omittas.

XXXIII.

PAſtoralis officij debitum, & infra pag. 524. Bullarij. *Edita Anno 1519.*

COMPENDIVM.

Vniuerſitas mercatorum Florentinorum, ad vtilitatem ipſorum, & aliorum Ciuitatis Florentiæ ſubditorum, in Vrbe commorantium, nonnullas fecit Conſtitutiones inter eos obſeruandas, & inter alias, quod inter ipſos eligant vnum Conſulem, cum duobus Conſiliariis, ac Notario, qui de litibus inter eos ciuilibus cognoſcerent. §. 1. Quas hic Pontifex iam approbauit. §. 2. Et d. facultatem prædictas lites cognoſcendi, exceptis his, in quibus ageretur vigore obligationis Cameralis, & perſonis, qui mercatores non eſſent, confir

confirmauit.§.3. Dictúmque eorum Notarium non teneri acta, & inſtrumenta ad Archiuium Romanæ Curiæ portare, decreuit.§.4. Modò excommunicationis pœnam imponit quibuſcumque debitoribus, d. Vniuerſitatis pecunias occupatas non reſtituentibus, aut rationem non reddentibus. §. 5. & 6. Homines d. nationis pro criminibus captos, vel à Iudicibus Vrbis, præſente d. Conſule, vel vno ex Conſiliariis, examinari iubet.§.7. Conſuli, & Conſiliariis armorum delationem permittit.§. 8.Carceres publicos penes Conſulatum pro hominibus d. Vniuerſitatis conſtrui poſſe indulget. §. 9. Executores huius Bullæ deputat. §.10. Contrariis derogat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Notarius à natione eligendus, vt in §. 1. nónne matriculatus eſſe debet?

RESP. Debet eſſe matriculatus in Archiuio Romanæ Curiæ, & debet eſſe ciuis Florentinus, eligendus ad vitam, vel ad tempus arbitrio ipſius nationis, ſpecialémque taxam habet, vt videre eſt in alia huius Pontificis Conſtitutione, edita die 12. Iunij 1515.hic enunciata,& à Genitore meo ideo prætermiſſa, quod alia, quàm particularia nationis capitula non contineat,quæ tamen in eius Archiuio diligenter aſſeruatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si mercator Florentinus huic ſuæ nationis iuriſdictioni ſubiectus, vt in §.1.efficeretur ciuis Romanus, acquireret priuilegium ciuium Romanorum?

RESP. Accipe verba alterius priuilegij à Pio I V. poſt Iul. I I I. & Paulum I I I. eidem nationi, Motu proprio die 18. Martij 1513. conceſſi,& apud eam accuratè præſeruati, & inde dubij reſolutionem elicias. *Quod dicti mercatores Florentini, ac omnes alij ſubditi Ciuitatis Florentiæ, & etiam eius dominij, etiamſi diu in Romana Curia, & alma Vrbe moram traxerint, proptereáque, ſeu etiam ex priuilegio expreſſo, Romanam Ciuitatem acquiſiuerint, nihilominus eiſdem Conſulatui, ac Tribunali Florentinorum ſubiecti exiſtant, & eſſe cenſeantur,nec vllo pacto ad Capitolinos, ſeu alios Curiæ, & Vrbis prædictæ Iudices vitare, & d. Conſulatum declinare valeant, ſed ſemper & perpetuò forum d. Conſulatus ſortiri debeant.*

XXXIV.

Dvdum dum ad Eccleſiam Sebaſtenſem, & infra pag. 525. Bullarij. *Edita Anno* 1519.

COMPENDIVM.

Zacharias Canonicus Regularis Lateranenſis promotus fuit ad Epiſcopatum Sebaſtenſem,incedebátque in habitu coloris, Prælatis ſæcularibus permiſſo,dubitatúmque fuit, an id ei liceret. §. 1.Hic Pontifex hoc dubium maturè conſiderandum commiſit Cardinali de Fliſco.§.2.A quo habita relatione, quod ab antiquo hoc habitu alij huiuſmodi Canonici in Capella Papæ,& extra eam vſi ſunt, habitum prædictum ei licere declarat.§.3.

Scholion primum.

Quæro. Ex conſuetudine ergo, de qua in §. 2. declaratio dubij iure ſumi potuit?

RESP. Rectè quidem; probat text. in cap. Cùm dilectus. 8. de conſuetud. & in l.Si de interpretatione. 37. ff. de legib.Bart.conſ.59. num 3. Dec. conſ. 285. num.2.Aym.conſ. 201. num. 11. Ludouic. concluſ.38.illatione 23.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erátne etiam dubitandum, an iſte Canonicus ad Epiſcopatum tranſlatus,quæ poſtea acquiſiuit, Eccleſiæ,vel Monaſterio acquiſiuerit?

RESP. Hoc dubium deciditur in cap.3.cauſ.21.quæſt.2. & in cap. 37. cauſ. 16. quæſt. 1. vbi Eccleſiæ ſuæ acquirere cauetur. Quod apertè conſulendo tenet Nauarr.per dicta iura in conſ.70.lib.3.de Regularibus,ſub num. 6.

XXXV.

Cvm Sixtus I V. & Iulius II. & infra pag. 525. Bullarij. *Edita Anno* 1520.

COMPENDIVM.

Sixtus I V.& Iulius I I. ad tollendum occaſionem litigandi, quæ ex prorogatione Conſiſtorij oriri poſſet, ordinarunt, vt ſupplicationes impetrationum Eccleſiarum Cathedralium,& Metropo-

litanarum, & Monaſteriorum Conſiſtorialium ſignarentur, & datarentur, ad quarum datas retrotraherenur ſcedulæ Conſiſtoriales, aliàs nullæ eſſent, in princip. Et ne Collegium Cardinalium, & Camer. Apoſt. his prouentibus fraudarentur, ordinarunt, vt dictæ literæ prouiſionum prædictarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum non expedirentur ſine literis diſpenſationum, retentionis beneficiorum, & penſionum. ibid. Hic Pont. præcipit in dictis ſcedulis Conſiſtorialibus omnino mentionem fieri debere harum diſpenſationum, aliàs non ſuffragentur. §. 1. Omnibúſque Officialibus ſic obſeruari præcipit. §. 2. Neque huic Bullæ, niſi per ſpeciale mandatum Papæ, derogatnm cenſeatur. §. 3. Contrariis non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Appellatione Eccleſiarum, & Monaſteriorum Conſiſtorialium, de quibus in princip. veniunt etiam Abbatiæ?

R E S P. Veniunt, & de eis conſiſtorialiter Papa prouidet, ſicut de Epiſcopatibus, vt ſcribit Lapus allegat. 83. incipiente, Dominus Papa. num. 11. verſ. item; & ſequitur Mandoſ. in Regula de annali poſſeſſ. quæſt. 16. num. 2. & 7. & Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancellar. gloſ. 9. numer. 38.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt hæc prouiſio Conſiſtorialis, & non Conſiſtorialis?

R E S P. Non Conſiſtorialis eſt, quam facit ſolus Papa, ſignando ſupplicationem impetrantis; Conſiſtorialis verò eſt, quam facit Papa in Conſiſtorio ſecreto, aſſentientibus Cardinalibus, vt notorium eſt, & tradunt Mandoſ. d. quæſt. 16. ſub num. 1. & Gonzal. vbi ſuprà.

X X X V I.

Edita Anno 1520.

OMnes quidem Chriſti fideles, & infra pag. 526. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius I I. ſuam Conſt. 2. de qua ſup. edidit contra Barones, & Communitates, non cuſtodientes eorum territoria à Bannitis, &c. multis impoſitis pœnis, vltra refectionem damnorum, & intereſſe, damnum paſſis in eorum territoriis. §. 1. Hic Pontifex eam approbat. §. 2. Imò ampliat pœnas, & extendit ad eos non capientes. §. 3. Executores huius Bullæ Camerarium, & Clericos Cameræ deputat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Conſtitutio habétne locum, ſi damnum paſſus per viam inſolitam iter faceret?

R E S P. Videretur dicendum non teneri, ex textu l. 1. §. ſumma. ff. de his qui eiecer. vel effud. Sed contrarium puto verius, quia ille textus loquitur de effundentibus aliquid in itinere communi. Vnde Bart. ibi arguit ad ſtatutum de tenentibus ſtratam ſecuram, numer. 2. Conſtitutio autem Iulij I I. hic approbata, non præcipit teneri itinera communia ſecura, quia tunc iter facientibus prouidere voluiſſe cenſeretur, vt voluit Prætor in d. §. ſumma. ſed præcipit territoria cuſtodiri ſecura, & libera à ſicariis, furibus, & aliis delinquentibus, volens quemquam in quocunque loco territorij ſecurum degere, & in quacumque parte illius delinquentes exulare. Lata eſt enim ſignificatio territorij, quod eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiuſque Ciuitatis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi damnum ſit illatum ab hominum multitudine, cui Baro, vel Communitas non potuiſſet cum tota eius gente reſiſtere?

R E S P. Excuſatur, quia ad impoſſibile non obligatur, & pœna abſque culpa non irrogatur, vt in puncto docet Bartol. in l. 1. §. occiſorum. ff. ad Senatuſc. Syllan. num. 2. Oſaſc. in deciſ. Pedemont. 138. num. 34. & Farinac. q. 24. num. 203.

X X X V I I.

Edita Anno 1520.

ILlius, qui charitas eſt, & infra pag. 527. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius Cardinalis S.R.E. Vicecancellarius promouit in Vrbe Confraternitatem Charitatis nonnullorum Curialium, ad pauperum, mendicare erubeſcentium, carceratorúmque in Vrbe ſubuentionem, mortuorúmque ſepulturam. §. 1. Quæ Confraternitas impenſis d. Cardinalis huiuſmodi pia opera exerce-

re

Digitized by Google

re cœpit.§.2.Eam hic Pont.approbat, & in Archiconfraternitatem erigit.§.3. Facultatem opportuna ſtatuta condendi tribuit. §.4. Confratribus,& benefactoribus indulgentias elargitur. §. 5. Bona quæcumque etiam feudalia, & emphyteorica, etiam Eccleſiaſtica, ei relinqui poſſe concedit, ita vt Archiconfraternitas ſpatio 20.annorum pro qualibet generatione,ea retinere poſſit. §. 6. Et hæc omnia obſeruari diſtinctè præcipit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Fuitne de iure licitum, hanc Confraternitatem abſque Summi Pontificis licentia promouere?

R E S P. Religionis cauſa etiam de iure ciuili eã promouere licuit. Tex. eſt in l.1.ff.de Colleg. illicit. §. ſed religionis,vbi Bart. ex eo infert, Diſciplinatorum,& Miſericordiæ Collegia, & ſimilia,eſſe licita,idémque ſcribit in l. 1. per illum tex. ff. quod cuiuſque Vniuerſit. nom.num.2. in fine. His autem temporibus in erigendis his Confraternitatibus ſeruanda erit forma tradita à Clem. VIII. in eius Conſtitut. 115. de qua infrà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad quid ergo iſta Pontificis approbatio?

R E S P. Vt maioris ſit authoritatis, vt locupletaretur indulgentiis, & priuilegiis, in approbatione, vtque tollatur dubium, quod eſſe poſſet circa facultatem condendi ſtatuta. Ita loquendo de Confraternitate Roſarij, ſcribit Nauarr. in miſcellan. de orat.num.19.

X X X V I I I.

Edita Anno 1519. & 1521. EXcelſus Dominus militantem Eccleſiam, & infra pag. 528. *Item*; Licèt per alias noſtras, & infra pag.533. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, Deum pretioſiſſimis lapidibus Eccleſiam ſuam conſtruxiſſe, in princip. Eiúſque primos fundatores fuiſſe Patriarchas. §. 1. Apoſtolos deinde. §. 2. Martyres. §. 3. Doctores. §. 4. Confeſſores.§.5.Virgines,& viduas. §.6. Et nouiſſimè B. Franciſcum de Paula ad ſuæ vineæ culturam adduxiſſe.§.7.Cuius origo refertur.§.8.Eúmque ſemper religionem dilexiſſe.§.9.Semper etiam oraſſe, vel laboraſſe.§.10.Ordinémque ſuum Minimorũ appellaſſe.§.12. Super ignẽ,& ſpinas ambulaſſe.§.13. Miraculis claruiſſe.§. 14. Spiritum prophetiæ habuiſſe. §. 15. Ignem præ manibus tenuiſſe. §. 16. Apoſtema incurabile Iacobi ſanaſſe. §. 17. Paralyticum, & leproſum curaſſe. §. 18. Mutum à natiuitate liberaſſe. §. 19. Cæcum ſanaſſe.§.20. Laborantes terram effodiendo obrutos, illæſos eius gratia repertos fuiſſe.§. 21. Fabas ſine igne coxiſſe.§.22.Lampadem abſque igne accendiſſe. §. 23. Ferè mortuum ſanaſſe. §.24. Oculi albuginem abſtuliſſe. §. 25. Mortuum ſepeliendum incolumem reddidiſſe.§.26.Ignis fornacem intraſſe, & incolumem inde exiſſe.§.27. Iulium ab euidenti mortis periculo liberaſſe. §. 28. Ardentes titiones manibus ad proximi ſalutem accepiſſe. §.29. Reguláſque tres inſtituiſſe.§.31.Et præuiſa die mortis, in Domino obdormiſſe.§.33. Miraculis poſt obitum claruiſſe.§. 34 Regémque Franciæ, & alios propterea pro illius Canonizatione inſtitiſſe. §. 35. Vnde hic Pont. proceſſum deſuper fieri iuſſit.§. 36. Quo relato in publico Conſiſtorio, præuiis ſolemnitatibus, illum Sanctorum catalogo adſcribit.§.37. & ſeqq. Eiúſque feſtum die 2.Aprilis celebrari iubet. §.40. Octauamque d.feſti inſtituit in §.1.Conſtitutionis præcedenti annexæ.

Scholion primum.

Quæro. Vbetiúſne quiſquam huius Sancti acta conſcripſit?

R E S P. Romeus Neapolitanus copioſiſſimè,& etiam F.G ſpii Paſſarellus in fine collectionis Priuilegiorum huius Ordinis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt forma decreti, quo Papa aliquem Sanctum pronunciat?

R E S P. Eam conſcriptam habemus in libris cæremoniarum Sacrarij Pontificij,& paucis interiectis, aliam tradit, vltra prædictam,Rocca de Canoniz. SS. cap.38.

Digitized by Google

XXXIX.

Edita Anno 1520.

SAluator noſter IESV Chriſtus, & infra pag. 533. Bullarij.

Monaſterium pro mulieribus in Vrbe inhoneſtè viuentibus, ad honeſtam vitam ſe conuertentibus, erexit ſub inuocatione S. Mariæ Magdalenæ. §. 1. & 2. Abbatiſſam modò illis præficit. §. 3. Pœnitentes recipi ſub Regula S. Auguſtini, & in manibus Abbatiſſæ profeſſionem emittere decernit. §. 4. Regimen Monaſterij, Archiconfraternitati Charitatis de Vrbe delegat. §. 5. Moniales S. Mariæ Magdalenæ vocari iubet. §. 6. Meretricum in Vrbe ab inteſtato, vel non relicta his Monialibus quinta parte ad minus bonorum ſuorum, decedentium ſpolia Monaſterio applicat. §. 7. Confeſſoribus Monialium amplam eas abſoluendi authoritatem concedit. §. 8. Monaſterium, bona, & perſonas, ſub protectione Sedis Apoſt. recipit. §. 9. Indulgentias elargitur. §. 10. Notitiam dictorum ſpoliorum habentes reuelare præcipit. §. 11. Contrariiſque derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Hæc diſpoſitio habet locum in muliere, quæ ante obitum rediit ad honeſtam vitam?

RESP. Non, vt tenuit Rota in deciſ. Seraphin. 999. num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si filiafamilias impudica teſtaretur relicta quinta parte Monaſterio, tenet eius teſtamentum?

RESP. Non tenet, ſecundùm Gabriel. conſ. 17. lib. 2. num. 1. & ſeqq. eo quod hæc Bulla aufert ſolummodo impedimentum impudicitiæ his, qui aliàs de iure teſtari poſſent. Quod credo verum, ſed diſcedo à Gabr. in eo, quod ſubdit, admitti hæredes ab inteſtato, excluſo Monaſterio: quia, ni fallor, clarè eſt hic diſpoſitum, quod ab inteſtato ſuccedat Monaſterium; quinimò etiam filij reſeruatis alimentis ſunt excluſi in Bulla 14. Clem. VII. vt ibi videre eſt. Vnum tamen aduertendum eſt, quod ſi mater impudicè vixiſſet cum lenocinio filiorum, totaliter excluderetur, ex his quæ de patre lenocinium præſtante ſcripſit Gabr. vbi ſuprà nu. 11.

XL.

Edita Anno 1520.

EXurge Domine, & iudica cauſam tuam, & infra pag. 536. Bull.

COMPENDIVM.

Martinus Lutherus, eiúſque ſectatores quamplures errores ſuſcitarût, quorum aliquos hic Pont. recenſet. §. 1. & 2. Eóſque vti falſos, & hæreticos damnat. §. 3. & 4. Eius ſcripta interdicit. §. 5. Pro reductione Martini, ipſum Pontifex citari fecit, & deinde hortatus eſt, vt ab erroribus deſiſteret. §. 6. Ille autem ad futurum Concilium prouocauit. §. 7. Et nihilominus Martinum, & ſequaces iterum hic Pont. ad conuerſionem hortatus fuit. §. 8. Poſtea ei inhibet prædicationis officium. §. 9. Martino, & ſequacibus terminum præfixit, ad deſiſtendum ab huiuſmodi erroribus. §. 10. Et inobedientes in d. termino, vti hæreticos pronunciauit. §. 11. Opera eius omnia prohibuit. §. 12. Chriſti fideles monet, vt hos hæreticos euitent. §. 13. Capi etiam mandat. §. 14. Loca, ad quæ declinauerint, interdicto ſupponit. §. 15. Vt hæreticos publicari iubet. §. 16. Illámque Bullam publicari, & impedientes excommunicari præcipit. §. 17. Tranſumptis credi iubet. §. 18. Contrariis derogat. §. 20. Sanctionem pœnalem addit. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Quamuis Papa in §. 14 Martinum, & ſequaces poſt lapſum terminum hæreticos declaratos capi non iuſſiſſet, nónne vbique capi potuiſſent?

RESP. Sine dubio capi potuiſſent, & puniri. Zabar. in Clem. 2. de ſent. & re iud. num. 12. ſiquidem ipſi vbique delinquunt. Bald. in l. & ſi excepta. 7. Cod. de malefic. & Mathem. in fin. Carrer. in ſuo Tract. de Hæret. num. 153. Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 91. verſ. hæc tamen. Et ſignanter capi poſſe in Eccleſiis, diffiniuit in Conſt. 1. Ioann. XXII. de qua ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Potuiſſet quis de cibo ſubuenire alicui ex ſupradictis Hæreticis in extrema neceſſitate, ſolùm cauſa pietatis?

RESP. Potuiſſet, quia de nemine eſt deſperandum, donec viuit, iuxta gloſ.

gloſ. in cap. in eos.6.de Hæretic. & Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. pag. mihi 547. nu. 2. ac Nauar. conſ 57. Quidam lib.5. de ſent. excom. n. 7. & ſeqq.

X L I.

Edita Anno 1521.

DEcet Romanum Pontificem ex tradita, & infra pag. 540. Bull.

C O M P E N D I V M.

Refert, contra Martinum Lutherum præcedentem Conſtitutionem edidiſſe. §.1.Poſt cuius publicationem multi eius ſequaces ad fidem Catholicam conuerſi ſunt, ipſe autem impœnitens cum aliis fuit, & peiora patrauit.§. 2. Quos anathematis, & alias pœnas incurriſſe declarat. §. 3. Loca, ad quæ declinauerint, interdicto Eccleſiaſtico ſupponit. §. 4. Illóſque à Prælatis excommunicatos declarari mandat.§. 5.Contra Martini hæreſes ardentiùs prædicari iubet §. 6. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quàm nefanda mala Lutherana hæreſis pepererit, nemo eſt, qui ignoret; ſed nónne ex his aliqua commoda, & vtilitates emerſerunt?

R E S P. Tria potiſſimùm commoda hæreſes parere certiſſimum eſt. Primum eſt,Chriſti fidelium exercitatio in intelligentia Scripturarum.Secundum, vt in hæreſim lapſi, humiliores fiant, & pœnitentiæ operibus exerceantur.Tertium, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.Hæc omnia poſt SS. Paulum,& Auguſtinum, & alios recenſet Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 44. verſ. Ac in ſumma.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Infame de quo tempore cœpit eſſe nomen hæreſis?

R E S P. Poſt conſtituta Chriſtianæ Religionis fundaměta, execrabilis apud nos vox hæreſis haberi cœpit:quia cùm lex noſtra data ſit ab omnipotenti Deo per IESVM Chriſtũ filium eius,aliam legem nemo eligere poteſt. Proinde quiſquis aliam fidem, & doctrinam eligit, meritò hæreticus, & infamis eſt, vt ſcripſit Pegna vbi ſuprà,par.2.comment. 26. verſ. Nomen verò, vbi inquit etiam, quod antea ſectæ Philoſophorum vocabantur hæreſes, quia hæc vox illis temporibus in bonam partem accipiebatur.

X L I I.

INter cætera noſtro regimini credita,& infra pag. 541. Bullarij. Edita Anno 1521.

C O M P E N D I V M.

Nicolaus IV. in ſua Conſtit. 2. de qua ſup. Regulam S. Franciſci pro Tertiariis editam approbauit. §. 1. Cui Regulæ non ſolùm ſæculares, ſed etiam Regulares ſe addixerunt. §. 2.Hic Pont. eam Regulam, pro Regularibus accommodatam promulgat, obſeruandámque tradit. §. 3. Nempe ſuper Nouitiorum receptione, cap. 1. Forma habitus, & profeſſionis, cap. 2. Ieiunio, cap. 3. Diuino officio, & oratione, cap. 4. Prælatorum & officiorum ordinatione,cap. 5. Modo conuerſandi, cap. 6. Viſitatione, & cura infirmorum, cap. 7. Viſitatione Prælati, ac Fratribus & Sororibus, cap. 8. Officiis mortuorum,c. 9. Obligatione contentorum in Regula, cap. 10.

Scholion primum.

*Quæro.*Beatus Frãciſcus hunc tertium Ordinem Regularium quando inſtituit?

R E S P. Non eum inſtituit, ſed ſæcularium ſolutorum, & vxoratorum, qui quadam recta viuendi norma præſcripta, in ſæculo viuerent, cui certam Regulam poſtea præfiniuit Nicolaus IV. à Genitore meo in hac Bulla indicatus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hunc ergo tertium Ordinem Regularium quis promouit?

R E S P. Ante Pontificatum Martini V. qui anno 1413. in ſolio B. Petri ſedit, illuſtriſſima, & pientiſſima Angelina à Thermis Ciuitellæ apud Brutios Comitiſſa, coacta bona illuſtrium iuuencularum manu, in Ciuitate Fulginatenſi Prouinciæ Vmbriæ, Conuentum ſub titulo S. Annæ ſibi conſtruxit, & illum cum ſociis ingreſſa, tribus monaſticis votis, paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis emiſſis, ibidem vſque ad mortem ſanctiſſimè perſeuerauit. A cuius exemplo aliæ Virgines permotæ, collatis in medium propriis facultatibus, octo Monaſteria, in quibus ſub habitu, atque

Digitized by Google

atque legibus tertij Ordinis S. Franciſci conuenirent, in diuerſis Italiæ partibus poſt breuiſſimi temporis ſpatium ædificari curarunt. Et ideo hic Pont. hunc Ordinem confirmauit, & Regulam ei præfiniuit, de qua hic, teſte Rod. de quæſt. Regul.tom. 3.quæſt. 72. art. 1.

XLIII.

Edita Anno 1521.

HOneſtis petentium votis,& infra pag.543.Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, Inquiſitores hæreticæ prauitatis procedere poſſe contra maleficos, & ſortilegos, etiamſi aliquis alius Iudex à Papa fuiſſet adiunctus. §. 2. Et Iudices ſæculares eorum proceſſus, aut ſententias reuidere nō poſſe declarat.d. §.2.Et contradictores Eccleſiaſticis cenſuris ad id compelli. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Malefici quomodo poſſunt homines lædere?

RESP.Inducunt dæmones precibus ad hoc, vel promiſſionibus,& aliis modis, & illi non apparenter,Deo permittente, homines lædunt in rebus, fama, corpore, vſu rationis, & vita,vt ſcribit, & exempla refert Martin. de Arles in ſuo Tract. de ſuperſtitionib. num.65. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Malefica poteſtne cenſeri mulier,quæ ſemel maleficium fecit?

RESP. Si agitur de maleficio,quod ſapit manifeſtam hæreſim, & de qua agitur coram Inquiſitoribus, malefica cenſetur:in aliis autem maleficiis attendendus videtur communis vſus loquendi, ſecundùm quem illa mulier malefica nuncupatur, quæ artem ſuperſtitionum exercet, & ad quam confluunt homines pro maleficiis, & ſuperſtitionibus. Ita poſt alios ſcribit M. Antonius Genuenſis Iſerniæ Epiſcopus in Praxi Archiep. Neapol. cap. 23. num. 15. Hoc tamen ſentit ipſe procedere, non quoad punitionem ipſius mulieris, ſed eius, qui ipſam maleficam officio non detulit; & in hoc ſenſu bene loquitur.

XLIV.

Edita Anno 1515.

IN Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, & infra pag. 543.Bullarij.

COMPENDIVM.

Honorius III. exemptionem à decimis de terris ſuis Ordini Ciſtercienſi conceſſit. §. 1. Martinus V.eam ampliauit. §. 2. Et pariter Sixtus IV. §. 3. Innoc.VIII. omnia loca Ordinis ſub Sedis Apoſt. protectione recipit, & à iuriſdictione Ordinariorum,& à ſolutione collectarum, & ſubſidiorum eximit. §. 4. Carolus Imperator perpetuus adminiſtrator Militiæ de Alcantara eiuſdem Ordinis Ciſtercienſis, impetrat ab iſto Pontifice communicationem omnium gratiarum d. Ordinis. §. 5. & ſeqq. Contrariis derogatur. §. 8. Tranſumpti fides approbatur. §.9.

Scholion primum.

Quæro. Vnde hæc Militia nomen ſortita eſt?

RESP.Ab Alcantara oppido in Regno Caſtellæ, vt ſcribit Caſſan. in catal. glor. mundi. par. 9. conſ. 9. & Petrus Calefact. de Equeſt. dignit. num. 27. & Rod. tom. 1.quæſt. Regul. quæſt. 6. artic. 4. in fin. vbi recenſet, quod antea vocabatur Militia del Pereyro.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis huius Militiæ promotor fuit, & quando à Sede Apoſtolica approbationem recepit?

RESP. Rod. in loco præcit. inquit eam à Gomerio Hermandoz, tempore Ferdinandi II. Regis Legionis inſtitutā, & anno 1183.ab Alex. III.& à Lucio III. & poſtea anno 1205.ab Innoc.IV.comprobatam fuiſſe. Corrigendus tamen eſt Rod.quia anno 1183.Lucius III.non Alex. III. & anno 1205. Innoc. III. non Innoc.IV. in ſolio Petri ſederunt.

XLV.

Edita Anno 1521.

EX ſupernæ diſpoſitionis, & infra pag. 545. Bullarij.

COMPENDIVM.

Henricus VIII. Angliæ Rex contra Martinum Lutherum librum conſcripſit, & huic Pont. approbandum tranſmiſit. §. 1. Qui illum approbat. §. 2. Titulúmque Defenſoris fidei illi donat.

Digitized by Google

donat. §. 3. Eúmq; & coniugem benedicit. §. 4. Sanctionem pœnalẽ apponit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore Angliæ Regnum cenſuale ſe fecit Sedi Apoſtolicæ?

RESP. Sub Innoc. III. Ioannes Rex anno 1212. Angliam, & Hyberniam beficiario iure ſubiecit, vt inquit Franciſcus Ioannet. de vit. Rom. Pont. vbi fol. mihi 244. ponit priuilegium ſubiectionis Regnorum Angliæ, & Hyberniæ, & de ea meminit gloſ. 1. in cap. ea quæ. 12. de elect. Sed eiuſdem Regis literarummet tenorem, cum fidelitatis iuramento, tranſcripſit Ciacon. in vita Innoc. III. fol. mihi 524.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod fertur de dicti Innoc. III. dono annulorum, Regi Angliæ tranſmiſſo, ante, vel poſt d. Regni ſubiectionem euenit?

RESP. Accipe contextum Epiſtolæ ipſius Innocen. vbi anno 1205. eam editam, ac doni qualitates ſimul, & myſteria diſertè indicata fuiſſe perſpicies.

Edita Anno D. 120.

INNOCENTIVS EPIſcopus, Seruus ſeruorum Dei,

ILLVSTRI REGI ANGLIÆ.

Exordium. *Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiſcit, quaſi cariora deſiderat aurum obryzum, & lapides pretioſos.*

Donũ quatuor annulorũ. §. 1. *Licèt autem his, aliiſque ditiùs excellentia regalis abundet, in ſignum tamen dilectionis, & gratiæ, quatuor annulos aureos, cum diuerſis lapidibus pretioſis tuæ magnitudini deſtinamus.*

In quorũ ſingulis myſterium habetur. §. 2. *In quibus volumus ſpiritualiter intelligere formam, & numerum, materiam, & colorem, vt myſterium potiùs, quàm donum attendas.*

Formę annulorum myſterium. §. 3. *Rotunditas enim æternitatem ſignificat, quæ initio caret, & fine. Habet igitur regalis prudentia, quid in annuli forma requirat, vt de terrenis tranſeat ad cæleſtia, de temporalibus ad æterna procedat.*

Numeri myſteriũ. §. 4. *Quaternarius autem, qui numerus eſt quadratus, conſtantiam mentis inſinuat, quæ nec deprimi debet aduerſis, nec proſperis eleuari. Quod tunc laudabiliter adimplebit, cùm quatuor virtutibus principalibus fuerit adornata, videlicet iuſtitia, fortitudine, prudentia, temperantia. Intelligas igitur in primo iuſtitiam, quam exerceas in iudiciis, & in ſecundo fortitudinem, quam exhibeas in aduerſis; in tertio prudentiam, quam obſerues in dubiis; in quarto temperantiam, quam in proſperis non amittas.*

§. 5. *Per aurum verò ſapientia deſignatur, quia ſicut aurum præeminet vniuerſis metallis, ſic ſapientia donis omnibus antecellit, Propheta teſtante, qui ait;* Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, *&c. Nihil eſt, quod magis oportet Regem habere. Vnde Rex ille pacificus Salomon ſolùm à Deo ſapientiam poſtulauit, vt populum ſibi commiſſum ſcirẽt prouidè gubernare.* *Materia myſterium.*

§. 6. *Porrò Smaragdi viriditas, fidem; Sapphiri ſerenitas, ſpem; Granati rubicunditas, charitatem; Topatij claritas, operationem ſignificat, de qua Dominus ait:* Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt. *Coloris myſterium.*

§. 7. *Habes igitur in Smaragdo, quod credas, in Sapphiro, quod ſperes, in Granato quod diligas, in Topatio, quod exerceas, vt de virtute in virtutem aſcendas, donec Deum Deorum videas in Sion.* *Epilogus prædictorũ.*

Dat. Romæ apud S. Petrum 4. Calendas Iunij. *D. P. An. 8. die 29. Maij.*

ADRIANVS VI.

Germanus, creatus anno 1522.

CONSTIT. I.

DVm intra noſtræ mentis arcana, & infra pag. 546. Bullarij. *Edita Anno 1522.*

COMPENDIVM.

Refert, nonnulla à Mauris Regna occupata, operâ Militum S. Iacobi de Spatha, Alcantara, & Calatrana, & Caroli V. Imperatoris recuperata fuiſſe, in princip. Similiáque facinora à Ferdinando Rege glorioſè acta extitiſſe. §. 1. Et ad hæc peragenda has Militias inſtitutas. §. 2. Eáſque aliquando in adminiſtrationem Regibus datas. §. 3.

Et ſic dari expedit. d. §. 3. Propterea eas Coronæ Regiæ Hiſpaniæ perpetuò vnit. § 4. Contrariiſque derogat. §. 5. Alienationem bonorum ipſarum prohibet. §. 6. Iura Magiſtris præſtari ſolita, per ipſos Reges exigi permittit. §. 7. Conceſſionem huius priuilegij, & gratiæ, certis caſibus irritam decernit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quis omnium primus fuit Militiæ S. Iacobi Magiſter?

R E S P. Fuit Petrus Ferdinandus, vt ſcribit Caſſan. in catalog. glor. mundi. par. 9. conſid. 7. Idémque tenet Petrus Calefact. de Equeſtr. dignit. nu. 24.

Scholion ſecundum.

Quæro. Milites S. Iacobi, qui coniugem ducere poſſunt ex indulto Alexan. III. hic in rubr. à Genitore tuo citati, hócne gaudent priuilegio, ſi ex alia probata Religione, in qua tria vota ſubſtantialia vouiſſent, ex indulto Papæ ad hanc tranſirent?

R E S P. Nequaquam ducere poterunt vxorem, niſi Papæ dicta profeſſio vororum narrata fuiſſet, & ex vrgenti cauſa expreſsè diſpenſaſſet, vt conſulendo voluit Nauar. in conſ. 13. de ſponſalib. lib. 4. in antiquis, num. 3. vbi rationes ſuæ opinionis explicat.

I I.

Edita Anno 1522. DVdum, vti nobis exponi feciſti, & infra pag. 547. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inquiſitores Ciuitatis Cremonæ procedebant contra ſortilegos, & diabolo obedientiam præſtantes, & maleficos. §. 1. Aliqui tamen eis ſe opponebant. §. 2. Iulius itaque II. illis mandauit, vt contra eoſdem omnino procederent. §. 3. Et habita relatione ab Inquiſitore Comenſi, quod hæc labes augebatur. §. 4. Hanc eamdem facultatem ad quoſcumque alios Inquiſitores hic Pontif. extendit. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quis me edocebit, quæ ſint ſortilegia, & maleficia ſapientia manifeſtam hæreſim, de quibus cognoſcunt Inquiſitores?

R E S P. Perbellè hæc explicat Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. quæſt. 42. & Pegna ibid. in commen. 67.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si erit dubium, an maleficium, vel ſortilegium aliquod hæreſim manifeſtè ſapiat, poteritne Inquiſitor ipſe id cognoſcere?

R E S P. In cap. Accuſatus. 8. §. Sanè de Hæretic. in 6. glo. & Canones communiter tenent, quod Inquiſitor debet reum remittere ad Iudicem ſuum, & cum eis ſtat Eymeric. d. quæſt. 42. in fine. Quod tamen intelligendum eſt, ſi maleficium, vel ſortilegium, de quo agitur, non ſapit hæreſim; ſed ſi hæreſim ſaperet, Inquiſitoris eſt iuriſdictio, an illa hæreſis ſit manifeſta, necne, vt declarat Panormit. in cap. 1. de ſortileg. ſub num. 4. quem ſequitur Carrer. in tit. de Hæretic. num. 24. in fin. & Bernard. Comenſ. in Lucerna Iuris, in verb. Inquiſitor. num. 29. & Pegna d. comment. 57. in fine.

I I I.

SAnctiſſimus D. N. D. Adrianus Papa VI. & infra pag. 549. Bullar. *Edita Anno 1522.*

C O M P E N D I V M.

Reuocat omnes conceſſiones iuriſpatronatus, quoad beneficia electiua, ab anno primo Innocentij VIII. factas etiam conſiſtorialiter, & ad fauorem cuiuſcunque perſonæ, vel locis piis. §. 1. Reuocat eaſdem quoad beneficia non electiua, ſi impetrantes fructus eorum ad medietatem veri valoris non auxerint, vel Eccleſias de nouo non conſtruxerint, ſeu funditus dirutas non reædificauerint. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Si quis eſt in poſſeſſione huiuſmodi iuriſpatronatus, nónne releuatur ab onere probandi dotationem, aut fundationem, de qua in §. 2.

R E S P. Non releuatur, quia iſta Conſtitutio nedum tollit poſſeſſionem de præterito, ſed etiam de futuro, ex prægnantia diſpoſitionis, vt in ſpecie de hac Conſtitutione loquendo diffiniuit Rota in deciſ. 269. par. 2. diuerſ. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi habeat priuilegium Sedis Apoſtolicæ de aliquo iurepatronatus, ei conceſſum ob reparationem

nem Eccleſiæ, quæ ruinam minabatur?

Resp. Comprehenditur proculdubio in hac reuocatione, quia id non eſt ædificare, neque reædificare, ſed reparare, vt dixit Rota in d. deciſ. num. 1. & 2. & poſt Beroum, quem allegat, ſcribit Tuſch. in verb. Iuſpatronatus, concluſ. 601. in fine.

I V.

Edita Anno 1522.

Satis, & pluſquàm ſatis ſuſtinuimus, & infra pag. 549. Bullarij.

COMPENDIVM.

Leo X. monuit Ducem Saxoniæ, vt Martinum Lutherum dimitteret, in princip. Dux nihilominus magis reprobus eſt. §. 1. Hic Pont. cum propterea monet ad reſipiſcendum. ibidem. Saxones fidei propugnatores fuiſſe, & Gregorium Papam V. Ducem Saxoniæ in electorem Rom. Imperatoris conſtituiſſe. §. 2. Refert d. Lutheri improba facta. §. 3. Eiuſdem furorem & immanem audaciam. §. 4. Improbáque mandata. §. 5. Detractionéſque & licentioſæ vitæ normam. §. 6. Prophetiæ iactantiam. §. 7. Sermones iniquiſſimos. §. 8. Sermonis perfidiam. §. 9. Præſertim contra Papam, & Sacerdotes. §. 10. Hortatur ergo Ducem, vt deſiſtat à perſecutione Eccleſiæ, & D. Paulum imitetur. §. 11. Præmia conuerſionis ei proponit. §. 12. Pœnas impœnitentiæ enunciat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Si Lutheri imaginem domi ſuæ ſcienter quis honorificè collocaſſet, hæreſis ſuſpicionem incurriſſet?

Resp. Ea ſuſpicione non careret, vt ſcribit Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. comm. 4. verſ. Ex his. vbi tradit, quòd cum dedecore tãtùm, & ignominia pingi poſſet: refértque Lõgolium, defuncto impio Luthero, ingenioſè in tabula Lupum nigrum, Lutherum indicantem, depingi feciſſe, adiecto eleganti tetraſticho, quod apud eum legere poteris.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ ergo eiuſmodi Lupi nomen, & natura dicitur?

Resp. Lupus à Græco tranſlatus eſt; Græcè enim lycos dicitur, quod rabie rapacitatis, quicquid inuenit, trucidat, & eſt beſtia, quæ ouibus inſidiatur, quarum guttur inuadit, vt citiùs ſtrangulet; ideoque & pro hæretico (& ſic multo magis pro Luthero hæreſiarcha) Lupus congruè deſignatus videtur cap. Sunt quidam. 6. cauſ. 25. quæſt. 1. in vltim. verb. Hæc habet Archidiac. in cap. vt officium. 11. de Hæretic. in 6. num. 1.

CLEMENS VII.
Italus, creatus anno 1523.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1523.

Rationi congruit, & conuenit honeſtati, & infra pag. 553. Bullarij.

COMPENDIVM.

Angelos primùm pro ſalute hominis in hunc mundũ Deus deſtinauit. §. 1. Patriarchas poſtea. §. 2. Prophetas deinde. §. 3. Filiũ denique propriũ. §. 4. Leo ergo prædeceſſor cognoſcens glorificari Dei nomẽ, dũ eius ſancti venerãtur in terris. §. 5. S. Antoninũ Archiepiſcopũ Florẽtinũ SS. catalogo adſcribere cogitauit, cùm pro illius Canonizatione apud eum inſtatum fuiſſet. §. 5. & 6. Proceſſúmque deſuper fieri commiſit. §. 7. Et perfectum, ad ſéque tranſmiſſum recepit. §. 8. Illum examinari, & alios vlteriùs teſtes recipi voluit. d. §. 8. & ſeq. Eóque ſibi relato in Conſiſtorio ſecreto, publicum pro abſoluenda Canonizatione Conſiſtorium indixit. §. 13. & ſeq. Adrianus VI. ſucceſſor illum poſtea canonizandum duxit. §. 16. Virtutibus namque, & miraculis claruit, quorum aliqua referuntur. §. 17. & ſeqq. Illum ideò ſeruatis ſeruandis SS. Confeſſorum, & Pontificum numero adiunxit. §. 29. & ſeqq. Eius feſtum die 2. Maij celebrari iuſſit. §. 32. Indulgentiam illic aſſiſtentibus elargitur. §. 36. Et quia Adrianus VI. obiit, literis non expeditis, eas hic Pont. expediuit. §. 37. Eaſdem publicari iubet. §. 38. Huius Bullæ tranſumptis credi mandat. §. 39. Sanctionem pœnalem apponit. §. 40.

Scholion primum.

Quæro. Huius Sancti præclara acta, & miracula, quis mihi copioſiùs explicabit?

RESP. Frater Vincentius Maynardus Geminianenſis Procurator Ordinis Fratrum Prædicatorum, luculenter conſcripſit,refértque Surius de vit. Sanctor. tom.3.ſub die 2.Maij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Canonizatio Sanctorum habetur per traditionem, vel aliàs, in Eccleſia Dei?

RESP. Per traditionem, ſecundùm Pegnam, qui poſt Melchior. Canum de loc. Theolog. lib.3. cap. 3. ſic ex Synodo Nicæna act.3.§.hic itaque,id ſibi probari ſcribit in Director.Inquiſit. par. 2. comment.42.in fine.Et bene congruunt, quæ de antiquit. Canonizat. refert Rocca de Canoniz.Sanctorum cap. 5.

II.

Edita Anno 1523. RAtioni congruit, & infra pag. 558.Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerique Pontifices multas gratias, & priuilegia Ordini S. Antonij Viennenſis, vbi eius corpus requieſcit, & horrendo morbo ignis S. Antonij nuncupato languentes,vltra alios,recipiuntur, conceſſerunt, & ſignanter ius quæſtuandi pro obſeruanda hoſpitalitate.§.1.& ſeqq.Sixtus IV. & alij beneficia d.Ordinis illum expreſsè profeſſis, & non aliis conferri ſtatuerunt. §.4.Et nonnulli Pontt.quamuis aliorum locorum, vel religionum priuilegia ſuſpenderint, hunc tamen Ordinem præſeruarunt.§.5.Et à ſolutione decimarum,& onerum exemerunt.§. 6. Legata piis locis S. Antonij relicta, huius Ordinis eſſe declararunt. §.7. Priuilegiis eius derogari prohibuerunt. §. 8.Leo X.hæc omnia approbauit. §. 9. Et innouauit. §. 13. Et non niſi certa obſeruata forma, eis derogari poſſe iuſſit. §. 14. Quæſtuandi facultatem iteratò conceſſit.§.15.Et exemptionem ab oneribus. §.16. Supplicationes gratiam, vel iuſtitiam concernentes, in cauſis Ordinis, non niſi certa ſeruata forma, expediri poſſe decreuit.§.17. Beneficia huius Ordinis eius Religioſis tantum conferri iuſſit. §. 18. Loca omnia ſub inuocatione S.Antonij conſtructa, Abbati S.Antonij ſubiicit.§.19.Eleemoſynas nolis ſonantibus quærere, eáſque animalibus appendere poſſe voluit.§.20. Vniones, & ſuppreſſiones beneficiorum Ordinis prohibuit. §.21. Quibuſcumque contrariis derogauit.§.23.Et quia ſuperueniente Leonis X.obitu, eius Bulla non fuit expedita,hic Pontifex eam edit,ac ſeruari præcipit.§.25.& ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Cur tam celebris eſt cultus S. Antonij apud eos, qui lue ignis ſacri corripiuntur?

RESP. Anno 1089. huiuſmodi lues adeò excreuit, quod multos conſumpſit, & multos deformes reliquit, & qui eo morbo tacti,ad corpus S. Antonij Viennenſis concurrebant,confeſtim ſanabantur, vt poſt alios recenſet Baron.in Annal.Eccleſ.tom.11.pag.617.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hinc fortaſſe aucta eſt etiam erga eumdem S. Antonium reuerentia eorum, qui in ipſum peccant periurio, blaſphemia,aut alia contumelia?

RESP. Sic ſcribit Baron.vbi ſuprà, dicens,quod ſicut eo ignis morbo laborantes ſanantur, ita ſani in eum, vt præfertur,peccantes, eumdem ſolent experiri vlrorem, ſacri ignis morbo ſtatim correpti. Quod cauendum cunctis prodigium ita perſeuerat, vt prouerbium ſit,in S.Antonium neminem impunè peccare.

III.

ADmonet nos ſuſcepti cura regiminis,infra pag.562.Bullarij. *Edita Anno 1523.*

COMPENDIVM.

SS.Petrus, & Paulus Principes Apoſtolorum, Romæ fidem Catholicam firmarunt, in princip. Imperator Conſtantinus eorum Baſilicam ibidem ædificauit.§.2.Iulius II. eam cenſuit ampliandam. ibid. Pro cuius perfectione hic Pontifex erigit Collegium ſexaginta virorum Curialium.d. §. 2. Illud ſibi ſoli ſubiicit. §. 3. Cui dat facultatem deputandi Iudicem ad cognitionem cauſarum fabricæ. §.4.Eleemoſynas, & oblationes in opus d.fabricæ exponendi.§.6. Cum eius debitoribus tranſigendi. §. 7. Collectorem ad exigenda legata deputandi. §. 8. Pecuniam inde redigendam, in opus fabricæ impendendi.§.9.Iuriſdictionem

ctionem præfato Iudici concedit, vt tamquam Iudex Ordinarius cauſas fabricæ ſummariè, abſque alia tela iudiciaria, & ſingulis diebus, & horis in honorem Dei non feriatis, etiam Papa abſente, vel mortuo, cognoſcat. §. 10. Cenſuráſque, & pœnas infligit. §. 11. Et ab eius ſententia ſemel tantùm appellari poſſit. §. 12. Omnes eius mandata exequantur. §. 13. Diſpoſitiones ad fauorem fabricæ non impediantur, neque occultentur. §. 14 Notarij omnes relicta fabricæ notificent. §. 15. Clauſulæ præſeruatiuæ apponuntur. §. 16. Executores deputantur. §. 17. Contraria ſublata remaneant. §. 18. Tranſumptíſque fides detur. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Eleemoſynæ, & oblationes, de quibus in §. 6. in quo differunt?

R e s p. Eleemoſynæ dicuntur quæ ſecretò, oblationes verò, quæ publicè fiunt, ſecundùm Anch. conſ. 429. ſub n. 3. Intellige tamen de his, quæ fiunt à Chriſti fidelibus, ſecus ſi fiant ab hæreticis, Iudæis, excommunicatis, vſurariiſque nolentibus ſe emendare. Graff. par. 2. ſuarum deciſ. cap. 27. de decim. ſub num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Papa reuocaret facultatem deputandi collectores eleemoſynarum quibuſuis Prælatis, & perſonis conceſſam, comprehenderétne iſtam Collegij facultatem, de qua in §. 8.

R e s p. Non, quia appellatione Prælatorum, & perſonarum non veniret Collegium fabricæ. l. metum. 9. §. animaduertendum ibi, perſonas, vel populos. ff. de eo quod met. cauſ. per quem text. ſic cenſuit Rota ad fauorem huius Collegij, in deciſ. 42. Caputaq. par. 3. nu. 2. & ſeq.

I V.

Edita Anno 1524. Nvper felicis recordationis Adrianus Papa V I. & infra pag. 565. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, Adrianum V I. approbaſſe ſtatuta Vniuerſitatis Barcarolorum Ripettæ vrbis, vbi inter alia cauebatur, Conſules eorum cognoſcere lites ſuper rebus vectis ad Ripettam, vſque ad certam quantitatem. Hic modò Pontifex Iudici Curiæ Ripettæ vrbis, à Reuer. Cam. Apoſt. Riparum Præſide deputando, dat iuriſdictionem cognoſcendi cauſas ciuiles ſuper quibuſuis rebus, & bonis, ac mercibus, per flumen ad vrbem deuectis mouendas; necnon cauſas criminales per Barcarolos, & mercatores Ripæ, in quibus pecuniaria, & non ſanguinis pœna veniat imponenda, cum earum incidentibus, emergentibus, annexis & connexis. §. 1. & ſeqq. Et cum facultate ſummariè, ſimpliciter, de plano, & manu regia, eas terminandi. §. 3. Et quod nemo ex prædictis ad aliud tribunal trahi poſſit. ibid. Executores huius Bullæ deputat Clericos Cameræ, & Conſules Vniuerſitatis Barcarolorum. §. 4. Obſtantia tollit, quæcumque ſint. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *cum earum incidentibus*, in §. 1. quam ſignificationem continent?

R e s p. Incidentia dicuntur ea, quæ in curſu litis eueniunt, vt putà mercator examinat teſtes ad probandum eius creditum coram Conſulibus mercatorum, qui teſtes ſi falſum deponunt, de hoc falſitatis crimine, quod incidit, cognoſcunt iidem Conſules. l. nulli. 10. vbi notant omnes C. de Iudic. & ſcribit Mandoſ. ſuper Bulla facultatum A.C. in verb. incidentia.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *ſuper bonis, & mercibus*, in d. §. 1. intelliguntur de lite ſuper illis rebus mota, nedum in poſſeſſorio, ſed etiam in petitorio?

R e s p. Ita quidem, quia verba ſunt apta vtrumque comprehendere. Rota in deciſ. 6 Caſſador. de reſcript. num. 1. & in deciſ. Cantuc. 8. par. 2. diuerſ. num. 4.

V.

Ad ſacram B. Petri Sedem, & infra pag. 566. Bullarij. *Edita Anno 1524.*

C O M P E N D I V M.

Sixtus I V. omnibus conceſſit facultatem colendi tertiam partem agrorum territorij Vrbis, & patrimonij, habita licentia ab vno ex Iudicibus deputatis. §. 1. Ad quos ſpectari voluit cognitionem differentiarum deſuper oriẽdarum.

Digitized by Google

darum. §. 2. Iulius II. hanc Bullam innouauit. §. 3. Baronibúſque & aliis vetuit, eorum ſubditos impedire ad Vrbem frumentum deferre, vel cogere ad eis illud vendendum, vt cariùs poſtea reuendant. §. 4. Hic Pont. iſtas Conſtitutiones comprobat, & extendit. §. 5. Agricultores eximit à repreſaliis,& moleſtationibus pro debitis,& tractas frumentorum certo modo concedit. §. 6. Et facultatem renunciandi locationibus tribuit. §. 7. In colendis agris, Romanos, & incolas forenſibus præferri decernit. §. 8. Dominos agrorum iubet in eorum cultura non perturbari.§.9.Prohibitionem Iul. II. contra Barones, & alios, vt ſuprà innouat, & ad fautores extendit. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Agricultores, de quibus in 6. nónne erant etiam de iure communi exempti ab executionibus ciuilibus?

R E S P. Erant quidem, & eſt text. clarus in Auth. agricultores. Cod. quæ res pign. oblig. poſſ. & tradit Caſſan. in catal. glor. mundi. par. 11.conſid. 37. verſ. præterea,vbi quædam notatu digna refert de agricultorum indemnitate etiam apud Barbaros, & etiam tempore belli. Sed quia forſan hoc priuilegium malè ſeruabatur, vt inquit Neguſ. de pignorib. in 3. memb. 2. partis, nu. 49. ideo hæc, & aliæ ſimiles Bullæ editæ fuerunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi agricultor in executione nihil opponit, ſed propria voluntate tradit pignora?

R E S P. Gl. in l.Executores. 7. Cod. quæ res pign. oblig. poſſ. tenet renunciaſſe priuilegio. Sed Petrus, & Rayn. contrarium tenent ratione publicæ vtilitatis, vt Salyc. ibidem ſcribit in fin. & ſequitur Neguſ.de pignorib.in 3.memb. 2. partis nu. 49.

V I.

Edita Anno 1524. CONqueſtionem dilectorum filiorum, & infra pag. 569.Bull.

C O M P E N D I V M.

Conſeruatores & Iudices concedit Ordini Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, cum facultate Ordinem, eiúſque bona, & perſonas tuendi, eorúmque priuilegia, & indulta, ac defendendi à damnis,& iniuriis,& ne trahantur coram aliis Iudicibus in eorum cauſis ciuilibus, & criminalibus.§. 1. 2. 4. & 5. Contrariis omnibus derogat. § 3. Tranſumptis huius indulti fidem dari iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Conſeruatores iſti poſſunt alios eorum loco ſubdelegare?

R E S P. Non, vigore huius Bullæ, quia id expreſsè non diſponit; ad tex. in cap.fin. §. vices, de offic. deleg.in 6. & ſcribit Petrus Greg. in Syntag. Iur. lib. 47. cap. 22. num. 27.

Scholion ſecundum.

Quæro. Citant abſque inſertione ſuarum facultatum?

R E S P. Citant, ſi citandus eſt in loco citantis. Iaſ. conſ. 145.lib. 4. num.6. vel in loco non multum diſtante. Gratian. lib. 1. diſcept. forenſ. cap. 170. n. 30.& ſeq.poſt Syluestr.in Summ.in verb. Conſeruatores. numero 3. verſ. Dico quintò.

V I I.

GRatum Deo credimus impendere famulatum, & infra pag. 570. Bullarij. *Edita Anno 1524.*

C O M P E N D I V M.

Præcipit omnibus Prælatis,quod Fratribus Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum,in quærendis eleemoſynis per eorum diœceſes faueant. §. 1. 2. & 3. Sunt enim hi Fratres non quæſtores, ſed Religioſi viri. §. 4. Eleemoſynæ pro aliis Religioſis non commendentur in die conſtituta pro iſtis,ad opus d. Redemptionis. d. §. 4. Neque tempore interdicti. §. 6. Perturbatores eorum coërceri mandat. §. 7. & ſeqq. Sanctionem pœnalem apponit. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Qua ratione, vel alia, quàm huius Pontificis authoritate probatur, quod hi Fratres quærêtes eleemoſynam, non ſint quæſtores, vt dicitur in §. 4.

R E S P. Probatur authoritate text. in l. Sed ſi adiiciatur. 12. ff. pro ſoc. vbi quæſtus propriè dicitur, quod quærentes ſibi ipſis referunt; per quem tex.decidit Bald. conſ.27. lib. 1.num. 2. quod

Fra

Digitized by Google

Fratres quærentes eleemoſynas pro fabrica Eccleſiæ, vel ſimili opere pio, vigore priuilegij Apoſtolici, non ſunt verè, & propriè quæſtores, ſed illi ſunt, qui quæſtum emunt, vel conducunt à Fratribus, & etiam ipſi Fratres, ſi poſtea cum eis vadunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Licuiſſet ergo plures Religioſos eadem die concurrere in quærendis eleemoſynis, circumſcripta hac prohibitione, de qua in §. 5.

R E S P. Ita ſanè, quia per concurſum ius alterius minuere non licet, ad tex. cum ibi not. in l. in concedendo. 8. de aqua pluu. arc. niſi ex conſuetudine quis habuiſſet quæſtum priuatiuè quoad alium. l. Præſes. 6. cum ſeqq. Cod. de ſeruit. & aqua. & ita conſulendo tenet per has leges Bald. loquens de his quæſtoribus in conſ. 277. libro 2. ſub num. 1.

VIII.

Edita Anno 1524.

CVm dudum felicis record. Sixtus Papa IV. & infra pag. 571. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus IV. & Iulius II. & alij prædeceſſores, ac Leo X. ſtatuerunt, quod ab impetrantibus beneficia Conſiſtorialia, impetrarentur etiam diſpenſationes retentionum aliorum beneficiorum, in princ. Et quod etiam Leo X. & Adrianus VI. conſtituerunt, in eiſdem ſcedulis impetrationum fieri mentionem de aliis beneficiis, aliàs vacarent. §. 1. Hic Pont. eorum Conſtitutiones comprobat, & ad Commendas beneficiorum quorumcumque per ſupplicationes etiam ſub data ſcedula, &c. Conſiſtorialium ad partes ſignandas, extendit. §. 2. Et ab omnibus Officialibus ſeruari mandat. §. 3. Et huic ſanctioni non niſi per ſpeciale mandatum Papæ derogari vetuit. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Extenſio ad Commendas nónne videtur inutilis, cùm appellatione beneficiorum veniat etiam Commenda?

R E S P. Non videtur inutilis, quia quâdoque venit, quandoque non, ſub nomine beneficij, vt colligitur ex deciſ. Put. 22. lib. 1. in nouis, & aliis congeſtis à Gonſal. ſuper 8. Regul. Cancell. gloſ. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si permutaret quis poſtea beneficium Conſiſtoriale, abſque mentione aliorum beneficiorum, intraret vacatio eorum, de qua in §. 1.

R E S P. Non, quia lex iſta locum habet in verè promoto, qui lucratur dignitatem, quam nunquam habuit; ſed qui conſequitur dignitatem per viam permutationis, nihil propriè de nouo lucratur, cùm cenſeatur habere ex cauſa oneroſa, eo quod dimittit aliam, quam habet. Sic cenſuit Rota de menſe Decembri 1542. teſte Mandoſ. in conſ. 2. num. 10.

IX.

Edita Anno 1524.

DVdum, admonente nos cura regiminis, & inf. pag. 571. Bull.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſt. 23. de qua ſup. Baſilicam S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe magnificentiùs conſtruere cœpit. §. 1. At ipſe, & ſucceſſores opus perficere non potuerunt. §. 2. Hic ideo Pont. pro d. fabricæ perfectione Collegium ſexaginta virorum Curialiũ erexit in ſua Conſt. 3. de qua ſup. §. 3. Et modò pro ſubuentione d. fabricæ dat facultatem d. Collegio componendi ſuper malè ablatis. §. 4. & 5. Debitiſque Eccleſiæ cui ſuccederet Romana Eccleſia. §. 6. Debitis perſonæ incertæ. §. 7. Legatis Deo, vel Sanctis, aut pauperibus, aut locis piis, abſque principali determinatione, & propriis nominibus non expreſſis, aut Ordinario relictis incertis. §. 8. & 9. Bonis Eccleſiarum reſtituendis. §. 10. Relictis pro malè ablatis. §. 11. Aut Eccleſiis, & piis locis, aut incertis, vel abſentibus, quorum notitia ab eis haberi non poſſet. §. 12. Reſtituendiſque ei, cui receptio non competit. §. 13. Exponendis in prandiis, ſpectaculiſque in aliqua celebritate. §. 14. Boniſque Eccleſiarum, vel beneficiorum occupatis. §. 18. Contrauenientes plectantur. §. 19. Contraria quæcumque ſint, non obſtent. §. 20.

Scholion

Digitized by Google

Scholion primum.

Quæro. Dixiſti in 2. Schol. Conſtit. 23. Iul. II. de qua ſup. quod legatum pro maritandis puellis ab hærede nominatis, non ſpectat ad fabricam, tamquam incertum, de quo loquitur ibi §. 16. & hic. §. 12. Dic amabo, nónne ſaltem ſpectabit ad fabricam, vti legatum perſonis, propriis nominibus non expreſſis?

RESP. Pro affirmatiua vrget doctrina Angeli in l. 1. ff. de liber.& poſthum. Alex. conſ. 141. lib. 2. ſub nu. 10. & Oſaſc. deciſ. 128. num. 15. dum volunt, quod vbi requiritur ſpecifica expreſſio, non ſufficit expreſſio per relationem ad aliud, quod voluit etiã Curt. Sen. conſ. 40. num. 14. Sed tamen iſti loquuntur in aliis terminis, quàm vltimarum voluntatum, quarum fauore aliter diffinitum fuiſſe tunc oſtendi ex tex. l. 1. ff. de leg. t. 2. quem Oldrad. citat, & alij, quos tibi tunc indicaui. Contrarium dicerem ex eo, quod ſpeciale eſt fauore vltimarum voluntatum, vt quod teſtator in arbitrium alterius confert, habeatur pro expreſſo. Ita Vlpian. decidit in l. 1. ff. de legat. 2. quam in propoſito citat Oldrad. aliàs à me tibi indicatus, conſ. 61. num. 3. verſ. Si autem, & ita in ipſamet Curia fabricæ practicatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Legatum pro prandio die feſto faciendo alicui Sodalitati, ſeptem Eccleſias viſitanti, comprehenditur in diſpoſitione §. 14.

RESP. Non, quia Bulla loquitur de legato pro ſimplici prandio, & ſic non extenditur ad prandium, quod fit pro refectione piè itinerantium, vt diffinivit Rota coram R. P. D. Caualerio in vna Romana fideicommiſſi della Potta, die 22. Iunij 1612.

X.

Edita Anno 1524. IN ſancta B. Petri Sede, & infra pag. 574. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Pium II. Conſtitutionem edidiſſe contra homicidas. §. 1. Paulum II. contra vindictam tranſuerſalem ſumentes. §. 2. Sixtum IV. Pij II. Bullam confirmaſſe. §. 3. Iulium II. ſanctionem ediſſe contra homicidas, & alios pro crimine capitali bannitos, aut ſibi ius dicentes, & caualcatam facientes, & eorum fautores. §. 4. Leonem X. aliam eiuſdem argumenti Bullam edidiſſe. §. 5. Eas omnes ipſe confirmat. §. 6. Et ſceleſtos homines, ac bannitos, etiam habita pace, à toto Statu Eccleſiaſtico, & locis Sedi Apoſtolicæ mediatè, & immediatè ſubiectis, exulare debere. §. 7. Receptationem eorum prohibet. §. 8. Capturam omnibus demandat. §. 9. Remiſſionem eorumdem omnibus Officialibus interdicit. §. 10. Executores huius Bullæ deputat. §. 11. Regni domicellos monet, vt homicidas, & complices ad Officiales Status Eccleſiaſtici remittant. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Hæc Bulla, vel alia, eſt neceſſariò in iudicio producenda?

RESP. Non, quia publicè nota eſt, & in Bullario impreſſa, vt in ſpecie ſic de ea ſcribit Tob. Non. conſ. 92. nu. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vindicta tranſuerſalis, de qua in §. 2. dicetúrne, ſi quis in rixa prouocatus offenderit eum, in quo aliàs caderet huiuſmodi vindicta?

RESP. Hæc prohibitio non ſe extendit ad iſtum caſum, quia offenſio in rixa prouocati, propriè defenſio reputatur. Clar. quæſt. 60. num. 18. Marſil. conſ. 137. nu. 8. & de Pauli II. Bulla hic enunciata, ita conſulendo reſpondet Farinac. conſ. 2. num. 7. lib. 1.

XI.

EXponi nuper nobis feciſtis, & infra pag. 575. Bullarij. *Edita Anno 1524.*

COMPENDIVM.

Reſcribit Io. Petro Epiſcopo Theatino, & Caietano preſbytero Vicentino, quod ipſi, & eorum ſocij quietè Deo ſeruire volentes, in habitu clericali, in communi, & de communi viuere cœperunt, & vota ſubſtantialia emittere volentes, aſſenſum Papæ petierunt, in princ. Qui illis impertitur, eoſdémque ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipit. §. 1. Facultatem eligendi Præpoſitum dedit. §. 2. Alióſque ad Religionem recipiendi. §. 3. Et opportuna ſtatuta condenda

condendi. §. 4. Priuilegia Congregationis Canonicorum Lateranenſ. elargitur. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Qui fuerunt ſocij, de quibus hic dicitur in principio?

RESP. Fuerunt Bonifacius à Colle Alexandrinus, & Paulus Conſiliarius Romanus, teſte, poſt alios, Antonio Caracciolo Cõgregationis horum Clericorum Regularium profeſſore, in libello anno 1612. Coloniæ Vbiorum de Pauli IV. vita edito.

Scholion ſecundum.

Quæro. De Io. Petro, & Caietano, de quibus hic dicitur in princ. ſcribitne idem Caracciolus?

RESP. Diſertiſſimè quidem ſcribit: Io. Petrus etenim ad Pontificatum euectus, Paulus IV. denominatus fuit, vt notauit etiam Genitor meus hic in exordio ſuarum Conſtitutionum. Eius itaque, ac præfari (quem Beatum appellat) Caietani præclara geſta in d. libello accuratè digeſta perlege.

XII.

Edita Anno 1525. ROmanus Pontifex, & infra pag. 576. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. in ſua Conſtitut. 16. ſup. fructus beneficiorum Militiæ de Calatraua, communi Theſauro pro ſuorum iurium defenſione applicari voluit. §. 1. Eos modò Pontifex iſte etiam in alios vſus Militiæ proficuos expendi indulget. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hanc Militiam de Calatraua quis ex Romanis Pontt. primus approbauit?

RESP. Gregorium huius nominis VIII. approbaſſe anno 1118. inquit F. Franciſcus de Aueral. Prior Magnus huius Ordinis, in quodam eius Tract. quem impreſſum vidi in fine 1. tom. tract. Rod. de quæſt. Regular. cap. 3. prope finem. Sed corrigendum eſt tempus, quia Gregorius iſte diem clauſit extremum die 16. Decembris anni 1187. cùm in Cathedra B. Petri ſediſſet menſem vnum, & dies 27. ſecundum Baron. & Ciacon. de vita, & geſtis illius.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid commune habet hæc Militia cum altera Militia Auis?

RESP. Longa opus eſſet oratione, ideo eleganter omnia conſcripta accipe à F. Franciſco mox citato.

XIII.

COnuenit æquitati Romani Põtificis, & infra pag. 577. Bullar. *Edita Anno 1525.*

COMPENDIVM.

Ad proſequendum dignis honoribus, & priuilegiis Auditores Rotæ Romanæ, & eorum Locatenentes, ob egregias eorum virtutes, magnóſque labores, concedit eiſdem facultatem recitandi horas Canonicas etiam poſtpoſitis horis. §. 7. Et Miſſam ante diem celebrandi. §. 9. Stationes Vrbis, propriam viſitando Capellam, conſequendi. §. 10. Carnibus etiam diebus prohibitis de conſilio vtriuſque Medici veſcendi. §. 11. Literarum Apoſtolicarum expeditionem gratis habendi. §. 14. Concedit eiſdem exemptionem à Legatorum, Ordinariorum, & aliorum ſuperioritate. §. 15. Et à decimis, pedagiis, gabellis, aliíſque oneribus. §. 16. His priuilegiis non cenſeri derogatum, etiam per literas Apoſtolicas habentes clauſulam, quod tenores, & formæ illorum habeantur pro expreſſis; vel alias quaſcumque clauſulas, & decreta. §. 17. Et quod non comprehendantur Auditores, aut Locatenentes, niſi eorum nomina, & cognomina in eis expreſſa fuerint. ibid. Et ita, & non aliàs iudicari debeat. §. 18. Executores huius Bullæ deputat. §. 19. Contrariis quibuſcumque latiſſimè derogat. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Si derogaretur generaliter gratiis Auditorum Rotæ, cenſeretúrne derogatum iſtis priuilegiis?

RESP. Non, quia gratia differt à priuilegio, dum agitur de derogatiua, vt in ſpecie tentum fuit in Rota in deciſ. Putei 205. libro 1. in nouiter impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi derogetur etiam priuilegiis cuicumque & ſub quacumque

Aa forma

forma, vel expreſſione conceſſis?

R E S P. Non comprehendit Auditores, qui ex hac Bulla ſpecificè nominari debent, vt in puncto reſpondet Romanus conſ. 436. in princ. vbi apoſtilla adducit concordantias, & Rota in deciſ. Put. 85. lib. 1. in nouis, num. 1. Vbi id ampliat locum habere, etiamſi in derogatione extet clauſula, *quorum tenores.*

X I I I I.

Edita Anno 1525.

CVm ex corpore, & anima conſtet homo, & infr. p. 58 t. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Dum Cardinalis erat iſte Pontifex, Monaſterium mulierum ad honeſtam vitam conuerſatum fundauit. §. 1. Leo X. in ſua Conſtitut. 39. de qua ſup. confirmauit, & de nouo inſtituit. § 2. Iſte Pont. modò approbat. §. 3. Gubernatoris Monaſterij, atque Confeſſoris munus præſcribit. §. 4. Alienare bona in euidentem vtilitatem concedit. §. 5. Et eligere Protectorem. §. 6. Monialibus, & benefactoribus Indulgentias elargitur. §. 7. Mulieres impudicæ quæ ſint, declarat, & quod relicta ſaltem quinta bonorum ſuorum parte huic Monaſterio, liberè teſtari valeant §. 8. Quæ verò hanc partem Monaſterio non reliquerint, teſtamenti factione (præterquàm quoad earum prolem de legitimo matrimonio habitam) careant. d. §. 8. Hæc Bulla ligat etiam impudicas mulieres recedentes ab Vrbe, quatenus non receſſerint animo amplius ad eam non redeundi. d. §. 8. Poſt earum obitum, bona earundem occupantes infra decem dies Monaſterio conſignent, ſcientéſque reuelent. §. 9. Bona huiuſmodi hæreditatum quando deponenda ſint. §. 10. Filij harum mulierum inhoneſtarum ex bonis Monaſterio applicatis à Gubernatore Monaſterij piè alantur. §. 11. Curati hæc omnia nota faciant. §. 12. Notarij harum mulierum d ſpoſitiones Monaſterio reuelent. §. 13. Dubia ſuper præmiſſis oriunda per Deputatos Monaſterij decidantur, & vt leges ſeruentur. §. 14. Contractus quicumque per eoſdem fiendi, validi ſint. §. 15. Contraria non obſtent. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Animus amplius non redeundi ad Vrbem, dicitúrne probatus ex habitatione per decennium extra Vrbem?

R E S P. Rota cenſuit concludenter probari, maximè concurrentibus aliis circumſtantiis, nempe quod quæ habitet cum viro in figura matrimonij, & quod ex eo filios ſuſcepit, vt habetur in deciſ. Seraph. 999. ſub num. 2. in nouis, & antea idem tenuerat Rota in eadem cauſa Romana hæreditatis, coram Blanch. 9. Maij 1588.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquando rediit interim Romam?

R E S P. Adhuc dicta ſententia tenenda eſt, quia ſi non traxit mulier longam moram in Vrbe, dum reuertitur ad habitandum extra Vrbem, illic ſemper ſtare velle cenſetur, vt Rota cenſuit in vtraque deciſ. proximè citata. Niſi concludenter contrarium pro parte Monaſterij probetur, vt declaratur in d. deciſ. Blanchetti.

X V.

NVper pro parte veſtra expoſitum fuit, & infr. p. 581. Bullarij. *Edita Anno 1525.*

C O M P E N D I V M.

Miniſtri Prouinciales Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia expoſuerunt Papæ, quod aliqui Chriſti fideles ob eorum in Ordinem deuotionem, faciunt inſtitutiones, vel legata, quorum ipſi Fratres ex Regula non ſunt capaces, & tamen hæredes, vel executores teſtamentorum, in conſcientia ſe grauatos ſentiunt, dum, vt iacent teſtatorum voluntates, non exequuntur, in princ. Qui Papa ipſis Miniſtris, ac etiam Guardianis dat facultatem, vt cum aliquibus diſcretis Fratribus locorum, cum hæredibus, & executoribus ſuper præmiſſis componere valeant, mediantibus eorum Procuratoribus, & Syndicis, in certa quantitate exponenda ad releuandas eorum neceſſitates, ſeu loca fabricanda. §. 1. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Si Fratres ſunt incapaces legatorum, de iure eſt, quod habetur legatum

tum pro non ſcripto.l.ſi in metallum. 3. ff.de his, quæ pro non ſcript. habentur. Quo ſtante, cur hæredes conſcientiæ onus ſentient, vt hic dicitur in principio?

R E S P. Nauarrus conſ. 14. de teſtament.lib.3.pag.mihi 209. num. 3. inquit, ex hac ratione huiuſmodi legata in foro conſcientiæ ab hæredibus non deberi.Sed contrarium ſentit Syluest. in ſua Sum.in verb.legatum.2. num. 4. Et propterea bene Fratres narrarunt Papæ, ſcrupulum in hoc apud hæredes reperiri.

Scholion ſecundum.

Quæro Si ſit aliquod annuum legatum pro cera, vel oleo, aut veſtimentis, aut fabrica Eccleſiæ iſtorum Fratrum, valebit?

R E S P. Valebit, quia reperitur ſolùm prohibitum legari Fratribus,& quia ex hoc non tollitur mendicitas, quæ remanet quoad victum, & veſtitum Fratrum, aut conſtructionem Eccleſiarum, ſecundùm Bart.in tract. de Minoric. lib. 1.diſt.4.cap.1.Syluest.vbi ſup. & Nauarr. conſ.13.lib.3.de teſtament.n.3. & ſeq.

X V I.

Edita Anno 1529. & 1530.

CVm ex multorum relatione, & infrà pag.584.*Item*;Cùm nuper ad amputandum, & infra pag. eadem Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Impetrantes beneficium alternatiuæ, aut diſcuſſionis bonorum, vel hæreditatis in ſtatu Eccleſiaſtico,infra tres menſes a die impetrationis cauſa non expedita in quacumque Curia, ipſis beneficiis ipſo iure priuantur.§.1. Poſſint tamen Iudices ad alium menſem determinum prorogare,§.2. Et hæc Bulla extenditur etiam ad impetrantes beneficium. cap.Odoardus,& cap.Peruenit,de ſolut. in Conſt. ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Si impetrat eius bona, erit dignus iſto beneficio alternatiuæ?

R E S P. Non; ita reſoluit Rota in deciſ. 214. Putei lib. 1. ad finem in nouis, & in deciſ.278. Caputaq. lib.1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Negans debitum, admittetur poſtea condemnatus, ad beneficium?

R E S P. Admittetur, ſecundùm Afflict.in deciſ.379.ſub num.4 Niſi quis eſſet condemnatus per tres ſententias in ſpolio, quia tunc præſupponitur dolus, qui tollit hoc beneficium. Rota in deciſ.54. Putei lib. 1. num. 6. in nouis, & in deciſ. 841. libro 3. par. 3. diuerſor. in fine.

X V I I.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag.585. *Item*;Sanctiſſimus, & infra pag.586.*Item*; Sanctiſſimus, & infra pag. eadem Bullarij. *Edita Anno* 1526. 1530. & 1534.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. mandauit Notariis Reuerendæ Cam.Apoſt.vt conſenſus reſignationum beneficiorum annotarent, infra tres dies à die præſtiti conſenſus, in libris Cameræ.§.1.Leo X.idem iuſſit,addens annotandam eſſe etiam diem Datæ ſupplicationis. §.2. Addens quoque hæc intelligi de quibuſcumque conſenſibus ceſſionum,reſignationum,vnionum,&c. §.3.Hic Pont.has Conſtitutiones approbat, & terminum ad ſex menſes prorogat in materiis Franciæ, & ad quindecim dies in aliis.§.4. Prohibet omnibus Cancellariæ, & Cameræ Notariis, dare inſtrumenta reſignationum prætermiſſis conſenſibus, in alia ſeq. Conſt. §. 1. Præſidentibus Cancellariæ, & Cameræ, interdicit, expedire literas Apoſtolicas vigore illorum inſtrumentorum.§.2. Iudicibúſque vetat, dare mandatum de capiendo poſſeſſionem. §.3. Iubet Notariis,vt ſcribant etiam diem miſſionis, & Datam ſupplicationis,in alia Conſt.ſubſeq. §. 2. Declarationem addit [illegible] conſenſus non extens[illegible] Papæ [illegible]

Scholion primum.

Quæro. Iſta eſt perpetua, vel expirat morte Pontificis,tamquam Regula Cancellariæ?

R E S P. Eſt perpetua, quamuis Regula Cancellariæ quandoque fuerit

appellata, vt voluit Rota in deciſ. 222. vel 223. incip. Regula. Caputaq. libro 1. in manuſcrip. incip. Regula, vbi ſic etiam tenuiſſe dicitur in vna Vrbeuetana Monaſterij, 26. Decembris 1560. coram eodem Caputaq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta Conſtitutio de extendendis conſenſibus, habebit locum in conſenſibus præſtitis à Cardinalibus?

R E S P. Non, quia loquitur de conſenſibus præſtitis coram Notario, & teſtibus; Cardinales autem præſtant conſenſum per ſcedulam: vltra quod hæc emanauit ad obuiandum fraudibus, quę in Cardinalibus non præſumuntur. Rota in deciſ. 28. Caputaq. libro 3. per totum, vbi dicitur hoc idem fuiſſe tentum à Rota in deciſ. Auguſt. in vna Segouienſis Archipreſbyteratus 29. Aprilis 1515.

X V I I I.

Edita Anno 1526. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, & infra pag. 587. Bull.

C O M P E N D I V M.

Fratres, & Milites de Calatraua nudi, & cincti dormire, & de die, ac de nocte officia diuina celebrare, ex eius ſtatuto tenentur. §. 1. Tranſgreſſi tamen ſunt huiuſmodi ordinationem. §. 2. Carolus V. d. Militiæ adminiſtrator pro eis abſolutionem à Papa poſtulat. §. 3. Et hic Pontifex petitam abſolutionem concedit. §. 4. Priorique d. Militiæ in quolibet Capitulo, ſimilem dandi abſolutionem tribuit facultatem. §. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Nónne hi nuditatis, & ſimiles labores etiam ad artem militarem proficiunt?

R E S P. Proficere crediderim per ea, quæ nouiſſimè ſcribit Caball. caſu 295. 8. ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quem ge... dum. ... lites de Calatraua?

R E S P. Nigrum amictum cum Cruce rubra portant, ſecundum Caſſan. in catal. glor. mundi. par. 9. conſid. 8. & Petrum Calefact. de Equeſtri dignit. num. 25.

X I X.

Dvm conſideramus aſſiduos labores, & infra pag. 588. Bullarij. *Edita Anno 1526.*

C O M P E N D I V M.

Concedit vni Syndico cuiuſcumque domus, & Monaſteri Fratrum Minorum de Obſeruantia, ac Monialium S. Claræ Conceptionis, & Annunciationis, illiúſque cóiugi, & liberis gratias, indulgentias, & fauores, quibus ipſi Fratres gaudent, vel gaudere poſſunt. §. 1. Et ſignanter priuilegium fori, vt in cauſis ciuilibus, & criminalibus, coram Conſeruatore tantùm eius loci, cuius Syndicus eſt, conueniri poſſit. §. 2. & 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum

Quæro. Quæ eſt facultas, vel authoritas huiuſmodi Syndici?

R E S P. De ea habetur ſuprà in Conſt. 13. Martini V. in 4. cap. Regulæ. pag. 265. in Bullario.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ibi ſolùm dicitur de facultate Syndici, quoad receptionem, conſeruationem, & diſpenſationem, vbi ergo pleniùs de eius authoritate habetur?

R E S P. Accipe aliam Conſtitutionem Martini IV. indicatam in d. 4. cap. Regulæ; de quo in d. Conſt. 13. & Mart. V. vbi totalis Syndici facultas, & à quo ipſe valeat deputari, diffinitur ab ipſo Martino IV. & latiùs infra à Paulo IV. in Conſtit. 1.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus vniuerſis Ordinis Fratrum Minorum Salutem & Apoſtolicam benedictionem. *Edita Anno 1283.*

Exultantes in Domino, quod ſacri ... ſſores in Dei beneplacitis confirmari promptitudine deuotionis, & operis illius ſtudent imitari veſtigia, eiúſque vias ſummopere cuſtodire, qui deſcendens à Patre luminum, & ſerui formam accipiens, ſe in laudis ſacrificium *Cauſa huius Conſtitutionis.*

*cium placabilem hoſtiam immolauit ; co-
gitare inducimur honeſta remedia , quibus
dicti Ordinis pura abſeruancia in ſui vigo-
re ſeruetur , ydemque Fratres, qui pro nul-
la re tēporali poſsūt in iudicio experiri(ex.
cluſis quibuſlibet ſolicitudinibus) liberiùs
& quietiùs diuinis vacent obſequiis , &
offerentium , donantium , concedentium,
aut in vltima voluntate relinquentium
Ordini prædicto , vel Fratribus eiuſ-
dem Ordinis aliquid propter Deum , pia
intencia non fraudetur , ſicque nos ſolici-
tudis,ob quam prædictus Ordo pro ſuis ne-
ceſſitatibus, quoties ingrueret neceſſitas,vel
vtilitas ſuaderet, recurrere ad Romanā Ec-
cleſia cogeretur,ad quam omnium rerum mo-
bilium , & immobilium , quibus Fratres
vti poſſunt , ius , proprietas , & dominium
nullo medio ſpectat, penſata incommodita-
te,vel difficultate, potiùs quā pro hoc inge-
ri poſſet , Fratribus ſupradictis benignè in-
dulgentes , volentéſque hæredum , & exe-
cutorum negligentiis obuiore,vt Fratres ſe-
cundùm modos licitos, & congruos ipſi Or-
dini, relictis ſibi in teſtamentis eleemoſy-
nis non fraudentur, ac ſperantes, quod his,
quæ pro ſtatu proſpero dicti Ordinis agen-
da fuerint, per vos eò ſalubriùs , & vtiliùs
conſuletur , quo maiori fueritis in hac por-
te auctoritote muniti.*

Facultas deputandi Syndicum.

*§. 2.Diſcretioni veſtræ , de quo plenam
in Domino fiduciam obtinemus , perſonas
ſpeciales, quæ non ſint de ipſo Ordine , no-
minandi , pro locorum indigentia ſingulo-
rum, facultatem concedimus,quas perſonas
per vos taliter nominatas in his admini-
ſtrationem legitimam , generalem, & libe-
ram gerere , & ipſos veros , & legitimos
adminiſtratores , œconomos, Syndicos , &
actores eſſe de plenitudine poteſtatis præ-
ſentium auctoritate conſtituendo , decer-
nimus.*

Facultas ipſius Syndici.

*§. 3. Qui res ipſas , & rerum prædicta-
rum pretium, & dictas eleemoſynas nomine
ipſius Eccleſiæ recipiant,per eoſdem in Fra-
trum ipſorum vtilitatem (prout eis licet ex
Regula, vel declaratione Regulæ) conuer-
tenda , ſicut & quando à te fili Generalis,
vel ſingulis aliis veſtrûm in Prouincia,
vel cuſtodia ſibi decreta ab eiſdem Fratri-
bus de aſſenſu veſtro extiterint requiſi-
ti , per ſe petendi , exigendi , recipiendi,
alienandi prædicta , tranſigendi , paciſcen-
di , conueniendi , promittendi , remit-
tendi , refutandi , quietationem faciendi,
agendi , defendendi , ac in animas eo-
rum de calumnia , & veritate dicendo,
iurandi , & cuiuslibet alterius iuramen-
tum præſtandi , cum illis , & contra il-
los,qui huiuſmodi res mobiles & immobiles,
aut pretium earum,vel relictas eleemoſynas
Fratribus in teſtamento occuparent , vel
violenter auferrent , ſiue quid contra vo-
luntatem Fratrum quomodolibet detinerēt,
& generaliter in omnibus cauſis pro rebus,
& locis huiuſmodi ad ipſam Eccleſiam
ſpectantibus ipſorum Fratrum vſui conceſ-
ſis , necnon pro immunitatibus , libertati-
bus & iuribus , ac priuilegiis eorundem,
ſine cuiuslibet ſatisdationis , & cautio-
nis onere plenam, & generalem , & libe-
ram habeant auctoritate Apoſtolica in
iudicio , & extra iudicium poteſtatem.*

Facultas reuocandi, & alium Syndicum deputandi.

*§. 4. Reuocandique perſonas eaſdem , &
earum quamlibet , ac alias eis ſubro-
gandi , vel nominandi per ſupradictum
modum nominationis , quoties opportu-
num fuerit , qui eamdem in prædictis,
vel ſimilem habeant poteſtatem, plenam, &
liberam concedimus auctoritate præſen-
tium facultatem.*

Nulli ergo , &c. Si quis autem , &.

*Datum apud Vrbem Veterem 15. Kal.
Februarij , Pontificatus noſtri anno ſe-
cundo.*

X X.

Edita Anno 1526.

QVoniam nulli debet officium
ſuum , & infra pag. 588. Bul-
larij.

COMPENDIVM.

De fide , diligentia , & labore Bene-
dicti de Valentibus circa officium Pro-
curatoris Fiſcalis ſuæ Cameræ Apoſto-
licæ certior factus hic Pont. vt ille di-
ctum officium iuxta eius condecentiam,
& dignitatem valeat exercere ,& in di-
ctis, aliiſque ſuis virtutibus , de bo-
no in melius procedere , aſſignat ei-
dem vigeſimam omnium pœnarum ex
cauſis criminalibus, aut prouenientibus
ab eis , quæ cum effectu ipſo , vel eius
ſubſtitutis procurantibus , ad Came-
ram peruenerunt,aut peruenerint. §. 1.

Mandat Camerario, & Clericis &. Cameræ, vt hanc pœnarum partem ſibi perſoluant. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Nomen Fiſci vnde dictum?

R E S P. Quicquid alij dicant relati à Pereg. de iure Fiſci, libro 1. tit. 1. hoc verum puto, quod verbum, *Fiſcus*, ciſtam, aut ſportam, ad magnam pecuniæ quantitatem capiendam, prout fiſcella paruam rem illâ ſignificet. Vnde factum eſt, vt cùm maior ſit pecunia publica, quàm priuata, Fiſcus pro pecunia publica dicatur, vt ſcribit Aſcanius Pædianus act. 2. in Verrem, & ſequitur Grauat. ad Veſtr. in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 3. necnon Calepin. in ſuo Dictionar. in verb. Fiſcus, vbi ſubdit quod confiſcare eſt, pro in ærarium ponere Imò addit (& bene) quod Fiſcus quallum olearium ſignificat, vbi oliuæ exprimumtur; ibi videas.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quando ob diligentiam Fiſcalis pœnę (vt hic dicitur in principio) ad Cameram cum effectu dicentur peruenisse, vt hæc vigeſima ei debeatur, & non eius in officio ſucceſſori?

R E S P. Cùm Fiſco procurante, bona ab ipſo actualiter apprehenſa, vel deſcripta fuerunt in libris Cameræ. l. 3. Cod. de iur. Fiſc. lib. 10. Bar. in l. 5. Cod. de bon. vacant. lib. 10. Rota in deciſ. Seraph. 905. nu. 5. & deciſ. 998. nu. 6. in nouis. Et conſonat doctrina Angel. in l. ſi poſſeſſor. 23. §. redactæ. ff. de petit. hæred. quam canonizauit Rota in alia deciſ. Seraph. 777. par. 1. diuerſor. nu. 2. Et egregiè, & in fortioribus terminis ſtatuti habentis verba (*& non priùs*) firmat hoc idem Soc. & alij, qui ſuo ſe ſubſcripſerunt conſ. 151. lib. 1. nu. 5. & ſeqq. Et hoc placet in terminis huius Conſtitutionis, quicquid ipſe dixiſſet priùs in conſ. 100. eod. lib. ac Surd. qui alios citat in conſ. 227. nu. 21. Sed his temporibus contrarium dicendum eſt, ſucceſſori nempe deberi, ex Bulla Six. V. in §. 21. vbi cauetur Fiſco vigeſimam exburſandam eſſe à Depoſitario Cameræ, quod quidem actualem ſolutionem Depoſitario antea factam ſupponit. Et Clem. VIII. in Conſt. 5. §. 4. & ſeqq. hoc approbat, & in Vrbe præcipuè ſeruari præcipit.

XXI.

Religionis zelus, vitę, ac morum, & infra pag. 589. Bullarij. *Edita Anno* 1528.

COMPENDIVM.

Ludouicus, & Raphaël de foro Sempronienſi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia profeſſi, & de licentia eorum ſuperioris ad Conuentuales tranſlati in Prouincia Marchiæ, ab illius Prouinciæ Magiſtro Prouinciali licentiam obtinuerũt Eremiticam vitam ducendi ſub Regula S. Franciſci. §. Romam venerunt, & à Cardinale Ordinis Protectore eamdem licentiam impetrarunt. §. 2. Et deinde nunc obtinent ab iſto Pont. §. 3. & 4. Habitum cum capuccio geſtandi facultatem habuerunt. §. 5. Alióſque recipiendi. §. 6. Barbam quoque deferendi. §. 7. Eremitoria etiam inhabitandi. §. 8. Priuilegia inſuper, & gratias Fratrum Minorum, & Eremitarum Camaldulenſium conſecuti ſunt. § 9. Executoréſque obtinuerunt. §. 10. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Vltra Ludouicum, & Raphaëlem ſupradictos, aliíne cum ipſis hunc Ordinem promouerunt?

R E S P. Ludouici Tenuglia, & Raphaëlis prædictorũ ſocius quoque fuit Matthæus de Boſchi, qui fuit primus Generalis Capuccinorum, & ei ſucceſſit Ludouicus ſupradictus, vt legitur in Chronic. Franciſc. per Barrezzum de Barrezzis collect. pag. mihi 98. & in Compendio Priuilegiorum Fratrum Minorum pag. 9. & apud Rod. tomo 1. quæſt. Regular. quæſt. 2. artic. 3. verſ. De quibus Fratribus. Aduerte tamen, quod iſta Ordinis Capuccinorum confirmatio anno quinto huius Pontificatus habita fuit, vt hic legitur in Bulla, quamuis prædicti ſcribant anno tertio.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fuit vmquam antea promota eiuſmodi Capuccinorum Eremitarum Congregatio, ſeorſum à Fratribus Conuentualibus, & de Obſeruantia?

R E S P.

R E S P. Perlegi in tribus Conſtitutionibus Iulij II. in libro inſcripto, Monum. Ordinum Minor. ſecunda vice impreſſo, pag. mihi 207. & 210. & 212. quod ad Ordinis Franciſcanorum perturbationem remouendam, omnes Congregationes Clarenorum, Amadæorum, Collectaneorum, & Fratrum de Capuccio, qui de Sancto Euangelio ſe dicebāt, ille Pontifex Conuentualibus, vel de Obſeruantia purè, & ſimpliciter abſque vlla differentia adhærere, & perpetuò viuere decreuit, ita quod iam antea Capuccinorum Congregatio promota fuerat.

X X I I.

Edita Anno 1528. PLacuit intelligere, quod, & infra pag. 590. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Laudat Commune Ciuitatis Brixiæ de exacta diligentia adhibita pro extirpatione hæreſis Lutheranæ. §. 1. Mandat Epiſcopo, & Inquiſitoribus, vt hoc idem præſtent. §. 2. Procedántque appellatione remota. § 3 Cogant teſtes ad perhibendum teſtimonium veritati. §. 4. Quoſcumque citent. §. 5. Omnes cuiuſcumque præeminētiæ de hac hæreſi inquirant. §. 6. Impœnitentes multis pœnis affiCiant. §. 7. Redeuntes certo modo, non tamen relapſos, abſoluant, & ſuper irregularitate diſpenſent. §. 8. Cætera omnia neceſſaria exequantur. § 9. Ad præmiſſa alios idoneos viros deputare poſſint. §. 10. Contraria priuilegia nemini ſuffragentur. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt irregularitas, de qua loquitur Pont. iſte in §. 8.

R E S P. Eſt nota, ſeu impedimentum canonicum ex facto, ſiue defectu proueniens, quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines promoueri, & promotus in illis miniſtrare prohibetur, vt communiter dicunt Syluest. & alij Summiſtæ in verb. Irregularitas, Specul. de diſpenſat. §. 4. in princ. & poſtremò Maiol. de irregul. lib. 1. cap. 1. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis hodie abſoluit ab irregularitate?

R E S P. Solus Pont. quia huic priuilegio Inquiſitorum poſteriores Pontifices derogarunt, vt affirmat Pegna in Director. Inquiſit. comment. 175. Has autem Apoſtolicas Conſtitutiones eiuſmodi derogationem continentes vidiſſe non memini, niſi eas putemus, quas annis ſingulis in die Cœnæ Domini conſueuerunt Rom. Pontt. promulgare, in quibus excommunicantur omnes hæretici, quaſi ex hoc negata ſit Ordinariis eo magis diſpenſatio ab irregularitate incurſa propter hæreſim. Ita ſentire videtur Pegna, dum in loco præcit. allegat ea, quæ ſcripſerat ſuprà in comment. 41. vbi ex Bulla Cœnæ Domini inquit derogatum fuiſſe etiam Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. vbi data erat Ordinariis facultas abſoluendi in crimine hæreſis, in foro conſcientiæ tantùm. De quo Ordinarios monet etiam Maiol. de irregul. lib. 5. cap. 46. num. 6. poſt Manual. Confeſſ. cap. 27. num. 275.

X X I I I.

VEſtrum Ordinem in agro Dominico, & infra pag. 591. Bull. *Edita Anno 1528.*

C O M P E N D I V M.

Ordinem Camaldulenſium Eremitarum S. Romualdi commendat, in princ. Maiori d.d. Eremitarum dat facultatem in perpetuum vtendi priuilegiis, & gratiis, quibus Abbates generales vniuerſorum Ordinum, ſub Regula S. Benedicti militantium, vti poſſunt, vel conſueuerunt §. 1. Excipit tamen facultatem vtendi mitra, & baculo, ac aliis Pontificalibus, & benedictionem populo ſolemniter impendendi. d §. 1. Exemptionē aliis Ordinibus ab Eccleſia approbatis, à datiis, gabellis, & decimis, etiam auctoritate Apoſtolica conceſſis, & condendis, elargitam his Eremitis concedit. §. 2. Licentiámque ſalem pro eorum vſu neceſſarium, è locis Sedi Apoſt. mediatè ſubiectis ad eorum Eremitoria transferendi tribuit. d. §. 2. Contrariis derogat. §. 3. Et tranſumptis credi mandat. §. 4.

Scholion primum

Quæro. Num vita Monaſtica ex prima inſtitutione Eremitica fuit introducta.

R E S P.

R E S P. Sic affirmat, & oſtendit Gregor.Tholoſ.lib.15. Syntagm.iur.cap. 16.n.1.vbi, & etiam cap. præced. ad hoc multa deſcripſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Monachus aſſumeretur ad Epiſcopatum, & deinde eum dimittat, vel ipſo priuetur, num reincidet in iuriſdictionem Abbatis?

R E S P. Reincidet profectò non in iuriſdictionem Abbatis, ſed ſui Superioris Eccleſiaſtici ſæcularis, quia iam fuit ſemel abſolutus à Regula per eum profeſſa. Ita conſulendo dixit Feder. de Sen. conſ. 5.n. 2. verſ. Secundùm hoc,& habemus bonum text. in cap.ne pro cuiuſlibet 37.cauſ. 16. quæſt. 1. & ibi gl. in ver.Sacrum.

XXIV.

Edita Anno 1528. & 1529.

Acepimus nuper, quod licèt dudum,& infra pag.591.*Item*; Cùm de viribus, & infra pag. 592. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Alexander VI. ſtatuit, Curſores Papæ tantùm citare poſſe in Vrbe, in cauſis ordinariis vertentibus coram Iudicibus Palatij Apoſtolici,& in cauſis commiſſariis omnium Iudicum Romanæ Curiæ.§.1.Iulius II.approbauit.§.2. Proceſſúſque aliter factos eum inde ſecutis irritauit. §.3. Hic Pont. dictas Conſtitutiones confirmat,quatenus ſint in vſu. §. 4. Poſtea d. clauſulam (*quatenus ſint in vſu*) delet, & ſimpliciter confirmat in ſubſequentis Bullæ §. 2. Obſeruantiam ſuæ Conſtitutionis ſtrictè præcipit. §.2. Acta in contrarium damnat. §. 3. Auditorem Cameræ executorem deputat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Iudex Commiſſarius in aliquo articulo extraiudicialiter procedit, vt putà ſi extet clauſula, *extraiudicialiter de vtilitate Eccleſiæ te informes?*

R E S P. Eo caſu alius, quàm Curſor citare poteſt,quia hæc Bulla loquitur de cauſis,in quibus iudicialiter proceditur, vt cenſuit Rota in deciſ.Creſcent. 12. de priuileg.alias 204.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Curſor refert intimaſſe ſequeſtrum Petro, & quod ille reſpondit illud acceptare,credetur ipſi Curſori?

R E S P. Credetur, quia acceptatio, vel recuſatio citationis eſt de dependentibus, & connexis citationi, in quibus Curſori plenè credendum eſſe tradunt communiter ſcribb. in cap. Cùm parati. 19. de appellat. & Rota in deciſ. Putei 187.num.1.lib.3.in nouis.

X X V.

Edita Anno 1528.

Onus Paſtoralis officij, & infra pag.593.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. decreuerat, omnes Officiales Status Eccleſiaſtici, expleto officio,coram Papa ſyndicatui pro omnibus per eos geſtis, vel omiſſis ſe ſubmittere debere.§.1.& 2.Condemnatíſque appellationem interdixit.§.3.Admittendóſque ad officium prædicta iurare præcepit.§. 4.Salarij tertiam partem vſque ad finem ſyndicatus retineri iuſſit.§.5.Syndicatúſque proclamari mandauit.§.6. Syndicatoribus facultatem ſummariè procedendi conceſſit. §. 7. Sed multi ceſſabant querelare Officiales nolẽtes hac de cauſa ad Vrbem venire. §.8. Hic ideo Pont. mandat ſyndicatus fieri in partibus.§.9. & 10.Syndicatoribus d.facultatem ſummariè procedendi elargitur. §.11. Condemnatíſque ad Papam infra menſem recurſum concedit. §. 12. Culpabiles in officio retineri vetat.§.13.Cautiones dictorum Officialium in libris Reuerendę Cameræ Apoſtolicæ adnotari iubet. §. 14.Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 15. Contrariiſque derogat. §.17.

Scholion primum.

Quæro. Si præcedentibus proclamis, Officialis fuerit abſolutus in contumaciam non comparentium,poterit ex nouiter deductis moleſtari?

R E S P. Non,præterquàm à legitimè impeditis querelare,vel abſẽtibus. Alex. ad Bart. in l. 2. ff. ad leg. Iul. repetund. Put.de ſyndic.in ver.Officialis finito officio,n.1.& Boſſ.in tit.de Offic. corrupt. num.32.& ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cùm in cauſa ſyndicatus ſummariè

mariè procedatur, poterit contra Officialem cumulari cauſa ciuilis, & criminalis, contra l.interdum.4. ff. de public. iudic.

R E S P. Poterit, vt ſingulariter tenet Bald.conſ.178.lib.1.num.2. verſ. Item ciuilis.

XXVI.

Edita Anni 1529. & 1533. CVm chariſſimus in Chriſto Filius Carolus, & infra pag. 595. *Item*; Licèt variè, & infra pag. 596. Bullarij.

COMPENDIVM.

Carolus V.Imperator pro pace Italiæ Pontificem hunc requirit, vt ſecum veniat Bononiam, ad quam ideo proficiſcitur.§.1.In Vrbe cauſarum audientiam relinquit, ibique futuri Pontificis electionem eo defuncto fieri iubet.§.2.Circa quam electionem Conſtitutiones Alex.III.Greg. X. & Clem. V. obſeruari præcipit.§.3. & 4.Sanctionem pœnalem apponit. §. 5. Hanc inſuper Bullam iterum obſeruari mandat in eius diſceſſu Viennam verſus, aut alium locum maioris,vel minoris diſtantiæ ab Vrbe.§.2. ſubſeq.Bullæ.

Scholion primum.

*Quæro.*Si Pontifex alia,quàm hic expreſſa feciſſet itinera, locúmne haberet iſta Conſtitutio?

R E S P. Ex identitate rationis, & ne ſubditi vagarentur in incerto, locum habere dicendum eſt, vt in ſimili caſu reſpondet Caſtrenſ. in l. ſed ſi pupillus. 7. §. conditio. ff. de inſtitor. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſt ergo ius nouum, quod electio Papæ fiat in Vrbe, quamuis prædeceſſor extra eam decederet?

R E S P. Nouum eſt, & derogat Conſtitutioni Gregor. X. editæ in Concilio Lugdunenſi, de qua in cap. 3. de elect. in 6. vbi cauetur quod electio fieret in Ciuitate, vbi Papa diem extremum clauderet.

XXVII.

Edita Anno 1530. CVm ſicut ex relatione, & infra pag.596.Bullarij.

COMPENDIVM.

Vicarius generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum huic Pontifici notum fecit, quod Lutherana hæreſis in graue Catholicæ fidei detrimentum inualuit in partibus Italiæ, in procem. Hic Pontifex ne ſerpat, vt hæreſis Arrij, mandat Inquiſitoribus,vt deſuper contra omnes etiam Regulares cuiuſcumque Ordinis procedant. §.1. & 2. Pœnitentes autem abſoluant,& cum eis ſuper irregularitate diſpenſent.§.2.Et Cruce ſignatis, pro Sanctæ Inquiſitionis ſeruitio inſtitutis, Indulgentias largiantur. §. 3. Epiſcopis mandat,vt in prædictis faueant Inquiſitoribus.§.4.Quibuſcumque non obſtantibus.§.5.

Scholion primum.

*Quæro.*Alexander IV. in ſua Conſtit. 22.de qua ſup.Inquiſitoribus facultatem huiuſmodi dederat procedendi in cauſa fidei contra quoſcumque exemptos,hæc ergo ſanctio Clem. VII. nónne otioſa videtur?

R E S P. Non, quia deinde plerique Pontifices multos Regulares exemerunt à iuriſdictione Inquiſitorum, vt notauit Genitor meus in apoſtillis nonnullarum Conſtitutionum. Quod ad hanc Bullam notat etiam Pegna in Director.Inquiſit. par.3.comment.77.verſ.verùm.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi inquirendus eſſet aliquis Prælatus alicuius venerabilis Religionis?

R E S P. Prudentiſſimè ſe gerant Inquiſitores,iuxta facti, & perſonæ qualitates, vt docet Pegna iam citatus, in verſ. Poſtremò.

XXVIII.

Edita Anno 1530. CVm proximo Februarij menſe, & infra pag.597.Bullarij.

COMPENDIVM.

In die Cathedræ S. Petri 22.Februarij 1530. iuſſu huius Pont. Vuilhelmus-Cardinalis tit.SS.Ioannis,& Pauli,in Capella Palatij, Papa Bononiæ tunc commo-

ranti, ſacra Miſſarum ſolemnia acturus, Carolum V. Imperatorem inunxit, in procem. Deinde Capellam Papæ ingreſſus, infra Miſſarum ſolemnia, Regia, & Imperatoria inſignia eidem tradidit, & caput eius Corona ferrea coronauit. §.1. In die autem S. Mathiæ Apoſtoli 24. eiuſdem menſis Papa ad Eccleſiam S. Petronij acceſſit, vbi in Canonicum Baſilicæ S. Petri per nonnullos Canonicos receptus extitit, & oratio vna ſuper caput Caroli in Eccleſiæ foribus à Præneſtino, & altera intra ipſas fores à Sabinenſi Epiſcopis decantata fuit; poſtea Imperator ad aliam Capellam diuertit, vbi cultu, & ornatu Diaconorum indutus ad ſedem pro eo paratam acceſſit, & ab Epiſcopo Oſtienſi inunctus ad Papæ conſpectum venit, qui proſecuta Miſſa, antequam Euangelium Latina, & Græca lingua enunciaretur, eadem Regia, Imperialiáque inſignia eidem contulit, annulum digito impoſuit, enſem aduerſus fidei hoſtes vibrandum femori accingi fecit, aurea Corona caput eius coronauit, ſceptrum in eius manibus tradidit, ad oſculum pacis admouit, & deinde Imperator in ſolium Imperiale dextero lateri Papæ penè contiguum ſe recepit. Et abſoluta Miſſa diſceſſerunt. §.2. Et hic Pont. iſta omnia ritè, & legitimè facta eſſe Bononiæ, perinde ac ſi Mandoctiæ, vel Boëmiæ Corona ferrea, ac Romæ Corona aurea datæ fuiſſent, declarauit. §.3. Decretum irritans appoſuit. §.4. Defectus ſuppleuit. §.5. Super retentione Imperij, & Regni Neapolitani diſpenſauit. §.6. Subditis obedientiã iniunxit. §.7. Sanctionem pœnalem appoſuit. §.8.

Scholion primum.

Quæro. Cur Imperator ad dexteram Papæ ſedit, vt dicitur in §.2. ſi dextera præſumptionem inducit maioritatis, vt dicunt ſcribb. in rubr. de maiorit. & obedient.

R E S P. Quia Cardinalis primus Epiſcopus ad ſiniſtram Papæ ſedet, & Papa in medio, & hæc eſt veritas, licèt multa dici poſſint de loco dexteræ, quæ videas apud Gratian. diſcept. forenſ. lib. 1. cap. 106. num. 40. & ſeqq. Quando etenim concurrit Eccleſiaſtica dignitas, & ſæcularis, ſemper præfertur Eccleſiaſtica, vt relatis aliis firmat Boër. in tract. de ord. grad. num. 10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur tot Coronis Imperator coronari conſueuit?

R E S P. Placeat hoc legere apud reſtaur. Caſtaldum in ſuo tract. de Imperat. quæſt. 25. & quæſt. 30. & 33. vbi à quibus Coronas huiuſmodi recipiat, & in quibus locis, necnon cuiuſcunque Coronæ ſignificationem recenſet, poſt gloſ. in Clem. 1. §. porrò, in ver. veſtigiis, de iureiur.

X X I X.

Exponi nobis feciſtis, & infra pag. 598. Bullarij. *Edita Anno* 1530.

C O M P E N D I V M.

Prioribus, & Communitati Ciuitatis Peruſiæ concedit, vt in ea Ciuitate inſtituatur Rota, ad lites, & cauſas decidendas. §.1. Facultatémque concedit formandi Capitula pro Rotæ inſtitutione, cum præſentia, & conſenſu Vicelegati. §.2. Et illa obſeruari præcipit. §.3. Quibuſcumque non obſtantibus. §.4.

Scholion primum.

Quæro. Si hæc Ciuitas Rotam infra decennium non inſtituiſſet, perdidiſſet hoc priuilegium?

R E S P. Si habuiſſet facultatem inſtituendi, & non inſtituiſſet, illud amiſiſſet, cùm illud priuilegium contineat quodammodo aliarum Ciuitatum præiudicium, vt ſic habemus de priuilegio nundinarum à Ciuitate impetrato, ad tex. in l. 1. & ibi notat Bart. num. 1. ff. de nundin. Dec. qui alios citat conſ. 638. nu. 14. Idémque habemus de priuilegio doctorandi. Panormit. in cap. Cùm acceſſiſſent. 8. de conſtitut. num. 6. verſ. Et per hoc.

Scholion ſecundum.

Quæro. In Rota antiquior, vel iunior Auditor primò votare debet?

Scholion ſecundum.

R E S P. Vſu receptum eſt, quod qui vltimo loco ingreſſus eſt Rotam, primò votum ſuum proferat, teſte Romano in ſing. 82. Nec attenditur ætas, aut alia dignitas. Afflict. deciſ. 1. numer. 6. & 7. vbi refert eam eſſe rationem, ne minores formident à votis maiorum declinare. Hæc autem intellige

intellige locum habere, vbi particularis vſus, aut conſtitutio aliter non diſpoſuerit; vel vbi ob eximiam cuiuſque Auditoris excellentiam, hæc formidinis ratio ceſſat, vt de Rota Romana ſcribit Marta in ſuo liberculo de Tribunalibus Vrbis cap. 4. num. 18.

XXX.

Edita Anno 1530.

AD Canonum conditorem non eſt dubium,& inf. p.598. Bull.

COMPENDIVM.

Alexander III. prohibuit in cap. 11. de fil. preſbyt. quod filij preſbyterorum beneficia, quæ obtinuerunt eorum parentes, immediatè impetrare non poſſent, in princ. Vnde parentes reſignabant beneficia perſonis, quæ, etiam illorum non habita poſſeſſione, reſignabant filiis ex fornicatione habitis, præuia diſpenſatione. ibidem. Hic modò Pont. decernit, hos filios de cætero illa nullo vnquam tempore mediatè, & immediatè impetrare poſſe, neque eos deſuper diſpenſari. §. 1. Alexandri prædicti, & aliorum Conſtitutionibus non obſtantibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Filij legitimi poterunt mediatè impetrare beneficia parentum, ſicut poterant ante hanc Conſtitutionem, ad text. in c. 11. & 14 de fil. presbyt.

RESP. Poterunt quidem, quia hic de eis nihil diffinitur, & neque in Concil. Trident. à Genitore citato ſub rubrica. Et ita Bullam hanc interpretatur Nauarr. in Releꝗ. cap. Si quando. 5. de reſcript. num. 3. poſt epilogum, pag. mihi 28.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum de beneficiis, quæ illegitimi mediatè obtinuerunt ante hanc Bullam?

RESP. Ad hæc non extenditur, attendendo illud verbum, *de cætero* ... nuit *Rota in decis.* 47. Achil. de Graſſ. in impreſſis, vbi dicitur, idem quoque Rotam tenuiſſe in vna Calciatenſi coram Fabio, de anno 1548.

XXXI.

EX clementi Sedis Apoſtolicæ,& infra pag. 599. Bullarij. *Edita Anno 1530.*

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, & Confraternitates in eius Eccleſiarum domibus inſtitutæ, expoſuerunt Papæ, quod Ioannes XXII. & Clemens V. hanc Confraternitatem ingredientibus, &c. tertiam partem ſuorum peccatorum relaxarunt. Et quod B. Virgo ipſorum animas poſt eorum tranſitum ſuis interceſſionibus, continuiſque ſuffragiis, & ſpeciali protectione adiuuabit. §. 1. Et quod alij Pontifices alias indulgentias, gratias, ac priuilegia ipſis Fratribus, & Sororibus, & eorum Eccleſiis concesserunt. §. 2. Supplicarúntque pro confirmatione. §. 3. Qui Pontifex illas innouat. §. 4. Priuilegiáque alterius cuiuſcumque Ordinis elargitur. §. 5. & 6. Et etiam Indulgentias ſtationum Eccleſiarum Vrbis. §. 10. Exemplis huius Bullæ credi mandat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt quod fertur, Ioannem XXII. in quadam eius Bulla dixiſſe, quod B. Virgo Sabbatho ſequenti poſt ipſorum Confratrum Religioſorum, ac Sororum obitum, à pœnis Purgatorij eorum animas liberabit, ſi hic in §. 1. aliter refertur conceſſio d. Ioannis XXII.

RESP. Hoc idem pluries à Genitore meo poſtulaſſe recordor, qui tamen huic Bullæ omnino ſtandum eſſe reſpondit, cùm præuia exactiſſima diligentia, alteram, quæ in ore vulgi ſæpe eſt, inuenire non potuerit. Et quod magis eſt, Gregorius XIII. in quadam eius Bulla Indulgentiarum, & gratiarum per eum edita ad fauorem Carmelitarum die 8. Septembris ... eam conceſſionem ... refert, vt videre eſt apud Rod. de quæſt. Regul. tom. 2. qu. 96. art. 7.

Scholion primum.

Quæro. Hinc fortaſſe ſuſpenſus, aut prohibitus eſt liberculus ille, qui Indulgentiarum, ſeu priuilegiorum Carmelitarum nuncupatur?

R e s p. Ita ſanè, quia eum corrigendum cenſuerunt Illuſtriſſimi DD. Cardinales Sacræ Congregationis Inquiſitionis de Vrbe, anno 1613.

XXXII.

Edita Anno 1531. EX Apoſtolicæ dignitatis officio, & infra pag. 601. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præceptores, & Fratres Militiæ S. Iacobi de Spatha,teſtari,& de eorũ bonis certo modo diſponere poſſunt. §. 1. Fratres non Conuentuales Clerici dubitantes id eis non licere, licentiam à Carolo V.impetrarunt, vt eamdem authoritatem à Sede Apoſtolica petere poſſint. §. 2. Carolus pro eis petiit. §.3. Hic Pont. duobus Prioribus authoritatem tribuit, hanc licentiam dictis Clericis ſub certa forma dandi. §. 4. & 5. Contrariis non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Gaudentne iſti Milites priuilegio cap. Si quis ſuadente. 29. cauſ. 17. quæſt. 4.

R e s p. Gaudent proculdubio,quia, vt ex Bulla 5. Alex. III. de qua ſup. & aliis ibi à Genitore meo collectis patet, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. Quibus addenda eſt alia Bulla à Rod. citata, & impreſſa tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 13. articul. 2. vbi in ſpecie hunc articulum tangit,ſequendo Nauarr. de redditib. Eccleſ.monit.55. & ſeq.& in propugnaculo Apologię,num.15.Sufficit enim, eorum Ordinem approbatum fuiſſe à Papa, vt dixit Rota in deciſ. 47.Cæſ. de Graff. num. 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. Filij iſtorum Militum, qui coniugalem caſtitatem vouent,vt habetur ſup. in Conſt. 5. Alexand. III. ante matrimonium ſuſcepti, ſunt fortaſſe naturales, vel potiùs ſacrilegi?

Naturales eſſe nititur probare Guttier. lib. 2. [illegible] quæſtion. q. 111. Sed eius opinionem iure [illegible] tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 13. artic. 2. Intelligo tamen de filiis ſuſceptis poſt emiſſam profeſſionem d. Militiæ.

XXXIII.

Edita Anno 1532. CVm ſicut nobis innotuit, & infra pag. 601. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, de penſionibus non excedentibus valorem ducatorum auri vigintiquatuor de Camera, non deberi annatam eidem Cameræ. §. 1. Officialibus omnibus prohibet exactionem d. annatæ de his penſionibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Penſio venit forſan appellatione beneficij Eccleſiaſtici?

R e s p. Ex proprietate verbi, penſio non eſt beneficium,cap.quãuis.4.de prębend.in 6.& Gemin.ibi num. 2. Anchar. num. 3. & cæteri communiter, Gonzal. poſt alios in ſuis comment.ſup.8.Regul. Cancell. §. 5. gloſ. 5. in princ. Sed ſecus eſt hic, vbi eadem ratio militat in penſione, quæ militat in beneficio,vt in puncto ſoluendæ collectæ ex fructibus beneficiorum, ſic tenet Gig. de penſionibus quæſt. 28. num. 19.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hic forſan Papa arguendo à ſimili, vel maiori ratione voluit, quod ſicut annata non ſoluitur de beneficio non excedente valorem ducatorum auri de Camera 24. ita, & multo minus de penſione?

R e s p. Sic firmiter credendum,cùm optima ratio prædicta id ſuadeat. Vltra quam rationem, legem, aut authorem quærere, eſſet infirmitas intellectus,ſecundùm Philoſop. & probatur in l. ſcire oportet. 15. §. ſufficit. ff. de excuſ. tutor.

XXXIV.

ETſi ad ſingula Romanæ Eccleſię officia,& infra pag.602.Bullarij. *Edita Anno 1532.*

COMPENDIVM.

Conſiderans excellentiam, & authoritatem Vicecancellarij, & quod Vicecaocellaria Papæ ſemper recta fuit per Vicecancellariũ perpetuũ, & modò illa vacauit per obitũ Pompeij Cardinalis, qui etiam Eccleſiæ SS.Laurentij, & Damaſi pręſidebat,eo quod eſt tituli S R.E. preſbyter Cardinalis, ideo aſſumpſit Hippolytum Cardinalem ad d. officium Vicecancellarij, & d. Eccleſiæ præfecit. §. 1. Et de cætero dictæ Eccleſiæ regimen Vicecancellario pro tempore conceſſum fore decernit, cum omnibus priuilegiis conſuetis. d. §. 1. & ſeq.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Eſt tantæ authoritatis Vicecancellarius, vt de eis quæ Papa concedit, ſibi credatur.?

R E S P. Ita ſanè, vt dixit Rota in deciſ. Put.320.lib. 1. num. 3. Et nimirum quia in Romana Curia, poſt Papam omnibus Officialibus maior eſt, vt dicunt ſcribb. in Clem. 2. de elect. & ſcribit Gambar. de author. Leg. de later. lib. 9. num. 76. & Petrus Greg. lib. 15. Syntag. Iur. cap. vlt. in princ. poſt Gomez. in proœm. Regul. Cancellar.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ergo non vocatur Cancellarius, ſed Vicecancellarius?

R E S P. Quia primùm regebatur à Cardinali hoc officium, & ideo vocabatur Cancellarius, & quando poſtea à non Cardinali regebatur, vocabatur Vicecancellarius, & hoc vltimũ nomen remanſit, vt ex antiquis regeſtis hoc verum affirmat Gambar. iam cit. numer. 77. Et hoc teneo, quia in regeſtis vidi d. nominis variationem (licèt ex ſuo capite Gondiſal. de orig. Card. dicat, quod ob humilitatem vocet ſe Vicecancellarium.) Et vide quæ ſcripſi ſuprà ad Conſtitutionem tertiam Martini V. Schol. 2.

X X X V.

Edita Anno 1532.

IN ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula, & infra pag.306.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Leo X. in ſua Conſt. 23. de qua ſup. multos Fratres Ordinis S. Franciſci Vniuit ſub denominatione Regularis Obſeruantiæ. §. 1. Poſtea nonnulli regulam S. Franciſci ſtrictiùs obſeruare cœperunt, in maximum animarum profectum. §. 2. Eis ergo loca commodata aſſignari mandat. §. 3. Miniſtro generali, & aliis hanc ſtrictiorem obſeruantiam impedire interdicit. §.4. Eorum habitum conſimilem eſſe iubet. §. 5. Venientium ad eos formam recipiendorũ tradit. §.6. Cuſtodem in ſingulis Prouinciis habere præcipit. §. 7. Poteſtatem eius enarrat. §. 8. Horum Fratrum cuſtodes, Guardianos, & Diſcretos in Capitulo vocem habere decernit. §. 9. Ibi Guardianos fieri mandat. §. 19. Cuſtodiſque officium triennio expleri iubet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Qui fuerunt promotores huius ſtrictioris Obſeruantiæ.

R E S P. Hoc ſolùm perlegi in Chronic. Franciſ. par. 4. lib. 8. cap. 56. pag. mihi 772. quod cùm Prælati, Officialéſque Ordinis viderent ex eis quamplures ad Capuccinos tranſire, iuxta Regulam B. Franciſci, ardore ſtrictiùs viuendi incenſi conſtituerunt in eorum Oratoriis hanc ſtrictiorem Regulam, cuius capitula ibidem recenſentur, & de hac Bulla fit commemoratio, licèt errore (vt opinor) illorum impreſſorum, eam datam fuiſſe dicatur 16. Decembris, cùm hic pateat datam 16. Nouembris 1532. Bene verum eſt quod de anno 1550. quidam Frater Ioannes de Guardalupe non abſimilem cœperat promouere ſtrictiorem Obſeruantiam. vt legitur ead. par. 4. Chronic. lib. 1. cap. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc ſtrictior Obſeruantia duràtne vſque ad hæc tempora in ſua primæua inſtitutione?

R E S P. In modico immutata legitur in d. cap. 56. Et puto veriſſimum, quia in magna eſt apud nos veneratione, vt notiſſimum eſt.

X X X V I.

SAcræ Religionis ſinceritas, & infra pag. 604. Bullarij. *Edita Anno 1533.*

C O M P E N D I V M.

Congregatio Fratrum Ieſuatorum S. Hieronymi ſupplicat pro conceſſione gratiarum conceſſarum, & concedendarum Ordini Fratrum Eremitarum S. Auguſtini. §. 1. Et hic Pont. eas Congregationi communicat. §. 2.

Scholion primum

Quæro. Poſſuntne iſti Fratres mutare habitum, quem his temporibus deferre conſueuerunt, cùm videatur ab aliorum Religioſorum habitu valde diuerſus?

R E S P. Reſolutio pendet à veritate, vel non veritate hiſtoriæ, quam in ſuo Tract. de ſtatu Fratrum Ieſuatorum ſcripſit Anton. Corſet. dicens in quæſt. 4. tunicam albam, & capucium pro habitu ab Vrbano V. anno 1367.

recepiſſe, & ab eorum Protectore griſiam clamydem deſuper deferendam collatam fuiſſe. Quo ſtante habitus mutatio non permittitur Clem. 1. de renunciat. per quem tex. idem Corſet. ita concludit in quæſt. 15. Sed hoc non conceſſo, mutatio non poſſet impediri. Barbar. in cap. 2. de foro compet. num. 83. vbi poſt alios videtur negare, per aliquam Bullam his Fratribus habitum datum fuiſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. Licétne his Fratribus victum artificiolo ſuo quærere?

RESP. Licere probat tex. in cap. numquam. 33. de conſ. diſt. 5. Præſertim quod iidem Fratres vitam Apoſtolorum imitantur, qui manualia pro victu exercebant, vt ſcribit Corſet. proximè citatus in quæſt. 14.

XXXVII.

Edita Anno 1533. VOta, per quæ vos in humilitatis ſpiritu, & inf. pag 605. Bul.

COMPENDIVM.

Bartholomæus Ferrarius, & Antonius Maria Zacharias expoſito, quod ipſi cum aliis tribus eorum ſociis, regularem vitam profiteri intendebant, obtinuerunt à Papa licentiam vouendi tria vota ſubſtantialia Religionis, & inſimul viuendi ſub obedientia Ordinarij, & denominatione Clericorum S.Pauli Decollati, in loco diœceſis Mediolanenſis. §. 1. & 2. Statutáque pro eorum ſalubri directione condendi. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Qui fuerunt alij tres ſocij hic non nominati.?

RESP. Iacobum Antonium Morigia patricium Mediolanenſem, Franciſcum Leucum, & Baptiſtam Soreſinum, primos illorum Patrum ſocios fuiſſe, perlegi in hiſtoria d. Congregationis, admodum R. P. Io. Antonij Gabatij Præpoſiti Collegij eiuſdem Congregationis in Vrbe, mox in lucem edenda.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quam ſedem iſta Congregatio primo loco habere cœpit?

RESP. Habuerunt Mediolani in quodam domicilio, & Oratorio regionis Portæ Ticinenſis, vbi varia pietatis opera exequebantur, quæ inferius à Paulo III. in ſua Conſt. 5. referuntur.

XXXVIII.

DVdum pro parte veſtra, & inf. pag. 605. Bullarij. *Edita Anno 1533.*

COMPENDIVM.

Hic Pont. Congregationem Clericorum Theatinorum confirmauit, vt in Cõſtit. 11. de qua ſup. pag. 575. Bullar. quæ multum profecit. §. 1. Idémque Pont. facultatem diſpenſandi cum infirmis, & aliis Præpoſito Congregationis tribuit. §. 2. & ſeqq. Et modò eadem approbat, & ab omnium ſuperioritate eximit. §. 5. Intrantes hunc Ordinem votum intrãdi Religionem impleuiſſe declarat. §. 6. Superiores Ordinis ad triennium confirmari poſſe indulget. §. 7. Habitum, & cærimonias deſignat. §. 8. Officialium munus præfinit. §. 9. Vocales in Capitulo deſignat. §. 11. Priuilegia aliorum Ordinum impertitur. §. 12. Contrariiſque derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Iſti clerici cur Theatinorum nomen ſortiti ſunt?

RESP. Quia præcipuus ex quatuor Congregationis fundatoribus in Vrbe extitit Io. Petrus Caraffa Epiſcopus Theatinus, vt in vita huius Pont. inquit Ciaconius, & Rod. tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 3. art. 14. & elegantiſſimè Antonius Carracciolus d. Congregationis profeſſor in libro, quem edidit de vita Paul. IV. (fuit namque prædictus Io. Petrus ad Pontificatum euectus) & aliorum trium ſociorum anno 1612. fol. 120. & 199. Aduerte tamen corrigendum eſſe Rod. præcit. in eo, quod affirmat anno 1528. iſtam Congregationem initiatam fuiſſe, cùm de anno 1524. ab iſto Clem. VII. approbatam fuiſſe conſtet ex eius Conſtit. 11. de qua ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo in loco primùm iſta Congregatio habitare cœpit?

RESP. In Eccleſia S. Sylueſtri in Monte Quirinali Vrbis, ob cuius inuaſionem duce Borbonio, fugit Venetias anno 1532. redijtque Romam ſub Paulo

Paulo IV. anno 1560. vt luculenter explicat Caracciol. in ſuo opere mox citat. Scribit etiam Nauar. conſ. 1. de conſecr. Eccleſ. per totum in notis. Vbi propterea Vrbem Romam huius Ordinis primum locum cenſeri, conſultus reſpondet.

XXXIX.

Edita Anno 1533.

ROmanus Pontifex, qui ſolet, & infra pag. 606. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vrbanus VI. conceſſit nonullis Prælatis, vt in eorum locis literæ Apoſtolicæ non exequerentur, niſi ab eis priùs habita licentia. §. 1. Bonifacius IX. hoc indultum reuocauit. §. 2. Martinus V. in Concilio Conſtantienſi abrogauit. §. 3. Leo X. contrarias Conſtitutiones abſtulit. §. 4. Literas Apoſtolicas liberè exequi iuſſit. §. 5. Impedientibus literas Apoſtolicas, pœnas impoſuit. §. 6. Hic Pontifex prædeceſſorum leges approbat, & renouat. §. 8. Quorumcumque contrarias Conſtitutiones abrogat. §. 9. Liberè literas Apoſtolicas exequi mandat. §. 10. Pœnas in impedientes infligit. §. 11. Contrariis quibuſcumque derogat. §. 13. Sanctionem pœnalem apponit audentibus infringere, vel ei auſu temerario contraire. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. De pœnis impedientium literarum Apoſtolicarum executionem, vbi plenè tractant ſcribentes?

RESP. Summiſtæ in verb. Excommunicatio. Nauarr. in Man. Confeſſ. c. 27. vbi ſcribit explicationem Bullæ Cœnæ Domini, Greg. XIII. Tolet. & Graff. in explic. ſimilis Bullæ Six. V. & Vgol. de cenſur. in comment. ad eiuſmodi Bullam Clem. VIII.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid important illa verba ſanctionis pœnalis, *infringere, vel ei auſu temerario contraire?*

RESP. Exponit Bartol. in extrauag. Ad reprimendum, dicens; Verbum, *infringere*, nedum contrarium factum de directo, ſed etiam per malitioſam interpretationem ſignificat: & verba, *auſu temerario*, ſignificant non ſolùm dolum, ſed (quod minus eſt) temeritatem, & verbum, *contraire*, intelligitur diſſimulando, vel audiendo contrarias allegationes.

XL.

Edita Anno 1534.

ETſi temporalium, & infra pag. 609. Bullarij.

COMPENDIVM.

Roſarij B. Mariæ Virginis deuotionem, eiúſque augmentum narrat. §. 1. Sixtum IV. Leonem X. ſubdit eius Confraternitates approbaſſe & Indulgentiis ditaſſe. §. 2. Confirmat ipſe omnia prædicta. §. 3. Declarat ſufficere Roſarium in curſu hebdomadis recitari. §. 4. Indulgētias ſtationū Vrbis à Leone X. Cōfratribus elargitas approbat. §. 5. Et auget. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Huius Roſarij myſteria quis explicat?

RESP. Egregiè Nauar. de orat. miſcellan. 29. per totū; & in ſubſeq. miſcell. 31. edocet etiam, qua intentione ſufficiat Roſarium recitare, ad ſatisfaciendum obligationi, quam habent Confratres, & poſt eum Soar. de orat. lib. 3. cap. 9. n. 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. Peccátne quis per obliuionem, occupationem, vel negligentiam omittens illud dicere?

RESP. Non, ſecundùm Nauar. in loco citato miſcell. 25. num. 24. verſ. Tertium. vbi aſſerit etiam id ſtatuto Confraternitatis declaratum fuiſſe.

XLI.

Edita Anno 1534.

ADmonet nos incumbentis nobis, & infra pag. 609. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia Prælati, & Principes Germani vſurpabant diſpoſitiones beneficiorum, contra formam concordatorum, de quibus in Conſt. 1. Nicolai V. de qua ſup. §. 1. Eas hic Papa irritas decernit. §. 2. Prouiſiſque à Sede Apoſtolica iuxta formam dictorum concordatorum, iura & actiones præſeruat. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum

Quæro. Eſtne verum, quod etiam antiquitus Imperator Germanorū habebat Sedis Apoſtolicæ priuilegium, quod vnus in qualibet Eccleſia eius intuitu reciperetur?

R E S P. Sic inquit Specul. in tit. de præbend. §. 2. num. 7. & Campeg. de reſeruat. benefic. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Multa, quæ circa hæc concordata mihi ſæpe occurrunt, quis Author explicabit?

R E S P. Vide Gregor. Tholoſ. de benefic. cap. 1. & cap. 20. & Gregor. Branden. in ſuo nouo opuſculo, ad concordata Germaniæ addito; ac in ſpecie, quod Papa eis nunquam derogare cenſeatur, vide deciſ. Creſcen. 2. de priuileg.

PAVLVS III.

Romanus, creatus anno 1534.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1534. Rationi congruit, & conuenit honeſtati, & infra pag. 610. Bul.

COMPENDIVM.

Leo X. conceſſit Paulo Veneto, & eius ſociis Eremitis Camaldulenſibus, ſtrictiori Obſeruantiæ intentis, vt vbique Eremitoria acquirerent, & habitum aliis dare poſſint. §. 1. Ille cum vno ſocio ad Eremum Cryptarum, in diœceſi Exina, ſe contulit, multi ad eos acceſſerunt, & plura eiſdem loca data fuerunt. §. 2. Rediit ad Vicarium generalem Ordinis Camaldulenſis, & ab eo loca quinque impetrauit, & ſic fuit inſtituta Societas Eremitarum S. Romualdi ab eius Prælatis ſeparatim regenda. §. 3. Clemens VII. hæc approbauit. §. 4. Et ſtatuta d. Societatis confirmauit. §. 5. Eámque S. Romualdi nuncupari voluit. §. 6. Régique ab vno Maiore præcepit. §. 7. Facultatem Capitula cogendi, & alia faciendi dedit. §. 8. Reformationes, & indulta comprobauit. §. 9. Barbam deferendi licentiam impertitus eſt. §. 10. Exemptionem è ſuperioritate Ordinariorum, & aliorum conceſſit. §. 11. Decimarúmque, & aliorum onerum ſolutione. §. 12. Sacros Ordines etiam ſuſcipiendi. §. 13. Ingreſſum ad Eremitoria mulieribus vetuit. §. 14. Alienandi bona in euidentem vtilitatem, licentiam dedit. §. 15. Onera perpetua eorum bonis annexa ad annos 30. reduxit. §. 16. Curam animarum certorum locorum permutari indulſit. §. 17. Nouáque Eremitoria ædificari. §. 18. Relictos etiam cuiuſcumque Ordinis recipere. §. 19. Priuilegia aliorum Ordinum communicauit. §. 20. & ſeq. Dubia exoriunda ad fauorem Societatis interpretari voluit. §. 23. Contrariis omnibus derogauit. §. 25. Hic Pont. prædictas literas à Clem. VII. eius ſuperueniente obitu non expeditas, relaxat. §. 26. Earúmque executores deputat. §. 24. & 27.

Scholion primum.

Quæro. Hæc vita in Eremo, eſtne perfectior vita in Societate?

R E S P. Eſt quidem, ſi debitè aſſumatur; alioquin periculoſiſſimum eſt habitare in ſolitudine, vt ſcribit S. Thom. 2. 2. quæſt. 188. art. 8. Sylueſt. in verb. Eremita, & Alberic. in ſuo Diction. Sed in propoſito noſtro iſta vita Eremitica in hac Societate aliorum Eremitarum S. Romualdi, vt dicitur hic in Bulla, huiuſmodi periculo ſubeſſe non videtur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod dixiſti de Eremiticæ vitæ aſſumptione, quomodo intelligis?

R E S P. Secundùm S. Thom. & Nauar. vbi ſuprà, nempe cùm vel ſpeciali dono Dei, vel magnarum virtutum exercitio, perfectus iam ſit, qui ad verè ſolitariam vitam ſe transfert.

I I.

Inter curas multiplices, & infra pag. 614. Bullarij. Edita Anno 1534.

COMPENDIVM.

Prouincialis, & Miniſtri Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Prouinciæ Portugalliæ expoſuerunt, à nonnullis dubitari, an gratiæ, & indulta d. Ordini, & perſonis Prouinciæ Caſtellæ, Legionis, Bæticæ, vel in genere toti Ordini elargita, ſine etiam eis communia, vnde iidem multa damna patiuntur. §. 1. Hic ideo Pontifex illa in omnibus, & per omnia communicat. §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Si illi de Prouincia Bætiæ aliquod priuilegium directè ſibi conceſſum, per non vſum perdiderunt, diceretur etiam perditum quoad Fratres Prouinciæ Portugalliæ, quibus hic eſt communicarum?

RESP. Poſt communicationem illa Prouincia non poteſt iſti præiudicare, cùm ſit ei ius acquiſitum, & priuilegium effectum proprium, nec vni per alterum iniqua conditio inferri poteſt. l. non debet.75.ff. de Regul.iur.vbi gloſ. allegat concord. & in ſimili priuilegio Ordinum, ſic tenet Rod. in quæſt. Regul. tom.1.quæſt.8. artic.3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ergo per non vſum Fratrum amittitur priuilegium Ordini conceſſum?

RESP. Non; imò neque per contrauentionem, vt egregiè probat Panormit. in cap. Cùm acceſſiſſent. 8. de conſtit.ſub num. 7. & Syluester in verb. Priuilegium. quæſt. 1. Intellige tamen, dummodo non concurrat etiam curſus 40. annorum, iuxta doctrinam Iaſ. qui antiquiores citat in l. 2. Cod. de diuerſ. reſcript. num. 4.

III.

Edita Anno 1534. & 1543. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag.615. *Item*, Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 616. Bullarij.

COMPENDIUM.

Cùm fuerit dubitatum, an Referendarij, & alij Officiales, ex Palatio panem habentes, Secretarij Apoſtolici, literarum Apoſtolicarum Scriptores, Cubicularij, Milites S. Petri, cæteríque Officiales Papæ, in eodem Palatio deſeruientes, ſint veri eius familiares, & continui commenſales. §. 1. Hic Pontifex declarat prædictos Referendarios, & alios Officiales, ex Palatio panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolythos, Scutiferos, Secretarios, Scriptores, Cubicularios, & Milites S. Petri, aliósque Officiales Papæ in Palatio deſeruientes, aut cuſtodiam facientes, veros eſſe Papæ familiares, & commenſales, licèt ibi non habitent, & in tinello non comedant. §. 2. Ita vt regulis de veris familiaribus, & commenſalibus potiantur, & ſubiiciantur, etiam ad hoc, vt eorum beneficia ad Papæ collationem pertineant. §. 3. Declarat alterum ſufficere, panem ſcilicet habere, vel cuſtodiam facere, in ſubſeq. Conſt. §. 2. Declarat inſuper Officiales ſupra nominatos cõprehendi in dicta regula, etiamſi panem non habeant, aut ſeruiant. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §.4.

Scholion primum.

Quæro. Si aliquis ex dictis Officialibus familiaribus Papæ, deſiit eſſe familiaris, dicentur beneficia cùm vacant reſeruata?

RESP. Reſeruata cenſentur, vt expreſsè declaratum eſt in prima Regula Cancellariæ, de qua meminit Gonſal. ſuper 8. Regul. Cancell. gloſ. 51. numero 31.

Scholion ſecundum.

Quæro. Concordata Germaniæ, in quibus reſeruantur beneficia ſeptem Protonotariorum, & eorum qui veri ſunt familiares, & continui commenſales Papæ, intelliguntur etiam de aliis Protonotariis adiunctis, & de familiaribus hìc declaratis?

RESP. Non, quia ſunt familiares ex priuilegio, quod non præiudicat dictis concordatis, vt in ſpecie ſic cenſuit Rota in deciſ. Robuſter. 303. par. 2. diuerſ. per totam, & in alio ſimili caſu idem tenuit in deciſ. Seraphin. 1251. num. 6.

IV.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pag.617. Bullarij. Edita Anno 1535.

COMPENDIUM.

Ciuitati Bononiæ in exordio ſui Pontificatus hic Pont. indultum inſtituendi in ea Rotam, ad cognoſcendas, decidendáſque cauſas ciuiles, conceſſit.§. 1. Eadem Ciuitas ſupplicat pro indulto, ne ex d. Rota auocentur cauſæ in ea pendentes. §. 2. Et Papa concedit non poſſe auocari, niſi de conſenſu partium, aut per commiſſionem ſignatam manu Papæ. §. 3. Attentanda in contrarium irritat. §. 4. Contraria omnia remouet.§. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid agendum, ſi Auditores in votis reddendis diſcordarent in partes æquales?

R E S P. Sæpius eſt cauſa proponenda, quouſque maior pars in vnam incidat ſententiam. Et ſi perduraret inæqualitas, crederem, quod conſulendus eſſet Illuſtriſſimus D. Cardinalis Legatus, aut Gubernator, vt in ſimili de Rota Romana ſcribit Imol. in Clem. Auditor, de reſcrip. & refert Marta in ſuo libercuIo de Tribunalibus Vrbis cap. 4. num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ob quam cauſam maior numerus votorum attenditur in Rotis, & non ſanius votum antiquorum Auditorum?

R E S P. Quia cùm ſinguli ſint viri ſapientes, illud ſanius dicitur eſſe iudicium, quod plurimorum voto firmatur, cap. prudentiam. 21. de offic. deleg. Bald. in l. humanum. 8. Cod. de legib. num. 1. & refert Marta in loco mox allegato.

V.

Edita Anno 1535. *&* 1543. DVdum felicis record. Clementi Papæ V I I.& infra pag. 617. *Item*; Paſtoralis officij, & infra pag. 618. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert approbationem Clementis V I I. de Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, de qua ſup. in ſua Conſtitut. 37. in procem. Dat eiſdem licentiam emittendi tria vota ſubſtantialia. §. 1. & 2. Habitum clericalem deferendi, in communi viuendi, & de communi, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 3. Præpoſitum ad triennium eligendi. §. 4. Alios ad Ordinem recipiendi. §. 5. Officia diuina recitandi iuxta vſum, & morem S. R. Eccleſiæ & ad alium vſum cogi non poſſe declarat. §. 6. & ſeq. Sacramenta adminiſtrandi. §. 7. Præpoſitóque dat facultatem diſpenſandi circa recitationem officij cum infirmis, & de eis curam habentibus. §. 8. Et etiam circa ieiunia. §. 9. Certam formam in abſoluendis confitentibus Clericis de Congregatione indulget. §. 10. Templúmque ſub denominatione S. Pauli conſtruendi. §. 11. Priuilegia Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium concedit. §. 12. Contrariíſque derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Cur iſta Congregatio nomen S. Pauli Decollati ſortita eſt?

R E S P. Quia in exordio huius Congregationis Patronum, ac titularem eius elegerunt Patres S. Paulum Apoſtolum, & frequenter (vt ab eis accepi) in contemplatione vitæ, & actorum, & ſignanter paſſionis eius verſari conſueuerunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ob quam cauſam ad alium vſum, quàm ad recitationem diuinorum officiorum iuxta Breuiariũ Romanum cogi poſſe iſti Clerici vetiti ſunt?

R E S P. Suſpicor ex eo, quod Mediolani celebrantur etiam diuina iuxta ritum Ambroſianum, vt iam dixi ad Eugenij I V. Conſt. 22. de qua ſup.

V I.

CVm nobis conſtet per felicis record. Clem. VII. & infra pag. 619. Bullarij. *Edita Anno* 1535.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Clementem V I I. edidiſſe Conſtit. 4. de qua ſup. ſuper iuriſdictione Curiæ Ripettæ Vrbis, in procem. Fámque confirmat. §. 1. Clauſulas præſeruatiuas addit. §. 2. Cauſas criminales in Ripa, & eius diſtrictu, in cauſis Ripalibus, vel in Ripis, quocumque modo prouenientibus, Camerarium Ripæ cognoſcere iubet. §. 3. Carceratos pro cauſis Ripalibus, à dicto Camerario tantùm relaxari poſſe decernit. §. 4. & ſeq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quando dicetur delictum commiſſum in Ripis Tiberis, de quibus in §. 3.

R E S P. Ripæ appellatione nedum venit locus à plano ad aquam declinans, ad tex. in l. 3. §. 1. ff. de fluminibus. Bald. conſ. 463. lib. 4. num. 2. ſed etiam totum terrenum, quod continet flumen Tiberis, ſecundùm naturalem decurſum. l. 1. §. 1. cod. tit. Alexan. conſ. 120. lib.

Digitized by Google

lib. 2.num.7. Quare ſiue in flumine, ſiue in Ripis delinquatur, in Ripis delictum patratum dicitur, ex prædictis, & ferè in terminis Bart. de fluminib. §. 1. ſub num. 18.

Scholion ſecundum.

Quæro. Delictum in cauſa Ripali quãdo commiſſum dicitur?

R E S P. Cùm producerentur in ea ſcripturæ falſæ, vel teſtis falſum deponeret., vel eius occaſione colligitantes ſe offenderent, & ſimilia, ad tex. & ibi latè ſcribb. communiter in l. nullum. 12. Cod. de teſtib.

V I I.

Edita Anno 1535. & 1538. EIus, qui immobilis permanens, & infra pag. 619. *Item*; Cùm Redemptor noſter, & infra pag. 623. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Henricus V I I I. Angliæ Rex, poſtquam à Leone X. in ſua Conſt. 45. de qua ſup. titulo Defenſoris fidei donatus fuerat, deuians à recta fide, Catherinam eius legitimam coniugem, nulla exiſtente cauſa, repudiauit, de facto cum Anna Bolena matrimonium contraxit, & inter alia ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, omnéſque etiam Regulares, & Prælatos ſuis legibus inobedientes carcerari, & Ioannem tit. S. Vitalis Cardinalem Roffenſem decollari fecit. §. 1. Clemens VII. illum ideo excommunicauit, qui tamen deterior euaſit. §. 2. Hic Pontifex eumdem Regem, & eius ſequaces, benignè ad reſipiſcentiam hortatur. §. 3. & 4. Complices, & fautores monet, vt deſiſtant. § 5. Inobedientes maioris excommunicationis ſententia innodat. §. 6. Regem, & alios vocat ad comparendum, alioquin in pœnas priuationis Regni, & excommunicationis incidiſſe declarat. §. 7. Loca, ad quæ declinabit, interdicto Eccleſiaſtico ſupponit. §. 8. Filióſque eorum omnibus priuilegiis, ac bonis priuat, & inhabilitat. §. 9. Subditos ab obedientia eximit. S. 10. Deſcendentibus eorum multas pœnas imponit. §. 11. Commercium illorum Chriſti fidelibus interdicit. §. 12. Prælatos à Regno Angliæ diſcedere mandat. §. 13. Ducibus, & aliis, vt Henricum & complices de Regno expellant, iubet. §. 14. Principum Chriſtianorum confœderationes cum Henrico irritat. §. 15. Illíſque contra Henricum arma capere præcipit. §. 16. Infideles, & inobedientes eorum ſeruos, & bona occupantium fieri decernit. §. 17. Prælatis, & aliis Henricum, & complices in Eccleſiis excommunicatos publicari mandat. §. 18. Publicationem impedientes eiſdem pœnis ſubiicit. §. 19. Poſtea Principibus, & aliis inſignibus perſonis inſtantibus, per triennium ſub ſpe conuerſionis ſuperſedet, in alia Conſtit. ſubſeq. §. 2. Et cùm ille magis improba fecerit & oſſa S. Thomę Cantuarienſis in ventum ſpargi iuſſerit, & donaria ſibi applicarit. §. 3. Supradictam Bullam publicari mandat. §. 4. Tranſumptis credi iubet. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Sanctionémque pœnalem addit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Num verum eſt, Britanniam, ſeu Angliam, ab ortu Euangelij Chriſtianam Religionem recepiſſe?

R E S P. Verum eſſe probat Gildas de excid. Britanniæ, quod Polydor. Virgil. lib. 2. Hiſtor. Angliæ ſic accidiſſe deſcribit. Cùm Ioſeph ille, qui, teſte Matthæo Euangeliſta, ab Arimathiæ Ciuitate oriundus, Chriſti corpus ſepeliuerat, ſiue caſu, ſiue conſilio, ita volente Deo, cùm non paruo comitatu in Britanniam venit, vbi tam ipſe, quàm eius ſocij, cùm de Euangelio prædicarent, atque dogma Chriſti ſedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, ſalutiferáque fruge imbuti, baptizati ſunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vltra Cardinalis Roffenſis occiſionem, de qua in §. 1. aliine etiam Religioſi viri necati fuere?

R E S P. Thomas Morus Regni Angliæ Cancellarius, eo quod ipſe, & antedictus Cardinalis impio Regis edicto ſubſcribere noluerunt. Ad hæc, Clerici, & Monachi crudeliter cæſi, templa vaſtata, cruciatibúſque, & multorum Chriſtianorum ſanguine omnia infeſtata fuerunt. Ciacon. in vita huius Pont. verſ. interim. pag. mihi 1108.

VIII.

Edita Anno 1538. ILlius vices in terris gerentes, & infra pag. 624. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens VII. percepto, quod aliqui in partibus Regni Portugalliæ, & dominij Portugalliæ, & Algabiorum Regis, noui Chriſtiani ad ritum Iudæorum redibant, & alij ex Chriſtianis parentibus orti, vel ritum eumdem, vel alij Lutheranam, & alias hæreſes ſequebantur, Commiſſarium, & ſuper præmiſſis Inquiſitorem deſtinauit. §. 1. Poſtea eius facultatem ad beneplacitum ſuſpendit. §. 2. Deinde reuerrentes ad fidem abſoluit, & pœnas condonauit. §. 3. Eoſque, & ſucceſſores ad dignitates habilitauit, & indultis Chriſtianorum vti poſſe decreuit. §. 4. Confiſcationes bonorum, Fiſco non incorporatorum, reſtituit, & proceſſus, ac ſententias deleuit. §. 5. Habentes fidem Confeſſorum, vel in eorum libris adnotatos tutos eſſe declarauit. §. 6. Condemnatos publicè abiurare decreuit. §. 7. Sentientibus ſe grauatos recurſum ad eius Nuncium conceſſit. §. 8. Relapſos autem debitis pœnis puniri iuſſit. §. 9. Diffamatos coram Nuntio ſe purgare indulſit. §. 10. Contra nouiter conuerſos, & eorum ſucceſſores, quorum informationes ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſæ ſunt, ſuperſederi iuſſit. §. 12. Contrauenientibus graues pœnas impoſuit. §. 13. & ſeq. Nuncium ſuæ Bullæ executorem deputauit. §. 15. Regem vt Nuncio aſſiſteret, rogauit. §. 16. Poſtea publicationem Bullæ ſuſpendit. §. 17. Deinde eam publicari præcepit. §. 18. Hic autem Pontifex iterum ſuperſederi iuſſit. §. 19. Et poſtea eam exequi mandauit. §. 20. Et modò efficaciam dictarum literarum circa abſolutiones declarat, & ampliat. §. 21. & ſeq. Indultis quoque, & priuilegiis Chriſtianorum gaudere poſſe declarat. §. 23. Condemnationes irritat, & in priſtino ſtatu eos reponit. §. 24. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 25. Executores huius Conſtit. deputat. §. 26. Contrariis derogat. §. 27.

Scholion primum

Quæro. Hæreticúmne eſſet aſſerere, hunc Pontificem huiuſmodi crimina Eccleſiaſtica præterita dimittere non potuiſſe?

RESP. Hæreticum eſſe probat Oldrad. in conſ. 271. num. 2. & ſeq. Dec. conſ. 137. num. 2. & in terminis huius Bullæ, & remiſſionis, Pariſ. conſ. 1. lib. 4. num. 6. & ſeq. vbi latè.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc veniæ impetratio continet in ſe criminis confeſſionem?

RESP. Non, teſte Iaſ. in l. 1. ff. de oper. neu. nunciat. num. 4 & in terminis huius Bullæ, Pariſ. in conſil. iam citato, num. 87. & ſeq. cum aliis per eos allegatis.

IX.

NOn ſine animi noſtri, & infra pag. 629. Bullarij. *Edita Anno* 1539.

COMPENDIVM.

Cauſas feudales, & alias inter Fiſcum, & priuatum in Camera Apoſtolica ſolummodo agi mandat in omnibus inſtantiis. §. 1. Et inde non niſi ex reſcripto manu Papæ ſignato, auocari decernit. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quo pacto vertitur lis inter Fiſcum, & priuatum, vt in §. 1. cùm dicat Bald. in l. executorem. 8. Cod. de execut. rei iud. ſub num. 41. quod Fiſcus eſt perſona imaginaria?

RESP. Baldum intelligendum puto de Fiſco in abſtracto, accipiendo Fiſcum pro illo Fiſco oleario, ſeu ciſta, de quibus dictum eſt ſup. ad Schol. 1. Conſt. 20. Clem. VII. quod ærarium nuncupatur, ad gloſ. & ſcribb. in l. 2. Cod. de numerar. lib. 12. Peregr. de iure Fiſci, lib. 1. tit. 37. & ſeq. Et ita loquendo, idem dicendum eſt de Camera Apoſtolica, dum ſolum ærarium ſignificat. Sed ſecus eſt, accipiendo Fiſcum pro Procuratore ærarij, & Cameram pro Camerario, & Clericis, Officialibúſque ipſius ærarij: tunc enim tam ille, quàm iſti obtinent vicem perſonæ, & ſunt Miniſtri Cameræ, ad Dec. in conſ. 404. num. 3. Et ideo Camera dicitur perſonaliter citata, ſi Fiſcus ipſe perſonaliter

ſonaliter citatus eſt, & dicitur incola Vrbis, vbi Camera inſtituta eſt. Bald. in Auth. ſed cùm teſtator. Cod. ad leg. Falcid. num. 5. & 6. & Bar. in l. 1. Cod. ad municipal. lib. 12. num. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne hæc Bulla loquitur ſolùm de cauſis ciuilibus?

RESP. Clarè liquet ex illis verbis, *cauſas feudales*, quæ proculdubio ciuiles ſunt; & expreſſit hoc Genitor meus in rubrica, quam firmauit ad hanc Bullam. Nec verbum, *aliàs*, obſtat, cùm intelligatur de cauſis ſimilis qualitatis. gloſ. & ſcrib. in l. 3. Cod. de ſeru. fugit. Pariſ. conſ. 158. lib. 4. num. 18. Oſaſc. deciſ. Pedemont. 167. num. 7. Aduerte tamen quod hodie vltra quaſdam cauſas criminales, has lites ciuiles agit alius Procurator Cameræ, Commiſſarius nuncupatus, vt habetur infra in Conſt. 87. Pij IV. §. 47. Fiſcus autem criminales in omnibus Curiis agit, ſed non propterea deſiit eſſe Procurator Cameræ, & in ea ſedet, cùm ad Cameram omnes pœnæ per eum deueniant.

X.

Edita Anno 1536. Conſueuerunt Romani Pontifices, & infra pag. 629. Bullar.

COMPENDIVM.

Iuxta antiquum morem Romanorum Pontificum, anathematizat quoſcumque hæreticos, eorumque fautores. §. 1. Piratáſque maritimos. §. 2. Pedagia noua imponentes, vel prohibita exigentes. §. 3. Falſificantes literas Apoſtolicas. §. 4. Arma, & alia prohibita ad Chriſtiani nominis inimicos deferentes. §. 5. Impedientes deferentem victualia ad Vrbem, eiſque fauentes. §. 6. Vexantes ſine iuriſdictione degentem in Curia. §. 7. Offendentes Prælatos, eorúmque mandatores. §. 8. Lædentes recurrentem ad Rom. Curiam, vel in ea negotia proſequentem. §. 9. Iudices ſæculares, trahentes coram ſe perſonas Eccleſiaſticas. §. 11. Statuentes aliquid contra libertatem Eccleſiaſticam. §. 12. Vſurpantes bona, & iuriſdictiones Eccleſiarum. §. 13. Impedientes executionem ſententiarũ Iudicum Eccleſiaſticorum. §. 14. Offendentes Romipetas deuotionis gratiâ. § 15. Occupantes bona Sedis Apoſtolicæ. §. 16. Diripientes ſacra Eccleſiarum Vrbis. §. 17. Contraria quæcumque ſint, non obſtare decernit. §. 18. Abſolutionem ſibi reſeruat. §. 19. Aliter facientibus pœnas indicit. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt imponere noua pedagia, de quibus in §. 3.

RESP. Eſt non ſolùm noua inſtituere, aliàs non exacta, vt explicat Rebuff. in ſuis comment. ad hanc Bullam, de quibus in ſua praxi benef. ſed etiam antiqua augere, vt poſt alios, edocet Salon. de contract. in tit. de vectigal. contr. 3. ſub num. 4. verſ. Tertiò, vbi alios congerit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi pedagium in aliis locis exigitur, an dicitur nouum, reſpectu eius domini, qui modò exigere nunquam exactum intendit?

RESP. Nouum dicitur, quia Papa conſiderauit nouitatem in Terris imponentis, aduertendo illa verba, *in Terris ſuis*. Quod perpendit etiam Vgolin. de cenſur. Eccleſ. par. 2. ſuper comment. ſuis ad Bullam Cœnæ Domini editam à Clem. VIII. pag. 152. Bullar.

XI.

Exponi nobis nuper, & infra pag. 632. Bullarij. *Edita Anno 1536.*

COMPENDIVM.

Clemens VII. in ſua Conſtit. 21. de qua ſuprà, Congregationem Fratrum Capuccinorum S. Franciſci approbauit, in prooem. Hic Pontifex confirmat. §. 2. & 3. Vicario d. Congregationis facultatem quolibet triennio Capitulum cogendi, tribuit. §. 4. Vicarium generalem ex Capuccinis eligi, & electum Magiſtro generali Fratrum Conuentualium ſe præſentare iubet. §. 4. A quo confirmari, & regimen Congregationis ei dari mandat. §. 5. Vicario autem generali deficiente, Vicarium prouincialem Capitulum pro alterius electione congregare, & primum Diffinitorem interim Vicarij generalis officium exercere, decernit. §. 6 Idémque ſeruari vult, deficientibus Vicariis prouincialibus. § 7. Magiſtrum gene

generalem Ordinis tantùm Capuccinos viſitare, & corrigere poſſe, indulget. §. 8. Habitum Capuccinorum cæteris prohibet. §. 9. Capuccinos eorum Vicariis obediendo; plenè S. Franciſci regulis ſatisfacere declarat. §. 10. Executores huius Bullæ deputat §. 11. Contrariiſque derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, quod hic idem Pontifex hos Capuccinos vltra montes ſe transferre, & noua loca ibi acceptare vetuit?

R E S P. Ille Pontifex id vetuit, donec à ſe in Capitulo generali tunc Romæ celebrando, aliud ſuper eo determinatum foret, & Congregatio nihil in contrarium attentare voluit, vſquequò Gregorius XIII. ſpeciali reſcripto die 6. Maij 1574. eidem Congregationi, ad omnes Orbis partes liberè tranſeundi, & loca fundandi, licentiam impertitus fuit, vt in authentico apud Capuccinos Romæ aſſeruato ipſe perlegi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Capucij vſus de quo tempore promotus fuit?

R E S P. Ante Pontificatum Iulij II. ad Sedem Pontificiam anno 1503. euecti, Capuccinos Eremitas extitiſſe, tibi dixi ad Conſtit. 21. Clem. VII. de qua ſup. Et nunc ſubdo, quod Ciacon. in vita Greg. X. ſcribit, quod ante annum 1260. Fratres Capucio vtebantur. Quinimò in compend. Priuileg. Fratr. Minor. paulo poſt princ. inquit Sorbus, quod etiam B. Franciſcus dum viueret, eo vſus fuit.

X I I.

Edita Anno 1537. ROmani Pontificis conſueta benignitas,& infra pag. 634. *Item*; Attendentes continuos labores, & infra pag. 634. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. Leo X. & Clemens VII. multa priuilegia Auditoribus Rotæ Romanæ, & eorum Locatenentibus conceſſerunt. §. 1. Ob eorum merita, & labores, hic Pont. ea confirmat. §. 2. Indulta conceſſa, & concedenda Referẽdariis, iſtis Auditoribus communicat, & de nouo concedit. §. 3. Executores deputat. §. 4. Contrariis omnibus derogat. §. 5. Exemptionem à ſolutione gabellarum Clemẽs VII. dederat, & hic Pont. pro quindecim vegetibus vini pro eorum vſu & victu ad eius beneplacitum elargitur in §. 1. ſubſeq. Bullæ.

Scholion primum.

Quæro. Hæc priuilegia competunt Auditoribus à die ſcientiæ, vel potiùs adepti officij?

R E S P. Conrrouerſa eſt iſta quæſtio ex his, quæ ſcripſit Iaſ. in l. 4. ff. de conſtit. princip. num. 51. Sed opinio quod competat à die adepti officij verior eſt, in priuilegiis datis ratione officij. Rota in deciſ. Put. 21. lib. 2. in nouis, vbi loquitur de ſimilibus priuilegiis Referendariorum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc indulta per modum cõſtitutionis elargita, operantúrne antequam publicata fuerint?

R E S P. Operantur ante publicationem, & immediatè poſt conceſſionem. Rota in deciſ. Putei 141. lib. 2. in nouis, num. 1.

X I I I.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 635. Bullarij. *Edita Anno 1537.*

C O M P E N D I V M.

Vt mulieres coniugatæ in Vrbe, inhoneſtam vitam ducere affectantes, à maritis cautiones de non offendendo petere retardentur, omnibus Officialibus mandat, ne eas, ad has cautiones petendas, vel quouis modo cum maritis litigandum, admittant, niſi ipſis mulieribus in loco honeſto priùs collocatis. §. 1. In contrarium acta irritat. ibid. Suum in Vrbe Vicarium huius Cõſtitutionis executorem deputat. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *quouis modo*, ſunt tantæ virtutis, vt includant etiam litem iuſta de cauſa, vt putà ob viri ſæuitiam, motam?

R E S P. Verior mihi ea videtur intelligentia, vt cauſam licitam non comprehendant, cùm enim ſit expreſſa vna cauſa illicita, ſequentia verba, quantumuis generalia, ad ſimilia reſtringuntur,

guntur, ad ea quæ in ſimilibus terminis tradit Roman. conſ. 92. ſub num. 3. & Aym. conſ. 3. num. 4. & ſeqq. Rota in deciſ. Seraph. 569. num. 3. vbi alia Aymonis conſilia allegat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si maritus ſemel dedit fideiuſſorem idoneum, deinde decoctum, tenebitur alium præſtare nouum, & idoneum fideiuſſorem?

R E S P. Textus eſt clarus pro vxore in l. 4. ff. vt in legat. poſſ. Quamuis aliter fortè dicendum eſſet, ſi vxor ſciens fideiuſſorem pauperem, illum acceptauerit, ad Bald. in l. quoties. 6. ff. qui ſatiſd. cogant. num. 2.

X I V.

Edita Anno 1537. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 635. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſt. 15. de qua ſup. erexit Collegium Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ, eiſque baſtardos, manſeres, & nothos, ex quocumque coitu procreatos, etiam ſtantibus legitimis, ſine præiudicio venientium ab inteſtato, legitimandi facultatem dedit. §. 1. Et illi ſtantibus etiam filiis legitimis, & naturalibus legitimarunt. §. 2. Dubitari contigit de validitate dictarum legitimationum. d. §. 2. Hic Pont. declarat validas eſſe etiam in futurum fiendas. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid de filiis legitimis non facta mentione, legitimatio nulla ſit?

R E S P. Nullam eſſe tenuit Rota in deciſ. Seraphin. 351. num. 18. in nouis, & in deciſ. 1331. num. 3. vbi tamen num. 9. declarat ſufficere, appoſitam eſſe clauſulam, *ſine præiudicio venientium ab inteſtato*; nam per eam videtur in genere cogitatum fuiſſe de filiis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erúntne citandi filij, inſtante patre, pro legitimatione baſtardi?

R E S P. Non, ſi de eis ſit facta mentio in legitimatione, quia abſolutè poteſt eis pater præiudicare; ſed ſi de eis non fieret mentio, citari deberent. Sic declarauit Rota in deciſ. Putei 89. lib. 2. in nouis.

X V.

BEnignitas Sedis Apoſtolicæ cōſueta, & infra pag. 636. Bullar. *Edita Anno 1537.*

C O M P E N D I V M.

Plerique Pontifices Congregationi Monachorum Caſſinenſium, aliàs S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti, multas gratias elargiti ſunt. §. 1. Vrbanus II. conceſſit Abbati Monaſterij Sanctiſſimæ Trinitatis Caſſinenſ. alia Monaſteria ædificandi, & pontificalia, quibuſdam exceptis, exercendi facultatem. §. 2. Exemítque legata Congregationi à portione diœceſanorum. §. 3. Perturbatores dictorum priuilegiorum excommunicandos eſſe decreuit. §. 4. Eugenius IV. Abbati Monaſterij S. Pauli extra mœnia Vrbis conceſſit, poſſe cum mitra celebrare, & minores Ordines Monachis conferre. §. 5. Centenariámque præſcriptionem eſſe neceſſariam, ſicut contra Eccleſiam Romanam. §. 6. Alexander VI. hæc priuilegia in dubio ad fauorem Congregationis iuſſit interpretari. §. 7. Priuilegiáque inter omnia Monaſteria communicauit. §. 8. Hic Pont. prædicta omnia comprobat. §. 9. & 10. Et iteratò concedit. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Aliúdne Monaſterium huius Ordinis gaudet hoc priuilegio præſcriptionis, de qua in §. 6.

R E S P. Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis apud Salernum, in Prouincia Picentinorum, hoc eodem centenariæ præſcriptionis priuilegio donatum apparet ex diplomate Vrbani II. anno ſalutis 1092. quod multis mendis ſcatens impreſſum legi in princ. collectionis Priuilegiorum Apoſtolicorum pro Regularibus F. Emmanuelis Rod. mox Turonis editæ anno 1609. Quod tamen huiuſmodi mendis abſolutum, perlege apud Baronium in Annalibus Eccleſiaſt. tomo 11. pag. 636. Habitum tamen à R. P. Conſtantino Caietano huius Congregationis Caſſinenſis Monacho, & Abbate præſidente Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti in Vrbe à Sanctiſſimo D. N. Grego

Gregorio XV. nuper eodem clari nominis viro, Abbate prædicto id enixè poſtulante, inſtituti.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc priuilegium præſcriptionis intelligatur etiam quoad bona omnia cuiuſcunque generis?

RESP. Stante æquiparatione, quæ fit de iſta Eccleſia S. Pauli ad Eccleſiam Romanam, magis recepta opinio eſt, quod priuilegium intelligatur etiam de omnibus, ad ſcripta per Felyn. in cap. Ad audientiam. 13. de præſcript. num.26. Bald. in ſuo tract. de præſcript. in 4. par. 4. partis princip. num. 23. Panormit. in cap. 3. de confir. vtili, vel inutili, num. 1.

X V I.

Edita Anni 1538. Licèt poteſtatis plenitudine, & infra pag. 637. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Papa decreuit Placentiam ſe conferre, ex vrgentiſſimis negotiis fidei, & publici commodi Chriſtianæ Reipublicæ, & ideo Vincentium tit. Sanctæ Mariæ trans Tiberim Cardinalem in Vrbe, eiuſque territorio, & diſtrictu Legatum deputat. §. 1. Cum facultate quaſcumque cauſas etiam exemptorum cognoſcendi. §. 2. Eáſque in Curia, & extra committendi. §. 3. Derogandíque his priuilegiis, quibus ſignatura Iuſtitiæ derogare poteſt. §. 4. Vnum, vel duos Referendarios deputandi. §. 5. Et nonnulla beneficia Eccleſiaſtica conferendi. §. 6. Et contra Officiales, Curiales, Barones, & Communitates iuriſdicendi. §. 7. Et ad multa diſponendi. §. 8. Regulis Cancellariæ derogandi. §. 9. A cenſuris abſoluendi. §. 10. Commiſſiones in forma, ſi in euidentem vtilitatem, ſignandi. §. 11. Contradictores coërcendi. §. 12. Omniáque ad commodum Status Eccleſiaſtici, quæ Pontifexmet facere poteſt, faciendi. §. 13. Et vſum quarumcumque facultatum, aliis Legatis conceſſarum, tribuit. §. 14. & ſeq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 18. Et quod Legatus in ſuis expeditionibus has facultates inſerere non teneatur. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Si Papa obiiſſet durante legatione, eius officium fortaſſe expiraſſet?

RESP. Non, quia Legatus dicitur Ordinarius, non propriè delegatus; tex. eſt in cap. 2. vbi gloſ. & ſcribb. communiter de offic. leg. in 6. Quamuis quoad collationes beneficiorum, impropriè dicatur Ordinarius. Rota in deciſ. Creſc. 20. de præbend. per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Valerétne lex, ab eo perpetuò condita?

RESP. Ita ſanè probat tex. in cap. fin. de offic. legat. & Rota in deciſ. 536. Seraphini in nouis, num. 4. vbi tamen hoc intelligit de lege, quæ non ſit contra ius, quia eo caſu non valeret.

X V I I.

Officij noſtri debitum, & infra pag. 640. *Item*; Ex debito Paſtoralis officij, & infra pag. 641. Bullarij. *Edita Anno 1538. & 1544.*

C O M P E N D I V M.

Innocentius VI. Auenioni degens, in ſua Conſtitut. 1. de qua ſup. Ægidium Cardinalem Legatum delegit ad Ciuitates, & loca Sedi Apoſtolicæ ſubiecta. §. 1. Sixtus IV. in ſua Conſt. 15. de qua ſup. conſtitutiones ab ipſo Ægidio editas, in vnum volumen redactas obſeruari iuſſit. §. 2. Eáſque ad Vrbem, & alia loca ſpecialis gubernij extendit. §. 3. Leo X. in Concilio Lateranenſi approbauit, & hic Pont. eamdem obſeruantiam præcipit. §. 4. Et ſecundùm eas iudicari mandat. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6. Et in Conſtitutione huic annexa ſubdit, Cardinalem de Carpo, Prouinciæ Marchiæ Legatum, Ægidianis cõſtitutionibus prædictis nonnullas eius additiones appoſuiſſe. §. 2. Quas additiones in d. Prouincia ſeruari præcipit. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Quæro. Hæ Conſtitutiones ſeruandæ ſunt in locis, quæ habent eorum particularia ſtatuta ſuper eiſdem articulis?

RESP. Non, quia hæc Bulla recipit declarationem à Bulla Sixti IV. per eam confirmata, vbi in §. 12. expreſsè hæc

hæc ſtatuta præſeruantur, imò etiam conſuetudines, & ita dixit etiam Rota in deciſ. 330. par. 2. diuerſor. impreſſor. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Seruandæ erunt in litibus vertentibus inter perſonas Eccleſiaſticas?

R E S P. Nequaquam; Ægidius etenim Legatus, qui eas condidit, erat Legatus ad temporale gubernium, & ſic non habebat iuriſdictionem inter has perſonas: quod comprobauit Rota in vna Peruſina hæreditatis, 27. Iunij 1587. coram Brauo, vbi in fine dicitur, quod res caret omni difficultate.

X V I I I.

Edita Anno 1538. ALiàs felicis recordat. Iulius Papa II. & infra p. 641. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſtit. 9. de qua ſup. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis quorumcumque officiorum ipſo facto incurrenda ſtatuit, ne Clerici Cameræ Apoſtolicæ, & alij, in Camera, & loco Camerali interuenientes, per ſe, vel alium participent de affictibus, ſeu locationibus rerum Cameralium, in princip. Hic Pont. confirmat, quæ Iulius ordinauit, & de nouo ſtatuit. §. 1. Et eoſdem in Camera intereſſe vetat; dum de illis agitur, pro ipſorum attinentibus. §. 2. Et declarat contrauenientes dictas pœnas incurrere, quamuis de dicta Iulij II. Bulla nullo modo conſtet. d. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. In præcitata Conſtitut. Iul. II. non habentur illa verba, *ipſo facto incurrenda*, quæ à Paulo III. referuntur hic in §. 1. nunquid ergo ipſe Paulus extare voluiſſe cenſetur?

R E S P. Crederem non id voluiſſe, cùm in §. 2. illa confirmauit, & ſtatuit, quæ Iulius decreuerat: confirmatio autem, & innouatio, nihil quàm maius robur addit. Dec. in l. more. 5. ff. de iuriſd. omn. Iud. num. 31. Surd. conſ. 361. lib. 3. num. 37. Rota, quæ alios citat in deciſ. Seraph. 981. in nouis, num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hæc dicis, cùm Paulus iſte in §. 2. diſponat, *etiamſi de d. Iulij Conſtitutione non conſtet?*

R E S P. Quia cùm poſtea de ea conſtiterit, illa tantùm attendenda eſt. Dec. in l. 3. Cod. de eden. num. 86. verſ. ſecus. Grammat. deciſ. 59. num. 24. verſ. Tertius; & ſtrictiùs ad caſum noſtrum Rota in deciſ. Cantuc. 40. par. 2. diuerſor. per totam.

X I X.

Edita Anno 1538. CVm ſicut accepimus, ad parcendum, & infr. p. 642. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Omnes cauſas, & lites inter Canonicos, Capitulum, & Capellanos Baſilicæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, ſeu eorum quemlibet ex vna, & quaſcumque alias perſonas, Collegium, Capitulum, aut Vniuerſitatem, ex altera partibus ſuper quibuſcumque bonis, aut pecuniarum ſummis coram quibuſcumque Iudicibus vertentes, & eas, ac alias de nouo mouendas, tam actiuè, quam paſſiuè, cum omnibus earum annexis, & connexis, incidentibúſque, & dependentibus, per Card. Archipreſbyterum d. Baſilicæ, executiuè manu regia, abſque alicuius telæ iudiciariæ obſeruatione, quacumque appellatione remota, cognoſci, atque decidi mãdat. §. 1. & ſeqq. Et ab eo auocari non poſſe decernit. §. 4. Etiam in obligationibus Cameralibus procedere poſſe declarat. §. 5. In cauſis appellationum ferias non obſtare iubet. §. 6. Iuriſdictionémque extendit ad fauorem omnium habitantium in franco d. Baſilicæ. §. 7. Ampliat etiam contra quoſcumque Religioſos, & exemptos §. 9. Pœnitentiarios in d. Baſilica ab Archipreſbytero deputari, & amoueri concedit. §. 10. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Vnde hæc Eccleſia nomen S. Mariæ Maioris ſortita eſt?

R E S P. Ob præeminentiam ei attributam ſuper omnes alias in honorem ipſius B. Virginis Eccleſias in Vrbe dicatas. Quamobrem eadem Baſilica inter quinque Patriarchales, & ſeptem principales Vrbis Baſilicas adnumerata eſt, vt Romæ hæc omnibus vulgata ſunt, & poſt alios recenſet Pompeius Vgonius in hiſtoria Stationum Vrbis pag.

mihi 65. quem librum te iuuenem Romanum non perlegiſſe crimen eſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta clauſula, *appellatione remota*, de qua habetur in principio, fauore Capituli conceſſa, habebit locum etiam contra eos?

R E S P. Vtramque partem ligat, quia in iudiciis ſeruanda eſt æqualitas. Vincent. de Franc. deciſ. Neapol. 136. num. 5. Rota in deciſ. Putei 307. in nouis per tot. & in alia deciſ. Lancellotti in vna Hiſpalenſ. præſtimoniorum, 19. Nouembris 1601.

X X.

Edita Anno 1539. DOminus noſter IESVS Chriſtus, & infra pag. 643. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quidam ciues Romani, & Curiales Confraternitatem inſtituerunt in Eccleſia B. Mariæ ſupra Mineruam de Vrbe, ſub inuocatione ſacratiſſimi Corporis Chriſti, ad curandam venerationem huius Sacramenti. §. 1. Statuerúntque, Confratres curare debere, vbique honorificè illud cuſtodiri. §. 2. Impenderéque ad hoc neceſſaria. §. 3. Aſſociari illud facibus accenſis, dum illud ad infirmos defertur. §. 4. Et qualibet tertia Dominica cuiuſcumque menſis in d. Eccleſia conuenire, ac Miſſam celebrari facere. §. 5. Diéque immediatè ſequenti poſt feſtum Corporis Chriſti, circa præfatam Eccleſiam proceſſionaliter d. Sacramentum deferre. §. 6. Confratres infirmos viſitare, & ad piè illud ſuſcipiendum præuia confeſſione adhortari. §. 7. Singulis hebdomadis orationem Dominicam, & Angelicam, quinquies recitare. §. 8. Mulieréſque per Vrbem Sacramentum aſſociare non valentes, flexis genibus eaſdem orationes quinquies recitare. §. 9. Protectorem elegerunt Cardinalem Ceſarinum. §. 10. Supplicarúntque huic Pont. pro confirmatione. §. 11. Qui omnia collaudat, confirmat, & innouat. d. §. 11. Indulgentias quamplures elargitur. §. 12. & ſeqq. Facultatem alias Confraternitates aggregandi concedit. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Num ante hæc tempora Chriſti fideles, vt tam admirabile Chriſti Corporis Sacramentum honorificè ſemper deferretur, curare cœperunt?

R E S P. Anno 1501. tam inſigne, ſummæque pietatis opus initium ſuſcepiſſe, eiúſque auctores, & ſeriem recenſet Camill. Phanuc. in ſuo libello, cui titulus eſt, *Dell'opere pie di Roma*, lib. 3. cap. 16. & 17. quæ licèt vulgari exprimat idiomate, veriſſima tamen, & probatiſſima eſſe conſtat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hoc Sacramentum Corporis Chriſti conſecratur diuiſim à Sanguine?

R E S P. Quia in hoc Sacramento repræſentatur paſſio Chriſti, & in paſſione Sanguis Chriſti à Corpore diuiſus fuit. Ita ſcribit Turrecrem. in cap. Panis. 55. de conſecr. diſt. 2. num. 26.

X X I.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pag. 645. Bullarij. *Edita Anno 1540.*

C O M P E N D I V M.

Hieronymus Mianus Venetus, & alij Hoſpitalia ad piè recipiendos pauperes orphanos, infirmos, & mulieres conuertitas inſtituerunt, & huic Pontifici ſupplicarunt pro facultate eligendi vnum Præfectum, qui hoc pium opus gubernaret, & pro aliqua huiuſmodi Hoſpitalium prærogatiua. §. 1. Qui dat eis poteſtatem eligendi in ſuperiorem vnum ex prædictis ſeruientibus, Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, qui pro bono operis regimine ſtatuta condere valeat. §. 2. Concedit, Sacerdotes dictis pauperibus deſeruientes, officia iuxta vſum S. R. E. recitare poſſe. §. 3. Et eorum confeſſiones audire, eoſdémque etiam à caſibus, à quibus Ordinarij abſoluere conſueuerunt, abſoluere. §. 4. Executores huius Bullæ deputat. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Hi Hoſpitalarij cui tenerentur de iure reddere rationem adminiſtrationis?

R E S P. Non orphanis, & aliis, quorum curam gerunt, ſed Epiſcopo, Clem. 2. §. vt autem, de religioſ. domib. Bald. in l. orphanatroph. 30. numero 6. Caſtrenſ. & Salyc. num. 4. Cod. de Epiſcop. & Cleric.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. His Hoſpitalibus de iure communi quæ priuilegia competunt?

R E S P. Omnia, quæ maiori Eccleſiæ competere poſſunt, ad tex. vbi gloſ. & communiter ſcribb. in l. omnia priuilegia.33.Cod. de Epiſc. & Cler.

X X I I.

Edita Anno 1540. IN eminenti dignitatis Apoſtolicæ ſpecula,& inf.pag.646. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Quia ex literarum ſtudiis tam publica, quàm priuata, ſpiritualia, & corporalia commoda proueniunt. §. 2. Inſtituit Studium generale cuiuſcumque facultatis in Ciuitate Maceratæ Status Eccleſiaſtici. ibid. Elargitur omnes gratias, & priuilegia conceſſa, & concedenda Studio Bononiæ. ibid. Rectorique, & Officialibus ius condendi ſtatuta pro regimine Studij. §. 3. Scholares ciues d. Ciuitatis, concluſiones ſuſtinentes, & idoneos repertos, inter Aduocatos, & procuratores illorum collegio aggregat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Si non communicaſſet ſpecialiter priuilegia concedenda Studio Bononienſi, nónne ea etiam dicerentur elargita?

R E S P. Abſtulit omne dubium, dum expreſſit concedenda, quia negatiua ſententia verior videtur in dubio, niſi aliter conceſſionis verba indicarent, ſecundùm Panormit. in cap. fin. ne Cler. vel Monach. ſub num. 5. & Iaſ. in l. 1. Cod. de legib. num. 16. poſt Bald. & alios in l. omnia.33.Cod. de Epiſcop.& Cler.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si reuocarêtur priuilegia Studij Bononienſis, num cenſerentur reuocata quoad Sudium Maceratæ?

R E S P. Non, quia ius eſt iam quæſitum, vt firmat Panormit. in loco cit. num. 9. & ante eum Guliel. de Cun. & Bal. in cap. omnia priuilegia. 33. Cod. de Epiſc. & Cleric. num. 4. & Caſtrenſ. ibid. num. 3.

X X I I I.

Edita Anno 1540. DEbita conſideratione penſantes, & infra pag. 647. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Ob indefeſſos labores, quos in recipiendis, & proponendis ſupplicationibus coram ipſo, ſui Referendarij ſuſtinent, hic Pont. eos gratioſè recipit in Notarios Sedis Apoſtolicæ, Sacri Palatij, & aulæ Lateranenſis Comites inſtituit, nobiléſque facit, & eorum omnium priuilegiis donat. §. 1. Inſignia ſua illis communicat. §. 2. Obtinentibus Monaſteria, quorum Abbates mitra,& aliis pontificalibus vſi ſunt, dat facultatem iiſdem vtendi, & ſolemnem benedictionem dandi. §. 6. Pro ſe, & duobus familiaribus expeditiones Apoſtolicas gratis concedit. §. 7. Exemptionem à gabella vini ripalis elargitur. §. 8. Et à iuriſdictione Ordinariorum. §. 9. Beneficia in omnibus Prouinciis, ac ſi in illis nati eſſent, habere poſſe decernit. §. 11. Abſentibus iuſſu Papæ, aut cauſa ſtudij, fructuum beneficiorum perceptionem concedit. §. 12. Vſum altaris portatilis, & celebrandi in locis interdictis tribuit. §. 15. Indulgentias Stationum Vrbis, altaria per eos eligenda viſitātibus impertitur. §. 16. Carnibus cum licentia vtriuſque Medici diebus vetitis veſci poſſe indulget. §. 17. Canonicáſque horas, poſtpoſitis horis recitare.§.18.Teſtari etiam de bonis acquiſitis ex beneficiis. §. 19. Beneficiáque reſignandi, & permutandi. §. 20. Officium perpetuum eſſe decernit. §. 21. Antianitatem inter eos attendi iubet. ibid. Et ita, & non aliàs iudicari mandat.§.22.Formam iuramenti profeſſionis fidei ab eis emittendæ præſcribit. §. 29.

Scholion primum.

Quæro. Hoc Referendariorum officium fuitne olim apud Imperatores, & quod erat eorum munus?

R E S P. Ita ſanè, vt liquet ex tex. in auth. de Referendariis ſacr. Palat. vbi gloſ. inquit, quod eorum munus erat aduocationis in Curia Principis. Et idem tradit Specul. in tit. de ſupplicat. §. 1. num. 2. Vel ſecundùm Iacob. de Bellapertic. ibidem, indigentium petitiones coram Principe cum honeſtate proponebant. Sed apud Papam aliud eſt eorum munus, vt hic habetur in princ. & ſcribit Gomez. de

Dd 2 com-

compend. vtriuſque ſignat. quæſt. 16.& nouiſſimè Marcheſan. de commiſſionib. cap. 1. ac Tuſch. in verb. Referendarij, concluſ. 79.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *Referendarius noſtris*, reſtringunt hæc priuilegia ad Referendarios de præſenti, vel illa porrigunt ad alios in futurum?

R E S P. Sequentia verba Conſtitutionis declarant præcedentia, vt priuilegiorum huiuſmodi elargitio extendat ſe etiam ad Referendarios futuros, vt in puncto de hac Bulla loquens cenſuit Rota in deciſ. 7. Putei lib. 2. in nouis, de qua meminit Mandoſ. in tract. de priuil. ad inſtar, gloſ. 7. num. 43.

XXIV.

Edita Anno 1540. CVm ſicut ex plurimorum fide, & infra pag. 652. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, prædeceſſorum Conſtitutionibus cautum fuiſſe, quod appellationes in cauſis condemnationum, & Fiſcalibus non admitterentur, niſi facto depoſito pœnæ, ad quam appellans eſſet condemnatus, in princ. Eas ergo approbat. §. 1. De nouo ſtatuit in cauſis criminalibus, ſeu mixtis, ac Fiſcum & Cameram Apoſtolicam quomodolibet concernentibus, non recipi appellationes, non facto depoſito pœnæ, in qua delinquens, aut eius fideiuſſor, condemnádus veniret, aut condemnatus fuiſſet. §. 3. Irritat quoque omnes commiſſiones non habentes d. clauſulam. §. 4. Et etiam reſcripta Fiſcum, & Cameram concernentia, emanata non citato Fiſco, & Theſaurario prouinciæ in Vrbe præſente. §. 5. Clauſulam, *ſublata*, apponit. §. 6. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cur cauſæ condemnationum ponuntur, vt diuerſæ à cauſis Fiſcalibus, hic in exordio?

R E S P. Quia cauſæ condemnationum ponuntur vti criminales, quæ differunt à Fiſcalibus, & Fiſcales cauſæ dicuntur cauſæ ciuiles. Sic probat titulus Cod. vbi de crim. agi oport. & alter tit. vbi cauſæ Fiſcales. Et hinc eſt, quod hodie Fiſcus Cameræ criminalibus cauſis pro pœnis; Commiſſarius autem d. Cameræ ciuilibus, pro creditis illius exigendis incumbit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Fiſco non opponente de depoſito faciendo, Iudex ad vlteriora procedere poſſit in cauſa appellationis?

R E S P. Videtur poſſe per ea quæ ſcribit Natta conſ. 686. per tot. & Iaſ. in l. 4. C. de precib. Imperator. offerend. num. 2. & ſeqq. & ibi additio in verb. fideiuſſio. Sed mihi videtur eorum ſententiam locum habere in diſpoſitione affirmatiua; ſecus in hac, verbis negatiuis concepta, & cum conditione, quod non facto depoſito appellatio nulla ſit, addita præſertim clauſula, *ſublata*, &c. per ea, quæ ſcribit Bal. in c. Non ideo. 17. de reſcript. num. 20. Pariſ. conſ. 6. libro 4. num. 14. Rota in deciſ. Manzaned. 167. par. 2. num. 5. & 6. in recentioribus, ſicut in noſtris ferè terminis Iaſ. vbi ſuprà num. 6. vſque ad 12. & conſ. 191. lib. 2. num. 5. & ita à Genitore meo obſeruatum fuiſſe percepi.

XXV.

REgimini militantis Eccleſiæ, & infra pag. 653. Bullarij. *Edita Anno 1540.*

COMPENDIVM.

Ignatius de Loyola, & alij preſbyteri, Dei & Rom. Pontificis ſeruitio ſe dedicarunt, & in vnum conuenientes, ac multa pia opera exercentes. §. 1. Venerunt Romam, certámque viuendi normam inſtituerunt, eorúmque inſtitutum quamplures ſecuti ſunt. §. 2. Societatem IESV eam denominarunt, regulámque conſtiterunt circa votum caſtitatis. §. 3. & 4. Præpoſiti eorum munus. §. 5. Obedientiam erga Rom. Pont. §. 6. Miſſiones non vitandas, neque procurandas. §. 7. Obedientiam erga Præpoſitum. §. 8. Eiúſque authoritatem. §. 9. Paupertatis votum, non tamen quoad Collegia. §. 10. & ſeq. Officium diuinum priuatim recitandum. §. 12. Examen recipiendorum. §. 13. Quam regulam hic Pont. approbat. §. 14. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Cur hoc tempore omnipotens Deus ſupradictum nobilem ſanctúmque virum Ignatium ſuſcitauit?

R E S P.

R e s p. Piè credendum eſt, hunc illuſtrem genere virum Hiſpanum, virtutibus inſignem, vnà cum ſtrenuiſſimis ſociis ſuis, tamquam fortiſſimum athletam promouiſſe, vt Sponſam ſuam Eccleſiam aduerſus iniquum Martinum Lutherum, eiúſque ſequaces, infeſtis eam hæreſibus affligantes, Chriſti fideles à pœnitentia, Sacramentorum frequentatione, & Summi Pontificis Romani obedientia auertentes, reſtauraret, pœnitentiam prædicando, frequentiam Sacramentorum inducendo, & Summi Romani Pontificis obedientiam præſertim circa miſſiones ad Turcas,& alios infideles, arbitrio Papæ, & Præpoſiti profitendo, vt iam ferè in toto Orbe terrarum notiſſimum eſt, & ſcribit Eman. Rod. lib. 1. quæſt. Regul. quæſt. 2. artic. 9. & Ciacon. in vita huius Pontificis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Præpoſitus potuiſſet hos Religioſos arctare ad huiuſmodi miſſiones ad infideles conuertendos, in longiſſimis partibus, hoc voto circumſcripto, de quo in §. 7.

R e s p. Non, ſecundùm D. Thom. Sotum, & Lopez, quos ſecutus eſt Rod. tom. 3. quæſt. Regular. quæſt. 19. art. 7. vbi de hac Bulla loquitur, ea ratione, quod iſta cura ſpectat principaliter ad Papam, & Epiſcopos, qui ſucceſſerunt Apoſtolis. Et ſubdit ſic ſeruatum fuiſſe inter Fratres Prædicatores, & Minores, vt nemo inuitus fuerit ad longiſſimas regiones tranſmiſſus.

X X V I.

Edita Anno 1541. Altitudo diuinæ prouidentiæ, & infra pag. 654. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Curiales, & ciues Romani Confraternitatem ad orphanos educandos, & inſtruendos in Vrbe inſtituerunt. §. 1. Quam inſtitutionem hic Pontifex approbat. §. 2. Et de nouo inſtituit. §. 3. Et in Archiconfraternitatem erigit. §. 4. Priuilegia, & Indulgentias aliorum piorum locorum elargitur. §. 5. & ſeqq. Eleemoſynas conquirendi licentiam concedit. §. 7. Statutáque pro ſuo regimine condendi. §. 8. Confeſſorem eligendi. §. 9. Protectorem, ac Iudicem cauſarum Archiconfraternitatis. §. 10. Qui ſummariè eas cognoſcat. §. 11. Officialéſque ab aliis exéptos corrigat. §. 12. Viſitantibus eius Eccleſiam, Indulgentiam concedit. §. 15. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 16. Et contraria remouet §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Hoc priuilegium quærendi eleemoſynas, de quo in §. 7. eſtne ſublatum à Concilio Tridentin. ſeſſ. 21. cap. 9.

R e s p. Non, niſi quoad quæſtores quærentes eleemoſynas prædicando, vel Indulgentias publicando eis, qui manus adiutrices porrexerint: huiuſmodi enim quæſtus, in quibus multa mala committi ſolent, dumtaxat tollere voluit Concilium, & declarat Nauarr. conſ. 79. lib. 3. de Regular. num. 6. pag. mihi 288. & ſequitur Rod. de quæſtionib. Regular. tom. 2. quæſt. 57. art. 7. Quod plurіes etiam Sacra Cardinalium Congregatio ſuper interpretat. d. Concilij decreuit. Et ideo hoc priuilegio publicè, & priuatim eleemoſynas quærendi, iſti orphani, ad eorum paupertatem ſubleuandam, vtuntur.

Scholion ſecundum.

Quæro. De huiuſmodi quæſtorum abuſibus, de quibus loqueris, quem conſulere poſſum?

R e s p. Vide text. & ibi DD. in cap. cum ex eo. 14. de pœnitent. & remiſſ. & in Clem. 2. eod. tit. Summiſtas in verb. Quæſtuarij, & Petrum Cenedum in ſua Collectanea ſuper d. Clem. 2. vbi alios cumulat.

X X V I I.

Licèt nuper in Conſiſtorio noſtro ſecreto, & inf. pag 656. Bul. *Edita Anno 1541.*

C O M P E N D I V M.

Quia Præpoſitus S. Eleutherij, excommunicationes ſub denominatione S. Eleutherij concedebat, vnde ſcandala, & abuſus exoriebantur, in proœm. Hic Pont. eas de cætero concedi vetat, & conceſſas irritat. §. 1. Executores huius Bullæ Audit. Cam. deputat. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. De quo Eleutherio hæc ſanctio loquitur?

RESP. Non de S. Eleutherio Papa & Martyre, de quo feſtum agit S. R. E. die 26. menſis Maij, nec de aliis pluribus huius nominis SS. Confeſſoribus, Epiſcopis, & Martyribus; ſed de S. Eleutherio Conſtantinopolitano, octauo Epiſcopo, & Martyre, de quo ſub die 20. Februarij feſtum recolitur, teſte Baron. poſt alios in Martyrolog. dicta die, ſub litera D.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur adeò pauebatur excommunicatio huiuſmodi S. Eleutherij?

RESP. Quoddam pauendum edidit ille S. Eleutherius aduerſus quemdam impuriſſimum Clericum, quod licèt potiùs imprecationis, quàm excommunicationis genus eſſet, veruntamen apud nonnullos excommunicationis nomen retinet, vt ſcribit Baron. vbi ſuprà; ideóque iure ab iſto Pontifice interdictum eſt.

XXVIII.

Edita Anno 1541.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 657. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beneficia viuentium impetrare vetuit, & etiam per priuationem, aut amotionem, niſi poſt rem iudicatam, in princ. Impetrantes beneficia per alium poſſeſſa per annum, id, & alia exprimere debere iuſſit. §. 1. Nonnulli tamen illa impetrabant, tanquam certo modo vacantia. §. 2. Formam ideo in huiuſmodi impetrationibus obſeruandam præſcribit hic Papa. §. 3. Impetrationes aliter factas irritat. §. 4. Impetrantibúſque pœnas imponit. §. 5. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Impetratio benefic. viuentis, de qua hic in princ. erátne antiquo iure prohibita?

RESP. Prohibitionem ediderat Gelaſius I. in cap. 1. de conceſſ. præben. Videtur namque ipſe impetrans deſiderare mortem eius, in cuius locum ſe crediderit ſucceſſurum, vt inquit idem Gelaſius in cap. ſeq. vbi ſubdit, quod etiam Gentiles id condemnarunt. Sed in Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ omnium primus ſimilem prohibitiouem poſuit Benedictus XII. vt in quodam Quinterno Cancellariæ vidiſſe teſtatur Gomez. de impetrat. benefic. vineat. quæſt. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Regula, ſiue Conſtitutio, largè, vel ſtrictè pro impetrante intelligenda eſt?

RESP. Emanauit iſta Conſtitutio ad obuiandum fraudibus, ideo latè eſt interpretanda contra impetrantem, imò etiam extendenda à paritate rationis, vt in puncto tradit Dec. in conſ. 398. incip. In cauſa. in fin. vbi apoſtilla alios cumulat, & ſequitur Gomez. in Regul. de impetrat. offic. viuentis, quæſt. 2. in fine.

XXIX.

Edita Anno 1542.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 658. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis aliqua generali Conſtitutione cautum non ſit, ſpolia Eccleſiaſticarum perſonarum, Cameræ Apoſtolicæ reſeruata fore. §. 1. Antiquiſſima tamen conſuetudo, & multæ Pontificiæ de eis factæ diſpoſitiones hanc reſeruationem demonſtrant. §. 2. Quia nihilominus poſſet dubitari, an ſpolia in locis, ad quæ collectores à Sede Apoſtolica hactenus non fuerunt deſtinati, ſpectent ad eandem Cameram, Pontifex iſte decernit, hæc ſpolia quarumcumque perſonarum Eccleſiaſticarum ſæcularium, & regularium, etiam Cardinalium, vbique locorum morientium abſque ſufficienti facultate teſtandi, ad d. Cameram pertinere, & non ad ſucceſſores in beneficiis. §. 2. Et ita iudicari mandat. §. 3. Camerarium deputat huius Bullæ executorem. §. 4. Contrariis derogat quibuſcumque. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Sub nomine ſpoliorum quæ veniunt vſque ad hæc tempora?

RESP. Omnia à Clericis acquiſita ex fructibus bonorum Eccleſiaſticorum inconſumpta, tempore obitus relicta. Nauar. ita intelligit hanc Bullam in ſuis comment. de ſpol. Cleric. §. 5. num. 3. & conſ. 15. de Regular. libro 3. num. 2. incip. N. Frater. vbi ſubdit, quod Clerici in vita poſſunt expendere fructus ſuorum beneficiorum in caſus honeſtos, &

& ſuperflua in pios vſus, per diſpoſitionem inter viuos. Et eſt certiſſimum apud omnes.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi ſpoliorum introductio pro Camera Apoſtolica, eſtne fauorabilis, & pro ea largè interpretanda?

RESP. Strictè interpretandam vti exorbitantem à iure communi, tenet Calder. in conſ.1. de pecul. Cleric. num. 1. & Seraphin. in deciſ. 594. num. 25. in nouiſſimè impreſſis.

XXX.

Edita Anno 1542.

IN Apoſtolici culminis ſpecula, & infra pag. 659. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cùm nonnulli etiam Religioſi, prætextu exemptionum à Sede Apoſtolica obtentarum, aſſerunt, & prædicant propoſitiones ſuſpectas, ſcandaloſas, & à fide diſcrepantes, & hæreſim ſapientes. §. 1. Hic Pontifex Inquiſitoribus dat facultatem contra quoſcumque etiam exemptos, non tamen Epiſcopos, deſuper procedendi. §. 2. Illiſque ab omnibus obediri præcipit. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum

Quæro. Quot modis propoſitio dignoſcitur hæretica?

RESP. Ex triplici capite dignoſcitur: vel quia eſt contra articulos fidei: vel contra determinationem Eccleſiæ: vel contra ſacram Scripturam. Ita ſecundùm mentem S. Thomæ parte 1. quæſt. 32. artic. 4. & 2. quæſt. 11. art. 2. ſcribit Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. q. 2. vbi Pegna in ſuo comment. 27. alios quoque modos ſubnectit, quibus hæretica propoſitio diſcerni poſſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Epiſcopi ergo non poterunt procedere contra huiuſmodi Prædicatores hæreticas propoſitiones diſſeminantes?

RESP. Poterunt tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, quacumque exemptione non obſtante, vt expreſsè determinauit Concil. Trident ſeſſ. 5. cap. 2. verſ. Si verò, & aduertit Ioan. Franciſc. Leon. in ſuo Theſaur. fori Eccleſ. par. 1. cap. 8. num. 12.

XXXI.

Edita Anno 1542.

DVm ad vniuerſas Vrbis Baſilicas, & infra pag. 660. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert omnia quæ Iulius II. in ſua Conſt. 23. de qua ſup. circa fabricam S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, decreuit. §. 1. & ſeqq. Refert etiam Leonem X. prædicta omnia approbaſſe, & Notarios ad oſtendendum legata facta fabricæ, cogi decreuiſſe. §. 14. Et Commiſſario fabricæ dediſſe facultatem componendi ad illius vtilitatem, ſuper legatis certis infra annum non executis, ad fauorem certorum locorum, vel perſonarum. §. 15. Bonáque ſtabilia vendendi, & mobilia ad fabricam transferendi. §. 16. Commiſſarium prædictum à ſuperioritate Ordinariorum, & aliorum exemiſſe. §. 17. Eumdem ſuper votis, & peregrinationibus, componere poſſe. §. 18. Fraudantes fabricam in executionibus, excommunicationi ſubieciſſe. §. 19. Notarióſque cogi ad oſtendendum eorum libros, præcepiſſe. §. 20. Commiſſarij facultatem etiam ad relicta ante ſeptennium extendiſſe. §. 21. Et ſuper rata fabriæ componere poſſe. §. 22. Exactáque per Ordinarios, ab ipſis fabricæ Commiſſariis vindicari. §. 23. Relictorum certorum, & infra annum non executorum, quintam partem capere. §. 24. Legata incerta fabricæ deberi. §. 25. Commiſſariis poteſtatem dediſſe permittendi in locis ſacris ſepeliri mortuos abſque confeſſione, infra annum, ſi tamen contritionis ſigna apparuerint. §. 26. Altaréque portatile preſbyteris concedendi. §. 27. Iuramenta contractuum relaxandi. §. 28. Indulgentias alias ſuſpendendi. §. 29. Proceſſiones ad publicationem Indulgentiarum fabricæ indicendi. §. 30. Refert etiam, quæ Clemens VII. in ſua Conſtit. 3. & 9. de quibus ſuprà, decreuit; indulta fabricæ confirmat. §. 33. Reuocatis Commiſſariis, hoc totum negorium Collegio fabricæ remiſit. §. 34. Cui dedit facultatem remittendi Principibus partem eleemoſynarum, pro reparādis Eccleſiis in eorum dominiis. §. 35. Componendi ſuper

ſuper ablatis in direptione Vrbis. §. 36. Et alia faciendi iuxta Bullas Pontt. prædeceſſorum. §. 37. Confraternitatem ſabricæ erexit, & Confratribus multas gratias conceſſit. §. 38. & ſeqq. Facultatem procedendi contra quoſcumque quæſtores dedit. §. 44. Omnibúſque priuilegiis à prædeceſſoribus Pontt. conceſſis vtendi. §. 45. Quæ iteratò comprobat. §. 46. Et ad eius, ac ſucceſſorum beneplacitum durare decernit. §. 47. Executores deputat. §. 48. Contrariſque derogat. §. 49.

Scholion primum

Quæro. Signa contritionis, de qua in §. 26. quomodo comprobantur?

R E S P. Quia ſumus in materia fauorabili ſepeliendi mortuos in Eccleſiis, vnicus teſtis ſufficienter huiuſmodi ſigna probabit, vt ſingulariter notat Syluest. in ſua Summa, in verb. ſepultura, num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Papa ſimpliciter dixiſſet in §. 47. ad beneplacitum noſtrum, expiraſſétne ob eius mortem?

R E S P. Poſſem negatiuè reſpondere, quia hæc iuriſdictio conceſſa Collegio, dicitur conceſſa ex cauſa publica, & fauorabili, ad notata per Menoch. de arbitrar. Iudic. in quæſt. 69. num. 9. & ſeq.

X X X I I.

Edita Anno 1542. Cupientes Iudæos, & alios infideles, & infra pag. 666. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iudæis, & aliis infidelibus conuerſis, bona omnia liberè retinere permittit, & filiisfamilias legitimam portionem dari præcipit, in princip. Eiſdem concedit malè acquiſita, non extantibus perſonis certis, quibus reſtituenda venirent. §. 1. Hortatur Chriſti fideles ad neophytos piis eleemoſynis ſubleuandos. §. 2. Creat eoſdem ciues locorum, in quibus baptizantur. §. 3. In articulis fidei inſtrui, & cum infidelibus non conuerſari præcipit. §. 4. Cum Chriſtianis originariis matrimonia contrahere ſuadet. §. 5. Ritus antiquæ ſectæ dimittere iubet. §. 6. Redeuntes ad vomitum, tanquam hæreticos puniri mandat. §. 8. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Conſtitutio in princ. & §. 1. & ſeqq. continet ius nouum?

R E S P. In eo quod decernit, Iudæos poſſe retinere bona, præterquàm illicitè acquiſita, non continet ius nouum, quia idem cauebatur (licèt aliqui contrarium credant) in cap. Iudæi. 5. de Iudæis; & ibi notat Zabar. numer. 2. & 4. & in cap. 4. quæſt. 1. de baptiſm. & Graff. in ſuis deciſ. lib. 1. par. 2. cap. 4. in fin. Ita quod ius nouum continet in eo tantùm, quod decernit retinere etiam illicitè acquiſita, quæ perſonis non notis eſſent reſtituenda. Et quoad legitimam filiorum, poteſt etiam dici continere ius nouum, quia antiquo iure articulus dubius videbatur, ex his quæ tradit Surd. de aliment. tit. 1. quæſt. 4. per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde dicitur neophytus, de quo in §. 2.

R E S P. A voce Græca νεόφυτος, id eſt, nouus in fide Chriſtiana, cap. 2. diſt. 48. Sylueſt. & alij Summiſtæ omnes in verb. neophytus.

X X X I I I.

Edita Anno 1542. Initio noſtri huius Pontificatus, & infra pag. 667. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Conqueritur de hæreſum, ac bellorum tempeſtate, & Chriſtianorum Principum diſcordia, in procem. Indixit, vt his malis mederetur, in alia eius Conſtitutione Concilium generale Mantuæ inchoandum anno 1537. §. 1. Poſtea d. tempus prorogauit, cùm Mantuam habere non potuit. §. 2. Vicentiam elegit, & Concilium diſtulit ad annum ſubſequentem. §. 3. Interim ſtuduit, Carolum Imperatorem, & Franciſcum Regem Franciæ conciliare, & ideo ipſe, & illi Nicæam ſe contulere. §. 4. Legatos Vicentiam miſit pro inchoando Concilio. §. 5. Inter prædictum Imperatorem, & Regem inducias ad decennium firmauit. §. 6. Concilium certis de cauſis ſuſpendit. §. 7. & 8. Deinde illud in Tridentina Ciuitate cogi decreuit ad Cal. Nouemb. huius anni 1541. §. 9. & 10. Monet

Prælatos ad illud accedere. §. 11. Imperatorem, Reges, & Principes hortatur, vt per ſe, vel per Legatos illi interſint. §. 12. Et hanc Conſtitutionem publicari mandat. §. 13. Sanctionem pœnalem apponit. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Quos Legatos ad iſtud Concilium hic Pontifex deſtinauit?

R E S P. Petrum Paulum Pariſium tit. S. Balbinæ, & Ioannem Moronum tit. S. Vitalis, presbyteros Cardinales, ac Reginaldum Polum tit. SS. Nerei, & Achillei, Diaconum Cardinalem, vt Concilij auſpicia agerent, Patribúſque, & gentibus ſedem pararent, tranſmiſit. Ita poſt alios ſcribit Ciacon. in vita huius Pont. pag. mihi 1111. 1118. 1123. & 1125.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur poſtea hoc Concilium dilatum?

R E S P. Recrudeſcentibus magis eo tempore bellorum ſeditionibus inter Carolum Imperatorem, & Franciſcum Gallorum Regem, antedicti Legati reuocantur, & Concilium differtur. Ciacon. vbi ſuprà d. fol. 1111.

XXXIV.

Edita Anno 1542. Licèt ab initio noſtræ, & infra pag. 670. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat ſex Cardinales generales Inquiſitores hæreticæ prauitatis, in omnibus Reipublicæ Chriſtianæ locis, tam citra, quàm vltra montes vbilibet exiſtentibus. §. 1. & 2. Dat eiſdem authoritatem contra quoſcumque hæreticos, de hæreſi ſuſpectos, eorúmque complices & fautores, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, abſque Ordinariis procedendi, eoſdémque puniendi, & eorumdem bona confiſcandi. §. 3. Procuratorem Fiſcalem, Notarios, & alios Officiales, ad præmiſſa neceſſarios deputandi. §. 4. Clericos ſæculares, & regulares, in ſacris conſtitutos, à quocumque ab eis Antiſtite deputando degradari, & Curiæ ſæculari tradi faciendi. §. 5. Contradictores compeſcendi. §. 6. Auxilium brachij ſæcularis inuocandi. §. 7. Et quæcumque alia neceſſaria gerendi. Ibid. Inquiſitores vbique cum ſimili, vel limitata facultate ſubſtituendi. §. 8. Appellationes ab aliis Inquiſitoribus ad eos interpoſitas cognoſcendi. §. 9. In Curia & extra citandi, & inhibendi, appellantéſque ſimpliciter, vel ad cautelam, à quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis abſoluendi. §. 10. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 11. Contrariiſque derogat. §. 12. Sanctionem pœnalem apponit. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid authoritas iſtorum Cardinalium deputatorũ expirat morte iſtius Pontificis deputantis?

R E S P. Non expirare probat tex. in cap. Ne aliqui. 10. de hæretic. in 6. Gemin. ibid. num. 4. Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. quæſt. 7. & Pegna ibid. in comment. 56.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc iuriſdictio extenditur etiam ad puniendos Iudæos, cæteróſque infideles, aduerſus Catholicam fidem delinquentes?

R E S P. Extendi, ſi delinquunt in his, quæ circa fidem cum illis ſunt nobis communia, veluti circa Dei vnitatem, æternitatem, & omnipotentiam, probat poſt alios Eymeric. vbi ſuprà par. 2. qu. 46. & Pegna ibid. comment. 71. vbi de communi DD. ſententia teſtatur, & expreſsè declarauit Greg. XIII. infrà in ſua Conſtit. 70. §. 2.

XXXV.

Cum dilectus filius Alexander, & infra pag. 671. Bullarij. *Edita Anno 1542.*

COMPENDIVM.

Cardinali Archipresbytero Baſilicæ S. Petri Apoſtolorum Principis de Vrbe, dat iuriſdictionem cognoſcendi omnes cauſas tam ciuiles, quàm criminales (citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictiuam) inter Canonicos, Capitulum, & Beneficiatos, Clericos, & Capellanos ex vna parte, & quaſcumque alias perſonas, loca, Collegia, vel Vniuerſitates quantùcumq; priuilegiatas, ex alia, vel inter ipſoſmet motas, & mouendas ſuper quibuſcumque rebus, tam actiuè, quàm paſſiuè, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, ſummariè, ſimplici-

ter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, ac manu regia, abſque terminis ſubſtantialibus, & alicuius telæ iudiciariæ obſeruatione, ſine confectione regiſtri, & quacumque appellatione etiam non friuola remota. §. 1. 2. & 6. Cum facultate in Curia, & extra citandi, & inhibendi. §. 3. Iuramentáque perſonarum d. Capituli relaxandi, ad effectum agendi. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Illa clauſula, *manu regia*, operabitúrne quod Iudex lite durante ſuper ſummariſſimo poſſeſſorio, vt, a manuteneat partem docentem de ſua poſſeſſione?

RESP. Negatiua ſententia placuit Rotæ, coram Pamphil. in hoc puncto die 11. Ianuarij 1602. in vna Bononienſ. de Carnalibus, in fin. & facit generalis theorica Bart. in extrauag. Ad reprimendum, in verb. Videbitur, num. 12. dum inquit, quod dicta clauſula non operatur quod iura partium vllo modo tollantur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid operabitur illa clauſula, *appellatione remota*, ſi quis ex capite notoriæ nullitatis, & iniuſtitiæ, vel ſimili, vellet appellare?

RESP. Operabitur, vt in appellatione inſerenda ſit cauſa, ob quam appellatio iuſtificetur, quæ debet per appellantem probari. Felyn. in c. Quoad conſultationem. §. 15. de re iudic. num. 20. Rota coram Orano die 14. Decembris 1562. in vna Romana Caſalium.

XXXVI.

Edita Anno 1542. LIcèt Eccleſiarum omnium, & infra pag. 672. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Epiſcopum Burgi S. Sepulchri, in Vrbe, eiúſque ſuburbiis, & diſtrictu, ſuum in ſpiritualibus Vicarium, cum honoribus, oneribus, & redditibus conſuetis. §. 1. Et cum facultate quoſcumque Religioſos, Eccleſias S. Anaſtaſij, S. Sebaſtiani, S. Pauli, & ad tres Fontes, S. Laurentij, & S. Sabæ, & alia loca Eccleſiaſtica, & Monaſteria religioſa ſæcularia, & regularia viſitandi, & coërcendi. §. 2. Cauſas non excedentes florenos 60. & mercedum, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & ſola facti veritate inſpecta, ac nullis terminis ſeruatis; commiſſarias autem iuxta formam commiſſionum cognoſcendi. §. 3. Appellationémque à quinque infra reiiciendi. §. 4. Cauſas alimentorum, & alias miſerabilium perſonarum, ac non excedentes 60. ducatos, ſummariè, &c. ac manu regia, &c. terminandi. §. 5. Moratoriáſque in ois denegandi. §. 6. Viſitationi carcerum cum cæteris Viſitatoribus intereſſendi, & viſitandi. §. 7. Iudæos, Clericóſque, & beneficiatos Vrbis, & eius diſtrictus, Religioſos hoſpitalarios, Fraternitates laicorũ, omnes in Eccleſiis, & Monaſteriis beneficiatis, ac deſeruientes, eorúmque cauſas etiam criminales iudicandi. §. 8. Matrimonialéſque, & cæteras cauſas de iure ad ſuum Vicarium ſpectantes. §. 9. Synodum in Romano Clero cogendi. §. 10. Ordines ſacros etiam per alium Epiſcopum ab eo eligendum conferendi. §. 11. Eccleſiáſque conſecrandi, & pollutas reconciliandi. §. 12. Feſtiuis diebus vetita exercitia coërcendi. §. 13. Blaſphematores, vſurarios, Iudæos periuros, & alios committentes crimina ſpectantia ad Curiam, & iuriſdictionẽ huius Vicariatus, puniendi. §. 4. Pœnas operibus piis applicandi. §. 15. Cætera ad officium ſuum ſpectantia exequendi. §. 16. Inobedientes coërcendi. §. 17. Iudæorum, & aliorum cauſas ſui fori, actiuè, & paſſiuè ad eum ſpectare decernit. §. 18. Conſtituit eumdem Vicarium, executorem, & cognitorem cauſarum omnium, venditionis, & permutationis bonorum Eccleſiaſticorum, etiam per ſupplicationem Apoſtolicam commiſſarum. §. 19. Declarat eumdem Iudicem in prædictis ordinarium fore. §. 20. Contrariis omnibus derogat. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Appellatione Vrbis nónne etiam ſuburbia, & diſtrictus veniebant, etiamſi non exprimebantur?

RESP. Non, quia contrarium in ſpecie iuriſdictionis Vicarij Vrbis, decreuerat Innocentius III. in cap. Sua nobis. 5. de offic. Vicar. vbi Panormit.

ſub

ſub num. 5. conſimiles textus allegat, & inquit etiam de officio Vicarij Papæ nil aliud haberi in iure.

Scholion ſecundum.

Quæro. Baſilicæ S. Petri, S. Ioannis, & S. Mariæ Maioris non expreſſæ in §.2. ſubſuntne viſitationi, & correctioni Vicarij?

R E S P. Non, vt puto, vigore huius Conſtitutionis, ſed ſpeciali priuilegio, quod à Summis Pontificibus Vicariis dari conſueuit, & ego perlegi in quodã motu proprio à Paulo V. pro Cardinali Pamphilio eius Vicario die 19. Maij 1605. & in altero, nuper pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Ioanne Garzia Cardinali Millino itidem Vicario,virtute aliiſque meritis præclariſſimo, die 21. Iunij 1611. obſignatis.

X X X V I I.

Edita Anno 1543. ILlius,qui pro Dominici gregis redemptione, & infra pag.674.Bul.

C O M P E N D I V M.

Erigit Hoſpitale, & Confraternitatem in Vrbe pro Iudæis, & infidelibus, ad fidem Catholicam conuerti volentibus. §. 1. & ſeqq. Vbi victum, & veſtitum ipſis cathecumenis ſubminiſtrari, & in fide catechizari iubet. §.4.Confratribus, & benefactoribus multas gratias elargitur. §. 5. & ſeq. Vnum ex Cardinalibus Protectorem eligit, ad eorum lites, & cauſas, iuxta facultatem, & iuriſdictionem Aud Cam.attributam diiudicandas. §. 7. & ſeq. Contrariiſque derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Catechumenus vnde dicitur?

R E S P. A voce Græca κατηχέω, quæ inſtructionem ſignificat, & ideo catechumenus dicitur, qui in fidei rudimentis inſtruitur. Quod inſtructionis officium Chriſtus exercuit, qui cæci nati oculos primùm luto, ex ſputo facto, ſuperliniuit,per quod ſignificatur huiuſmodi inſtructio, & deinde ad aquas Siloë, per quas Baptiſmus ſignificatur, miſit. cap. Ante baptiſmum. 54. vbi Turrecremar. & alij notant, de conſec. diſt. 4. & idem Turrecremat. in c.Exorciſta. 17. diſt. 23. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iuriſdictio Protectoris iuxta facultates A. C. attributas, recipitne diminutionem ſi poſtmodum iuriſdictio Aud. Cam. diminueretur?

R E S P. Non, quia ex nunc eſt acquiſita huiuſmodi iuriſdictio Protectori ad fauorem loci pij, cui non niſi expreſsè dicitur adempta, per ea quæ in ſimili caſu tenet Panormitan. in cap.vlt. ne Cleric. vel Monach. ſub num. 6.& latè proſequitur loquendo de gratiis ad inſtar conceſſis, Rod. quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 61. artic. 2.

X X X V I I I.

EXpoſcit debitum Paſtoralis officij, &infra pag. 676. Bullarij. *Edita Anno 1543.*

C O M P E N D I V M.

Decernit de cætero Priorem generalem, & alios Priores Congregationis Monachorum Syluestrinorum Ordinis S. Benedicti, quolibet triennio per ſolum Capitulum generale eligendum fore, ſed reeligi pro alio triennio immediatè vetat. §. 1. 7. & ſeq. Prioris generalis facultatem præſcribit. §. 9. Statuit aliorum quoque Priorum officium triennio expleri. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. § 11.

Scholion primum.

Quæro. Quæ potuit eſſe cauſa ad triennium reducendi Prioratum huius Congregationis, qui (vt patet ex lectura huius Bullæ) erat perpetuus?

R E S P. Quia perpetui Priores nimis abſolutè quandoque fortaſſe gubernabant,& nimis auſterè imperabant, vt ſic euenire ſcribit Nauarr. in tit. de Regular. num. 3. & Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 16. artic. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid regulariter magis videtur expediens pro Religionibus?

R E S P. Quod Generales earum ſint perpetui, vt Prædicatores, Carthuſiani, & Ieſuitæ obſeruant, multiſque rationibus probat Nauarr. vbi ſupra. Subdit tamen multa remedia, ex quibus temporalis electio Generalium poteſt eſſe proficua, quæ hîc, vbi ſummatim loquimur, tibi indicaſſe ſatis erit.

XXXIX.

Edita Anno 1543. & 1544. DEcens eſſe cenſemus, & infra pag. 678. *Item*; Ex debito Paſtoralis, & infra pag. ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad ſuſtinendam magnam expenſam molem pro tuitione fidei, & Status Eccleſiaſtici incumbentium, annuum ſubſidium 300. millium aureorum ad triennium impoſuiſſe inquit ſubditis ſuis, augmentúmque ſalis, & alia extraordinaria onera interim ſuſpendiſſe, dictúmque ſubſidium omnes eius ſubditos libenter acceptaſſe. §. 1. Et modò declarat ad illius ſolutionem teneri quoſcumque Præſules, Barones, feudatarios, perſonas, & Officiales, & quoſuis alios, quacumque dignitate, & excellentia præditos, & quantumcumque exemptos, ac priuilegiatos. §. 2. Sæculares nempe etiam Vrbis, & aliarum Ciuitatum Gubernatores, & quoſcumque nobiles, aut quouis priuilegio in corpore Iuris clauſo exemptos, Collegiáque, & Vniuerſitates, Clericóſque etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut alia maiori dignitate præfulgentes. §. 1. ſubſequent. Bullæ. Subdit ſæculares ad contributionem ſimpliciter, & omnino teneri: Clericos verò pro bonis patrimonialibus; & ipſos Clericos, & Religioſos pro fructibus, & bonis mobilibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum, pro aliqua portione d. ſubſidij teneri. d. §. 1. Et ita, & non aliter iudicari poſſe iubet. §. 2. Camerarium ſuum huius Bullæ executorem deputat. §. 3. Priuilegiis omnibus etiam per vim legis, & ſtatuti perpetui, & ſtipulati contractus editis, & confirmatis, & quibuſcumque aliis contrariis derogat. §. 4. Sanctionem pœnalem apponit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Clerici de bonis patrimonialibus tenentur contribuere in totum, vt laici, vel pro aliqua honeſta portione, vt in §. 1. in fine ſecundæ Conſtitutionis?

RESP. Vt laici, quoniam cauſæ impoſitionis, quæ hic leguntur in principio, vel æqualiter eos, & laicos tangunt, vel potiùs Clericos, quàm laicos; quo caſu interpretando Bullam ſecundùm terminos iuris communis, Clerici, vt laici contribuere debent. Latè Surd. conſ. 490. lib. 4. num. 3. Laderch. conſ. 145. num. 3. qui alios cumulant: præſertim cùm impoſitio fit à Principe Eccleſiaſtico. Surd. conſ. 301. lib. 3. ſub num. 67. Et hoc ſuadent illa verba, *Clerici verò*; nam cùm Papa ſtatuiſſet laicos totaliter contribuere, ſubdens poſtea dicta verba, voluit Clericos ſimiliter contribuere, cùm dictio, *verò*, ſit repetitiua omnium qualitatum præcedentis caſus: cui aduerſatur Rota in deciſ. Bubali, in vna Romana cenſus, ſiue Saluiani interdicti, 21. Maij 1590. Et ita hanc Bullam intelligit Sacra Cardinalium Congregatio, de bono regimine pro Communitate Peruſij contra illius Clerum die 28. Septembris 1613. proponente R. P. D. Iulio Benigno Romano Sacræ Aulæ Conſiſtorialis, pauperúmque Aduocato, & in Almæ Vrbis Studio, primario Iuris Interprete celeberrimo, & dictæ Congregationis boni regiminis conſultore.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ergo operantur illa verba, *pro aliqua honeſta portione*, poſita in fine orationis?

RESP. Reſtringitur ad contributionem de fructibus, & bonis mobilibus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ de per ſe ſtare poſſunt, & diuerſa eſt ratio de bonis patrimonialibus, & Eccleſiaſticis: & hæc intelligentia magis conſonat iuri communi. Dec. in cap. Secundò requiris. 41. de appellat. num. 13. & ſeqq. Stymo conſ. 612. num. 5. Rota in deciſ. Pegnæ, die 5. Aprilis 1593. in vna Rom. deuolutionis; & ita fuit tentum in præcit. cauſa, in terminis huius Bullæ.

XL.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 679. Bullarij. *Edita Anno* 1544.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Theſaurarij Status Eccleſiaſtici, mercatores, & Cameræ Apoſtolicæ Miniſtri, aliæque perſonæ in d. Camera computa reddere debentes, integra computa non exhibent, partem introituum,

introituum, & exactorum, ſub diuerſis prætextibus retinendo, in procem. & §. 1. Hic Pont. prædictis pœnam excommunicationis maioris, ac periurij, & falſi, necnon decupli cuiuſlibet partitæ crediti Cameræ omiſſæ, vel non ſolutæ, aliáſque Papæ arbitrio pœnas infligit. §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 3. Publicationémque huius ſtatuti in Camera factam, omnes ligare præcipit. d. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Procedítne hæc Bulla nedum in partitis omiſſis, ſed etiam duplicatis partitis ſolutis per Cameram?

R E S P. Affirmatiua ſententia videtur verior, tum attenta ratione Bullæ, quæ voluit punire fraudes, & maior eſt fraus, duplicare, quàm omittere; tum etiam attentis eius verbis, ibi; *integrum debitum, & creditum.* Item, *omiſſæ, vel non ſolutæ.* Item, *ne directè, vel indirectè aliquid retineant.* Item, *fideliter, & diligenter.* prout his, & aliis rationibus mota ſic cenſuit Reuer. Camera die 5. Ianuarij 1606. contra Tiberium Ceulum eiuſdem Cameræ Depoſitarium.

Scholion ſecundum.

Quæro. Satiſne fuiſſet d. Tiberio probare contrarium vſum Cameræ circa duplicationem partitarum?

R E S P. Non, ſed debuiſſet etiam probare Papam de contrario vſu ſcientiam habuiſſe; nam ſtante clauſula, *ſublata*, &c. inferiores non potuerunt à ſe ipſis tollere legem Supremi Principis, vt cenſuit Rota in decis. prima Putei, & pleniùs coram R. P. D. Caualerio in vna Romana concordiæ S. Petri, die 13. Nouembris 1609. & die 11. Ianuarij 1610.

X L I.

Edita Anno 1544.

ROmani Pontificis præcellens authoritas, & inf. pag. 680. Bul.

C O M P E N D I V M.

Quia iurium, & rerum Cameræ Apoſtolicæ cura Cardinali pro tempore Camerario eſt commiſſa, & Papæ perſonam in his repræſentat, eiúſque viuæ vocis oraculum habet, conuenit, vt omnes Vrbis, & ditionis Eccleſiaſticæ Officiales eius mandatis obediãt. §. 1. Et ita ſeruari iubet. §. 2. & 3. Et à Camerario ad id compelli concedit. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Hæc obedientia debebitur Camerario in omnibus, vel in concernentibus officium Camerariatus?

R E S P. In ſpectantibus ad eius officium tantùm, quia in illis ſolùm repræſentat perſonam Papæ, cuius oraculo vtitur, vt expreſsè hic dicitur in textu in illis verbis, *in his*, quæ ſunt demonſtratiua, & reſtrictiua; ad Bart. & alios in l. 1. ff. de oper. nou. nunciat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quare per obitum Papæ non quieſcit eius officium?

R E S P. Ne redditus temporales ad Sedem Apoſtolicam ſpectantes, & ſine quibus diu ſpiritualia eſſe non poſſunt, negligantur, & ne eleemoſynarum pro pauperibus diſtributio, quæ fit de ærario eius curæ commiſſo, intermittatur, vt poſt Zabar. & alios in Clem. ne Romani. §. eo tamen prouiſo, de elect. ſcribit Caſſan. in 4. par. catalog. glor. mundi. conſid. 14. verſ. & ad eius officium.

X L I I.

Edita Anno 1545. & 1549.

ACcepimus nuper, quod, & infra pag. 680. *Item*; Accipimus per ſtatuta, & infra pag. 681. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſtit. 20. de qua ſup. contra occupatores bonorum naufragantium ad litora maris locorum S. R. E. ſubiectorum, ſanctionem edidit, quam hic Pontifex innouat. §. 1. Obſeruaríque præcipit. §. 2. Et in princip. alterius ſubſequentis Conſtitutionis narrat, ſtatuto Ripæ Vrbis caueri, auxiliatores bonorum naufragantium luctari quartam partem eorum recuperatorum. Sed ſubdit illud in deſuetudinem abiiſſe, & quod Domini locorum, ad quæ ob naufragium barcæ, vel naues deueniebant, ſibi ipſis illas appropriabant. §. 1. Ideóque ſtatuiſſe refert, illis tantùm dari d. quartam partem bonorum, qui à nautis vocati illa recuperauerint. §. 2. At nonnulli

hanc ordinationem locum non habere prætendebant, cùm vi tempeſtatis ad loca aliquorum Dominorum perueniebant. §. 3. Idem Pont. ad d. caſum eam extendit. §. 4. & 5. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 6. Executores deputat. §. 7. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Excommunicationis pœna contra occupatores bonorum naufragantium, contenta in Conſt. 20. Iulij II. & hic in §. 1. & 2. confirmata, ac innouata, quo tempore poſita fuit in Bulla Cœnæ Domini?

R E S P. Tempore Greg. XIII. in ſua Conſtit. 81. de qua infrà, vt aduertit Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 27. num. 60. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Statutum huius Papæ indicatum in §. 2. cur Genitor tuus prætermiſit?

R E S P. Ab ipſo non fuiſſe prætermiſſum, ſed exactâ adhibita diligentia, non repertum intellexi, cùm temporum iniuria, Officialiúmque incuria, multa Pontificia diplomata perierint.

X L I I I.

Edita Anno 1545.

CVm ſicut nobis nuper innotuit, & infra pag. 681. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Decernit, familiares, & ſeruitores Prælatorum Romanæ Curiæ, qui ſalarium ſeruitiorum in ſcriptis redigere non ſolent, cum ſalario menſuali ſeruientes, pro biennio tantùm ſtipendia, & infra annum à die obitus eorum dumtaxat petere poſſe. §. 1. Inhibet omnibus Iudicibus aliter iudicare. §. 2. Non obſtantibus quibuſcumque. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ex illis verbis, *redigere non ſolent*, putas, quod aliter ſit dicendum, ſi petantur ſalaria ab his, qui libros ſeruientium, & ſalariorum tenent?

R E S P. Ita profectò dicendum eſſe cēſuit Rota corā R.P.D. Binarino in vna Bellaiana mercedis, 9. Aprilis 1565. vbi firmauit, hanc Bullā Pauli III. non habere locum in Cardinali habente libros familiarium; tunc enim ceſſat ratio Bullæ, quod cum Prælati non ſoleant tenere libros huiuſmodi, ſolutionem ſalariorum cum difficultate probare poſſent.

Scholion ſecundum.

Quæro. Argumentum ergo pariter deſumetur ex illis verbis, *cum ſalario menſuali*, vt quibus ſalarium non ſoluitur per menſes, hæc Bulla non obſtet?

R E S P. Optimum eſt argumentum, & probatum à Rota coram Sarmiento in vna Romana mercedis, 12. Nouembris 1603. ad fauorem Vincentij Medici.

X L I V.

AD onus Apoſtolicæ ſeruitutis, & infra pag. 682. *Item*; Cùm aliàs nos, & infra pag. 684. Bullarij. *Edita Anno* 1548

C O M P E N D I V M.

Circa authoritatem Viſitatorum carcerum Vrbis, & ordinationes ab ipſis, & aliis Officialibus obſeruandas ſtatuta prodit. §. 1. Quando carcerati gratis relaxari poſſint. §. 2. Capti tanquam teſtes quomodo relaxandi. §. 3. Carcerati quomodo examinandi, & ad largam ponendi. §. 4. Sine indiciis nemo capiatur, niſi de mandato Gubernatoris. §. 5. Copiæ indiciorum dentur, præterquàm in criminibus exceptis. §. 6. Nemo torqueatur non legitimato proceſſu. §. 7. Captus pro vno crimine, quando poſſit interrogari de aliis. §. 8. Verba rei ſcribantur in illo idiomate, quo proferuntur ab eo. §. 9. Copia indiciorum detur in modum extractus. §. 10. Regiſtrum fiat actorum tranſportatorum. §. 11. Innocens nihil ſoluat. §. 12. Cuſtodes carcerum ſeruent decreta Cameræ. §. 13. Et etiam executores. §. 14. Cibatio carceratorum quæ. §. 15. Cuſtodes præſentent Viſitatoribus detentos in carceribus publicis, & notificent detentos in ſecretis. §. 16. Arreſta dentur à Iudicibus, qui reos carcerarunt. §. 16. Pro eadem cauſa non carceretur quis à pluribus Iudicibus. §. 19. Viſitatio carcerum fiat ſingulis hebdomadis. §. 20. Eiúſque ſolutiones omnino attendantur. §. 21. Poſt decretum Viſitæ quando quis arreſtandus ſit. §. 22. Compoſitionum pecuniæ deponantur penes Depoſitarium Cameræ. §. 23. Eleemoſynæ carceratorū vt diſtribuendæ. §. 24. Capti omnes

ad

ad carceres publicos, vel Caſtrum S. Angeli ducantur. §. 25. Significationes conceſſæ à Camera ſeruentur. §. 26. Infirmi pro debitis vt relaxandi. §. 27. Bona reperta penes carceratos vt ſeruanda. §. 28. Cuſtodes quid pro arreſtis accipiant. §. 29. Bariſellus pro exploratoribus nihil exigat à carceratis. §. 30. Triremes bis in anno viſitentur. §. 31. Carcerati vt transferantur. §. 32. Executorum merces quæ. §. 33. Carcerati quando nihil pro carceribus ſoluant. §. 34. Pro quibus minimis non ſit quis carcerandus. §. 35. Abſoluti, & condemnati an aliquid pro ſententiæ nota ſoluant. §. 36. Carcerati vt in viſitationibus ducendi. §. 37. Clericus Cameræ pro tempore carcerum Præſidens prædicta exequatur, in §. 1. ſubſeq. Conſtit. Contrariis omnibus derogatur. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Si vnus ex Viſitatoribus eſſet Iudex cauſæ, de qua agitur, in Viſitatione iſta, poterit in ea votum dare?

RESP. Conſueuit votare, licèt contrarium honeſtius videatur Veſtrio, qui ſic ſcribit in pract. Rom. Curiæ lib. 2. cap. 13. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Carceratorum cauſæ poſſuntne etiam diebus Deo dicatis tractari?

RESP. Poterunt, tanquam cauſæ piæ. Bald. in ſuo Tract. de carcerib. num. 8. quem citat, & ſequitur Viuius deciſ. 341. num. 4.

X L V.

Edita Anno 1547. CVm poſtquam felicis record. Innoc. VIII. & inf. pag. 684. Bul.

COMPENDIVM.

Innocentius VIII. in ſua Conſtit. 15. de qua ſup. & Leo X. & Clemens VII. debitoribus mercatorum conducentium victualia, & mercimonia ad Ripas Vrbis, moratorias dari prohibuerunt; & nihilominus Clerici, & alij priuilegiati, hoc eis non præiudicare prætendunt. §. 1. Hic ideo Pont. omnes comprehendere decernit. §. 2. Libróque mercatoris Ripalis, iuncto libro proxenetæ, credi iubet. §. 3. Ipſóſque in rebus ſuis extantibus præferri cæteris mandat. §. 4. Et in aliis hypothecam habere, & concurrere cum aliis creditoribus declarat. §. 5. Et ita obſeruari præcipit. §. 6. Non obſtantibus quibuſcumque. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Hoc priuilegium mercatorum eſt fauorabile, & largè interpretandum?

RESP. Largè quidem, cùm ſit conceſſum ad publicam vtilitatem pro abundantia Almæ Vrbis. Dec. conſ. 352. num. 1. & 3. Vnde in facti contingentia hodie dicebam, quod eiuſmodi priuilegiis non cenſetur derogatum per quodcumque reſcriptum habens clauſulas generales derogatorias; ad Bart. in extrauag. Ad reprimendum. §. non obſtantibus. num. 3. & Roman. conſ. 436. num. 10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi mercatoris, vel proxenetæ liber, de quo in §. 3. ſit ſuſpectus de falſo?

RESP. Perdit hoc priuilegium. Iaſ. in repet. l. admonendi. 31. ff. de iureiur. num. 123. Menoch. de arbitrar. Iudiet caſu 91. num. 21. Deciſ. Genuæ 2. num. 32.

X L V I.

ROmanus Pontifex, & inf. pag. 686. Bullarij. *Edita Anno 1548.*

COMPENDIVM.

Decernit, perſonas Eccleſiaſticas teſtandi licentiam à Sede Apoſtolica non habentes, decimam tantummodo partem locis piis relinquere, & donare poſſe. §. 1. Non obſtantibus quibuſcumque, in fine d. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Hæc licentia conceſſa expirabit morte Papæ concedentis?

RESP. Non, vt probat Sarmient. de reddit. Eccleſ. par. 4. c. 4. num. 2. & Rota in deciſ. Rubei 47. parte 1. diuerſ. num. 15.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi teſtator nullam mentionem facit in ſuo teſtamento de d. licentia?

RESP. Valet teſtamentum, quia præſumitur illa vti voluiſſe licentia, quam obtinuerat, ad validitatem huius actus. l. 3. ff. de militar. teſtamen. Sarmiét. vbi

vbi ſuprà num. 1. verſ. quod vtrumque. Rodoan. de ſpol. quæſt. 7. §. occurrit. numer. 27. & ſeq. & Burſat. conſ. 178. lib. 2. num. 10. Præſertim ſi extat clauſula, *omni meliori modo*, quæ operatur, vt actus quoquo modo ſuſtineri poſſit. Rota coram Aldobrand. in vna Romana nullitatis teſtamenti, 28. Maij 1582.

XLVII.

Edita Anno 1549. EXponi nuper nobis feciſtis, & infra pag. 686. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ceſſante officio Vicarij generalis Cōgregationis Camaldulēſis, duo Viſitatores, & duo Prælati infra annum eligi conſueuerant, in princ. Ad petitionem d. Ordinis hic Pontifex pro illius Ordinis maiori commodo, & decore, mandat Vicarium generalem Congregationis Eremi Camaldulenſis eligi infra mēſem à die obitus prædeceſſoris, & plures Priores, & Prælatos ad electionem hanc faciendam deſignat. §. 1. Et ſi in hoc tempore non fiat electio, ad totius Ordinis Prælatos deuolui declarat. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Electio igitur facta à pluribus vtilior, quàm à paucis facta diiudicatur?

RESP. Ita ſanè, & rationabiliter; quia vbi maior eſt numerus, zelus melior præſumitur. cap. Eccleſia. 57. de elect. gloſ. penul. in cap. Si quandoque. eod. tit. in 6. Alciat. de præſumpt. reg. 1. præſ. 51. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi fieret electio infra menſem, vt dicitur in §. 1. ſed ſcienter eſſet facta de indigno?

RESP. Electio eſſet nulla, ad tex. in cap. congregato. 53. de elect. Rota in deciſ. Seraphin. 516. num. 5. in nouis. Et electio deuoluitur ad Capitulum, iuxta §. 2. ad tex. in cap. Cùm in cunctis. 7. §. fin. eod. tit. & notant Canoniſtæ communiter in dictis locis, & Innocen. in cap. Dudum. 22. de elect. num. 3.

XLVIII.

Edita Anno 1548. LIcèt debitum Paſtoralis officij, & infra pag. 687. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat vberes fructus, quos affert Societas Clericorum Regularium Societatis IESV, in procem. Præpoſiti generalis authoritatem totalem, liberam, ac perpetuam eſſe decernit. §. 1. Qui tamen ex certis cauſis remoueri poſſit. §. 2. Eius circa miſſiones Clericorum ſit libera poteſtas. §. 3. Præpoſitus abſque conſenſu Societatis, & alij abſque conſenſu Præpoſiti, electioni ad dignitates conſentire nequeant. §. 4. Appellatio à correctione prohibetur. §. 5. Socij ad Prælatorum miniſterium non deputentur, niſi aliter iubeat expreſsè Summus Pontifex. §. 6. Miſſi à Præpoſito remoueri poſſint. §. 7. Præpoſiti in abſoluendis Sociis quæ ſit facultas. §. 8. & ſeq. Is, vel ab eo deputati, Sociorum confeſſiones audiant. §. 10. Societatem ingreſſi, emiſſis votis, ad ſolum Carthuſianum Ordinem tranſire poſſint. §. 11. Apoſtatæ à Præpoſito coërcentur. §. 12. Societas à ſuperioritate Ordinariorum eximitur. §. 13. Socij celebrant etiam tempore interdicti, & ſuper altari portatili. §. 14. Et familiaribus Sacramenta miniſtrant d. tempore. §. 16. Nullus Prælatus eos excommunicat, contra priuilegia Societatis. §. 17. Concionibus eorum intereſſentes, ibidem Miſſam audire, & Sacramenta recipere poſſint. §. 18. Promouentur volente Præpoſito, à quocumque Antiſtite. §. 19. In terris infidelium, & hæreticorum, de licentia Præpoſiti commorari licet. §. 20. Monialium curam, iuſtitiæ miniſtrationem, aut aliquam viſitationem ſuſcipere non coguntur. §. 21. Decimas bonorum, aut aliam contributionem non ſoluunt. §. 22. Domus, & Collegia conſtruenda, à Sede Apoſtolica erecta cenſeantur. §. 23. Eis donata, per Sedem Apoſtolicam applicata dicuntur. §. 24. Eorum Eccleſiæ à quocumque Epiſcopo conſecrari poſſunt. §. 25. Et de nouo vbique conſtrui. §. 26. Superiores vt cum Sociis diſpenſent. §. 27. Confeſſiones omnium audiunt. §. 28. Sacramenta præterquàm tempore Paſchatis adminiſtrant. §. 29. Eorum Eccleſias viſitantibus quæ indulgentiæ cōcedantur. §. 30. & ſeqq. Præpoſitus ad-

lectiones Theologiæ, & aliarum facultatum, Socios deputat. §. 32. In terris infidelium, & partibus remotiſſimis, Socij abſoluunt etiam à caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini. §. 33. Diſpenſántque. §. 34. Eccleſias quoque erigunt, & paramenta benedicunt. §. 35. Præpoſito illic decedente, alium interim eligunt. §. 36. Miſſam bis in die quando celebrent. §. 37. Societatis priuilegia omnia confirmantur. §. 38. Profeſſio vbique emittenda de licentia Præpoſiti. §. 39. Præpoſitus quot coadiutores habere poſſit. §. 40. Præpoſitus indulta, & gratias per alios exercere valeat. §. 41. Clauſulæ huius Bullæ præſeruatiuæ ſubſequuntur. §. 42. Tranſumptis eius fides detur. § 43. Sic, & non aliter iudicetur. §. 44. Societas Principibus commendatur. §. 45. Executores huius Bullæ deputantur. §. 46. Contraria omnia ſubmouentur. §. 47.

Scholion primum.

Quæro. Quod Regularis non conſentiat electioni de ſe factæ extra Monaſterium abſque licentia ſuorum Prælatorum, de qua in §. 4. nónne diſpoſitum erat in iure?

RESP. Clarus eſt text. qui electionem huiuſmodi, abſque d. licentia factam, irritat, in cap. Si religioſus. 27. de elect. in 6. & ſcribit Rod. lib. 2. quæſtion. Regul. quæſt. 58. art. 1. vbi ſpecificè loquitur de hac Bulla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Votum, de quo in §. 4. tenétne in terminis iuris communis?

RESP. Proculdubio, quia conſonat diſpoſitioni dicti cap. Si religioſus; & poſt D. Thomam, Caietanum, & Sotum, ita ſpecialiter affirmat Rod. vbi ſuprà.

IVLIVS III.

Italus, creatus anno 1550.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1550. RAtioni congruit, & conuenit honeſtati, & infr. p. 690. Bullar.

COMPENDIVM.

Sixtus IV. Conſtitut. 23. de qua ſuprà, authoritate Summi Pœnitentiarij edidit. §. 1. Paulus III. confirmauit. §. 2. Impedientibúſque literas Summi Pœnitentiarij, inflixit pœnas contentas in Bulla Cœnæ Domini. §. 3. Eius literas apertas in vtroque foro ſuffragari ſtatuit. §. 4. Et ita, ac non aliàs iudicari decreuit. §. 5. Contrariis derogauit. §. 6. Tranſumptíſque ſuæ Bullæ credi iuſſit. §. 7. Cuius Pauli III. literæ, ob eius obitum non expeditæ, ab iſto Pont. eduntur. §. 8. Clauſuláſque contrariorum derogatorias addit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quòd Paulus III. decreuit (vt hic refertur in §. 4.) literas Pœnitentiarij apertas ſuffragari in vtroque foro, ſi eius officium verſatur ſolùm circa cauſas fori pœnitentialis, vt dicunt ſcribb. in Clem. 2. §. eo prouiſo, de elect. & Zabar. in conſ. 28. num. 4.

RESP. Inuaſit poſtea ſtylus, vt Pœnitentiarius reſcriberet etiam circa nonnulla fori exterioris, de quibus ſcribit Veſtr. in pract. Rom. Cur. libro 1. cap. 2. num. 2. vbi de eiuſdem Pauli reformatione Pœnitentiariæ meminit, nec non ſcribit Rebuff. in ſua pract. benef. in tit. de diſpenſat. ad plura benef. num. 34. Hodie autem attendendæ ſunt reformationes Pij IV & Pij V. de quibus infrà in illius Conſtit. 53. & iſtius Conſt. 83.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi literæ Pœnitentiariæ, quoad contenta in eis, probabunt in foro contentioſo?

RESP. Non probare pro certo affirmat Nauarr. in conſ. incipien. Facultas diſpenſandi. lib. 5. de priuileg. num. 13. verſ. Tum quia. pag. mihi 559. Quod intelligere videtur de literis expeditis, quoad ſpectantia ad forum Pœnitentiæ tantùm: ſecus verò de aliis literis expeditis circa ea, quæ pertinent ad forum contentioſum.

II.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 691. Bullarij. Edita Anno 1550.

COMPENDIVM.

Confirmat iterum, & approbat iuriſdictionem à Paulo III. eius in Vrbe Vicario conceſſam, vt in eius Curia Hebræi Vrbis actiuè, & paſſiuè inter eos, & inter alios paſſiuè tantùm

Ff. coue-

conueniantur, tam in ciuilibus quàm in criminalibus cauſis. §.1. Inhibet aliis Iudicibus, quatenus in illis ſe non intromittant, quibuſcumque non obſtantibus. §. 2.& 3. Dat facultatem Vicario, deſuper illis inhibendi, & inobedientes coërcendi. §.4. Sic, & non aliter iudicari mandat. §.5.

Scholion primum.

Quæro. Si Hebræus contra Chriſtianum promoueat remedium, ſiue iudicium l. diffamari. 5. Cod. de ingen. & manumiſſ. dicetur ipſe reus, eiúſque cauſa ſpectare ad Vicarium, vel potiùs actor, & eius cauſa ad Vicarij forum non pertinere, iuxta §.1.

R E S P. Propriè dicitur reus, vt declarant ſcribb. in d.l. diffamari, & præcipuè Contard. in ſuis quæſtionib. num. 19. & ſeqq. pag. mihi 77. Capic. deciſ. 18. numero 1. & ſeqq. Couarru. var. reſol. libro 1. cap. 18. numero 4. & de communi, Cagnol. in d. l. diffamari. num. 9. licèt in contrarium ſtet deciſ. Afflict.268.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Hebræus intentans remedium l. diffamari, haberet plures Iudices ex priuilegio, vel de iure communi?

R E S P. Si haberet ex priuilegio, cauſa coram Vicario remaneret cognoſcenda, actore etiam nolente; ſi verò de iure communi, actor poſſet recedere à Vicario, & cauſam proſequi coram illo alio Iudice, ad ſcripta per Soc. Sen. in conſ. 94. lib. 3.num.2. & Couarr. vbi ſup.num.6.

III.

Edita Anno 1550. Licèt ea, quæ à Sede Apoſtolica, & infra pag. 692. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Paulus III. officium Camerariatus S. R. E. cum eius iuriſdictionibus, & emolumentis, Cardinali Sancti Euſtachij contulit. §. 1. & ſeqq. Bullam à Iulio II. editam contra Camerales, in contractibus Cameræ participantes, confirmauit. §. 4. Eámque ad intereſſentes in Camera, dum agitur de contractibus ſuorum affinium, & conſanguineorum, extendit. §.5. Sed hæc Cardinalem Camerarium non ligare declarauit. §. 6. Omnéſque Iudices ditionis Eccleſiaſticæ Camerario ſubiicit. §. 7. Priuilegia Camerariatus omnia innouauit. §. 8. Expeditiones Camerales omnes ſub nomine Camerarij expediri iuſſit. §. 9. Hic Iulius prædicta approbat, & confirmat. §. 10. Et eos ſigillo Camerarij vti debere præcipit. §. 11. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 12. Executores deputat.d. §. 12. Contrariiſque derogat.§.13.

Scholion primum.

Quæro. Quid differt approbatio à confirmatione, de quibus in §. 10.

R E S P. Propriè dicetur approbatio, quando fit à pari; confirmatio verò à ſuperiori. Dec. poſt alios in rubr. de confirmat. vtil. vel inutil. num. 1. Rota in deciſ. Aldobrand. 702.par.1. diuerſorum, num. 7.

Scholion ſecundum.

Quæro. Confirmatio, & innouatio, de quibus in d.§. 10. quid operantur?

R E S P. Confirmatio fortiùs ſtringit, & priuilegium confirmatum non cadit ſub reuocationibus generalibus. Rota in deciſ. Aldobr. 457. par. 1.diuerſor. num. 9. Innouationem verò parum, aut nihil operari, dixit Rota in deciſ. 1. Caſſad. in tit. de confirmat. vtil. vel inutil. & in d. deciſ. 702. Aldobr. numero 6.

IV.

Ad fidei conſtantiam, & infra pag. 695. Bullarij. *Edita Anno 1550.*

C O M P E N D I V M.

Deputat Gubernatorem vtriuſque Burgi Vrbis, & Capitaneum generalem cuſtodiæ ipſiuſmet Papæ, Aſcanium de Cornea, cum facultate cognoſcendi cauſas ciuiles, & criminales incolarum, & habitatorum Burgi in prima inſtantia actiuè, & paſſiuè, vſque ad ſententiam diffinitiuam. §. 1. & ſeqq. Iudicémque Fiſcalem, Notarium, ac Bariſellum deputandi. §. 5. Cuſtodes Portarum Burgi eligendi. §. 6. Bannimenta in Burgo edendi. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus.§.8.

Scholion primum.

Quæro. Alibi me docuiſti quis dicatur habitator Vrbis, dic amabò, quis dicatur habitator Burgi?

R E S P.

Resp. Qui habet in Burgo locum aliquem, in quo tenet lectum, comedit, & bibit ad eius beneplacitum. l. habitationum, cum ibi not. ff. de peric. & commod. rei vendit. Bald. conſ. 234. incipien. Decretum, ſub numero 1. & conſ. 242.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si aliquis habitat in Burgo cum familia, ſed apothecam alicuius artis habet extra Burgum, vel è contrà, vbi dicetur habitare, vt poſſit ibidem conueniri?

Resp. Puto, quod ibi quis propriùs dicatur habitare, ibíque conueniendum eſſe, vbi cum familia habitat; ad ſcripta per Aſyn. in pract. Iudic. §.6. cap. 5. num. 5.

V.

Edita Anno 1550. & 1551. Cvpientes, vt alma Vrbs noſtra, & infra pag.695. Bullarij;

COMPENDIVM.

Incolis Vrbis, ſeu Romanam Curiam ſequentibus, dat facultatem, ſi in d. Curia, & diſtrictu deceſſerint, de eorum bonis etiam ex fructibus beneficiórum, licitè tamen acquiſitis, liberè diſponendi, etiam ad fauorem incapacium. §. 1. Et ab inteſtato eos hæredes, excluſa Reuerend. Cam. Apoſt. declarat. §. 2. Officialibúſque Cameræ eos non moleſtare præcipit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Diſtrictus Vrbis, de quo hic in §.1. nónne ad centum milliaria ſe extendit, iuxta l.1.§. quicquid igitur. ff. de offic. Prætor. Vrbis?

Resp. Non, quia ex ſtatuto Vrbis, tempore huius editæ Conſtitutionis vigente, reſtrictus erat ad quadraginta milliaria, vt dixit Rota in deciſ. 24. coram Puteo lib. 3. num. 1. Et. hodie nouum ſtatutum lib. 1. cap. 197. hæc habet verba: *Diſtrictus Vrbis paſſibus quadraginta millibus circumquaque finitur.* Quod ſtatutum, &c. alia, comprobauit Greg. XIII. in Conſtit. 61. Vrbem. Mox autem Paulus V. ad milliaria decem reſtrinxit in materia ſpoliorum, vt infrà in ſua Conſtit. 14. aliàs 18.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dic amabò, cur his gratiis donantur Curiales, cùm ob eorum inhoneſtos mores non ſint admittendi ad ſacros Ordines, nec ad Religionem, abſque magna difficultate? ad tex. in cap. vlt. diſt. 51. & cap.1.diſt.53.

Resp. Eas leges loqui de his, qui in Curia ſunt adulatores, vel in cauſis ſanguinis ſe immiſcent, ſæua exercendo, vt ſcribit Lucas de Penna in l. Curiales. 21. Cod. de decurion. lib. 10. & B. Anton. de irregul. cap.6.num. 6. Hæc autem Conſtitutio loquitur de Curialibus, qui verbo, & opere honeſta officia exercentes, & præclara munera ſubeuntes, Papæ inſeruiunt, aut Prælatis eius, vt ſcribit Mandoſ.ſup. 6. Regula Cancell. quæſt. 1. ad finem, & in quæſt. 2. num. 2.

VI.

Illius qui miſericors, & infra pag. 696. Bullarij. *Edita Anno 1550.*

COMPENDIVM.

Cùm nonnulli fideles, diabolica fraude decepti, à fide aberrauerint, & in viam ſalutis redire differant, publicam pœnitentiam abhorrentes, hic Pont. ad eamdem priuatam pœnitentiam ab Inquiſitoribus admitti decernit, eóſque ſic admiſſos abſoluit. §. 1. & 2. Ipſos, eorúmque ſucceſſores ad honores reſtituit, & ſuper irregularitate per eos contracta, diſpenſat. §. 3. Impœnitentes dictis Inquiſitoribus notificari mandat. §. 4. Et grauiter coërceri. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Diſpenſare ſuper irregularitate contracta ob hæreſim, de qua in §. 3. nónne Inquiſitores abſolutè potuiſſent?

Resp. Facultatem eis datam hanc fuiſſe videtur à Clemente VII. in ſua Conſtit. 27. §. 2. vt ſup. Sed à ſucceſſoribus Pontt. reuocatam eſſe inquit Pegna in Director. Inquiſit. par.3. commentar.175. ad finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Condemnatio impœnitentium, de quibus in §. 5. quomodo terminanda?

Resp. Docet Eymericus in Director. Inquiſitorum par. 3. de 11. mod.

termin. proceſſ. num. 105. pag. mihi 519. Scripſerunt etiam alij relati ibi à Pegna in comment. 47.

VII.

Edita Anno 1550. *&* 1551.

CVm ſicut nobis nuper innotuit, & infra pag. 697. *Item*; Dudum ex certis, & infra pag. 698. *Item*; Cùm autem, & inf. p. 698. Bul.

COMPENDIVM.

Fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum tempore obitus beneficiatorum, quamuis maturos, ſed non exactos cum effectu, etiam ſponte oblatos, decernit non ſpectare ad eorum hæredes, ſed ad ſucceſſores in beneficiis. §. 1. Excipit paramenta, & ornamenta Capellæ Cardinalium, & pretium annuli Cardinalitij, quæ ad Cameram pertinere declarat. §. 2. Ab illis autem debita occaſione beneficiorum contracta, quorum dies ante beneficiatorum obitum aduenit, & aliunde perſolui nequeunt, ex eorum bonis, & ad pias cauſas legata ab eiſdem beneficiatis in ſanitate conſtitutis facta, ſolui mādat. d. §. 2. Declarat poſtea in ſubſeq. Cōſt. hæc omnia ibi ſeruanda fore, vbi Collectores ſpoliorum pro Camera Apoſtolica deputari, aut eſſe non conſueuerunt, in alio §. 2.

Scholion primum

Quæro. Beneficiatorum nomine veniunt Capellani, ad propoſitum huius Bullæ?

RESP. Non veniunt, quia ſalaria eis debita pro ſeruitio, & inde quæſita, dicuntur acquiſita ex induſtria, & non ſunt fructus, nec acquiſita ex fructibus beneficiorum. Innoc. in cap. Quia nos, 9. de teſtam. Ioan. And. num. 1. Hoſt. & Anchar. num. 2. & Imola num. 7. quos ſequitur Alex. de Neuo conſ. 13. num. 1. & 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si beneficiatus frumentum recollegiſſet, & vendidiſſet, habita fide de pretio, ad diem, quæ tempore ſui obitus non aduenit, illud ad quem ſpectabit?

RESP. Videtur pretium ad eum ſpectare, cùm frumentum verè dicatur fructus beneficij; illúdque dicitur exactum, & in pecuniam conuerſum, vt latè ſcribit, & ita hanc Bullam intelligit, Franc. Monald. in conſ. 98. lib. 1. per totum.

VIII.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 699. Bullarij. *Edita Anno* 1550.

COMPENDIVM.

Quia Fratres Seruitæ B. Mariæ Virginis, ex diſpenſatione Apoſtolica habentes beneficia Eccleſiaſtica, vel officium Pœnitentiarij, in domibus Ordinis ſtare, & officia Fratrum exercere, eorúmque gratiis vti intendebant, in proœm. Hic Pont. inconuenientibus inde naſcentibus obuiando, dictos Fratres eiuſmodi beneficia Eccleſiaſtica, vel quorumuis aliorum Ordinum obtinentes, aut officium Pœnitentiariæ exercentes, iubet in domibus Ordinis commorari, aut eius dignitates obtinere, aut illius gratiis vti, vocémque actiuam, & paſſiuam habere non poſſe. §. 1. Fratribus profeſſis tranſitum ad laxiorem Ordinem vetat. ibid. Mandátque Priori generali, & Vicariis, huius Conſt. publicationem, & executionem. §. 2. Contrariis, gratiiſque, & priuilegiis Ordinis omnibus derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Prior generalis vellet huiuſmodi Fratres in domibus Ordinis commorari?

Vidi cautum in quadam Conſt. Innoc. VIII. de qua in libro compendij Priuilegiorum huius Ordinis pag. 75. Priorem generalem id poſſe permittere: ſed illi arbitror derogatum per hunc Pontificem, qui nullo modo id Fratribus permittit, & priuilegiis quibuſcumque Ordinis derogat. §. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. An his Fratribus licebit tranſire ad Monachos S. Benedicti?

RESP. Licèt regula S. Benedicti, quam Monachi profitentur, de per ſe ſit ſtrictior regula S. Auguſtini, nihilominus Ordo Seruitarum dicitur ſtrictior, attentis eorum reformationibus, quæ in hoc attenduntur. Ido non niſi ad Monachos ſtrictiùs reformatos tranſitus licitus erit, vt in puncto tradit Lapus allegat. 62. ſub num. 5. & Cardin. Zabar. conſ. 28. num. 3.

IX.

I X.

Edita Anno 1550. EXpoſcit debitum, & infra pag. 699. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, Paulum III. in ſua Conſtitutione 25. de qua ſup. confirmaſſe regulam Clericorum Societatis I E S V. §. 1. Societatémque pro eiuſdem regulæ meliùs explicatæ approbatione ſupplicaſſe. §. 2. Nempe ſuper caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ votis. §. 3. Præpoſiti generalis authoritate. §. 4. Obedientia erga Rom. Pontif. Sedémque Apoſtolicam. §. 5. Miſſionibus quoque. §. 6. Obſeruantia regulæ. §. 7. Præpoſiti generalis munere. §. 8. Paupertate domorum profeſſarum. §. 9. Non autem Collegiorum. §. 10. Regimine Collegiorum. §. 11. Officij recitatione. §. 12. Admiſſione ad profeſſionem. §. 14. & ſeq. Prædictam ergo Societatis inſtitutionem, regulámque, & omnia alia priuilegia, ſub quibuſcumque tenoribus conceſſa, confirmat. §. 16. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 17. Executores, & Conſeruatores pro præmiſſorum obſeruantia, cum poteſtate contradictores appellatione poſtpoſita compeſcendi, deputat. §. 18. Obſtantibus derogat. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *ſub quibuſcumque tenoribus*, de quibus in §. 16. quid operantur?

R E S P. Operantur, vt quæcumque priuilegia comprehenſa dicantur ita, vt nulla reſtrictio, aut diſtinctio fieri poſſit. Iaſ. conſ. 147. lib. 4. num. 6. Rota in deciſ. Seraph. 1022. num. 1. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poteſtas compeſcendi contradictores, de qua in §. 18. intelligitúrne de contradictoribus de facto, an autem de iure?

R E S P. Non extenditur ad contradictores de iure: quia intelligit Papa, quod præſeruentur iura Societatis, ſed non quod aliorum iura tollantur. Rota in deciſ. Putei 270. lib. 3. num. 5. in nouis, & in deciſ. Pegnæ in vna Panormitana Archidiaconatus, 15. Iunij 1590. & in deciſ. Pamphilij in vna Mediolanenſis Parochialis, 16. Martij 1588.

X.

AD hoc nos Deus, & infra pag. 701. Bullarij. *Edita Anno 1550.*

C O M P E N D I V M.

Deputat omnes Epiſcopos, Abbates, & cæteros in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, Metropolitanos, Canonicos, Vicarios, & Officiales generales quoſcumque, in Conſeruatores Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati. §. 1. Quibus dat facultatem procedendi contra moleſtatores, iniuriatores, & occupatores bonorum Congregationis, etiamſi ſint extra loca, in quibus ſtant ipſi Conſeruatores, non permittendo à quoquam ſuper priuilegiis, bonis, & iuribus ſuis Congregationem hanc moleſtari, &c. §. 2. & 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ab huiuſmodi Conſeruatorum ſententiis, ſeu grauaminibus, ad quem dabitur appellatio?

R E S P. Conſeruatores ſunt iudices delegati à Papa in cauſis eis commiſſis, cap. 1. & ſeq. de offic. Iudic. deleg. in 6. Propterea ad Papam tantummodo ab eis appellatur. Ancharan. conſ. 72. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Præpoſitus Monaſterij huius Congregationis non vtens hoc priuilegio fori Conſeruatoris in aliqua cauſa, præiudicabit Congregatioi, vel d. Monaſterio in aliis cauſis?

R E S P. Non præiudicare tenet Feder. de Sen. in conſ. 14. num. 5. vbi antiquiores allegat.

X I.

LIcèt à diuerſis Romanis Pötificib. & infra pag. 703. Bullarij. *Edita Anno 1551.*

C O M P E N D I V M.

Quamuis plerique Romani Pontifices ſæcularibus Iudicibus de crimine hæreſis quoquo modo cognoſcere, & Epiſcopis, ac Inquiſitoribus, in negotio Inquiſitionis ſe opponere, vel impedire, aut impedientibus fauere interdixerint, illi tamen variis prætextibus contraueniebant, in procem. Hic ideo Pont.

 ſtrictiùs

ſtrictiùs iſta prohibet. §. 1. Tranſgreſſoribus pœnas imponit. §. 3. Et etiam Inquiſitoribus admittentibus laicos ad d. criminis cognitionem. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Solis minis, & terroribus dicitur quis impedire officium Inquiſitorum?

R E S P. Sic profectò ſcribit Bernar. commen. in Lucern. Inquiſitor. in verb. Impedientes. §. 2. & ſequitur Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. comment. 79. verſ. His autem. per tex. in cap. 1. de offic. Iud. deleg.

Scholion ſecundum.

Quæro. Impedientes huiuſmodi officium, à quo coërcendi?

R E S P. Ab ipſis Inquiſitoribus. Text. eſt in cap. Vt officium. 11. §. denique, de hæretic. in 6. & tradit Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. quæſt. 36. & Pegna ibid. comment. 85.

X I I.

Edita Anno 1551. ROmanus Pontifex, & infra pag. 704. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Elargitur Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Capellæ Pontificiæ aſſiſtentibus, vt circa beneficiorum collationem gaudeant alternatiua ſex menſium. §. 1. Nobilitatiſque decore, & inſigniis Papæ. §. 2. Exemptione etiam à decimis. §. 3. Et à gabella vini in Vrbe. §. 4. Facultate quoque viſitandi Eccleſias eis ſubiectas, per alios. §. 5. Locandique fructus beneficiorum, etiam anticipata ſolutione ad biēnium. §. 6. & 10. Diſpenſandi etiam de acquiſitis ex fructibus beneficiorum, vſque ad ſcutorum duo millia. §. 7. Remittit eiſdem fructus malè perceptos, omnémque infamiam, atque cenſuram. §. 8. Dat facultatem contra quoſcumque etiam exemptos in ſua diœceſi procedendi. §. 16. Eccleſias etiam exemptas viſitandi. §. 17. Cauſas criminales, citra incurſum irregularitatis, cognoſcendi. §. 18. Dat aliqua priuilegia circa reſignationes, & permutationes beneficiorum. §. 19. Et viſitationem liminum Apoſtolorum. §. 20. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 25.

Scholion primum.

Quæro. Quis primùm alternatiuam in conferendis beneficiis Eccleſiaſticis, de qua in §. 1. introduxit?

R E S P. Nicolaus V. conceſſionem quatuor menſium prima vice conceſſit: conceſſionem verò ſex menſium (magis propriè alternatiuam) Paulus II. primò conceſſit, teſte Buſſat. conſ. 126. lib. 2. num. 101. & ſeqq. cui aſſentitur Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancell. in §. 1. procem. num. 55. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Epiſcopi ab initio naſcentis Eccleſiæ, à Papa habuerunt poteſtatem conferendi beneficia?

R E S P. Vtique: ſolus enim Papa eſt Ordinarius Ordinariorum, & dominus omnium beneficiorum mundi. cap. 2. de præbend. in 6. & tam ibi ſcribb. quàm in cap. cuncta. 17. cauſ. 9. quæſt. 3. Et ad literam explicat, & bene, Gonzal. ſuper Reg. 8. Cancellar. §. 1. procem. num. 20. & ſeqq. vbi quamplurimos cumulat.

X I I I.

CVm nuper ex rationabilibus cauſis, & infra pag. 707. Bullar. Edita Anno 1551.

C O M P E N D I V M.

Cùm hic Pontifex præcepiſſet Iudicibus Romanæ Curiæ, & aliis quibuſcumque Officialibus, ne quouis prætextu moratorias aut dilationes concederent; & Viſitatoribus carcerum tribuiſſet facultatem dandi miſerabilibus perſonis carceratis aliquam moderatam dilationem, ſub cautione de ſe repræſentando: Viſitatores nihilominus decreuerunt huiuſmodi dilationes carceratis conceſſas, eorum etiam fideiuſſoribus ſuffragari, in princ. Quod abſurdum videtur, cùm accipiantur fideiuſſores, vt in caſu, quo principales nō ſint ſoluendo, ipſi pro eis ſatisfacerent. ibid. Ideo declarat hic Pont. illas fideiuſſoribus non ſuffragari. §. 1. Et Viſitatorum decreta aliter facta irrita decernit. §. 2. Et executionem contra fideiuſſores fieri mandat. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Cur in §. 1. abſurdum vocatur, quod huiuſmodi dilatio fideiuſſori ſuffra-

ſuffragetur, cùm id expreſsè conſtitutum fuerit in l.fin.§.fin.Cod.de vſur. rei iud.& l.omnes.19.ff.de execeptionibus?

Resp. Quia illa regula intelligitur de dilationibus cohærentibus rei, vel cauſæ, non autem perſonæ. l. exceptiones. 7. ff. de except. Priuilegium autem, de quo agitur hic, eſt perſonale, conceſſum videlicet pauperibus carceratis, ideò dicitur non extendi ad fideiuſſores. Bart.in l. cùm filiusfamilias.49. §. ſi ſtipulatus.ff. de verbor. oblig.num. 2. vbi bonum exemplum adducit Bald. in l.2.Cod.de precib. Imper. offer. num. 4.& Marcheſan. de commiſſ. par. 2.cap. 6. num. 35. ſecundùm penult. impreſſionem pag. mihi 530.

Scholion ſecundum.

Quæro. Exemplum de exceptione cohærente rei, vel cauſæ, vbi perquiram?

Resp. Accipe exempla ex tex. in d. l. exceptiones. 7. ff. de except. & aliud ex Aret. in conſ. 33. num. 3. verſ. ſed tamen.

XIV.

Edita Anno 1551. CVm ea firmis illibata perſiſtãt, & infra pag. 708. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat Conſtitutiones ab Alex. VI. Iul. II. & Clem. VII. de quibus in ipſius Clem. VII.Bulla 24.de qua ſup. editas ad fauorem Curſorum Papæ. §. 1. Innouat eaſdem. §. 2. Declarat cauſas eſſe commiſſarias eas, in quibus ſuperuenit commiſſio Papæ, in quacumque Curia vertantur, & quamuis à principio eſſent ordinariæ, ad hoc, vt ſolummodo Curſores Papæ in eis citare poſſint in Vrbe. §. 3. & ſeqq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Dum hic Papa eas Conſtitutiones confirmat, & innouat in §. 1. & 2. aliquidne eis addit?

Resp. Non aliud addit, quàm robur Conſtitutionibus confirmatis, ſed eas non alterat, nec extendit, & ideo in §. 3. expreſsè eas declarat. Dec. & alij in l. more maiorum. 5. ff. de iuriſdict. omn.Iud.& Rota in deciſ. Seraph. 981. num. 5. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Curſores referant quæſiuiſſe aliquem citandum, & non inueniſſe, & ab eius domeſticis eis dictum fuiſſe, quod abeſt ab Vrbe, probabunt eius abſentiam?

Resp. Probabunt, & ideo poterit ille poſtea citari per contradictas, vt cēſuit Rota in deciſ. 335. lib.3.par.3.diuerſor.per totam. Hodie autem quo pacto ſit facienda huiuſmodi diligentia citandi à Curſoribus, deciſum eſt à Paulo V. infrà in eius Conſtit. 44. §. 21.

XV.

ACcepimus vos in proſecutio ne, & infra pag. 709. Bullarij. Edita Anno 1551.

COMPENDIVM.

Declarat, Officiales fabricæ S. Petri de Vrbe, iuriſdictionem habere exequendi quaſcumque donationes inter viuos, in quibus aliqua bona ad pias cauſas à donatoribus elargita ſunt, & quintam partem fabricæ applicandi.§.1. Et ita, ac non aliàs iudicari mandat. §. 2. Obſtantia remouet. §. 3. Fidem huius Bullæ tranſumptis dari iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Legatum factum pro reparatione, vel conſtructione viarum, aut pontium, dicitur pium?

Resp. Pium eſſe, ſi aliqua imminet neceſſitas, probat Tiraquell. in ſuo Tract. de priuileg. piæ cauſæ,in præfat. verſ. Item legatum. vbi alios cumulat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Legatum factum Petro, tanquam perſonæ pauperi, qui tamen ſit diues, dicitur pium, ita vt quinta pars debeatur fabricæ?

Resp. Videtur pium reſpectu donationis, ſed quia reſpectu donatarij habetur pro non ſcripto, remanet legatum tanquam pium incertæ perſonæ factum, vt poſt Bald. & alios ſcribit Tiraquell. vbi ſup. verſ. Et hoc adeò. Et conſequenter puto, quod Officiales fabricæ de eo iudicare poſſint, tanquam de legato facto perſonæ incertæ.

XVI.

CVm ſicut fide dignorum, & infra pag. 709. Bullarij. Edita Anno 1552.

COM

COMPENDIVM.

Quia nonnulli à Summis Pont. licentias extorquebant, vt ab aliquo Prælato, ſeu perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, ad inſignia doctoratus in Romana Curia promoueri poſſent; vnde nonnulla eueniebant abſurda, in proœm. Decernit, neminem de cætero in iure canonico, & ciuili doctorari poſſe in Vrbe, niſi à Collegio Aduocatorum Conſiſtorialium, quibuſcumque aliorum priuilegiis doctorandi non attentis. §. 1. Aliáſque promotiones irritas decernit. §. 2. Paupereſque gratis doctorari iubet. §. 3. His literis clauſulas præſeruatiuas addit, & ſignanter, quod ſuſpendi, & reuocari non poſſint per contrarias literas, & quoties illæ emanabunt, iſtę ab illis exceptæ, & denuo conceſſæ cenſeantur. §. 4. Decretum irritans addit. §. 5. Executorum deputationem. §. 6. Clauſuláſque derogatorias. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Huic priuilegio Collegij cenſebitur derogatum, ſi alteri Collegio hæc facultas doctorandi concederetur, cum clauſula, *non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis?*

RESP. Non derogari cenſuit Rota ſtantibus clauſulis prægnantibus huius Bullæ, in §. 4. Et diffiniuit, huic priuilegio Iulij III. non fuiſſe derogatum per ſimile doctorandi priuilegium, conceſſum Collegio Protonotariorum, in ſua Conſtit. 12. vt legitur in deciſ. Seraphin. 1271. per totam in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vtrumque ergo Collegium huiuſmodi perfruetur priuilegio?

RESP. Non, ſed ſolummodo iſtud Collegium Aduocatorum Conſiſtorialium: nam ſi ei non eſt derogatum, illud remanet cum ſua qualitate priuatiuè quoad alios, vt Rota voluit in deciſ. præcit.

XVII.

Edita Anno 1552. CVm Ciuitates, & loca omnia, infra pag. 710. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innouat, & comprobat omnes prædeceſſorum Conſtitutiones editas cōtra homicidas, ſicarios, latrones, alióſque facinoroſos, eorúmque fautores. §. 1. Franchiſiam ipſis facinoroſis præbere, aut illarum prætextu, vel aliàs, Iuſtitiæ miniſtros in executione eorum officij impedire interdicit. §. 2. Quæcumque obſtantia tollit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quiſquam impediat Bariſellum volentem abſque Iudicis mandato aliquem capere?

RESP. Dico, quod non ſolùm principalis poſſet ei reſiſtere, hæc enim Bulla recipit interpretationem à iure communi, quo ſic cauetur, ad tex. in l. prohibitum. 5. Cod. de iure Fiſci. lib. 10. Sed alij etiam poſſent ei auxilium præſtare, vt liber euaderet. Bart. ibidem num. 3. & Luc. de Pen. num. 14. Boſſ. in tit. de carcere, num. 5. Clar. quæſt. 29. num. 4. vbi de communi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Bariſellus vellet capere aliquem malefactorem repertum in fragranti crimine?

RESP. Reſiſtentia punietur, & exemptio per hanc Bullam, quia in eo, & aliis pleriſque caſibus, abſque Iudicis mandato capere poterit, quos vide apud Conrad. Lancell. de offic. Prætor. in tit. de capt. ſub num. 5. alióſque ab eo allegatos.

XVIII.

CVm ſicut nobis exponi feciſtis, & infra pag. 711. Bullarij. *Edita Anno 1552.*

COMPENDIVM.

Refert, à Conſulibus piſtorum Vrbis ſibi expoſitum fuiſſe, quod vigore ſtatutorum, ipſi inter homines de arte, vſque ad quamcumque ſummam, & contra alios, vſque ad ſummam ſcutorum viginti, de rebus ſpectantibus ad artem, iuriſdictionem habent. §. 1. Et vigore Bullæ Leonis X. dilationes dari non poſſe debitoribus ex cauſa panis. §. 2. Et in cauſis panis à quocumque Iudice procedi debere. §. 3. Hic Pont. ad petitionem Vniuerſitatis dd. piſtorū prædicta confirmat. §. 4. & 5. Et Conſules ab aliis Iudicibus ſuper d. iuriſdictione non impediri mandat. §. 6. Debitoréſque ex cauſa panis, ad dilationes, aut bonorum ceſſiones admitti prohibet. §. 7. Et ita, & non alter-

aliter iudicari mandat. §. 8. Obſtantia remouet. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Statuta huius artis, de quibus in §. 1. nónoe fuerunt correcta à nouis ſtatutis, lib. 3. cap. 42. vbi hanc iuriſdictionem ad homines de arte reſtrinxit?

RESP. Ita quidem, & quod magis eſt, Greg. XIII. illa obſeruari iuſſit, vt infrà io eius Conſtit. 51.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt ergo, quod præfati Conſules adhuc iuriſdictionem iuxta artis ſtatuta exercent?

RESP. Quia idem Gregorius à dicta eius Conſtit. 61. receſſit, & Conſulum iuriſdictiones reintegrauit, vt videre eſt in alia Conſtit. eiuſdem Gregorij, quam ſupradictæ Genitor meus anne-xuit in ſuo Bullario fol. 410.

X I X.

Edita Anno 1552. MEritis deuotionis veſtræ erga nos, & infra pag. 712. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat priuilegia Collegij Phyſicorum Medicorum Almæ Vrbis, quatenus ſint in vſu. §. 2. Dat eidem facultatem priuatiuè quoad alios, quoſcumque in Philoſophia, & Medicina doctorandi. §. 3. Concedítque Protomedico authoritatem cognoſcendi cauſas ciuiles, & criminales, ad eius cognitionem ratione dicti ſui officij ſpectaotes. §. 4. Aliorum Iudicum inhibitiones eum non afficere declarat. §. 5. Et ita iudicari mandat. §. 6. Executores huius Bullæ deputat. §. 7. Contraria tollit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Clauſula, *quatenus ſint in vſu,* appoſita io hac confirmatione; quid operatur?

RESP. Vt qui allegat vſum, illum probare debeat. Rota in deciſ. Cottæ 55. par. 1. diuerſorum, num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sufficiet probare priuilegia loquentia de hac iuriſdictione, fuiſſe publicata?

RESP. Sufficere dixit Rota in deciſ. Robuſter. 97. par. 1. diuerſor. num. 2. & in deciſ. Seraph. 775. ibidem numero 1. Vbi tamen declarat id procedere, ſi à principio hæc ſtatuta valida erant, num. 5. Quod tenuit etiam Rota coram Pegna in vna Amerina ſucceſſionis, die 24. Maij 1593.

X X.

Edita Anno 1552. CVpientes Cameræ Apoſtolicæ, ex qua, & infra pag. 713. Bullar.

COMPENDIVM.

Pius II. Conſtitutionem edidit contra oon ſoluentes annatas de beneficiis Eccleſiaſticis, Cameræ Apoſtolicæ. §. 1. Paulus II. de beneficiis perpetuò vnitis quindennia ſoluenda eſſe decreuit. §. 2. Innocentius VIII. Pij II. Conſtitutionem probauit, & pœnas auxit. §. 3. Iulius II. dictas leges confirmauit. §. 4. Hic Pont. narrat poſt dictas Conſtitutiones, multas vniones factas fuiſſe, abſque eo, quod de ſoluendis minutis ſeruitiis, & annatis, obligationes receptæ ſint. §. 5. Et deceroit de omnibus iura d. Cameræ deberi, etiamſi beneficia ſint de iurepatronatus laicorum, Imperatoris, Regum, & aliorum. Confirmátque omnes Conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid inter ſe differunt annata, commune ſeruitium, & minutum ſeruitium, de quibus agitur hic?

RESP. Perlege Antonium Maſſam Galleſ. in ſuo, quem etſi breuem, egregium tamen edidit Tractatum de annat. num. 1. & multis ſeqq. de quo meminit Rota in deciſ. Seraphin. 1410. nu. 1. Siquidem horum explanatio prolixum nimis à me requireret ſermonem, qui vno Scholio complecti oequit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quindennia verò quid differunt ab illis, & oum iuri communi nota fuerunt?

RESP. De quindenniis attende Galleſ. quem citaui, & nos alibi de hoc dicemus. Ea verò iuri communi minimè cognita fuiſſe, ioquit Rota in deciſ. Seraph. 1401. oum. 4.

X X I.

Edita Anno 1553. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 714. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat Eccleſiarum Prælatos, qui ſolùm ratione perſonæ ſuæ, & oon ali-

cuius officij pro tempore obtenti, ex Palatio Apoſtolico panem quotidie habere poſſunt, & in poſterum habere poterunt, licèt in Palatio non habitent, vel alia victui neceſſaria non habeant, veros Papæ familiares, Prælatos domeſticos, & continuos commenſales eſſe. §.1. Reſeruatque ſibi collationem beneficiorum omnium, quæ illi pro tempore habebunt. §.2. Et ita ab omnibus cenſeri iubet. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Hæc familiaritas, & commenſalitas exactène erit probanda, ad effectum reſeruationis beneficiorum, de qua in §.2.

Resp. Exactè probandam eſſe, Rota pluries tenuit, vt in deciſ. Caputaq. 147. lib. 1. & deciſ. 10. & 380. lib. 2. quod tenuit etiam Berous in quæſt. 35. per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis familiaris Papæ ab eo receſſit non petita venia, animo amplius non redeundi, & ſe pro tali in partibus iactat, eius beneficia deſinunt eſſe reſeruata?

Resp. Non quoad Papam, qui illum non dimiſit, licèt ipſe non valeat vti priuilegiis familiaritatis, cui renunciauit. Ita ſentit Gemin. in cap. fin. de verbor. ſignific. in 6. num. 9. & firmat Simonet. de reſeruat. benefic. quæſt. 35. num. 24.

XXII.

Edita Anno 1554. Sanctiſſimus Dominus noſter, & infra pag. 715. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro bono regimine S. R. E. & felici Sacri Collegij Cardinalium directione, ſtatuit, vt nemo aſſumatur de cætero ad Cardinalatum, qui ſit frater germanus alterius Cardinalis viuentis. §. 1. Prohibet ex aliqua quamtumuis vrgentiſſima cauſa aduerſus hoc decretum diſpenſare licere. §.2.

Scholion primum.

Quæro. Huic decreto poſſet ſucceſſor derogare?

Resp. Poſſet proculdubio, quia anteceſſor non poteſt imponere legem poteſtati ſucceſſoris. Natta conſ. 121. numero 9. Oſaſc. deciſ. 139. num. 20. verſ. non obſtat, & Rota in deciſ. Seraphin. 291. num. 12. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fuit hucuſque decreto huiuſmodi derogatum?

Resp. Annum ago vigeſimum ſeptimum, & in eorum curſu, nec derogatum vidi, nec à maioribus vnquam audiuiſſe memini.

XXIII.

In multis deprauatis moribus, & infra pag. 715. Bullarij. Edita Anno 1554.

COMPENDIVM.

Blaſphemantibus Deum particulariter, vel generaliter, pro prima, ſecunda, vel tertia vice certas pœnas infligit. §.1. & 2. Et etiam blaſphemantibus B. Virginem. §. 3. Blaſphemias autem in Sanctos, vel Sanctas Dei, Iudicis arbitrio puniri iubet. §. 4. Pœnas omnes orphanis, & catechumenis applicat. §. 5. Inquiſitores deputat huius criminis Iudices. §. 6. Arbitrium declarandi qui ſint nobiles, vel plebei, & qui ſint diuites, vel pauperes, eiſdem Inquiſitoribus tribuit. §. 7. Reuelare hoc crimen recuſantes pœnis alligat. §. 8. & 9. Denunciantem loco vnius teſtis recipi mandat. §. 10. Denunciantem, aut teſtem falſum, ſeueriſſimè puniri decernit. §. 11. Blaſphemos ſe ipſos deferentes benignè recipi iubet. §. 12. Barattarias pro aleatoribus, vnde blaſphemiæ oriuntur, prohibet ſub grauiſſimis pœnis. §.13.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *pro prima, ſecunda, vel tertia vice*, intelligenda erunt pro vice punitionis, vel blaſphemiæ?

Resp. Pro vice punitionis, quia Papa videtur habere reſpectum ad punitionem, vt notat Steph. Quaranta in ſua Summa quarumdam Bullarum, in verb. Blaſphemia, per tex. in cap. graue. 29. de præbend. vbi Zabar. Ancharan. & alij notant, quod per primam punitionem delictum efficitur notorium, & ita grauiùs iure merito eſt puniendum, ſi reiteratur.

Scholion primum.

Quæro. Si quis vno inſtanti pluries blaſphemat, nónne dicetur ſemel blaſphemaſſe?

Resp.

R e s p. Semel blaſphemaſſe præſumitur, vt probat Veronenſ. in conſ. crim. 76. per totum, quem ſequitur Alciat. de præſumpt. reg. 3. præſ. 6. in fin. & Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſ. 2. num. 27. de quo meminit Steph. Quaranta vbi ſuprà. Quod amplia, etiamſi non vno inſtanti, eodem tamen impetu durante, plures ſint prolatæ blaſphemiæ, vt per Veronenſ. d. conſ. 76. num. 4.

XXIV.

Edita Anno 1554. Cum ſicut nuper non ſine, & infra pag. 716. Bullarij.

COMPENDIUM.

Quia Hebræi, poſtquam liber eorum Talmud in multis partibus iuſſu Supremorum Inquiſitorum combuſtus fuit, pleroſque libros retinent, contra Chriſtum Redemptorem, eiúſque ſanctiſſimum nomen, & honorem, ignominias, & blaſphemias continentes, præcipit locorum Ordinariis, vt dictos libros exquirant, eóſque habentes ſeueriſſimè puniant. §. 1. Nec permittant pro aliis libris, abſque Pontificis mandato, Hebræos moleſtari. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum

Quæro. Quæ ſunt blaſphemiæ, & alij errores contenti in libro Talmud?

R e s p. Nauſeam facerem, ſi tibi recenſerem; eorum tamẽ aliquot ſcribit Iſidorus Epiſcopus contra Iudæos ſub num. 61. & Marquard. de Iudæis, par. 3. cap. 1. num. 49.

Scholion ſecundum.

Quæro. Mos comburendi huiuſmodi libros reprobos, his, vel antiquis temporibus inualuit?

R e s p. Temporibus Apoſtolorum in vſu fuit, vt legitur Act. 19. & aduertit Marquard. vbi ſuprà.

PAVLVS IV.
Italus, creatus anno 1555.
CONSTIT. I.

Edita Anno 1555. Ex clementi Sedis Apoſtolicæ, & infra pag. 717. Bullarij.

COMPENDIUM.

Collaudat Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruantia. §. 1. Eius gratias, & priuilegia approbat. §. 2. & ſeqq. Refert, Martinum IV. eidem Ordini conceſſiſſe facultatem deputandi perſonas extra Ordinem pro Oeconomis locorũ eius, Syndicíſque & Actoribus, qui res ipſas, & earum pretium, & eleemoſynas nomine Romanæ Eccleſiæ recipiant, aliáſque habeant amplas facultates. §. 3. Et licèt Ioannes XXII. reuocauerit. §. 4. Martinus tamen V. eam reſtituit. §. 5. Eugenius proinde IV. confirmauit. §. 6. Nicolaus V. & Sixtus IV. dederunt huic Ordini poteſtatem audiendi confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta. §. 7. Has omnes gratias hic Pontifex confirmat. §. 8. & 9. Authoritatem deputãdi dictos Oeconomos, & Syndicos, tribuit. §. 10. Amplam illis facultatem elargitur. §. 11. Ordini poteſtatem audiendi confeſſiones, & miniſtrandi Sacramenta, concedit. §. 12. Exemptionémque à decimis. §. 13. Executores deputat. §. 14. Contrariíſque derogat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Optimè ſcio tenorem Bullæ Martini IV. à Genitore prætermiſſæ, & à te mihi traditæ ſuprà ad Clementis VII. Conſt. 19. Sed illius, vel iſtius Bullæ vigore, poſſétne Oeconomus, & Syndicus accuſare aliquem in iudicio, & pœnam petere, vt Ordini applicetur?

R e s p. Hæc repugnant religioſæ huius Ordinis paupertati, vt in puncto reſpondet Rod. de quæſtionib. Regular. tom. 2. quæſt. 104. artic. 4. vbi ſubdit, quod bene poteſt aliquam pœnam pro eleemoſyna à Iudice Ordini applicatam recipere.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poterit iſte Syndicus conueniri pro debitis contractis nomine Conuentus?

R e s p. Non, quia iſto caſu non militant rationes, in quibus fundatum eſt priuilegium conſtituendi Syndicum, vt ad hanc Bullæ interpretationem ſic ſcripſit Rod. iam cit. tom. 3. quæſt. 39. artic. 3. verſ. Notandum eſt vltimò.

II.

Edita Anno 1555. INiunctum nobis deſuper, & inf. pag. 719. Bullarij.

COMPENDIVM.

Symmachus Papa bona Eccleſiarum alienari prohibuit in cap. 6. de reb. Eccleſ. non alienand. §. 1. Paulus II. idem vetuit, necnon locationem vltra triennium, in ſua Conſt. 5. vt hic ſup. Nonnullæ tamen alienationes, & locationes factæ fuerant in damnum Eccleſiarum, vel non ſeruatis ſolemnitatibus. §. 3. Illas ergo hic Pont. irritas decernit. §. 4. Detentoréſque bona cum fructibus relaxare debere declarat. §. 5. Et ita, ac non aliàs iudicari præcipit. §. 6. Contrariiſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi locatio fiat vltra triennium, vt putà ad ſex, vel nouem annos, hac lege adiecta, vt tot ſint locationes, quot triennia?

RESP. Non valere vltra triennium oſtendit Couarr. var. reſol. lib. 2. cap. 16. ſub numer. 4. & Becc. conſ. 179. lib. 1. num. 5. Qui ampliat hoc procedere, etiamſi fiat pluribus perſonis, nempe ſingulis ad triennium: prout ampliat etiam, contractum hunc in totum irritari, in conſ. 92. lib. 1. num. 6. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi fiat locatio de certis bonis ad triennium, & de illis, ac aliis, poſtea ad aliud triennium, vnico pretio conuento?

RESP. Valet pro bonis auctis, quæ non venerunt in prima locatione, ſi certum eorum pretium diſcerni poteſt, & de nouo ſint adhibitæ ſolemnitates requiſitæ, vt plenè conſulendo explicauit Marcabrun. ab Anguill. in conſ. 64. num. 7. & ſeqq. vbi alios congerit.

III.

Edita Anno 1555. CVm nimis abſurdum, & infra pag. 720. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit, Hebræos habitare in locis Status Eccleſiaſtici à Chriſtianis ſeparatis. §. 1. Et vnicam Synagogam in Ciuitate habere. §. 2. Signum glauci coloris deferre. §. 3. Nutrices, aut ſeruientes Chriſtianos non habere. §. 4. Diebus feſtiuis de præcepto S. R. E. in publico non laborare. §. 5. Chriſtianos non grauare. §. 6. Cum Chriſtianis non ludere, aut comedere, aut conuerſari. §. 7. Libros rationum Latinè, vel Italicè ſcribere. §. 8. Mercaturam non exercere. §. 9. Chriſtianis ſe Medicos non præbere. §. 10. Dominos à Chriſtianis non vocari. §. 11. Menſes dierum 30. in exigendis creditis attendere. §. 12. Statuta locorum obſeruare. §. 13. Contrauenientibus pœnas irrogat. §. 14. Contrariáque remouet. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Prohibitio habendi nutrices, aut ſeruientes Chriſtianos in §. 4. continet ius nouum?

RESP. Non, quia Innoc. III. in cap. Etſi Iudæos. 13. de Iudæis, hoc idem ſtatuerat, & Innoc. IV. in eius Conſt. 2. §. 5. de qua ſup. & Concilium Baſileenſe ſeſſ. 19. Abſurdum eſt etenim, quod filij liberæ, filiis famulentur ancillæ, vt habetur in d. cap. Etſi Iudæos.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ſpecialiter comedere cum Iudæis prohibetur?

RESP. Quia Iudæi apud Chriſtianos communibus cibis non vtuntur, vnde indignum videtur, quod eorum cibis vtantur Chriſtiani, quaſi ex hoc inferiores ipſi, quàm Iudæi eſſe inciperent. Tex. eſt cum gloſ. in cap. omnes. 14. cauſ. 28. quæſt. 1. Poſſunt tamen cibaria emi à Iudæis, quibus Chriſtiani veſci non prohibentur, quia omnia munda mundis. cap. 2. diſt. 82. circa medium.

IV.

CVm quorumdam prauitas, & infra pag. 721. Bullarij. *Edita Anno 1555.*

COMPENDIVM.

Monet omnes, qui hactenus aſſeruerunt, vel crediderunt Deum omnipotentem non eſſe trinum in perſonis, & incom

incompoſita omnino indiuiſáque vnitate ſubſtantiæ: aut Dominum IESVM Chriſtum non eſſe verum Deum, eiuſdem ſubſtantiæ vnà cum Patre, & Spiritu ſancto: aut eumdem ſecundùm carnem non eſſe conceptum in vtero B. Virginis MARIÆ de Spiritu ſancto: aut non ſubiiſſe mortem Crucis pro noſtra redemptione: aut B. Virginem non eſſe Dei Matrem, neque ſemper Virginem extitiſſe; vt ab eorum aſſertione, & credulitate, infra certum terminum, aliiſque in fide erroribus recedere, ſuóſque errores in manibus Inquiſitorum abiurare debeant. §. 1. Ipſiſque pœnitentibus, & abiurantibus, remiſſionem concedit, quatenus relapſi, aut inquiſiti, vel delati non ſint. §. 2. Impœnitentibus autem, & aliis de cætero errantibus, relapſorum pœnas irrogat. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quos antiqui hæretici de hac Trinitate diuina errores dixerunt?

RESP. Diuerſi hæretici diuerſa errantes dixerunt, & præcipuè Sabellius, qui abſtulit perſonarum diſtinctiones, dicens Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam eſſe eſſentiam, & vnam perſonam, ſed eos ſolùm differre nominibus. Arrius verò poſuit trium perſonarum diuerſas eſſe ſubſtantias, in dignitate, & duratione differentes, vt videre eſt in Director. Inquiſit. parte 1. poſt 3. comment. Pegnæ pag. mihi 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Myſterium Trinitatis tenentur omnes explicitè credere?

RESP. Proculdubio; adipiſcuntur enim hæc omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, per inuocationem Trinitatis, iuxta illud Matthæi cap. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ita ſcribit Eymeric. in Director. Inquiſ. parte 1. quæſt. 6. in fin. pag. mihi 62.

V.

Edita Anno 1555. CVm venerabiles fratres noſtri, & infra pag. 722. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Cardinales tanquam membra Papæ, in Curia reſidere debere, & reſidentes præferendos eſſe abſentibus, in optionibus Titulorum, & ſex Eccleſiarum Cathedralium. §. 1. Narrat pariter, ſe fuiſſe Decanum Cardinalium tempore ſuæ ad Pontificatum electionis, & ad illum Decanatum ante alios antiquiores à Curia abſentes perueniſſe. §. 2. Et in eo Cardinali de Bellayo ſucceſſiſſe. ibid. Declarat, Decanatum de cætero vacaturum ſpectare ad Epiſcopum Card. antiquiorem in Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentem, & extra eam per Rom. Pont. deſtinatum. §. 3. Eiſque præcedentiam concedit. §. 4. Decretum irritans apponit. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Cardinalis antiquior iter ad Curiam arripuiſſet?

RESP. Nihil eſſet, cùm tempore vacationis debuiſſet eſſe præſens in Curia. Et ita fuit tentum in ſimili occurrenti caſu à Paulo III. cùm vacante, per eius ad Pontificatum aſſumptionem, Epiſcopatu Oſtienſi, optio data fuit Cardinali Senenſi præſenti in Curia, non attento, quod Cardinalis Auxitanus eſſet in itinere ad Curiam, vt liquet ex actis Sacri Conſiſtorij ſub die 17. Octobris 1534. & 26. Februarij 1535.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum ſi antiquior Cardinalis eſſet infra quadraginta milliaria abſens ab Vrbe?

RESP. Præſens in Curia diceretur, ad tex. in cap. præſenti. 34. de præbend. in 6. Et ſic tentum fuit pro Cardinali Gioioſa, prope Ciuitatem Tyburtinam, vel Abbatiam Sublacenſem tunc degente, dum tempore Pauli V. vacauit Decanatus per obitum Cardinalis Pinelli. Et ad hoc facit, quod die 26. Septembris 1533. à Clemente VII. optio Epiſcopatus Portuenſis vacantis per obitum Cardinalis de Monte, data fuit Cardinali Senenſi, per duas dietas tantùm à Curia abſenti, non obſtante, quod illum optare vellet Cardinalis Cranenſis, tempore vacationis præſens in Curia.

V I.

Edita Anno 1555. LIcèt ex iuris communis, & inf. pag. 723. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis iure communi diſpoſitū ſit, ſtatuit nihilominus, quemlibet de crimine inquiſitum perſonaliter in carcere detinendum eſſe, dum diſcutitur, an ex indiciis torquendus ſit. §. 1. Statuit pariter, reum in iudicio crimen confeſſum non relaxari ſub quauis cautione, niſi pœna delicti perſoluta. §. 2. Decernitque ita, & non aliter iudicari poſſe. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Vbi in iure communi ſancita reperiuntur hæc eadem hic diffinita, vt Pontifex ſupponit hic in principio?

R E S P. Quod hic diſponitur de reo indiciato ad torturam in §. 1. iam diſpoſitum erat in l. 2. ad fin. Cod. de exhib. reis. Et quod hic in §. 2. diffinitur de reo confeſſo, deciſum fuerat in l. 5. ff. de cuſtod. reorum. Et de his plenè ſcribit Farinac. quæſt. 33. num. 9. & ſeqq. & num. 28. & ſeq. & vtrobique meminit de hac Bulla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hic diſpoſita de reo torquendo, locum habent etiam in teſte?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam veram puto, ex his quæ ſcribit Menoch. de Arbitrar. caſu 303. num. 26. vltra alios citatos à Farinac. vbi ſuprà numero 39.

V I I.

Edita Anno 1555. INter cæteras curas, quibus, & infra pag. 723. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, in Romana Curia creari ſocietates officiorum, ad duodecim pro centenario modis quandoque illicitis, in princip. Decernit propterea, quod aliàs, quàm ſuper officiis d. Curiæ, de cætero etiam ſuper periculo mortis alicuius, ad rationemque certæ, & denominatæ ſummæ, ſtatuto tempore perſoluendæ, iniri non poſſint. §. 1. Officialéſque pecunias vltra dimidiū valoris officij accipere, & ſocietatem contrahere non valeant. §. 2. Apponit decretum irritans. §. 4. Derogátque contrariis. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Illud verbum, *mortis*, de quo in §. 1. bene ſcio, quod intelligitur de naturali, quia ſic vidi explicitè apponi in inſtrumentis huiuſmodi ſocietatum. Sed quid dicendum, ſi dans pecunias ſuper periculo vitæ ſuæ, calce equi percuſſus, mortem obierit?

R E S P. Nauarr. in conſ. 26. incip. Titius. lib. 5. de vſur. de hoc conſultus, reſpondit mortem hanc violentam, & non naturalē eſſe; ideóque mortui heredes pecunias repetere poſſe cōcludit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Lex iſta extendit ſe ad ſocietates iam contractas?

R E S P. Non, quia verbum, *de cætero*, reſpicit futura. Rota in deciſ. Putei 173. lib. 3. num. 2. Et ita hanc Bullam intellexit Rota in deciſ. Lancellot. 193. par. 1. diuerſ. num. 3. in vna Rom. ſoc. offic. die 2. Iunij 1570.

V I I I.

CVm ſæpius etiam dum in minoribus, & infra pag. 724. Bul. *Edita Anno 1556.*

COMPENDIVM.

Indecens eſſe ſupponit inter S. R. E. Cardinales, lites coram alio, quàm Summo Pontifice iudialiter experiri: eas ideo omnes in quauis inſtantia, & negotio exequutiuo vertentes, in ſtatu, & in terminis, in quibus reperiuntur, ad ſe auocat, ſuæque deciſioni reſeruat. §. 1. A ſuáque deciſione appellationem etiam de iure admiſſibilem reiicit. §. 2. Hæc eadem in futuris litibus ſeruari præcipit. §. 3. Iudicibus omnibus inhibet, ne abſque ſpeciali commiſſione manu Papæ ſignata, in illis ſe intromittant, ſublata aliter iudicandi facultate. §. 4. Hanc Bullam publicari mandat. §. 5. Derogat etiam omnibus contrariis. §. 6. Publicatio ſubſequitur in fine.

Scholion primum.

Quæro. Si vnus ex Cardinalibus iam obtinuiſſet ſententiam fauorabilem, ante-

ante huiuſmodi cauſarum auocationem, appellatio à ſententia contra eum à Pontifice ferenda, erit nihilominus prohibita, iuxta §. 2.

RESP. Prohibitam putarem, tum ex vi illorum verborum, *in quacumque inſtantia*, quæ iſtam comprehendunt; tum quia Papa nemo eſt ſuperior, vt eſſe deberet, ad hoc, vt capax huiuſmodi appellationis eſſe poſſet, ad gloſ. & alios ſcribb. in cap. 2. de conſuetudin. in 6. & Rotam in deciſ. Seraphini 467. num. 8. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa clauſula, *in ſtatu, & terminis, in quibus reperiuntur*, de qua in §. 2. cuius eſt effectus?

RESP. Quod acta cauſæ omnia tranſportentur, vt Papæ ſe certificet de ſtatu cauſæ, in quo reperitur, antequam in ea procedat. Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 3. cap. 9. num. 7. & ſequitur Marcheſan. de commiſſionibus, in tit. de commiſſ. auocat. cauſ. cap. 3. ſecundùm primam impreſſionem, num. 29. Rota in deciſ. 1. de commiſſ. in antiq. iuxta antiquiorem impreſſionem pag. mihi 39. in fine.

IX.

Edita Anno 1556. DVdum poſtquã felicis record. Iulius Papa III. & infra pag. 726. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius III. ſtatuerat, Iudæos Status Eccleſiaſtici ſoluere debere Hoſpitali catechumenorum de Vrbe, ducatos decem pro qualibet Synagoga, in princ. Hic Pontifex decreuerat vnicam tantùm Synagogam in ſingulis Ciuitatibus habere, & alias demoliri. §. 1. Dubitatum fuit, an ſolutio deberetur etiam pro illis demolitis. §. 2. Iſte Pontifex deberi declarat. §. 3. Omnéſque Iudæorum Congregationes inſolidũ eſſe obligatas pro huiuſmodi contributione, iuxta diſtributionem per eorum Miniſtros fiendam. §. 4. & ſeq. Dictum Hoſpitale, & quoſcumque catechumenos, & neophytos, eorumque bona, & Officiales eximit à iuriſdictione Ordinariorum, & Cardinali dicti Hoſpitalis Protectori ſubmittit. §. 6. Cui Protectori dat facultatem, quaſcumque eorum lites ſummariè, ſolâque facti veritate inſpecta, & manu regia terminandi. §. 7. Catechumenorum, & neophytorum gratias quaſcumque, & priuilegia confirmat. §. 8. Contraria omnia remouet. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Cathecumeni à neophytis in quo differunt?

RESP. Illi ſunt, qui vt conuertantur ad Chriſtianam fidem, in eius rudimentis inſtruuntur: iſti verò ſunt, qui noui Chriſtiani iam effecti ſunt, vt patet ex his, quæ tibi reſpondi in Pauli III. Conſtit. 32. ſup. & Conſtitut. 37.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illæ clauſulæ, *ſola facti veritate inſpecta*, &c. de quibus in §. 7. tribuunt Iudici facultatem, nulliter procedendi?

RESP. Operantur, vt proceſſus ſit quantumuis ſummarius, non tamen nullus. Bart. in Extrauag. Ad reprimendum, in verb. Videbitur. Rota coram Seraphino in vna Romana tutelæ de Fabiis, die 14. Iunij 1583, aliàs 1585.

X.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 726. Bullarij. *Edita Anno 1556.*

COMPENDIVM.

Iuſtis de cauſis Cancellarias criminales locorum Status Eccleſiaſtici, Cameræ Apoſt. applicat. §. 1. Theſaurario illas ad vitam ementium tantùm alienari mandat §. 2. Eas vacabiles, & reſignabiles eſſe, ſicut alia Rom. Curiæ Officia, decernit. §. 3. Societates officiorum deſuper iniri indulget. §. 4. Cancellarios priuilegiis Notariorum Romanæ Curiæ donat. §. 5. Lucra cum Gubernatoribus participare interdicit. §. 7. Habitationem ab illis habere decernit. §. 9. Sigillum autem, & Secretariam Gubernatoribus reſeruat. §. 10. Hos Cancellarios de actis cauſarum criminalium, & contractuum pactis rogari iubet. §. 11. De aliis contra

contractibus rogari poſſe permittit. §. 11. Taxas obſeruare præcipit. §. 13. Examen reuelare, aut eius copias dare, abſque Iudicis decreto, interdicit. §. 14. Certos libros tenere iubet. §. 15. Syndicatui ſtare præcipit. §. 16. Scripturas finito Officio conſignare mandat. §. 17. Officia per ſubſtitutos exercere indulget. §. 18. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Si Cancellarius venderet partem Cancellariæ, ſuper qua eſſet inita aliqua ſocietas Officij, de qua in §. 4. diceretúrne ipſa ſocietas finita?

RESP. Non, ſi remanet pars, cuius fructus ſufficiant pro fructibus initæ ſocietatis. Rota in deciſ. Blanchetti 288. par. 1. diuerſ. per totum, & in deciſ. Seraphini 543. num. 3. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Cancellaria ob facultatem, de qua in §. 3. venderetur alteri non idoneo, teneret venditio?

RESP. Teneret, quia venditio perfecta dicitur: ſed ille non idoneus alteri idoneo vendere cogeretur, vt voluit Rota in deciſ. Seraphini 389. num. 8. in nouis.

X I.

Edita Anno 1556. INcumbentia nobis, &c. Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, &c. infra pag. 728. Bullarij.

COMPENDIVM.

Greg. XII. pœnas multas, & ſignanter priuationis feudorum impoſuit, bona mobilia, & ſtabilia Cameræ Apoſt. occupantibus. §. 1. Alex. V. decreuit, prouiſos de Eccleſiis non ſe ingerere in illis, literis Apoſtolicis non expeditis. §. 2. Pius II. ſtatuit, non ſoluentes annatas Cameræ Apoſtolicæ, pœnam priuationis, & vacationis beneficiorum incurrere. §. 3. Innocentius VIII. confirmauit Conſt. Pij II. §. 4. Iulius II. approbauit, & ampliauit. §. 5. Fiſcus d. Cameræ omnes deuolutiones, & caducitates acceptauit. §. 6. Clerici eiuſdem Cameræ pronunciarunt, omnes non ſatisfacientes, nec reſtituentes d. Cameræ, incidiſſe in dictas pœnas. §. 7. Hic Pont. confirmat d. ſententiam Clericorum, & Conſtitutiones Pontt. prædeceſſorum. §. 9. Et non ſatisfacientes infra duos menſes, pœnas d. ſententiæ, & Conſtitutionum incurriſſe declarat. §. 10. Abſolutionem ſibi reſeruat. §. 11. Contrariiſque omnibus derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Ante Alex. 5. extabat alterius Papæ Conſtitutio circa hæc, quæ ſunt poſita hic in §. 2.

RESP. Extabat lex Bonifacij VIII. in Extrauag. 1. de elect. qui Bonif. ad Pontificatum euectus fuit anno 1294. die 23. Decembris. Et ſic ante Alex. anno 1409. die 26. Iulij in Pont. pronunciatum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si literis non expeditis quis ſe ingeſſerit contra diſpoſitionem §. 2. poſt ſignatam ſupplicationem, cùm Papa velit pro gratiæ perfectione literas expediri, eſtne tutus in foro conſcientiæ?

RESP. Hoc dubium affirmatiuè reſoluit Gig. de penſion. quæſt. 34. num. 7. & Gomez. de Reg. Cancell. in reg. de non iudic. iux. form. ſup. quæſt. 14. verſ. Breuiter, vbi inquit, forum conſcientiæ non eſſe alligatum apicibus iuris, nec ſtrepitui iudiciorum; ſed in eo tantummodo anima rectificatur, & ad hoc literæ, quæ forum fori concernunt, non requiruntur.

X I I.

INter cæteras curas, quibus, &c. infra pag. 731. Bullarij. *Edita Anno 1557.*

COMPENDIVM.

Eos omnes, qui occaſione beneficiorum Eccleſiaſticorum alios ſe eſſe ſimulauerint, & tanquam tales ſe in examine ſuppoſuerint, aut beneficia pro perſonis id ignorantibus obtinere procurauerint, aut pro ſe, vel aliis cum oblatione penſionis annuæ, vel pro aliis cum ſpe aliquam penſionem, aut aliud quamuis minimum temporale cōmodum conſequendi, vel pro ſe ipſis

pri-

principaliter, animo aliis reſignandi, excommunicationis ſententia, à qua Papæ abſolutio ſit reſeruata, innodar, nec non priuationis beneficiorum, ac inhabilitatis ad illa. §. 1. Prouiſiones obtentas irritat, & beneficia tanquam vacantia à Papa impetrari poſſe decernit. §. 2. Et hanc legem etiam ad Monaſteria Monialium, & beneficia per Moniales, aut alias mulieres obtineri ſolita, extendit. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi obtines beneficium, non certo, & abſoluto animo reſignandi, ſed conditionaliter, ſi aliquod conueniencius tuo propoſito ſuperueniat?

R E S P. Non incidis in hanc prohibitionem, ad ſcripta per Nauarr. de orat. miſcell. 49. ſub num. 112. Quod mihi certum videtur, attento illo verbo, *principaliter*, hic poſito. Peccas nihilominus, ſecundùm Panormit. in cap. 4. de Cleric. non reſid. num. 7. vbi ſubdit, quod hoc peccatum tollitur pœnitentia.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne etiam ſimoniacus dicitur, qui accipit beneficium, animo illud dimittendi?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam tenuit Rota coram Achil. de Graff. deciſ. 49. num. 5. Sed hoc non intelligendum puto de ſimonia mentali, quæ, vt dixi, pœnitentia tollitur, ſecundùm Panormit. nunc cit.

X I I I.

Edita Anno 1558.

INeffabilis diuinæ prouidentiæ altitudo, & infra pag. 732. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

B. Petrus Apoſtolus poſtquam Antiochiæ aliquandiu reſediſſet, Romam veniens, Cathedram in ea diuino conſilio conſtituit Epiſcopalem, in princ. Tom. 1. Compend.

Hic ideo Pontifex huius Cathedræ feſtiuitatem pro die 18. Ianuarij, iuxta antiquum ritum, duplici officio in toto Orbe celebrari iubet. §. 1. Feſtiuitatem Cathedræ Antiochenæ die 22. Februarij celebrari conſuetam, præſeruat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Antiochiæ quot annos Beatus Petrus Cathedram tenuit?

R E S P. Illud verbum, *aliquandiu*, hic poſitum, rectè intelligitur pro ſpatio ſeptem annorum, vt poſt antiquiores ſcribit Baron. in Martyrolog. dicta die 18. Ianuarij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hac die recolitur ſolemnitas inſtitutionis tantùm dictæ Cathedræ Romæ?

R E S P. Non, ſed etiam illa ſacroſancta inſtitutio, qua à Domino Petrus petra fundamentalis Eccleſiæ conſtitutus, perpetuæ ſtabilitatis promiſſionem, & regni cœleſtis clauem accepit, vt ex lectura liquet Eccleſiaſtici officij, quod hac die celebratur, & aduertit Baron. vbi ſuprà.

X I V.

POſtquam diuina bonitas, & infra pag. 372. Bullarij. *Edita Anno* 1558.

C O M P E N D I V M.

Plures Pontt. quamplura ediderunt ſtatuta contra perſonas Regulares apoſtatas, in princ. Sed illi variis prætextibus extra clauſtra Religionum degunt, apoſtaſiam incurrentes, multóſque errores committentes. §. 1. Hic Pont. quęcumque Religioſum, etiam militarem, poſt emiſſam profeſſionem, quauis de cauſa & prætextu, extra clauſtra ſuæ Religionis, temeritate propria degenté, omnibus beneficiis, & dignitatibus priuat, & ad obtinenda inhabilitat, ab omniq; miniſterio Eccleſiaſtico ſuſpẽdit. §. 2. Receptari prohibet. §. 3. Et ad beneficia pręſentari vetat. §. 4. Ordinarij, & Superiores Ordinum ad Regulæ diſciplinam

redire cogant, vel excommunicatos declarent. §. 5. Ipſique apoſtatæ biretum nigrum duabus lineis albis ſuffultum deferant. §. 6. Prætendentes extra clauſtra ſtare poſſe, agant coram eorum Superioribus. §. 7. Nec transferantur ad alium Ordinem, niſi arctiorem, vel parem. §. 8. Et aliter tranſlati, ad eorum Ordines redeant, aliàs multas pœnas incurrant; & acquiſita extra clauſtra, Monaſteriis in quibus primò profeſſi ſunt, applicat. §. 9. Et ita iudicari mandat. §. 10. Priuilegia recipiendi Fratres aliorum Ordinum, præterquàm Carthuſienſis, & Camalduleuſis, reuocat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *quauis de cauſa, & prætextu*, intelliguntur etiam de cauſa, & prætextu licito?

R E S P. Non, quia ſubſequentia verba, *temeritate propria*, declarant præcedentia; & etiam quia videretur Pontifex redarguendus de iniquitate, ſi intellexiſſet comprehendere alios, quàm exeuntes de Monaſteriis per exitũ mortiferum, prout ſic interpretatur hanc Bullam Nauar. conſ. 1. de apoſtat. lib. 5. num. 9. & ſeqq. Idémque tenet Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 3. artic. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. In diſpoſitione §. 9. comprehenditur Monachus, poſtea Epiſcopus, ſi renunciato Epiſcopatu, non redit ad clauſtra ſuæ Religionis?

R E S P. Non comprehenditur, quia hæc Bulla reſtringitur ad apoſtatas, & iſte Epiſcopus non eſt talis per tranſitum ad Epiſcoparum, neque per non reditum ad clauſtra, vt latè oſtendit Nauar. in conſ. 15. de Regular. incip. N. Frater, numero 11. & ſeqq. vbi alios allegat.

X V.

Edita Anno 1558. GLorioſus in Sanctis ſuis Deus, & infra pag. 734. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sanctorum feſta vt plurimùm ſub die qua obierunt, celebrantur, in princ. S. Dominicus obiit die 6. Auguſti. §. 1. Quia tamen illa die agitur feſtum Tráſfigurationis Domini, & die 5. agitur feſtum Beatæ Mariæ à Niuibus, feſtiuitatem S. Dominici die 4. Auguſti celebrari præcipit. d. §. 1. & 2.

Scholion primum.

Quæro. Qua hora prædictæ diei ſextæ obiit?

R E S P. Hora ſexta, & feria ſexta obiiſſe ſcribit Baron. in Martyrolog. ſub d. die 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo anno à Chriſto Domino ex hac vita migrauit?

R E S P. Anno 1221. agens ſuæ ætatis annum quinquageſimum primum, vt poſt Sanctum Antonium, quem citat, affirmat Baron. in loco cit. vbi de hac Bulla meminit.

X V I.

CVm ſecundùm Apoſtolum, & infra pag. 735. Bullarij. *Edita Anno 1558.*

C O M P E N D I V M.

Deteſtabile crimen ambitus tam ante, quàm poſt Chriſti aduentum, multis legibus, necnon iure diuino, & à Conciliis punitum eſſe refert. Omnémque Clericum Papa incolumi, & inconſulto, pro futuro Pontifice eligendo ſuffragium, aut aliud promittentem, vel hac de cauſa priuatis conuenticulis factis aliquid deliberantem, & decernentem, anathemate plectendum, in princ. Reuelantem verò, omni culpa purgatum, & remuneratione dignum eſſe. ibid. Ac ſacros Canones, necnon ſæcularium legum interpretes, de Papatu huiuſmodi, Papa viuente, & inconſulto tractantes, ſeu conuenticula facientes, crimen læſæ Maieſtatis in primo capite, & ſimoniacam hære

hæreſim incurrere, decreuiſſe. ibid. Pro cuius criminis in electione Rom. Pontificis extermination, quaſcumque pœnas deſuper impoſitas innouat, contra quaſcumque, cuiuſuis dignitatis, & qualitatis perſonas. §. 1. Omnéſque quomodolibet Papa viuente, & inconſulto, de eligendo futuro Pont. tractantes excõmunicatione maiori abſque alia deſuper ferenda ſententia, & maledictione æterna damnatos, & crimen ſimoniacæ hæreſis, atque criminis læſæ Maieſtatis reos, omnibúſque dignitatibus, & beneficiis priuatos decernit. §. 2. Complices eiſdem pœnis ſupponit. §. 3. Reuelantibus veniam, & præmium proponit. §. 4. Oppugnantibus hanc ſanctionem, certas pœnas imponit. §. 5. Contrariis omnibus derogat. §. 6. Publicari hanc Bullam præcipit. §. 7. Sanctionem pœnalem addit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt leges humanæ, quæ ante Chriſti aduentum de ambitus crimine promulgatæ ſunt, vt in procem. huius Conſtit. enarratur?

RESP. Onerosum tibi eſſet eas permultas quidem nunc tibi recenſere; ſedulò eas perlege apud Tib. Decian. lib. 8. ſui tract. cap. 22. & 25. qui perbellè eas deſcripſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo Concilio, Papa incolumi, & inconſulto, de electione futuri Pontificis agi prohibitum eſt, vt in procemio ſupponitur?

RESP. Symmachus Papa in prima Synodo Romana cap. 3. & 5. graues de re hac tractantibus pœnas edixit. Vnde ſumptus eſt tex. cap. 2. diſt. 19. Et inde pars huius Conſtitutionis pariter deſumpta fuit, de qua meminit Nauar. conſtit. 17. Promiſit quidam. lib. 5. de ſent. excommun. num. 2. iuxta impreſſionem de anno 1610.

XVII.

Edita Anno 1558. DEcens eſſe cenſemus, & æquũ, & infra pag. 737. Bullarij.

COMPENDIVM.

Annatarum ſolutio antiquiſſima eſt, & in Concilio Viennenſi, ac deinde in Cõſtantienſi approbata. §. 1. Eugenius IV. & Calliſtus III. ſuper beneficiis vnitis Conſtitutiones ediderunt. §. 2. Paul. II. ſtatuit ſolui quindennia de beneficiis perpetuò vnitis. §. 3. Iulius II. has leges confirmauit, omneſque ad ſoluendum cogi iuſſit. §. 4. Iulius III. eas approbauit, & ampliauit. §. 5. Hic Pontifex eaſdem ſingulas comprobat. §. 6. Et quaſcumque Ordinum Congregationes ad ſolutionem teneri iubet de omnibus perpetuis vnionibus. §. 7. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Annatarum quot ſunt ſpecies?

RESP. Annata, latè ſumpto vocabulo, eſt illa quantitas, quæ iuxta taxam in libro Cameræ deſcriptam, ſoluitur pro quocumque beneficio Conſiſtoriali, & propriè dicitur non annata, ſed commune ſeruitium, vt dixi tibi ſuperiùs ad Bullam 20. Iul. III. Annata autem magis propriè dicitur fructus primi anni, quæ ſoluitur pro expeditione cuiuſcumque beneficij Conſiſtorialis in Camera non taxati. Annata etiam (ſed non ita propriè) eſt medietas fructuum primi anni, quæ ſoluitur pro aliis beneficiis minoribus non Conſiſtorialibus; vt hæc omnia luculenter docet Galleſ. in ſuo Tract. de annat. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore ortum habuit annata?

RESP. Annatæ omnes, de quibus ſuprà, ante Concilium Viennenſe ſoluebantur, vt recenſet Pont. hic, & probant Io. And. in cap. Inter cætera. 15. de offic. Ordin. n. 13. Zabar. n. 1. & Bellam. ad fin. & tenet Campeg. de inſt. annatæ, in prin. Quamuis Galleſ. vbi ſup. vltimam ſpeciem annatæ à Bonif. IX. introductam dicat, quem omnino videas, quia eruditè loquitur in hac materia.

XVIII.

SAnctiſſimus D. N. D. Paulus, & infra pag. 739. Bullarij. *Edita Anno 1559.*

COMPENDIVM.

Lenones, & lenas in proſtituendis

maſculis verſantes, & cum eis agentes, & conſentientes, vel puellam inuitam aſſumentes, ac ad neceſſitatem nutrientes, & poſtmodum proſtituentes, ac lucra exinde captantes, vltimo ſupplicio in Vrbe plecti iubet. §. 1. Complicéſque perfecto flagitio, eadem pœna puniri, imperfecto autem, in exilium deportari mandat. §. 2. Lenones, & lenas in cæteris caſibus lenocinij artem exercentes, publicè cædi, & exulari præcipit. §. 3. Domos ſcienter illis locantes, aut habita ſcientia non inde eiicientes, pœnam amiſſionis earum, ac mille ſcutorum incurrere decernit. §. 4. Hoc decretum vim Motus proprij habere mandar. §. 5. Eius publicationem per proclama, omnes ligare præcipit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Contra hos lenones, & lenas procedetur etiam ſine accuſatore, licèt hic non exprimatur?

R E S P. Ita quidem, textus eſt in l. §. ſi publico. ff. ad leg. Iul. de adulter. gloſ. Cyn. Alberic. & Salyc. in l. 2. Cod. eod. tit. Lancellot. Conrad. de offic. Prætor. in tit. de lenonib. num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne etiam de iure ciuili lenones, & lenæ pœna mortis puniebantur?

R E S P. Maximè, vt habetur in Authen. de lenonib. §. præcanonizamus. Sed quia de conſuetudine aliqua pœna dũtaxat arbitrio Iudicis plectebantur, teſte Clar. in quæſt. 68. num. 23. & Baiard. ibid. num. 61. in fine, quod certè mirum videbatur, cùm lenocinium ſit delictum adulterio, & homicidio grauius, Angel. de malefic. §. *che hoi adulterato.* in fin. propterea tam iſte Pontifex, quàm Sixt. V. infrà in ſua Conſt. 46. certis caſibus in Vrbe pœna mortis plecti voluit.

X I X

Edita Anno 1559.

CVm ex Apoſtolatus officio, & infra pag. 739. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confirmat, & innouat quaſcumque pœnas à Rom. Pontt. Sacriſue Conciliis, vel Sanctorum Patrum decretis, aut ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis contra hæreticos, aut ſchiſmaticos, cuiuſcumque gradus, ſtatus, atque conditionis quomodolibet latas. §. 2. Prælatóſque, & Principes maioribus pœnis adſtringit. §. 3. Ad beneficia ob crimen hæreſis vacantia, præſententur infra tempus à iure, vel concordatis ſtatutum, alioquin eo tempore elapſo, plena diſpoſitio ad Pontificem deuoluatur. §. 4. Fautoribus prædictorum graues pœnas infligit. §. 5. Prælati, & Pontifices ipſi, ſi à fide ante promotionem deuiaſſent, eorum promotio nulla ſit, nullóque pacto conualidari poſſit. §. 6. Subditíſque eorum ab obedientia impunè recedere liceat. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Schiſmaticus quid differt ab hæretico, de quibus in §. 2.

R E S P. Hæreſis peruerſum dogma habet; ſchiſma verò diuiſionem à Romana Eccleſia ſignificat, ad tex. in cap. inter. 26. cauſ. 24. quæſt. 3. A ſchimate autem dicitur ſchiſmaticus, dum renuit ſubeſſe Summo Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ, ſecundùm D. Thom. 2. 2. quæſt. 39. art. 1. & & poſt Eymerie. in Director. Inquiſit. par. 2. q. 48. ſcribit Pegna ibid. in comment. 37. ver. Schiſma.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Epiſcopi contra hanc Cõſt. delinquerent, iudicandi erunt ab Inquiſitoribus?

R E S P. Inquiſitores locorum contra Epiſcopos non procedunt. cap. Inquiſitores. 16. de hæretic. in 6. licèt vrgente neceſſitate poſſint contra eos aſſumere informationes, eoſque capere, & cuſtodire, donec Papam certiorem reddant, vt poſt Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. quæſt. 27 notat Pegna in comment. 76. Verum eſt tamen, quod hodie ex Conſt. 67. Pij IV. Cardinales Inquiſitores generales contra Epiſcopos procedere valeant.

X X.

CVpientes indemnitati Cameræ Apoſtolicæ, & inf. pag. 741. Bul. *Edita Anno 1559.*

C O M P E N D I V M.

Paulus III. ſublatis cunctis impoſitionibus extraordinariis, ſubſidium trecentorum millium ſcutorum per totam ditio

ditionem Eccleſiaſticam pro triennio perſoluendum impoſuit in ſua Conſtitut. 39. de qua ſup. §. 1. Sed ob varias exẽptiones à ſolutione dictæ impoſitionis conceſſas, vix d. ſubſidium ad dimidium d. ſummæ aſcendit, vnde Camera exinde onera ſibi incumbentia ſufferre nequit. d. §. 1. Eas ergo hic Pont. reuocat. §. 3. Subſidiúmque ab omnibus exigi iubet. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Illud ſubſidium impoſitum fuit Communitatibus, vel ſubditis vti ſingulis?

RESP. Subditis vti ſingulis, quia ſæpe fit mentio de ſubditis in illa Bulla Pauli III. quorum appellatione non veniunt Communitates. Rota in deciſ. Putei 84. lib. 1. num. 2. in nouis; præſertim attenta illa dictione, *ipſis*, quæ perſonalitatem denotat. Roland. conſ. 59. lib. 3. numero 28. Et quando Papa voluit comprehendere Communitates, in reuocatione exemptionum expreſſit, vt fuit dictum in illa cauſa Peruſina, de qua memini in illa Bulla 39. Pauli III. de qua ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt ergo, quod Camera Apoſtolica hoc ſubſidium exigit à Communitatibus?

RESP. Non vigore huius impoſitionis, quia Communitates ad illud non tenentur. Gabr. in tit. Quod cuiuſque Vniuerſ. nom. concl. 1. num. 6. ſed vigore concordiæ poſtmodum initæ inter Cameram, & Communitates, quæ onus ſuſceperunt ſoluendi Cameræ, & à ſingulis exigendi d. ſubſidium, vt in præcit. cauſa Peruſina dictum fuit.

X X I.

IN ſacra Beati Petri Sede, & infra pag. 732. Bullarij. *Edita Anno 1559.*

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Epiſcopi, diuerſorum Ordinum profeſſores, ad clauſtra redire ſatagunt, ſuorum Ordinum ſuperioritates ambientes, ab eorum Eccleſiis, quibus præſunt, abſolui impetrant. §. 1. Ad illas hic Pont. aſſumi prohibet. §. 2. Diſpenſationes deſuper obtentas irritat. §. 3. Eóſque ſcienter eligentibus priuationem iuris eligendi, & vocis actiuæ, & paſſiuæ infligit. §. 4. Contrariis omnibus derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Ex huiuſmodi ambitu ſuperioritatum quæ mala oriri poſſunt?

RESP. Longo ſermone opus eſſet. Conſule ergo S. Bernard. lib. 3. de conſiderat. ad Eug. & meminit Nauar. in cap. Inter verba. 55. cauſ. 11. quæſt. 3. ſub numero 70.

Scholion ſecundum.

Quæro. Epiſcopi fortaſſe has ambiunt ſuperioritates, eo quod poſtquam ceſſerunt Epiſcopatibus, ad Ordinem ſuum redire coguntur?

RESP. Non, quia ad Ordinem redire non coguntur. Nauarr. conſil. 15. incip. N. Frater. lib. 3. de Regular. num. 11. ſecundum impreſſionem Brixienſem, pag. mihi 236.

FINIS PRIMI TOMI.

FLAVII
CHERVBINI
ROMANI V.I.D. ET
COLLEGIATÆ ECCLESIÆ
S. MARIÆ IN VIA LATA
DE VRBE CANONICI,

COMPENDIVM
BVLLARII A LAERTIO
CHERVBINO PATRE
NVPER EDITI,

A Pio IV. vſque ad Innocentium IX.

TOMVS SECVNDVS.

Digitized by Google

INDEX
NOMINVM SEX
ROMANORVM PONTIFICVM,
QVORVM CONSTITVTIONES IN
hoc ſecundo Tomo continentur in Compendium reſtrictæ, vnà cum illarum numero.

PIVS *IV. Italus* habet	*conſt.*	106.	*fol.* 1
Pius V. Italus	*conſt.*	151.	59
& in Appendice	*conſt.*	2.	127
Gregorius XIII. Italus	*conſt.*	102.	138
& in Appendice	*conſt.*	3.	129
Sixtus V. Italus	*conſt.*	107.	193
& in Appendice	*conſt.*	2	131
Gregorius XIV. Italus	*conſt.*	19.	249
Innocentius IX. Italus	*conſt.*	2.	258

PIVS

PIVS QVARTVS ITALVS, CREATVS ROMÆ ANNO 1559.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1560. CVM ſicut accepimus, & infra pag. 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gubernatori Almæ Vrbis dat iuriſdictionem, vt ad Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarij, & partis læſæ inſtantiam, & mercatoribus Romanam Curiam ſequentibus inhibeat, ne pro pecuniis ad cambium, & recambium vſurariè, & malo modo acceptis, & accipiendis, quicquam exigant, ſub pœna in Conſtitutionibus Marchiæ contra vſurarios contenta, & aliis arbitrio ſuo. §. 1. Et poſt d. eius inhibitionem, vel bannum, obligationes quaſcumque ſuper eiuſmodi ficcis, & illicitis cambiis, nullas declaret. d. §. 1. Et totam ſummam per eoſdem mercatores exactam, iuxta formam dicti banni, ipſo facto d. Cameræ, & quod vltra eam recipiendum, & exigendum erit, parti læſæ, & mercatoribus, iuxta dd. Marchiæ Conſtitutiones applicet. d. §. 1. Addit etiam facultatem, in prædictis ſummariè, &c. procedendi. §. 2. Obſtantiáque remouet. §. 3. Solam ſufficere huius Conſtitutionis ſignaturam decernit. §. 4. Et clauſulas præſeruatiuas adiungit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Cambia dicuntúrne illicita, ſi illorum taxatio vniformiter fiat ad tantum pro centenario?

RESP. Illicita quidem reſpectu futurorum: ſiquidem experientia docet, quod modò plus, modò minus lucri, & quandoque nihil importat. Vnde vniformis illa taxatio vſuraria reputatur. capite Salubriter. 16. vbi omnes, de vſur. Rota in deciſ. Aldobrand. poſtea Sanctiſſimi 315. libro 2. diuerſor. num. 6. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. In dubio nunquid licita præſumuntur?

RESP. Non, quia actor debet probare requiſita, quibus deficientibus, illicita cenſentur. Rota in d. deciſ. 315. num. 5. & in alia deciſ. Seraphini 946. num. 1. & 5.

II.

Edita Anno 1560. AD charitatis, & miſericordiæ opera, & infra pag. 2. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cauſas, & lites omnes ſpectantes ad Archihoſpitale S. Iacobi in Auguſta pauperum infirmorum incurabilium de Vrbe, ad ſe auocat. §. 1. & 2. Eáſque ſummariè cognoſcendas, & decidendas S. R. E. Cardinali committit. §. 2. Facultatémque in Curia, & extrà citandi, & inhibendi, & contradictores coërcendi tribuit. §. 3. & ſeq. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit. §. 5. Et decretum irritans. §. 6. Derogatoriáſque clauſulas. §. 7. Eiúſque tranſumptorum fidem. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. D. Archihoſpitale vnde S. Iacobi, & de Auguſta, nuncupatur?

R e s p. A Iacobo Columna, Diacono Cardinale S. Mariæ in Via lata, qui à Nicolao III. anno 1278. creatus fuit, & vſque ad annum 1316. ſedente Ioanne XXII. vixit, vt in vita vtriuſque Pontificis habetur, & circa hæc tempora, Hoſpitale, vel à d. Iacobo Cardinale (quod verius puto) vel à Petro etiam Columna prædicti Iacobi fratre anno 1288. per Nicolaum IV. in Cardinalem aſſumpto, fuit erectum. De Auguſta autem, quia in hortis Auguſti Imperatoris erectum fuit, vt vidi in quodam authentico manuſcripto apud Archiuium d. Archihoſpitalis.

Scholion ſecundum.

Quæro. In compendio Conſtitutionis 15. Leonis X. §. 1. fuit dictum hoc Archihoſpitale nuncupatum S. Mariæ de Populo, & S. Iacobi: vnde ergo eſt, quod hodie ſolius S. Iacobi nomen retinet?

R e s p. Quia primò erectum fuit in loco, vbi aſſeruabatur ſanctiſſima imago B. Mariæ de Populo, in quadam paruula Eccleſia, quæ poſtmodum ampliata, & Fratribus Eremitis S. Auguſtini à Confraternitate d. Archihoſpitalis conceſſa fuit, vt ſcripſit Camil. Phanuc. in ſuo liberculo de piis Vrbis operibus. lib. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 4. vbi aliquid etiam habetur de eo, quod tibi ad primum Schol. narraui.

III.

Edita Anno 1560. Sedis Apoſtolicæ ſolertia, & infra pag. 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus IV. edidit Conſtitutionem 14. de qua ſup. tom. 1. contra Religioſos apoſtatas, aut malè tranſlatos, vel extra clauſtra vagantes. §. 1. In executione illius Conſtitutionis multæ lites ortæ fuerunt. §. 2. Ad quas tollendas, hic Pontifex eos abſoluit à cenſuris incurſis ob non paritionem d. Conſtitutioni. §. 3. Et ſuper irregularitate per eoſdem incurſa diſpenſat. §. 4. Eámque Conſtitut. ad formam iuris, & ſacrarum Conſtitutionum reducit. §. 5. Omnéſque huiuſmodi lites ad ſe auocat, & Ordinariis locorum, iuxta formam iuris, & ſummariè cognoſcendas committit. §. 6. & 7. Contrariis derogat. §. 8. Apoſtatæ, & tranſlati abſoluti, pœnitentiam à Confeſſoribus iniungendam agere debeant. §. 9. Apoſtatæ, & tranſlati vt diſpenſationes expedire teneantur. §. 10. Exemplis huius Bullæ fides detur. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt ſacræ Conſtitutiones, de quibus in §. 5.

R e s p. Iura ſunt, text. in cap. penult. de apoſtat. & in capite vltim. de Regularib. vbi ſcribb. materiam declarant.

Scholion ſecundum.

Quæro. De iure eſt iudicandus apoſtata verè & propriè, qui deferens habitum laicalem, vagatur extra clauſtra, ſed non conſtat, an habuerit animum deſerendi Religionem?

R e s p. Negatiua opinio probatur in cap. 2. vbi Canones ita tenent; Ne Cler. vel Monach. prout etiam tenuit Rota coram Achil. de Graſſ. deciſ. 346. per tot. & poſt alios Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 30. art. 2. Bene verum eſt, vt ibi dicitur num. 11. quod eſt vagabundus, & largo modo, & impropriè dicitur apoſtata. Et ita intelligenda eſt deciſ. 19. lib. 2. Thomæ Triuiſan. dicentis, Venetiis fuiſſe apoſtatam quemdam regularem, qui ſubtus portabat habitum regularem coopertum, alio habitu ſæculari ſuperinductus.

IV.

Paſtoralis officij authoritas, & infra pag. 5. Bullarij. *Edita Anno 1560.*

COMPENDIVM.

Confirmat cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas à Rom. Pontt. indictas contra eos, qui iocalia, ornamenta, & alia quæcumque bona vſui Romani Pontificis deputata, vel aliàs ad eum, & Cameram Apoſtolicam quomodolibet ſpectantia, vndequaque ablata detinent. §. 1. & 2. Monet quoſlibet, cuiuſcumque conditionis, & ordinis, etiam Cardinalatus, & Ducatus dignitate præditos, quatenus infra ſex dies ea reſtituant, & ſi donationem, vel remiſſionem aliquam prætendant, exhibeant, & eorum detentores ſcientes reuelent. §. 3. Non reſtituentibus autem, & non reuelantibus grauiſſimas pœnas infligit.

git. §. 4. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 5. Eámque Romæ publicari mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Scire, vt alium reuelet, vt in §. 3. quis dicitur?

RESP. Qui ſenſu ſui corporis certum eſſe percipit, vt putà vidit, aut à detentore, vel alio fide digno audiuit; ſecus ſi quoquomodo quis audit, aut ſuſpicatur. Gloſ. in l. 2. §. idem Labeo. ff. de aq. pluu. arc. & in cap. Tua nos. 26. de ſponſal. Nauarr. conſ. 9. Dubito aliquem. lib. 5. de hæretic. num. 1. Graff. in ſuis deciſ. par. 1. lib. 4. cap. 8. num. 30.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi reuelare valens, ex ſua reuelatione aliquod magnum damnum ſentiret?

RESP. Excuſaretur reuelare. Ita Sot. de iuſt. & iur. lib. 5. quæſt. 7. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 50. Suar. tom. 5. diſput. 20. num. 9. ſect. 3.

V.

Edita Anno 1560.

DE ſtatu Eccleſiarum, & infra pag. 6. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eximit Moniales, & Sorores quorumcumque Ordinum Regularium, à ſolutione decimarum, ſubſidiorum, & onerum, à Sede Apoſtolica, ſeu eius Legatis, & Nunciis, aut aliis quauis authoritate fulgentibus, ex quauis vrgentiſſima cauſa impoſitorum, quatenus nō poſſideant alios annuos redditus, deductis quatuordecim ducatis auri de Camera pro victu alicuius Monialis, vel Sororis. §. 1. Prohibet Commiſſariis, & aliis quibuſcūque ne deſuper eas moleſtent. §. 2. Executores huius Conſtitut. deputat. §. 3. Contrariis derogat. §. 4. Tranſumptiſque credi mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Cur de illis ducatis quatuordecim decimæ, & aliæ onera eximuntur?

RESP. Quia ex hac portiuncula Monialis vix ſe ſuſtentare poteſt, & ſic decimari non valet, vt in puncto oſtendit Gemin. conſ. 85. num. 26. & Rebuff. conſ. 124. num. 6. quos ſequitur Leon. in ſuo Theſaur. fori Eccleſ. par. 2. de decim. num. 83. & ſeqq. iuxta impreſſionem Romæ anno 1616. loquens de hac Pij Conſtitutione. Et ad hoc facit elegans text. in L. Præſes. 6. Cod. de ſeruitut. vbi habetur, quod agris noſtris ſitientibus, alios irrigare non debemus; quem in propoſito perpendit Bellenc. de charit. ſubſid. quæſt. 77. numero 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *de decimis impoſitis*, locúmne habent etiam in iam exactis?

RESP. Non; ad futura namque regulariter lex reſpicit, vt in noſtris terminis, ita conſulendo dixit Gemin. conſ. 19. num. 3. vſque ad finem, cui adhæſit Rod. tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 65. artic. 2. in fine.

V I.

Edita Anno 1560.

ILlius, qui pro Dominici, & infra pag. 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

De conſenſu Vicarij Papæ, fuit in Vrbe inſtituta Confraternitas cum Hoſpitali, in ſubſidium, & eruditionem pauperum peregrinorum, & conualeſcentium, & ibi vltima cuiuſlibet menſis Dominica fit oratio; Confratres in vnum congregati, peccata ſua confeſſi Sacramentum Euchariſtiæ recipiunt, & facta Proceſſione, partitis horis triduo orant, & ſemper in Hoſpitali peregrinos recipiunt, piè alunt, & inſtruunt, & etiā conualeſcentes. Et modò ab iſto Pontifice confirmantur. §. 2. Viſitantibus dictum Hoſpitale Indulgentiæ conceduntur. §. 3. Orantibus tempore ſupradicto aliæ dantur. §. 4. Confratribuſque pia opera exercentibus. §. 5. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore, quóue authore Confraternitas iſta promota fuit, eiuſque Hoſpitale?

RESP. Anno 1548. Creſcentium Syluam, Sacerdotem Senenſem, hæc promouiſſe ſcripſit Camill. Phanuc. de piis Vrbis oper. lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap. 27.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis omnium primus peregrinos publicè nutriendi modum conſtituit?

RESP. ſoticum quemdam beat. memoriæ conſtituiſſe, & locum ad hoc exædificaſſe, tradunt Leo, & Arthemius Cæſares in l.omnia.33. Cod. de Epiſcop. & Cleric. & refert Greg. Tholoſ. lib. 15. Syntagm. iur. cap. 28. num. 34.

VII.

Edita Anno 1569.

VOtis veſtris, per quæ, & infra pag. 8. Bullarij.

COMPENDIVM.

Generali, & aliis Abbatibus, ac Viſitatoribus Congregationis Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, dat facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ tantùm, & diſpenſandi Monachos ſuos à quacumque irregularitate, præterquàm ex cauſa homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum incurſa. §. 1. & 2. Derogat contrariis omnibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Bigamia, de qua habetur in §. 1. cuius effectus eſt irregularitas, ſiue repulſio ab Ordinibus Eccleſiaſticis & myſteriis diuinis, à quo ſumpſit exordium?

RESP. Ab Apoſtolo Paulo, qui ad Timotheum diſcipulum ſcribens ait; *Oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum*, vt dicitur in cap. 1. cauſ. 28. quæſt. 3. vbi voluit appellatione Epiſcopi omnes Clericos comprehendere, vt poſt alios ſcribit Ioan. Montaign. de bigam. quæſt. 3. num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ex bigamia hic effectus habetur?

RESP. Quia contrahens cum duabus vxoribus, non bene repræſentat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia ſua vnica ſponſa, vt declarat S. Thom. 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. & bene gloſ. in c. debitum. 5. de bigam. in verb. cognitam, & Nauarr. conſ. 2. de bigam. num. 2. incipien. Quæritur an laicus, lib. 1. pag. mihi 70.

VIII.

Edita Anno 1569.

GRaue nobis, & moleſtum, & infra pag. 8. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet, Eccleſiarum Prælatos, cæteraſque Eccleſiaſticas perſonas, & alios, qui fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum percipiunt, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, etiam ad fauorem Hoſpitalium, & locorum piorum, de dictis redditibus quouis prætextu diſponere poſſe. §. 1. & 2. Alioquin hæc relicta, tanquam ſpolia R. Cam. Apoſt. exigi decernit. §. 3. Diſpoſitionéſque aliter fiendas prohibet. §. 4. Decretum irritans apponit. §. 5. Et contrariorum derogationem. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi habens licentiam teſtandi, ea non vtatur?

RESP. Proculdubio ei non ſuffragatur, niſi extet etiam licentia ſuccedendi ab inteſtato, vt arg. l. 3. & l. hac conſultiſſima. 21. Cod. Qui teſtam. facere poſſ. affirmat Nauarr. de ſpol. Clericor. §. 7. num. 6. & ſequitur Leon. in ſuo Theſaur. fori Eccleſ. par. 2. cap. 3. num. 30. in vltimò impreſſo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Alterne, quàm Sedes Apoſtolica eiuſmodi Eccleſiaſticis perſonis ſic teſtandi licentiam concedere poteſt?

RESP. Non, vt multis probat rationibus Nauar. de ſpol. Cleric. §. 9. num. 3. & ſeq. & de reddit. Eccleſ. q. 1. monit. 40. num. 8. & Leon. in loco præcit. num. 31.

IX.

Edita Anno 1560.

CIrcumſpecta Romani Pontificis, & infra pag. 9. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Martinum V. cognitionem cauſarum Militiæ & Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro, & Conuentui dediſſe. §. 1. Et quaſcumque beneficiorum diſpoſitiones ad eumdem ſpectare voluiſſe Six. IV. §. 2. Ordinémque S. Sepulchri, & Militiam S. Lazari Innocentium VIII. ſuppreſſiſſe, & huic Militiæ vniuiſſe. §. 3. Et nullam exemptionem ab obedientia Magni Magiſtri, & Conuentus, neque à ſolutione iurium communis ærarij excuſare voluiſſe. §. 4. Beneficiáque huius Ordinis, neque affecta eſſe, nec ſub reſeruationibus comprehendi, ſed ſolummodo ad M. Magiſtrum, & Conuentum, ac illorum

colla

collationem ſpectare. §. 5. Ac Iulium II. expectatiuas, omnéſque alias gratias præuentiuas, abſque M. Magiſtri, & Conuentus conſenſu, irritas decreuiſſe. §. 6. Coadiutoriáſque, & alias gratias aliis, quàm perſonis huius Ordinis conceſſas, reuocaſſe. §. 7. Cauſarum quoque, & litium totalem iuriſdictionem M. Magiſtro, & Conuentui tribuiſſe. §. 8. Indulgentias Eccleſiarum Ordinis innouaſſe. §. 9. Exemptionem à decimis, & aliis oneribus quibuſcumque hactenus conceſſam, approbaſſe. §. 10. Eorum publicationem Eccleſiarum Prælatis demandaſſe. §. 11. Leonem X. conceſſiones Martini V. Alexand. VI. Pij II. & Iulij II. comprobaſſe. §. 12. Authoritatémque M. Magiſtro, & Conuentui, Vicarios in Prioratibus cum certis facultatibus deputandi, dediſſe. §. 13. Literis M. Magiſtri, & Conuentus credi voluiſſe. §. 14. & ſeq. Beneficia quædam vacantia ad Papam non deuolui. §. 16. Alienationes rerum immobilium Ordinis non permitti. §. 17. Et clauſulam cum derogatione priuilegiorum Hoſpitalis, non operari vltra expreſſa in derogationibus. §. 18. Expectatiuas, & ſimiles gratias conceſſas, & concedendas irritaſſe. §. 19. Clementem VII. ſupradictas gratias approbaſſe, familiaréſque & famulos huius Ordinis illis vti poſſe, decreuiſſe. §. 20. Iuriſdictionem etiam meri & mixti imperij in Ordinis loca, & perſonas M. Magiſtro, & Conuentui dediſſe. §. 21. Facultatem eiſdem priuandi inobedientes conceſſiſſe. §. 22. Procuratorem in Rom. Cur. cum poteſtate beneficia etiam reſeruata, &c. præterquam in manibus Papæ reſignata, conferendi, eligere potuiſſe. §. 23. Indulgentias publicandi, & eleemoſynas colligendi M. Magiſtro, & Conuentui facultatem tribuiſſe. §. 24. Mortuóſque in Eccleſiis Ordinis ſepeliendi. §. 25. Legata exigendi. §. 26. Sacros Ordines à quocumque Epiſcopo conſequendi. §. 27. Arma geſtandi. §. 28. Confeſſiones audiendi, & Sacramenta miniſtrandi. §. 29. Interdicti tempore celebrandi. §. 30. Nouas Præceptorias ab Ordinariorum iuriſdictione exemptas erigendi. §. 31. Damnoſos contractus reuocandi. §. 32. Regreſſus quoſcumque reuocandi. §. 33. Aduerſus contractus læſiuos in integrum reſtituendi. §. 34. Lites omnes, etiam in Rom. Cur. vertentes, eumdem Clementem VII. M. Magiſtro commiſiſſe. §. 35. Exemptionem ab Ordinariorum iuriſdictione dediſſe. §. 36. Et à ſolutione onerum quorumcumque. §. 37. Et ius patronatus, & præſentandi ad beneficia Ordinis, ratione fundationis, aut dotationis conſtitui poſſe. §. 38. Penſionéſque ſuper fructibus beneficiorum Ordinis, ſolùm eius Fratribus aſſignari. §. 39. Beneficia, & penſiones eiuſmodi habentes, infra ſex menſes profeſſionem facere, & habitum ſuſcipere teneri. §. 40. Quoſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, à perſonis Ordinis electos, tutari, & facultatibus Conſeruatorum perfrui debere. §. 41. Capellanóſque Ordinis tantùm eius Parochialibus deſeruire. §. 42. Habitum Ordinis ſuſcipientes, & non alios, illius gratiis perfrui poſſe. §. 43. Confugientibus ad illius Eccleſias, manus violentas inijci prohibuiſſe. §. 44. Suáſque literas cum conſenſu M. Magiſtri, & Conuentus, eumdem Clementem VII. Ordini ſuffragari voluiſſe. §. 45. Illíſque decretum irritans appoſuiſſe. §. 46. Prædeceſſorum quoque gratias confirmaſſe. §. 47. Litium omnium perſonarum Ordinis, M. Magiſtro, & Conuentui cognitionem, duobus exceptis caſibus, dediſſe. §. 48. Expectatiuas, & gratias præuentiuas irritaſſe. §. 49. Paulū deinde III. prædeceſſorum gratias præſertim quoad perceptionem decimarum, comprobaſſe. §. 50. Exemptionémq; à ſolutione decimarum obſeruari voluiſſe. §. 51. Et Parochialibus, & aliis Eccleſiis Ordinis Capellanos eiuſdem deputari decreuiſſe. §. 52. Hic modò Pius prædeceſſorum gratias comprobat. §. 53. Et etiam ſtatuta Capituli generalis anni 1558. §. 54. Ad Hoſpitaléque d. Ordinis, in Inſula Melitenſi conſiſtens extendit. §. 55. Cauſarum omnium d. Ordinis, M. Magiſtro, & Conuentui cognitionem tribuit. §. 56. Appellari à Iudicibus Ordinis ad M. Magiſtrum, & Conuentum, & ab illis ad

Capitulum generale permittit.§.57.Pœnitentias M.Magiſtri, & Conuentus nullo prætextu impediri poſſe decernit. §. 58. Facultatémque eiſdem contra omnes Ordinis debitores procedendi impertitur.§.59.Conſeruatores Ordinis, omnes eiuſdem perſonas, & ſeruitores tueri præcipit.§.60.Iura omnia exigi mandat. §.61.Ordinari a quocumque Antiſtite,& extra tempora permittit. §. 62. A decimis,aliiſque ſubſidiis eximit.§.63.Bladorum extractionem concedit. §.64.Priores, & Præceptores, intra limites ſuæ iuriſdictionis veros Ordinarios declarat. §. 65. Indulgentias Ordini elargitas approbat. §. 66. Beneficia Ordinis à M. Magiſtro, & Conuentu ad nutum concedi decernit. §. 67. Rem iudicatam, eiſdem non citatis, minimè præiudicare cenſuit. §. 68. Perſonas Religionis in cauſis ipſius teſtes, aliis deficientibus, recipi mandat. §. 69. M. Magiſtrum, & Conuentum, quoſcumque delinquentes, & vbique capere poſſe indulget. §. 70. Huius Bullæ, & priuilegiorum Ordinis tranſumptis fidem dari præcipit. §. 71. Eius, & M. Magiſtri, & Conuentus mandatorum publicationem omnes arctare decernit, §. 72. Habitum extra Conuentum ſuſcipientes, vel beneficiorum penſionem obtinentes, infra annum in Conuentu comparere debere iubet. §. 73. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 74. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 75. Executores deputat. §. 76. Contrariis derogat. §. 77.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore in Inſula Melitana, de qua in §. 55. hoc Hoſpitale exiſtere cœpit?

RESP. Hoc vnum ſcio, quod die 23. Martij 1530. Carolus V. Imper. Religioni, & Militiæ S. Ioannis Hiroſolymitani,Inſulas Tripolis, Melitæ, & Gaudiſis in feudum conceſſit. Et illæ ſub recognitione vnius falconis annis ſingulis Viceregi Regni Siciliæ die 25. Aprilis acceptarunt. Iſtéque Pont. die 9. Maij eiuſdem anni comprobauit, vt ex authentico eius diplomate, in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruato, perlegi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si in hoc Hoſpitali aliqua extaret Capella, num veriſimile ſit quod iuſpatronatus eſſet Hoſpitalarij?

RESP. Id præſumi oſtendit Felyn. in cap. Cum venerabile. 6. de exception. numero 37. vbi latè, & illum ſecuta eſt Rota in deciſ. 1120. Seraphini numero 3.

X.

DE ſalute gregis Dominici, & infra pag. 20. Bullarij. *Edita. Anno 1560.*

COMPENDIUM.

Monet Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, ab Eccleſiis, & diœceſibus ſuis abſentes, ad eas quantò citiùs redire. §. 1. Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia, ſeu quocumque titulo inſignitos, ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morantes, quartæ partis fructuum vnius anni, fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci, per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo iure incurrere decernit. §. 2. Et aliis ſex menſibus ſimiliter morantes, aliam quartam fructuum partem amittere iubet. d. §. 2. Creſcente contumacia, ſeueriori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubiici mandat. d. §. 2. Et ſuperiores infra tres menſes Papæ ſalubriùs prouiſuro nunciare præcipit. d. §. 2. Reſidentes autem, non niſi de mandato Papæ, quoduis etiam ob graue delictum ad Rom.Cur.trahi cenſuit. §. 3. Exemptóſque à decimis, ſubſidiis, aliiſque impoſitionibus reddit. §. 4. Alia priuilegia eiſdem conceſſa comprobat. §. 5. Et iuriſdictionem contra quoſcumque Clericos ſæculares, & etiam Regulares, extra eorum loca degentes permittit d. §. 5. Et ab eorum decretis ante diffinitiuam ſententiam,& vbi agitur de morum correctione, ad Papam appellari prohibet. §. 6. Et ita, & non aliter iudicari mandat.§. 7. Executores huius Conſtit. deputat. §. 8. Contraria remouet. §. 9. Tranſumptis credi iubet. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Num in omnibus beneficiis Eccleſiaſticis etiam de iure communi neceſſaria eſt reſidentia?

RESP. Licèt affirmatiua ſententia de iure communi probetur; veruntamen

vniuer-

vniuerſalis conſuetudo eſt in contrarium, vt dixit Rota in deciſ. Seraphin. 639. num. 5. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad hanc reſidentiam tenentúrne etiam S. R. E. Cardinales?

RESP. Poſt hanc huius Pont. ſanctionem, quam etiam Concil. Trid. ſub Paulo III. conſtituerat ſeſſ. 6. de reformat. cap. 5. etiam S. R. E. Cardinales comprehendere, idem Concil. ſub iſto Pio declarauit, ſeſſ. 23. de reformat. cap. 1.

X I.

Edita Anno 1560. Prouida Romani Pontificis, & infra pag. 21. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Paulus IV. irritas declarauit omnes rerum Eccleſiaſticarum alienationes, in damnum Eccleſiarum, vel non ſeruatis iuris ſolemnitatibus, aut aliàs nulliter factas, ſup. in ſua Conſt. 2. tom. 1. Detentoréſque illorum bonorum vnà cum fructibus ea relaxare decreuit, ibid. Exinde multæ ortæ ſunt lites, & quæſtiones, cùm d. Conſtitutio Pauli IV. nimis rigorosè executioni demandata fuerit, & facta interpretatio, quod legitima tēporis præſcriptio opponi nō poterat, neque compenſatio, vel etiam pro melioramentis competens retentio, aut fructuum bona fide perceptorum, & cōſumptorum excuſatio, neque fori declinatio, aut aliud iuris remedium, vt hic in §. 2. Hic ideo Pont. illam Conſtitutionē, quoad lites pendentes, & futuras, reducit ad terminos iuris cōmunis. §. 3. Quo verò ad deciſas, abſoluit condemnatos à cenſuris, & eas reuideri, & ſecundùm ius cōmune terminari præcipit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Præſcriptio, de qua habetur in §. 2. ergo datur in bonis Eccleſiaſticis malè alienatis?

RESP. Datur præſcriptio cum bona fide ſpatio quadraginta annorum. Molin. de iuſtit. & iur. diſp. 79. verſ. De rebus. Nauarr. conſ. 1. 2. & 3. de Epiſcop. in nouiſſimis, Canones communiter in cap. 2. de reb. Eccleſ. non alienandis. Sed hoc de iure communi ante Conſt. Pauli II. poſſet procedere: attamen cùm ex Conſt. 2. & 5. eiuſdem Pauli ſup. fol. 317. & 319. Bullarij, requiratur licentia Sedis Apoſt. vltra legis prohibitionem, ſecus eſt, ad Ruinum in conſ. 41. lib. 1. num. 27. & Dec. conſ. 43. lib. 1. num. 19. cum aliis per eos allegatis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sed poteritne temporis diuturnitate præſumi licentia, & aſſenſus Apoſtolicus?

RESP. Rota in deciſ. 179. par. 2. diuerſ. tenuit præſumi ex lapſu 38. vel 39. annorum cum poſſeſſione, ſine ſolutione canonis, & probat Gabr. conſ. 88. lib. 1. num. 19. & ſeq.

X I I.

Cvm ſicut accepimus, & infra pag. 22. Bullarij. Edita Anno 1565.

COMPENDIVM.

Paulus IV. in ſua Conſt. 8. de qua ſup. tom. 1. tradidit formam contrahendi ſocietates officiorum, in princ. Hic Pont. ſocietates iniri indulget cum pactis licitis per ipſos Officiales, vſque ad valorem officiorum, ſuper eorum officiis, licèt Paulus IV. vltra dimidium valoris iniri vetuiſſet. §. 1. & 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Eritne pactum licitum, quod diſſolūta ſocietate, currant fructus in eadem quantitate, quæ ſolui debet durante ſocietate?

RESP. Erit illicitum, vt ſecundùm communem ſententiam Canoniſtarum, Theologorum, & Legiſtarum, cenſuit Rota in deciſ. Fabij Accoramboni, in vna Rom. ſocietatis officij, anno 1555.

Scholion ſecundum.

Quæro. Attentis illis verbis, *per ipſos Officiales, & ſuper eorum officiis*, de quibus in §. 2. quid dicendum ſi Petrus ſit dominus alicuius officij, Ioannes verò reſeruatarius fructuum effectus à Petro?

RESP. Valet ſocietas, contrahitur etenim ſuper fructibus officij, de quibus Ioannes diſponere poteſt, non autem ſuper eius titulo, qui eſt ſolius Petri. Ita diffiniuit Rota in deciſ. Pegnæ in vna Romana ſocietatis officij, die 13. Ianuarij 1595. & prius in alia Romana

Romanæ ſocietatis officij, die 9. Maij 1588. vbi caſus magis dubitabilis deciſus fuit, & vtraque deciſio ad interpretationẽ huius Conſtitutionis emanauit.

XIII.

Edita Anno 1560. CVm in alienationibus, & infra pag. 23. Bullarij.

COMPENDIVM.

. . Ne Romanæ Eccleſiæ, & Cameræ Apoſtolicæ iura hominum malignitate læderentur, ſtatuit, vti de cætero in omnibus alienationibus Theſaurariarũ, Dohanarum, Gabellarum, aliorúmque iurium, bonorum, & redditùum in Vrbe, & aliis locis Status Eccleſ. ad eamdem Cameram pertinentium, obſeruari debeant ſolemnitates debitæ, & de iure requiſitæ, tam quoad publica edicta, cum expreſſione locorum, & dierum, in quibus hæc fieri debebunt, emittenda, ac licitationes, & ſubhaſtationes cum temporis arbitrio Iudicis præfixione, necnon plus offerentibus deliberationes, quàm quoad cætera circa rerum Fiſci alienationes diſpoſita. §. 1. Alienationes aliter factæ nullæ ſint. §. 2. Fraudes deſuper fieri interdicitur. §. 3. Executores huius Conſtit. deputantur. §. 4. Et obſtantia tolluntur. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt circa bonorum Fiſci alienationem diſpoſita, vt dicitur in §. 1.

RESP. Longo ſermone opus eſſet, & ſupra Scholiorum ſeriem à me hactenus ſeruatam; adeas ergo Peregrin. in ſuo Tract. de iure Fiſci, lib. 6. tit. 4. per totum, & in ſubſeq. tit. cætera de locationibus rerum Fiſci Cameræ latè proſequitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si duo conductores eodem tempore vocem ſuam de pretio oblationis emittant, quid agendum?

RESP. Gratificationi locus eſt, ideóque gratificandum veteri conductori, ſi adeſt, ſecundùm Angel. in l. 1. Cod. de fid. inſtrumen. lib. 10. Sed apud Curiales ſeniores denuo res ſubhaſtantur in hac Camera Apoſtolica, prout idem in d. Camera Senatus Veneti ſeruari teſtatur Peregrin. vbi ſuprà tit. 5. num. 7. vbi allegat Angel. quem tamen in lib. meo inuenire non potui.

XIV.

CVpientes vnicuique iuſtitiam, & infra pag. 23. Bullarij. *Edita Anno 1560.*

COMPENDIVM.

Iudicibus cauſarum beneficialium, eorúmue conſanguineis, affinibus, procuratoribus, ſolicitatoribus, domeſticis vel familiaribus, prohibet ea poſſe etiam à Sede Apoſtolica impetrare. §. 1. Impetrationes eiuſmodi reddit irritas. d. §. 1. Et ita, & non aliter præcipit iudicari. §. 2. Contrariis derogat. §. 3. Tranſumptis fidem dari iubet. §. 4. Solámque huius motus proprij ſignaturam ſufficere decernit. d. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Num eiuſmodi affinitas, & conſanguinitas, de quibus in §. 1. valeat probari per teſtes?

RESP. Poterit quidem, dummodo conſanguinitas, vel affinitas verè, & per gradus diſtinctos ex vtroque latere probetur. cap. Licet ex quadam. 47. vbi Canones communiter de teſtib. & tradit Anchar. conſ. 52. num. 7. & Natta conſ. 388. num. 3. ac Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gloſ. 16. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi ſumus in antiquis?

RESP. Tunc leuior probatio ſufficit; neque exacta graduum probatio requiritur, niſi dato concurſu plurium conſanguineorum, vel affinium, vt declarauit Rota in deciſ. Seraphini 578. num. 2. & 3.

XV.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 24. Bullarij. *Edita Anno 1560.*

COMPENDIVM.

Carolus S. R. E. Cardinalis Borromæus, Archipreſbyter Baſilicæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, ſupplicauit huic Pont. pro confirmatione ſuæ iuriſdictionis in cauſis d. Baſilicæ, de qua in Conſt. 19. Paul. III. ſup. tom. 1. in princ. Ipſe eam confirmat, & de nouo concedit, etiam quoad cauſas criminales, citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictiuam. §. 3. & ſeq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion.

Digitized by Google

Scholion primum.

Quæro. Si pœna exilij venit imponenda, dicetur pœna corporis afflictiua?

RESP. Exilij lata eſt ſignificatio: nam quandoque ſignificat damnationem in metallum, aut ad opus metalli. l. aut damnum. 8. ff. de pœn. Quandoque interdictionem aquæ, & ignis, aut eius loco deportationem in Inſulam, cum perpetuis vinculis. l. 4. & l. capitalium. 28. eod. tit. & l. 3. ff. ad leg. Iul. pecul. Et exilium in hac ſignificatione ſumptum, abſque dubio dicitur pœna corporis afflictiua, vt probatur ll. citatis. Quandoque tamen exilium ſumitur pro relegatione ab omnibus locis præter vnum, & vocatur confinatio. l. exilium. 5. ff. de interdict. Clar. quæſt. 32. num. 5. Vel interdictionem ab vno loco tantum d. l. exilium. Clar. d. quæſt. 32. num. 5. in fin. & Menoch. conſ. 502. num. 56. Et in hac ſignificatione ſumptum, non dicitur pœna corporis afflictiua, vt id expreſsè tenet Menoch. de arbitr. Iudic. quæſt. 80. n. 129. & Caball. caſu 146. num. 15. Peregr. deciſ. 22. num. 1. Et eſt fortiſſimus tex. in l. 6. ff. de pœn.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid reſpondendum Boſſio aliter ſcribenti in tit. de carcer. fideiuſſ. commit. num. 7.

RESP. Ratio Boſſij, quod in exilio ita excruciantur homines ob paupertatem, & miſerias, quas incurrunt, quod incidunt in mortem, confunditur ex eo, quod confiſcatio bonorum, aut publica infamia magis, quàm exilium homines excruciant, & tamen non dicuntur pœnæ corporis afflictiuæ, ideóque impropriè exilium eſt pœna corporis afflictiua. Et Farinac. & alij, qui in contrarium ab eo citantur, in quæſt. 19. num. 17. intelligendi ſunt de exilio pro deportatione, de qua ſuprà. Nam ipſemet poſtea in quæſt. 99. num. 67. tenet cum communi DD. opinione, pro exilio ſumpto in hac vltima ſignificatione, reum audiendum eſſe per procuratorem, vt de communi teſtatus fuerat antea Clar. d. quæſt. 32. num. 6.

X V I.

Edita Anno 1560. REgimini vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag. 25. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Alexandrum VI. confirmaſſe Confraternitatem S. Rocchi de Vrbe, cuius interceſſione multi ibidem præſeruabantur, & liberabantur à peſte. §. 1. Statutáque condendi, & Officiales creandi, auctoritatem dediſſe. §. 2. Et Eccleſiam S. Rocchi conſtruendi. §. 3. Pias oblationes recipiendi. §. 4. Mortuos in d. Eccleſia ſepeliendi. §. 5. Confeſſorem pro Confratribus eligendi. §. 6. Indulgentias quoque d. Eccleſiam viſitantibus in feſtiuitatibus S. Rocchi, & Sancti Martini, conceſſiſſe. §. 7. Refert etiam, Leonem X. hæc confirmaſſe. §. 8. Et facultatem in dicta Eccleſia Sacramenta adminiſtrandi, Confeſſorémque pro Confratribus eligendi, dediſſe. §. 9. Illámque viſitantibus in dictis feſtiuitatibus, & earum octauis, Indulgentias impertitum fuiſſe. §. 11. Confraternitati, & Confratribus priuilegium fori Aud. Cam. priuatiuè quoad alios, dediſſe. §. 12. & 17. Poſtmodum hic Pontif. prædicta comprobat. §. 13. & ſeqq. Facultatem condendi ſtatuta tribuit. §. 16. Bona etiam feudalia, & Eccleſiaſtica d. Confraternitati concedi, & relinqui poſſe decernit. §. 18. Clauſulæ præſeruatiuæ ſubſequuntur. §. 19. Et decretum irritans. §. 20. Indulgentias Eccleſiam S. Rocchi certis diebus viſitantibus concedit. §. 21. & ſeq. Clauſulæ derogatoriæ ſubſequuntur. §. 23.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore Confraternitatis iſtius approbatio, de qua in §. 1. ab Alexand. VI. obtenta fuit?

RESP. Anno 1500. quo ſanctiſſimum Iubileum celebratum fuit. Ita ſcribit in opuſculo de operibus piis Vrbis, Camill. Phanuc. lib. 1. cap. 11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ opera Confraternitas iſta exercere conſueuit?

RESP. Nonnulla, & quidem pia, luculenter relata à iam citato Camillo Phanuc. lib. 3. cap. 14.

X V I I.

Edita Anno 1560. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 27. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statuit, quod cùm beneficia ratione menſium, vel aliàs reſeruata ſunt Sedi Apoſtolicæ, & inter prouiſum à dicta Sede, & prouiſum ab Ordinario, litem deſuper haberi contigerit, Iudex ſtatim atque parte citata cognouit, etiam ſummariè, & extraiudicialiter, de præfata reſeruatione, & vacatione, reſpectiuè redditus, & prouentus dictorum beneficiorum faciat ſequeſtrari. §. 1. Taléſque beneficium detinentes, & litigantes, etiamſi liti ceſſerint, ad damna, & intereſſe, appellatione remota teneri decernit. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari iubet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Hæc lex, quæ loquitur de lite pendente ſuper beneficio, in §. 1. nunquid locum habeat, ſi lis vertatur ſuper eius poſſeſſione?

RESP. Non, quia nihil habet commune proprietas cum poſſeſſione. l. naturaliter. 12. §. nihil commune. ff. de acquir. poſſeſſ. cum aliis ad interpretationem huius Conſtit. allegatis à Gonzal. de menſib. & alternat. §. 7. procem. num. 28. & ſeq. pag. mihi 67.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Iudex ex officio nemine inſtante d. ſequeſtrum apponere valet?

RESP. Valet, vt ipſamet inſinuat Conſtitutio, & plura ſimilia ad hoc allegat Gonzal. in loco præcit. num. 236.

XVIII.

Edita Anno 1560.

QVia non ſolùm ex debito, & infra pag. 28. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cùm nonnulli Comites, Barones, ac Domicelli Sedis Apoſtolicæ debita contrahendo, faciant eorum Vniuerſitates, & ſubditos obligare, & adueniente tempore ſolutionis, Dominis non ſoluentibus, illi ſatisfacere cogantur, indéque paupertate ad Cameræ Apoſtolicæ ſubſidia miniſtranda impotentes reddantur, iubet hic Pontif. quod Domini prædicti infra ſex menſes reſtituant vaſſallis ſuis ſolutas pro eis pecunias. §. 1. Et ab aliis obligationibus eoſdem etiam non petentes, realiter indemnes releuari. §. 2. Eiuſmodi obligationes pro dictis Dominis de cætero prohibet. §. 3. Decretum irritans apponit. §. 4. Publicationem huius Conſtitutionis in Vrbe ſecutam etiam ignorantes ligare decernit. §. 5. Obſtantiáque remouet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Cùm in ordine literæ §. 1. nominentur primò Comites, & deinde Barones, nónne his illi videntur præferendi?

RESP. Ita ſanè, vt voluit Curt. in tract. de feud. quæſt. 1. 2. part. principal. num. 4. & eſt textus in cap. fundamenta. 17. de elect. §. proinde. verſ. Nullus, in 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num circumſcripto eiuſmodi ordine literæ, idem dicendum ſit?

RESP. Idem, ſecundùm eumdem Curt. conſil. 212. num. 11. & 16. licèt verius credam æquiparari, ex his quæ cumulat Mandell. conſ. 172. num. 27.

XIX.

Edita Anno 1560.

DEcens eſſe cenſentes, & infra pag. 29. *Item*; Romanus Pontifex, & infra pag. 30. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clericorum bona ex illicita negotiatione, aut aliàs contra ſacros Canones acquiſita, ad Reuer. Cam. Apoſt. ſpectare, tamquam ſpolia, declarat. §. 1. Sed videns, Iulium III. in ſua Conſtitut. 5. de qua ſupra tom. 1. incolis Vrbis, & Romanam Curiam ſequentibus, & in d. Curia, & diſtrictu decedentibus, dediſſe facultatem de bonis omnibus liberè diſponendi. §. 2. Ottúmque propterea fuiſſe dubium, an ſit derogatum d. Conſtit. Iulij III. §. 3. Hic Pont. declarat hanc ſuam Conſtit. non comprehendere Cardinales, neque Curiales in Vrbe, vel diſtrictu decedentes, neque alios licentiam Sedis Apoſtolicæ habentes ad teſtandum. d. §. 3. Confirmat inſuper Conſtitutiones Sixti IV. & aliorum. §. 4. Decretum irritans apponit. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Tranſumptis huius huius Bullæ credi iubet. §. 7. Sanctionem pœnalem adiicit. §. 8.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. De licentia Papæ, de qua in §. 3. eritne ſufficiens iurata fides alicuius Cardinalium?

R E S P. Si hæc licentia eſt ſolita viuæ vocis oraculo à Papa concedi, & ceſſat in Cardinali exceptio conſanguinitatis, vel ſimilis, ſufficiens erit eius iurata fides, in ſcriptis redacta, ſecundùm ea, quæ in puncto huius Bullæ deducit Nauarr. conſ. 12. de teſtam. lib. 3. incip. Frater Thomas, num.8. & ſeqq & facit deciſ. Put. in caſu ſimili, deciſ. 2. lib. 1. verſ. Circa primum, in ſuis nouiſſimè impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi licentia teſtandi conſumitur vnico actu teſtandi?

R E S P. Non deſunt vtriuſque opinionis ſectatores; ſed negatiua verior videtur. Gabr. conſ. 83. lib. 1. num 27. Nauar. de reddit. Eccleſ. quæſt. 3. monit. 9. & Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. qu. 69. artic. 3. qui alios allegant.

X X.

Edita Anno 1560. PRouidentia Rom. Pontif. & infra pag. 31. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Priuilegia omnia S. R. E. Camerariis, eorúmque Camerariatus Officio à Pontt. prædeceſſoribus conceſſa, confirmat in omnibus, & per omnia, prout ante limitationem, ſuſpenſionem, & reuocationem Pauli I V. prædeceſſoris erant, & de nouo concedit. §. 1. & 2. Contrariis derogat. §. 3. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid egerat Paul. I V. in diminutionem iuriſdictionis Camerarij Papæ, quæ enunciatur in §. 2.

R E S P. In multis eamdem dederat Regenti Cameræ Apoſtolicæ authoritatem, & facultatem, quæ ſolùm Camerario antea competebat, vt videre eſt in Bulla 34. eiuſdem Pauli, in antiquiori Genitoris mei Bullario, pag. 615.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Genitor tuus in hac noua, & quidem vberrima Bullarum collectione, eam Bullam prætermiſit?

R E S P. Quia otioſam cenſuit, cùm illius Regentis officium breui tempore ab iſto Pio extinctum fuerit, renouato antiquo officio Aud. Cam. in cuius locum Regentem Paulus ſuffecerat, vt ſtatim apparebit in huius Pij Conſtit. 33.

X X I.

EA, quæ à prædeceſſoribus noſtris, & infra pag. 31. Bullarij. *Edita Anno 1560.*

C O M P E N D I V M.

Clemens V I I. ſuper duellis, quæ fiebant in Statu Eccleſiaſtico, edidit Conſtitutionem confirmantem Iulij I I. ſanctionem 19. & Leonis X. ſanctionem 31. de quibus ſup. tom. 1. Hic Pont. eas omnes approbat, & pœnas anathematis, maledictionis, perpetuæ infamiæ, diſſidationis, criminis læſæ Maieſtatis, ſeditionis, rebellionis, confiſcationis, & priuationis dominiorum, & feudorum, aliorúmque bonorum, depoſitionis illorum, inhabilitatis ad illa, & alia, ac interdicti Eccleſiaſtici, &c. addit. §. 2. & 3. Eáſque ad taliter pugnantes, prouocantes, locum præſtantes, adſtantes, & fautores, chartas duelli ſubſcribentes, affigentes, & publicantes, vnà cum maioris excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam eo ipſo incurrant, & à qua non niſi à Rom. Pont. abſolui poſſint, & ſi Eccleſiaſtici fuerint, priuationis dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, extendit. §. 4. Conſtitutiones Iulij II. Leonis X. & Clementis V I I. innouat. §. 5. Conceſſiones duellorum omnes reuocat. §. 6. Hortatur Imperatorem, Reges, & quoſcumque Principes Chriſtianos, & alios, vt in eorum dominiis duella, & ſingularia certamina, & alia prædicta non permittant, ſub pœna ab Imperatore, & Regibus inferioribus, maioris excommunicationis, & interdicti incurrenda. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Abſolutionis reſeruatio ſoli Papæ, quæ circa duella publica legitur in §. 4. porrigitúrne etiam ad duella priuata, ad quæ hæc Pij ſanctio fuit extenſa à Greg. X I I I. in ſua Conſt. 79. in qua etiam voluit, hanc eamdem Conſtitutionem, & alias in ſuo robore durare?

Digitized by Google

R e s p. Hinc inde arguit Nauar. in conſ. 2. incip. Pius.lib.5.de purgat.vulg. & tandem optima ratione affirmatiuam ſententiam probat, & ei adhæret Diaz in pract. Canon. crim. cap. 104. iuxta impreſſionem Moguntiæ. Sed ceſſat hodie hoc dubium, quia Clem. VIII. in Conſt. 11. poſtquam Greger. XIII.eam Conſtitutionem confirmauit, Papæ abſolutionem reſeruauerat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Imperator ergo, & Reges Conſtitutionibus Apoſtolicis circa duella non ſubiiciuntur, dum Papa eos hortatur, vt in §. 7.

R e s p. Sic arbitror, ſed paulo poſt iſtam Couſtitutionem Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. expreſsè duellorum permiſſionem eis interdixit, & Clemens VII. illud in d. Conſt. 11. confirmauit.

XXII.

Edita Anno 1560. Diuina diſponente clementia, & infra pag. 32. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Vrbe erecta fuit Confraternitas Orationis, & Mortis, ad Orationem 40. horarum menſe quolibet peragendum,& pauperum defunctorum corpora decenter ſepeliendum, & quolibet menſe pro animabus Confratrum, & eorum, quorum corpora ab ipſis humata ſunt, anniuerſarium celebrandum,aliáque pia opera exercendum.§.1. Ordinationéſque pro bono eius regimine conſtitutæ fuerunt.§.2. Hic Pont. iſta approbat. §. 3. Et d. Confraternitatis Officialibus dat facultatem quoſcumque in ea recipiendi. §. 4. Statuta etiam cum authoritate eius Protectoris condendi, & reformandi.§. 5. Crucem ligneam,& habitum nigrum deferendi.§.6. Eleemoſynas, ac legata recipiendi, & in pios vſus conuertendi.§ .7. Capellanum in ea ad adminiſtrandum Confratribus Sacramenta, habendi. §. 8. Defunctorum corpora in eorum Eccleſiis Parochialibus ſuius expenſis, requiſitis Parochis, ſepeliendi. §. 9. Indulgentias pro Fratribus, Sororibus, & aliis concedit. §. 10. Aliáſque aggregandi Confraternitates. §. 12. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas apponit. §. 13. Et derogatorias. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore, & à quo olim inſtituta fuit Confraternitas iſta,à Pio IV. nunc comprobata?

R e s p. Anno 1551. ſedente Iulio III. à Creſcentio Sylua presbytero Senenſi, qui etiam Confraternitatem, & Hoſpitale Peregrinorum, & conualeſcentium hoc eodem anno inſtituerat, vt notaui in 1. Schol. huius Pij Conſtit. 6. & hoc ſcribit Camill. Phanuc. in ſuo de piis oper. Vrb. Tract. lib. 3. cap. 29.

Scholion primum.

Quæro. Qui ex Imperatoribus de ſepeliendis mortuis legem edixerunt?

R e s p. Conſtantinus, Anaſtaſius, & Iuſtinianus Imperatores multa, & quidem pientiſſimè, aſſignatis quoque redditibus, deſuper ſtatuerunt, quæ habentur in Nouella ipſius Iuſtiniani 43. & 49. collat. 10. & celebrat Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 3. pag. 461. in 1. impreſſis, & pag. 399. in 2. impreſſione.

XXIII.

Ad Eccleſiæ regimen, & infra pag. 34. Bullarij. *Edita Anno* 1560.

COMPENDIVM.

Paulus III. in ſua Conſt. 33. de qua ſuprà tom. 1. & Iulius etiam III. Concilium Tridentinum variis ex cauſis indixerunt. §. 1. Hic Pont. illud proſequi mandat, pro die Reſurrectionis Domini noſtri Iesv Chriſti anni 1561. §. 2. Prælatos ad illud conuocat. §. 3. Imperatorem, & Reges, ac Principes, ad ibi per ſe ipſos, vel eorum Nuncios intereſſendum adhortatur. §. 4. Huius Bullæ in Vrbe publicationem, poſt duos menſes, omnes ligare decernit. §. 5. Eiúſque credi tranſumptis præcipit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Num Legatus aliquis à Iulio III.de quo in §. 1. ad iſtud Concilium miſſus fuit?

R e s p. Miſſus quidem Marcellus Creſcentius, presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli, quem Archiepiſcopus Sypontinus, Sebaſtianus Pighinus, & Epiſcopus Veronenſis, Luyſius Lippomanus comitati ſunt, qui Pontificis nomine Concilio præſideret. Hæc habet Ciacon.

Ciacon. in vita ipſius Iulij pag. 1141.

Scholion ſecundum.

Quaero. Quamobrem poſtea dilatum?

R E S P. Multorum turbine bellorum Patres Concilij perterriti, ne hoſtis Oeniponte iam occupato Tridentum, quod tridui itinere abeſt, aduolaret., anno 1552. Concilium poſt ſextam ſeſſionem diſſoluunt, vt recenſet Ciacon. vbi ſuprà.

X X I V.

Edita Anno 1560. Sicut ea, quæ pacem, & infra pag. 35. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad tollendum omnem controuerſiā, quæ inter Prælatos, ad celebrationem Concilij Tridentini congregatos, ſuper præcedentia oriri poſſet, decernit Patriarchas primo, Archiepiſcopos ſecundo, & Epiſcopos tertio loco, ſecundum ordinem promotionis ad regimen ſuarum Eccleſiarum, locum habere debere. §. 1. Et nullam haberi rationem ad ipſorum dignitates primatiales.d.§.1. Obſtantia remouet. §. 2.

Scholion primum.

Quaero. Poſt Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, num Abbates locum habere debent?

R E S P. Ita ſanè, vt inquit Panorm. in cap. 2.de Iudic. num. 2. & in cap. Ex ore, de priuileg. num. 3.& latè Thom. Campeg. de Concil. cap. 15. num. 17.& ſeqq. vbi etiam aliis deinde Prælatis locum competere declarat.

Scholion ſecundum.

Quaero. Si Patriarcha eſſet Cardinalis, ſedebitne honorabiliori loco inter Cardinales?

R E S P. Non, ſed in loco ſuæ promotionis ad Cardinalatum, cùm maior ſit dignitas Cardinalatus, quàm Patriarchatus, vt poſt alios notat Campeg. vbi ſuprà num. 2. & ſeq.

X X V.

Edita Anno 1560. Cvpientes pro communi, & infra pag. 35. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Paulus III. in ſua Conſt. 6. de qua ſup. tom. 1. & alij Romani Pont. mercatoribus Ripæ Vrbis nonnulla conceſſerunt indulta, quæ ab iſto approbantur Conſt. §. 1. Iuriſdictióque Præſidentis, & Camerarij d. Ripæ ampliatur in cauſis ciuilibus, occaſione rerum Ripalium, vel ab illis emergentibus. §. 2. Et etiam in cauſis mixtis, & criminalibus vſque ad vltimum ſuppl cium, pro exceſſibus, & homicidiis in d. Ripa perpetratis. §. 3. Clauſulæ huius Conſtitutionis præſeruatiuæ ſubduntur. §. 4. Et derogatoriæ. §. 5. Iuſſio eam in ſtatutis deſcribendi ſubnectitur. §. 6. Contrauenientibus pœnæ imponuntur. §. 7.

Scholion primum.

Quaero. Nunquid mercatorum Ripalium priuilegia, de quibus in §. 1. ſunt intelligenda de iis tantummodo mercibus, quæ per aquam vehuntur?

R E S P. Ita intelligenda videntur ex vi verborum indulti eis conceſſi, vt in puncto ſic ſcribit Marcheſan. de commiſſ. parte 3.§.1. num. 98. in nouis, fol. mihi 281.

Scholion ſecundum.

Quaero. Num in cauſis criminalibus, de quibus in §. 3. Camerarius iſte compoſitiones facere poterit?

R E S P. Poſſe, legitimo tamen præcedente proceſſu, & decreto, & quod compoſitiones annotentur in libro, vt nuper ſtatuit Paulus V. in ſua Conſt. 71. §.9 num.6.à Genitore meo ad hanc Bullam non indicata, tanquam eo tempore ab ipſo Paulo adhuc non edita.

X X V I.

Romanum decet Pontificem, & infra pag. 36. Bullarij. *Edita Anno 1560.*

C O M P E N D I V M.

Deputat S. R. E. Cardinalem Camerarium, vt cum quinque Deputatis ab eo eligendis, quaſcumque cauſas intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentes reuideant. §. 1. & ſeq. ac etiam §. 10. Et computa miniſtrorum eiuſdem etiam ſolidata. §. 3. Et contractus læſionem d. Cameræ continentes reſcindant. §.4. Detentoréſque bonorum eiuſdem Cameræ coërceant. §. 5. Et manu regia, & appellatione remota procedant. §. 6. Inſupérque Officiales omnes Status Eccleſiaſtici, mandatis d. Camerarij obedire præcipit. §.7. Et ita, & non aliter iudicari. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Contractus non læſiuus dicetur, ſi eidem Cameræ non ſit vtilis?

RESP. Præſumetur læſiuus, ſi certa ſit forma data contractibus ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel aliàs de iure cum Camera initis præfixa, & non ſeruata. cap. Qui contra iura. 82. ff. de Reg. iur. in 6. Bald. in l.4. Cod. de bon. quæ liber. num. 4. Roman. conſ. 54. num. 5. & Rota in deciſ. Caputaque. 200. par. 3. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Læſiuus forſan contractus dicetur, qui ab incerto futuro pendet euentu?

RESP. Non, quia læſio inſpicienda eſt ſolùm tempore initi contractus. l. Si voluntate. 8. Cod. de reſcind. vendit. & tradit Aym. qui Bald. Angel. & alios citat in conſ. 114. num. 16. & Rota in deciſ. Penitæ in vna Interamnenſi mercium, 4. Iunij 1597.

XXVII.

Edita Anno 1561. IN eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, & infra pag. 38. *Item*; Cùm nos poſt noſtram, & infra pag. 39. *Item*; Nuper ſiquidem, & inf. pag. 40. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Clementem VII. Conſtitutionem edidiſſe contra homicidas, bannitos, brigoſos, vindictam tranſuerſalem facientes, ius ſibi dicentes, & hominum collectam facientes, eorúmque fautores. §. 1. Confirmat, & approbat. §. 2. Eóſque ab omnibus locis S. R. E. mediatè, & immediatè ſubiectis exulare, & ſaluumconductum eis denegari præcipit. §. 5. Receptatoribus, ac fautoribus pœnas imponit. §. 4. Territoria per Barones, & Communitates homicidis expurgari iubet. §. 5. Facultatem homicidas gratiandi omnibus aufert. §. 6. Executores huius Bullæ deputat. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8. Et in ſubſeq. Conſtit. d. reuocationem gratiandi homicidas, aut cum eis componendi, extendit, in §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Communitas, & Baro incidit in has pœnas ſemper, quod non capit hos homicidas?

RESP. Non, niſi probetur eius ſcientia, & negligentia, vt in punctolegibus, rationibúſque probat Bart. in conſ. 102. lib. 1. num. 2. & ſeqq. licèt contrarium ſentire videatur Calcan. conſ. 63. verſ. Primò quia, & verſ. ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Negligentia quo pacto probabitur à teſtibus?

RESP. Hoc te egregiè Bart. docet mox citatus, prout & Communitatem docet, quid pro ſua defenſione probare debeat. Et aliquid habes in conſ. 62. diuerſor. crimin. libro 1. num. 14. & ſeqq.

XXVIII.

CIrcumſpecta Rom. Pont. & infra pag. 41. *Item*; Cùm ob celebrationem, & infra pag. 41. Bullarij. Edita Anno 1561.

COMPENDIVM.

Concilio Tridentino Prælatis intereſſentibus pro tempore, quo reſederunt, aut in itinere fuerunt, priuilegium concedit conferendi beneficia, quæ in Februarij, Aprilis, Auguſti, Octobris, & Decembris menſibus vacauerint, dummodo non reſeruata fuerint, nec affecta. §. 1. 2. & 4. Exemptionémque à decimis, & oneribus per Sedem Apoſt. impoſitis impertitur. §. 3. & 4. Superſeſſoriam in cauſis eorum ciuilibus, quatenus ipſi velint, indulget. §. 1. ſubſeq. Conſtit. Contrariis non obſtantibus. §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. De iure communi, intereſſentes Concilio gaudéntne priuilegio, charitatiuum à ſubditis exigendi ſubſidium pro impenſis ſuſtinendis in eo?

RESP. Gaudent, cùm agatur de communi vtilitate, vt poſt Innoc. tenet Panormit. in cap. 1. de ſtatu Monachor. num. 6. & Bellenc. in ſuo Tract. de charit. ſubſid. quæſt. 21. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſſúntne etiam beneficiorum fructus percipere?

RESP.

R e s p. Ita ſanè, quia ſeruiunt vniuerſali Eccleſiæ, & Romano Pontifici. cap. de cætero. 7. & cap. ad audientiam. 15. & ibi Canones omnes de Cleric. non reſid. & aliàs id expreſsè ſtatuit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 19.

X X I X.

Edita Anno 1561. ROmani interest Pontificis, & infra pag. 42. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia bona à Fratribus, & Militibus Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani relicta, poſt eorum obitum ſpectabant ad illius Religionem. §. 1. Et hic Pont. bona Clericorum ex illicita negotiatione acquiſita, ad Cameram Apoſtolicam, vti ſpolia, in ſua Conſt. 19. de qua ſup. ſpectare decreuit. §. 2. Propterea Religio vigore d. Conſtitutionis ſe à Camera moleſtari poſſe dubitauit. §. 3. Hic modò Pont. eam Conſtitutionē, & alias ſimiles, d. Religionem non comprehendere declarat. §. 4. Omniáque bona perſonarum d. Religionis decedentium, ei applicat. §. 5. Et Agentes illius deſuper non moleſtari mandat. §. 6. Contrarijs non obſtantibus. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Negotiatio illicita, de qua in §. 1. quibus modis cenſetur illicita?

R e s p. Pluribus reſpectibus, quos hic recenſere eſſet nimis oneroſum. Videas ergo Nauar. in ſuo comment. de ſpol. §. 9. num. 3. & §. 13. & Leon. in ſuo Theſ. for. Eccleſ. par. 3. cap. 3. de ſpol. Cleric. & egregium Redoani Tract. de ſpol. Eccleſiaſtic.

Scholion ſecundum.

Quæro. Applicatio ſpoliorum, de qua in §. 5. num ſolummodo ad Papam ſpectat?

R e s p. Hoc pro indubitato eſſe ſupponit, & tenet Nauarr. vbi ſuprà, ea nixus ratione, quod ſoli Papæ à Deo commiſſa eſt adminiſtratio vniuerſalis bonorum Eccleſiaſticorum, & tenet etiam Leon. mox citatus.

X X X.

Edita Ann. 1561. & 1564. CVm ſicut accepimus, venerabilis, & infra pag. 43. *Item*; Cùm ſicut nobis, & infra pag. 45. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad cognitionem cauſarum ciuilium Confraternitatis ſanctiſſimi Crucifixi de Vrbe, ad quamplura opera pia exercendum pridem inſtitutæ, deputat S. R. E. Cardinalem illius Protectorem. §. 1. & 2. Cui, & per eum deputando, dat facultatem ſummariè, &c. procedendi, ſententias exequendi, contradictores coërcendi, & cęteris nullitatibus, præterquàm iuriſdictionis, citationis, & mandati, derogādi. §. 2. & ſeqq. Et in cauſis diſcuſſionum, debitores ad ſatisfaciendum præſtita cautione, lite pendente admittendi. §. 6. Singulis diebus, & horis in Dei honorem minimè feriatis procedendi. §. 7. Notarium deputandi. §. 8. Mandatarios Curiæ Capitolij ad citandum admittendi. §. 9. Et executores omnes ad exequendum eius mandata cogendi. §. 10. Coram aliis Iudicibus eiuſmodi cauſas agi prohibet. §. 11. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 12. Et derogatorias. §. 13. Tranſumptorúmque fidem. §. 14. Indultum liberandi vnum carceratum in feſto Inuentionis, vel Exaltationis S. Crucis, eidem Confraternitati concedit, in princ. ſubſeq. Conſtit. Eámque Confraternitatem erigit in Archiconfraternitatem. § 2. Statuta confirmat, & ius ſtatuendi iteratò concedit. §. 3. Executores deputat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quando inſtituta fuit hæc Confraternitas, quæ in §. 1. dicitur pridem erecta?

R e s p. Anno 1522. ſub Adriani VII. Pontificatu, vt ſcribit Camill. Phanuc. in ſuo de piis operibus Vrb. Tract. lib. 3. cap. 20. vbi miraculum de Imagine ſanctiſſimi Crucifixi, ſub cuius inuocatione Confraternitas iſta militat, enarrat, & ante eum Pomp. Vgon. in ſuo opere de Station. Vrb. Stat. 36. pag. mihi 280.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod fertur ab iſtomet Pont. indultum, de quo hic §. 14. poſt ſublatum fuiſſe?

R e s p. Quoad liberationem homicidarum, non autem aliorum, moderatum fuit infra in ſua Conſtit. 92.

X X X I.

XXXI.

Edita Anno 1561. CVm ſicut nuper non ſine, & infra pag 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Habita notitia, quod quidam Confeſſarij Sacramento pœnitentiæ in actu confeſſionis abutuntur, mulieres pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſiue allicere, & prouocare tentando, mandat Archiepiſcopo Hiſpalenſi generali in Regnis Hiſpaniarum Inquiſitori, vt contra eos, quamuis exemptos, de præmiſſis diffamatos, tam ſuper præmiſſis, quàm fide Catholica, & quid de ea ſentiant, inquirat, & culpabiles repertos puniat, eos etiam, ſi, & prout de iure, debita præcedente degradatione, ſæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. §. 1. Et quæcumque priuilegia non obſtare decernit. § 2.

Scholion primum.

Quæro. Cùm loquatur hæc lex contra ſic delinquentes in actu confeſſionis, & dum audiunt confeſſiones, quid dicendum ſi ita delinquunt extra actum?

RESP. Ligantur hac lege, ſi actus ſit proximus, ex identitate rationis. Ita loquens de hac Bulla, ſentit Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 27. art. 1. & 2. & M. Antonius Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ in prax. Archiepiſcop. Neapolit. cap. 81. numero 1. vbi ſubdit, audiuiſſe Clem. VIII. id declaraſſe. Quod ego etiam ab Officialibus Inquiſitionis generalis de Vrbe percepiſſe teſtari poſſum, qui ſic etiam practicari, & obſeruari dixerunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num hæc pœnalis Conſtitutio, loquens de tentantibus mulieres, locum habet etiam contra tentantes adoleſcentes de vitio nefando, ex maioritate rationis?

RESP. Ita punctualiter, poſt Salſed. quem allegat, hanc Bullam eum caſum comprehendere tradit Rod. præcit. quæſt. 27. art. 3. & etiam Stephan. Quaranta in ſua Summa, in verb. Confeſſor. verſ. Ampliatur. vbi luculenter nonnullas optimas rationes adducit; & ita etiam in d. Tribunali ſanctiſſimæ Inquiſitionis practicari ab iiſdem Miniſtris accepi.

XXXII.

CVpientes malitiis nonnullorum, & infra pag. 46. Bullarij. *Edita Anno 1561.*

COMPENDIVM.

Applicat, & reſeruat Cameræ Apoſtolicæ fructus beneficiorum Italiæ, Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, ſeu affectorum, aliter quàm per ceſſum vacantium, pro rata temporis, quo vacauerint. §. 1. Collectori ſpoliorum dat facultatem hos fructus colligendi, & exigendi. §. 2. Cæteris, ne ſe intromittant in eis, præcipit. §. 3. Et ita iudicari mandat. §. 4. Facultatem dat Theſaurario Papæ, procedendi contra quoſcumque. §. 5. Contrariis omnibus derogat. §. 6. Onera autem beneficiorum à Camera pro d. tempore ſupportari debere decernit. §. 7. Exemplis huius Bullæ credi mandat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Hæc reſeruatio eſtne ius nouum, correctorium iuris communis?

RESP. Ius nouum eſſe probatur, quia Romani Pontifices id minimè decreuerant, & erant hi fructus conuertendi in vtilitatem Eccleſiarum, vel reſeruandi futuro ſucceſſori. cap. Cùm vos. 4. de offic. Ordin. & cap. Quia ſæpe. 40. de elect. in 6. & tradit Nauar. de ſpol. Clericor. §. 6. prope finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne hic Pontifex ſpecialem quoque eiuſmodi beneficiorum Regni Neapol. ſanctionem edixit, quam Genitor tuus prætermiſit?

RESP. Prætermiſit; quia Pius V. eamdem poſtea edidit Conſtitutionem num. 26. vbi ipſe Genitor hanc prætermiſſionem indicauit.

XXXIII.

Edita Anno 1561. AD eximiæ deuotionis affectũ, & infra pag. 47. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Auditorem cauſarum Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, Flauium Vrſinum Epiſcopum Maranenſ. cum facultatibus infraſcriptis. §. 3. Cognoſcendi omnes cauſas obligationum in

forma

forma Cameræ, etiam priuatiuè quoad alios Iudices. §. 4. Eas alteri à Papa ſpecialiter non commiſſas reaſſumendi. §. 5. Cenſuras promulgandi. §. 6. Prælatorúmque cauſas, mercatorum etiam, Curialium, Notariorum ſuorum, ac penſionum. §. 7. Cauſas quoque in Curia motas, & appellationes Vrbis (Vicario, Gubernatore, & Iudicibus Capitolinis exceptis) totiuſque Status Eccleſiaſtici. §. 8. Summariè procedendi in cauſis Notariorum, ac mercatorum, & à 200. ducatis infra. §. 9. In aliis autem ſeruatis terminis. §. 10. Cauſas criminales Vrbis, & omnium exemptorum cognoſcendi. §. 11. Literas Apoſtolicas exequendi. §. 12. Et ſententias etiam in Curia latas, ac proceſſus Cœnæ Domini, & alios exequendi. §. 13. Cauſas contractuum in Curia initorum cognoſcendi. §. 14. Curialiúmque. §. 15. Remiſſorias, & compulſorias dandi. §. 16. Curiales in vim Eugenianæ, & Leoninæ tuendi. §. 17. Monitoria ad partes decernendi. §. 18. Citationes promulgandi. §. 19. A cenſuris abſoluendi. §. 20. Obligationes contra hæredes exequendi. §. 21. Conſueta omnia faciendi. §. 22. Obligationes, non obſtantibus diſcuſſionibus, & ceſſionibus, executioni demandandi. §. 23. Locum in Capella Papæ, poſt Gubernatorem, & Oratores Principum habendi. §. 24.

Scholion primum.

Quæro. Diſpoſito §. 4. habétne locum in cauſis introductis coram alio Iudice, ita quod liceat variare, & adire Auditorem Cameræ?

R E S P. Rota coram Penia in vna Romana Palatij, 16. Decembris 1588. tenuit poſſe variare. Quod intellige, ſi reus conuentus eſt contumax, & lis non ſit conteſtata, vt poſt Galleſ. & alios, quos citat, ſic declarat Gratian. diſcept. 118. num. 57. lib. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis cœpit agere via ordinaria, & velit redire ad executiuam pro obligatione Camerali, de qua in §. 4.

R E S P. Non poteſt, niſi reus fuerit contumax. Galleſ. de obligat. Cam. par. 2. partic. 3. quæſt. 2. num. 7. Rota coram Orano in vna Romana pecuniaria, 28. Iunij 1593.

XXXIV.

Dilectos filios, & infra pag. 49. *Item*; Ne per præinſertum, & infra pag. 50. Bullarij. *Edita Anno 1561.*

COMPENDIVM.

Cauſas ciuium, & incolarum vrbis in Curia Capitolij cognoſci iubet, etiam ſuper obligationibus in forma Cameræ, vbi A. C. non præuenit. §. 1. 2. & 11. Chirurgos in hac Curia, vel Gubernatoris Vrbis, crimina deferre præcipit. §. 2. Nullitates tres tantùm, iuriſdictionis, citationis, & mandati, attendi decernit. §. 3. Feriáſque in ſtatutis antiquis Vrbis deſcriptas attendi. §. 4. Votum Aſſettamenti in d. Curia, quibus in cauſis adhiberi debeat, decernit. §. 5. Aſſettamentúmque vt, & quando fieri poſſit. §. 6. Gubernatoris Vrbis iuriſdictioni hanc Bullam non præiudicare declarat in ſubſeq. Conſt. §. 1. Contrariiſque derogat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid agendum, ſi orta erit contentio inter Curiam Capitolij, & A.C. de præuentione, de qua in §. 1.

R E S P. Adeundus erit S. R. E. Cardinalis, Signaturæ Iuſtitiæ Præfectus, qui manu regia, ſine ſcriptura, omni appellatione, & recurſu remotis, hunc articulum decidat, prout mox Paul. V. in ſua Conſt. 71. §. 4. num. 19. ſic cenſuit, & Genitor meus eam non potuit hic indicare, vti tempore huius editionis Bullarum Pij nondum editam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Incola, de quo in §. 1. dicetur ne is, qui per decennium Romæ aſſiduè habitauit, & vxorem ibi duxit?

R E S P. In terminis non abſimilis Conſtitutionis Iulij II. ad fauorem Curiæ Capitolij editæ, affirmatiuè reſpondit poſt alios Rota in deciſ. Cantuc. 205. par. 1. diuerſor. num. 4.

XXXV.

Cvm ſicut accepimus, & infra pag. 50. Bullarij. *Edita Anno 1561.*

COMPENDIVM.

Paulus III. in ſua Conſtitut. 9. de qua ſup. tom. 1. cauſas omnes intereſſe

Fiſci Reu. Cam. Apoſt. concernentes, & illas, ac alias mouendas, in d. Camera cognoſci mandauit, in princ. Hic Pont. eam Conſtitutionem extendit, etiamſi Fiſcus in iuriſdictionem alterius Iudicis conſenſiſſet, vel eius intereſſe ciuile ſecundariò detegeretur in cauſis inter alios vertentibus. §. 1. 2. & 3. Contraria non obſtare decernit. §. 4. Solámque huius diplomatis ſignaturam ſufficere. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Num inducitur hic nouum ius, dum diſponitur, Fiſcum in alterius Iudicis iuriſdictionem non poſſe conſentire?

R E S P. Non, cùm de iure communi idem ſtatutum fuerit. l. ſi conſtante. 25. §. fin. cum ibi not. ff. ſolut. matr. tradit Bald. in l. 5. Cod. de ſent. nu. 7. & Peregr. de iure Fiſc. lib. 7. tit. 1. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. De Fiſci intereſſe ciuili in cauſa inter priuatos, nunquid idem Fiſcus dicere poſſit, vt à Camera auocetur?

R E S P. Verior mihi videtur affirmatiua opinio Baldi, & aliorum, quos latè proſequitur Capyc. deciſ. 197. num. 3. vſque ad num. 8. quibus adhæret Peregrin. vbi ſuprà num. 9.

XXXVI.

Edita Anno 1561.

PAſtoralis officij cura, & infra pag. 51. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquiſitoribus omnibus dat facultatem, vnum, vel plures etiam Clericos ſæculares, vel quorumuis Ordinum Regulares, in cauſis ſanctæ fidei, & Inquiſitionis, in Notarios eligendi, & ad officium Notariatus cauſarum huiuſmodi deputandi. §. 1. & 2. Et illi ſic electi acta, & proceſſus in cauſis huiuſmodi, & cætera omnia ad id quomodolibet opportuna, validè facere poſſint. d. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quomodo fiet hæc electio, fortaſſe ſola aſſumptio ad ſcribendum ſufficit?

R E S P. Non; ſolam etenim facultatem creandi Notarios Papa dedit Inquiſitoribus, ſed nouam formam eos creandi non aſſignauit: propterea conſuetam formam ſeruare debent. Sic explicat hanc Bullam Campeg. in addit. ad Zanch. de hæretic. cap. 9. verſ. Adde rurſus. & verſ. ſeq. ac Pegna in Director. Inquiſ. par. 3. comment. 67. verſ. Sed in hac cauſa.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne hæc facultas, de qua in princ. Inquiſitoribus aliàs data erat?

R E S P. Vrbanus IV. in ſua Conſt. 2. §. ad conſcribendos. de qua ſup. tom. 1. ſolùm conceſſerat, vt qui etiam Notarij erant, ab Inquiſitoribus ad munus exequendum compelli poſſent, non autem vt Notarios crearent, quod aduertit Pegna vbi ſuprà. Qui tamen licèt ſubdat, hanc facultatem creandi Notarios, nullo Apoſtolico reſcripto Inquiſitoribus fuiſſe attributam ante hoc Pij V. reſcriptum, nihilominus aliud dicendum videtur ex Iulij III. diplomate, quod ex libro priuilegiorum Ordinis S. Dominici à Genitore meo deſumptum, & in ſua Bibliotheca repertum, in Bullario ſponte, vt credo, & particulariter prætermiſſum, attenta hac Pij generali Conſtitutione, illud tamen hic ego imprimendum duxi.

IVLIVS PAPA TERtius Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum.

§. 1. *CVM ad officij Inquiſitionis hæreticæ prauitatis exequutionem, Tabellionis, ſeu Notarij opera neceſſaria ſit: Nos, apud quos venerabiles Fratres noſtri Inquiſitores Generales eiuſdem prauitatis in Alma Vrbe noſtra conſtituti ſuper hoc inſtiterunt, volentes deſuper opportunè prouidere: Tibi, qui pro tua doctrina, probitate, & diligentia in negotiis fidei pro tempore occurrentibus, vnà cum Inquiſitoribus prædictis etiam interuenire ſoles, vt in quibuſcumq; Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus tibi opportunum videbitur, vnã, vel plures perſonas diſcretas & idoneas, etiam tui Ordinis religioſas, etiam in ſacerdotio cõſtitutas, in Notarios, ſeu Tabelliones etiamſi,* *Facultas eligendi etiam Sacerdotes in Notarios in cauſis fidei.*

etiamſi, dum in ſæculo fuerunt, Tabellionatus huiuſmodi officium non habuerint, aut exercuerint, ad effectum, vt inquiſitiones, interrogationes, reſponſiones, atteſtationes, confeſſiones, condemnationes, abſolutiones, proceſſus, ac acta quæcumque, quæ circa negotium fidei, & effectum Inquiſitionis huiuſmodi pro tempore facienda accurrerint, fideliter, & diligenter conſcribant, recipiant, & conſeruent, & alia ad Notariorum in talibus negotiis officium, & curam pertinentia faciant, creare, conſtituere, & deputare poſſis, & valeas, auctoritate Apoſtolica facultatem per præſentes concedimus.

Fides eiſdem præſtā. dat. §. 2. *Decernentes omnia acta per Notarios, aut Tabelliones huiuſmodi per te, præſentium vigore, creandos, & deputandos, aliàs tamen ritè & rectè facienda, valere, validáque & efficaciæ fore, ac plenam, & indubitatam fidem vbique in iudicio, & extra facere in omnibus, & per omnia, ac ſi per quoſcumque alios Tabelliones, ſeu Notarios publicos conſcripta, & facta fuiſſent, ſicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quacumque auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & interpretari debere. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Obſtātium derogatio. §. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxvij. Februarij M.DLIV. Pontificatus noſtri anno quinto.

XXXVII.

Edita Anno 1561. ILlius, qui pro Dominici, & infra pag. 52. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Confraternitatem, & Hoſpitale B.M. Pietatis de Vrbe, ad pauperes aduenas hoſpitandum, & ad egenos dementes charitatiuè ſuſcipiendum, & curandum nuper inſtitutam. §. 1. 2. & 3. Iteratóque erigit, & confirmat. §. 4. Confratribus, & infirmis dat indultum, in domibus ſuis Miſſam celebrari faciēdi. §. 5. Et dat facultatem oblationes, & eleemoſynas, ac legata recipiendi. §. 6. Indulgentiáſque ea largientibus concedit. §. 7. Et facultatem transferendi Confraternitatem, & Hoſpitale ad aliū locum, & Sacramenta Eccleſiaſtica ibi adminiſtrandi. §. 8. Bona ſine teſtamento in dicto Hoſpitali decedentium, ad illud ſpectare decernit. §. 9. Indulgentias pro prima Dominica cuiuſlibet mēſis elargitur, ſi Euchariſtiam ſumpſerint, & certo modo orauerint. §. 10. Electionem Confeſſoris Confratribus dat. §. 11. Et Officialibus Confraternitatis alias Confraternitates aggregandi, & indulgentias communicandi facultatem tribuit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore Confraternitas iſta promota fuit?

RESP. Anno 1548. ſedente Paulo III. Pontifice, vt ſcribit Camill. Phanuc. in ſuo de piis operib. Vrb. opuſc. lib. 4. cap. 44.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quòd his temporibus hoſpitalitatem pauperum aduenarum, ſiue peregrinorum, ab iſta Confraternitate amplius nō ſeruari videmus?

RESP. Quia particularis ad hoc inſtituta fuit Confraternitas ſub inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, ab eodem Pio in Conſt. 6. de qua ſup. approbata.

XXXVIII.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 53. Bullarij. *Edita Anno 1561.*

COMPENDIVM.

Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe indemnitati conſulens, ſtatuit Notarium, & Secretarium dicti Hoſpitalis, ab eo, & officio recedentes, aut ipſorum hæredes, imbreuiaturas inſtrumentorum intereſſe illius concernentium in eo dimittere, & ſine præmio explere, & in publicam formam redigere debere. §. 1. Et Præceptorem ad id eos cogere poſſe. d. §. 1. Notarióſque & Secretarios pro tempore exiſtentes, dictas anteceſſorum imbreuiaturas, abſque alia eis deſuper cōcedenda ab aliquo licentia & facultate, explere, & in publicam formam redigere poſſe, eiſque plenam

adhibendam eſſe fidem. d. §. 1. Contraria remouet. §. 2. Huiuſque indulti ſolam ſufficere ſignaturam decernit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid operantur illa verba §. 1. *abſque alia deſuper concedenda licentia?*

R E S P. Operantur, quod non eſt requirenda Iudicis authoritas, alioquin ad exemplandum neceſſaria. Rota in deciſ. Seraphin. 1428. num. 1. & 2. & in deciſ. 1230. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si in ſcriptura Notarij anteceſſoris aliquod ſubſtantiale deficiat, num poterit ſucceſſor eam ſupplere, vigore authoritatis eam explendi, de qua in §. 1.

R E S P. Non, quia longè differt explere, & ſupplere, vt in his terminis cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 949. num. 6.

X X X I X.

Edita Anno 1561. CVpientes mercatoribus, & infra pag. 54. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Paulus I V. ſtatuit, debitores in Vrbe obtinentes alternatiuas, ſignificationes, & dilationes, nonniſi iuxta formam iuris & ſtatutorum Vrbis obtinere poſſe, & illas obtinentes ſemper birretum viride deferre debere. §. 1. Hic Pont. declarat, illos debitores coram Iudicibus d. Vrbis, antequam inhibitionem obtineant, dictum birretum geſtare debere, & promittere illud de cætero deferre. §. 2. Executorem deputat A. C. §. 3. Solámque harum literarum ſignaturam ſufficere indulget. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quod eſt eiuſmodi Vrbis ſtatutum, de quo in §. 2.

R E S P. Hoc tempore erat in cap. 19. lib. 4. ſed hodie in nouis tempore Greg. X I I I. editis ſtatutis, eſt in c. 161. lib. 1. & iſtud obſeruatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi birreti delatio nunquid ſtrictè eſt hodie ſeruanda?

R E S P. Non, ſi ad quinquennales dilationes admiſſi, idoneè cauerint de ſoluendo in fine dilationis, ſeu termini; vt cauetur in eodem nouo ſtatuto à Greg. X I I I. edito, verſ. Is verò, vbi latè de hac materia agit Galganettus egregius in Vrbe Aduocatus, in gloſſa eiuſdem ſtatuti mox impreſſi.

X L.

CVm ſicut non ſine magna, & infra pag. 54. Bullarij. *Edita Anno 1561.*

C O M P E N D I V M.

Declarat, quod Inquiſitores hæreticæ prauitatis non teneantur publicare dicta eorum, qui detexerint aliquem hæreticum, vel ſchiſmaticum, aut contra eos depoſuerint. §. 1. Et ſyndicari nequeant, niſi à Rom. Pont. vel ſummis Inquiſitoribus Vrbis. §. 2. Moleſtari non valeant Inquiſitores ſuper nominum, cognominum, & dictorum teſtium reuelatione. §. 3. Contrariis non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si Inquiſitor hanc publicationem denegat, dabitúrne appellatio?

R E S P. Non, tanquam friuola, cùm admodum clara ſit huius Pij deciſio. Sic aduertit Pegna in Director. Inquiſ. par. 3. comment. 124. verſ. Ac ſi fortaſſe, vbi refellit opinionem Pariſ. aliter dicentis in conſ. 2. lib. 4. num. 155. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erit ergo Inquiſitorum cura circa hos teſtes, quorum nomina minimè publicantur?

R E S P. Vitam, & mores teſtium, ac delatorum diligenter iidem Inquiſitores inueſtigare debent, vt perpendit Ioan. Roias in ſingul. 108. incip. Teſtium publicatio, & ſequitur Pegna vbi ſuprà, verſ. Quoniam verò, pag. mihi 629. iuxta impreſſionem Romæ anno 1587.

X L I.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 55. Bullarij. *Edita Anno 1561.*

C O M P E N D I V M.

Vt diuino cultui ſit conſultum, omnes fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque, & quarumcumque Eccleſiarum ad Capitulum, & menſam earumdem communiter ſpectantia (ſine præiudicio penſionum ſuper dictis fructibus reſeruatarum) applicat diſtributionibus quotidianis, diſtribuendis inter diuinis

officiis

officiis intereſſentes, iuxta cuiuslibet Eccleſiæ conſtitutionem iam factam, ſiue faciendam. §. 1. Eos, qui aliter de illis receperint (exceptis infirmis, aut alia iuſta cauſa, aut Eccleſiæ vtilitate excuſatis) rerum ſic acceptarum dominiū non acquirere, & ad omnium reſtitutionem teneri decernit. d. §. 1. Executorem deputat. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt diſtributiones communes, de quibus in §. 1.

RESP. Illæ, quæ conſtituuntur de fructibus communibus, lucrifaciendæ à celebrantibus communiter diuina officia. Aliæ autem diſtributiones dicuntur extraordinariæ, de fructibus particularibus alicui dignitati, perſonatui, & officio debitis, & pro officiis à ſolis habentibus ea faciendis, vt declarat Nauar. de orat. & hor. Cano. c. 22. n. 51. Et quoad diſtributiones cōmunes, huic Cōſtitutioni conuenit tex. in c. 1. de Cler. nō reſid. in 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iuſta cauſa excuſationis, de qua in §. 1. cenſeri forſan poterit illa abſentia, quæ per duos, vel tres menſes à Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 1. Quoniam de reformat. permittitur?

RESP. Non, ſed illæ diſtributiones accreſcunt his, qui vacationum tempore ſeruire volunt, vt pluries à Sacra Cardinalium ſuper interpretatione dicti Concilij Congregatione ſancitum ſcribit Leon. in ſuo Theſaur. for. Eccleſ. par. 3. cap. 2. num. 2. & ſeq.

XLII.

Edita Anno 1562.

DEcet Rom. Pont. ex debito, & infra pag. 55. Bullarij.

COMPENDIVM.

Nautarum, & mercatorum vini in Ripa Vrbis ſecuritati, ac vini vbertati conſulendo, decernit proxenetas, quorum opera vinum vendunt, obligatos eſſe ad fauorem dominorum vini pro pretio vini ſic venditi. §. 1. & 2. Proxenetáſque illud ſoluentes agere poſſe contra emptores prædictos. §. 3. Quoſcumque caupones, & tabernarios Vrbis, pro prædictorum mercatorum maiori cautela, præcipit cauere debere de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo coram Commiſſario dictæ Ripæ, cum omnibus intereſſe habentibus. §. 4. Et gabellam Iuliorum quatuor pro quolibet dolio vini, Cameræ Apoſtolicæ à prædictis vini debitoribus ſoluendam eſſe. §. 5. Iſtúdque diploma in d. Camera regiſtrari. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vini, de quo hic legitur, inuentor, quis omnium primus fuit?

RESP. Noë, qui primus vineam plātauit, & cùm vini naturam ignoraret, ſupra modum bibens, inebriatus eſt. Vnde patet, quod vinum auctori ſuo non pepercit, & quod in principio generis humani ignorabatur ebrietas, vt habetur in cap. 8. diſt. 35. & refert Ioannes de Sylua in ſuo tract. de benefic. par. 3. q. 7. n. 135.

Scholion ſecundum.

Quæro. Gabella vini, de qua in §. 5. extenditur forſan ad acetum, vel vinum acinaceum?

RESP. Nō, quia in hac materia odioſa ceſſat interpretatio extenſiua, vt de aceto cenſuit Bald. in tract. de ſtatut. in verſ. vinum, licèt in materia fauorabili ſecus ſit. l. 1. ff. de trit. vino, & oleo legat. Et de vino acinaceo Bertachin. de gabell. in 2. membr. 4. part. principali. n. 22.

XLIII.

DEcet Rom. Pont. & infra pag. 56. *Item*; Ad Romanum ſpectat, & infra pag. 57. *Item*; Cupientes pro iniunctæ, & infra pag. 58. Bullarij. Edita Anno 1561. 1562. & 1564.

COMPENDIVM.

Iuſtis, quas enarrat, cauſis pœnas maleficiorum Status Eccleſ. vigore ſtatuti, aut banni Communitatibus applicatas, R. Cameræ Apoſtolicæ (exceptis pœnis damnorum datorum) applicat. §. 1. & 2. Officialibus præcipit, quòd has pœnas eidem Cameræ applicent, & applicationes aliter factas irritat. §. 3. Excipit pœnas ex cauſa verè oneroſa hactenus applicatas. §. 4. Hanc Bullam comprehendere declarat etiam loca Communitatibus ſubiecta. §. 5. ſubſeq. Conſtit. Decimam partem dictarum pœnarum Gubernatoribus, accuſatoribuſque quartam, decernit in alia ſubſeq. Conſtit.

Scholion primum.

Quaero. Si Communitates duarum Ciuitatum haberent pœnas; ex cauſa verò oneroſa, & in Curia vnius Ciuitatis quis dediſſet cautionem alicui de non offendendo, & illum poſtea offendiſſet in territorio alterius Ciuitatis, ad quam earum ſpectaret hæc pœna?

R E S P. Deberetur Curiæ, vbi pœna promiſſa fuit, per doctrinam Bart. in l. Illicitas.6.§.3.ff.de off.Præſid.n.6. & Iaſ. in l. fin. ff. de iuriſd.omn. Iud. num. 12. Herculan. de caution. cap. 9.num. 2. & Caball.caſu 35. per totum. Sed hoc procedit, ſi contentio eſſet ſolummodo inter ipſas Communitates.

Scholion ſecundum.

Quaero. Cur reſolutio huius dubij ad quæſtionem vertentem inter Communitates tantùm reſtringitur?

R E S P. Quia, ſi quæſtio eſſet cum R. Camera, his temporibus ſibi pœna deberetur; ſi quidem hic idem Pius aliam poſt hanc edidit Conſtitutionem, quæ inferiùs erit num. 52. vbi in §. 4. ſecundæ declarationis dictæ Conſtitutionis decreuit, quaſcumque cautiones de non offendendo, ad ipſius Cameræ tantùm fauorem, ſtipulatas cenſeri. Et in facti cõtingentia ſic in ſacra Conſulta tentum fuiſſe, teſtari poſſum.

X L I V.

Edita Anno 1561. IN throno Iuſtitiæ, & infra pag. 58. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad parcendum laboribus, & expenſis litigantium in Rota Romana, decernit, vnicam cõmiſſionem cauſę ſufficere in prima inſtantia,& eius vigore, Auditorem cauſam cum omnibus eius incidentibus, & dependentibus decidere poſſe, terminumque præfigere ad docendum de attentatis,& de nullitatibus, & cauſis reſtitutionis in integrum, & eo elapſo, ad expeditionem procedere, & cætera facere,quæ ordinarij Iudices facere poſſunt. §. 1. & 2. Fatalia arbitrio Rotæ prorogare.§.3.Sententias non proferre, cauſa non propoſita in Rota.§.4. Eaſque per viam termini pro ſeruato ſubſcribere, & publicare infra quindecim dies, & in vltima audientia infra menſem. §. 5. Declarat quo pacto Notarij referre debeant terminos ad referendum acceptos.§.6. Auditoréſque ſententias non proferre non perfecto regeſto. §. 7. Deciſionum copias ab Auditoribus petenti dari iubet. §. 8. Cauſas Auditorum,eorumque familiarium,conſanguineorum & affinium vſque ad ſecundum gradum de iure canonico computandum,in Rota cognoſci prohibet.§. 9. Auditores in eorũ domibus Notarios, ſubſtitutos,aut iuriſperitos,etiã conſanguineos,in cauſis ſe quoquomodo intromittentes,recipere vetat.§. 10. Aduocatúmve,aut procuratorem aliquem à partibus eligi Auditores non cogant. §. 11. Et nihil,niſi votis omnibus, aut duabus tertiis partibus diſcuſſis,diſponere queant. §. 12. Nullitates tres tantùm attendere iubet.§.13. A liquidatione fructuum & expenſarum ſemel appellari permittit. §. 14. Auditores, conſulto tantum Papa, vel ex cauſis in Rota probatis, lites ad Cancellariam remittere poſſe indulget. §. 15. Superſederéque in cauſa ciuili, ſi criminalis ei præiudicet. §. 16. Taxam ſportularum præfinit. §. 17. & ſeqq. Eas poſt ſententias Notario conſignatas, per Notarium Auditori dari decernit. §. 20. Notarios idoneos eligi, officia non arrendare,& pro ſubſtitutorum facto teneri declarat. §. 21. Decretum irritans addit. §. 22. Derogatoriáſque contrariorum. §. 23.

Scholion primum.

Quaero. Rota iſta rigorem, vel æquitatem potiùs ſequi conſueuit?

R E S P. Æquitatem, vt dictum fuit in deciſ. Achil. 303. aliàs 3. de teſtam. in fin. & in deciſ. Cantuc. 12. par. 2. diuerſor. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quaero. Rota cur quandoque rotat, id eſt, diuerſimodè iudicat?

R E S P. Quia etſi idem videatur caſus, plerumque tamen euenit, vt aliqua circumſtantia mutet factum. Vel quia quod maturè priùs iudicatur, maiori deinde conſideratione, & ſtudio aliter cenſetur, ita vt correctio pernéceſſaria videatur. Vel tandem, quia diuerſa eſt hominum opinio, & natura ad diſſentiendum prona. Hæc recenſet Theſaur. in præfat. ad deciſ. Pedemont. num. 33. vbi alios allegat.

XLV.

Edita Anno 1561. QVamuis à Sede Apoſtolica, & infra pag. 60. Bullarij.

COMPENDIVM.

Legitimationes de naturalibus ſpuriis in præiudicium ex qualibet valida diſpoſitione vocatorum, quoquomodo per quamcumque facultatem habentem factas, non tamen effectum ſortitas, nec ius in re conſecutas, irritat. §. 1. & 2. Lites deſuper pẽdentes extinguit. §. 3. Quoſcumque legitimandi facultatem habentes, ad hoc, vt in præiudicium eiuſmodi diſpoſitionum eas facere non poſſint, reuocat. §. 4. & 5. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit. d. §. 5. Contraria non obſtare decernit. §. 6. Hanc ſanctionem, quoad legitimationes Apoſtolica auctoritate factas, vbiuis locorum effectum ſortiri, & quoad illas, quæ Imperiali conceſſione factę fuerunt in Terris Sedi Apoſtolicæ mediatè & immediatè ſubiectis, in caſibus, in quibus illæ in dictis Terris de iure fieri permittuntur, locum habere declarat. §. 7. Et in Vrbe publicatas, omnes ligare. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cardinali Legato aſſerenti habere facultatem legitimandi, de qua in §. 1. crederetúrne?

R E S P. Non, quia eſt de reſeruatis Papæ, & Imperatori. cap. per venerabilẽ. 13. qui fil. ſint legit. & tradit Pariſ. cõſ. 12. lib. 2. n. 131. Et in his, quæ Cardinali Legato de iure communi, aut generali ſuæ legationis officio non competunt, credendum non eſſe cenſuit Rota poſt Roman. & alios, quos allegat in deciſ. Seraph. 142. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro Reuocatio legitimationum, quoad ſucceſſionem, de quibus in §. 1. intelligiturne etiam quoad honores?

R E S P. Non equidem, cùm lex iſta exorbitans non ſit extendenda. Caſtrenſ. conſ. 180 lib. 1. num. 2. verſ. Valebit. & Florian. de S. Petro conſ. 26. num. 45. verſ. Ex his ſequitur.

XLVI.

Edita Anno 1561. VOlentes dilectos filios mercatores pannorum, & infra pag. 61. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat ad fauorem mercatorum pannorum Vrbis quaſcunque literas ſuorum prædeceſſorum. §. 1. Extendit eaſdem, vt libris illorum credatur, vſque ad ſummam ducatorũ triginta auri. 2. Et Conſules ius dicant etiam contra Romanos, & Curiales. d. §. 2. Derogat omnibus contrariis. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid pariter & contra mercatores iidem libri fidem faciunt?

R E S P. Sine dubio faciunt, tum quia ipſi ſcripſerunt, tum quia in iudicio produxerunt contra debitores. l. Cùm precum. 9. Cod. de liberal. cauſ. Pariſ. conſ. 47. lib. 2. num. 3. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Probabuntne hi libri mercatorum aliud, quàm ipſam venditionem, & pretium, vel potiùs alia quoque in partitis enunciata?

R E S P. Non probant alia enunciatiuè dicta, vt tenuit Rota coram Accorambono in deciſ. 284. par. 3. diuerſor. lib. 3. num. 4.

XLVII.

Edita Anno 1561. INter cæteras, quibus ex iniuncto, & infra pag. 62. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius III. franchiſias pro malefactoribus tuendis in Vrbe prohibuit. §. 2. Quod hic Pontifex approbat, & franchiſiam eiuſmodi neque teneri, neque acclamari decernit, pro malefactoribus etiam non condemnatis, aut etiam ære alieno grauatis, neque eos à miniſtris Iuſtitiæ eximi, aut ſecuros reddi, nec executores Iuſtitiæ quouis modo directè, vel indirectè impediri. §. 3. Contrauenientes velut criminis læſæ maieſtatis reos puniri iubet, vltra pœnas, quas rei adiuti merentur, & vltra damnorum refectionem erga eorumdem creditores. §. 4. Cardinalibus, Oratoribus Principum, & cæteris, quouis modo hoc tolerare interdicit. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Verbum, *velut*, de quo in §. 4. ſtat ſimilitudinariè, vel exẽplificatiuè?

R E S P. Puto ſtare exemplificatiuè, vel

Digitized by Google

vel potiùs expreſſiuè, etiam quod agatur de pœna, vt pulchrè habetur in decif. 676. Bellam. num. 3. Et eſt bonus tex. in l. penult. Cod. de interd. matrim. int. tutor. & pupill. vbi Bald. num. 5. notat, quod ibi hoc verbum, *velut*, importat fictionem, contra quam non admittitur probatio in contrarium.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis eſt ſenſus illorum verborum §. 3. *directè, vel indirectè?*

RESP. Senſus eſt, quod nemo etiã per obliquum quouis modo, aut ratione impediat, prout ſcribit Vgolin. de cenſur. Eccleſ. in expoſit. Bullæ Cœnæ Domini, quæ eiuſmodi verba continet, & cap. 8. num. 2. verſ. directè.

XLVIII.

Edita Anno 1561. Dudum à felicis record. Paulo Papa IV. & inf. pag. 62. Bullar.

COMPENDIVM.

Paulus IV. multa ſtatuit in Cõſtitut. 3. de qua ſuprà tom. 1. circa Iudæorum viuendi modum, in prin. Hic Pius Hebræis Romæ degentibus indulget, de loco ad locum deferre poſſe birretum nigri coloris in itinere. §. 1. Stabiliáque retinere vſque ad valorem ſcutorum 1500. & quaſcumque artes exercere. §. 2. Et honeſtam conuerſationem, & familiaritatẽ cum Chriſtianis habere. §. 3. Et pignora à Chriſtianis habita poſt menſes 18. vendere. §. 4. Statutáque Vrbis, & generalia decreta obſeruare. §. 5. Et dominos domorum in locis Hebræis aſſignatis exiſtentium, penſionem à Camerario taxatam augere non poſſe. §. 6. Eóſque qui illorum bona ſtabilia ab illis emerunt, pretium abſque cautione ſoluere, vel ipſa bona reſtituere debere. §. 7. Nonnulla iam per eos commiſſa crimina remittit. §. 8. Querelantes Hebræum de tranſgreſſionibus, quoad pœnã annum habeant, & quoad intereſſe ciuile habeant tempus à iure ciuili præfinitum. §. 9. Præſcriptio iuris communis tantùm creditis Hebræorum opponi poſſit. §. 10. Apothecas extra ſeptum tenere poſſe indulget. §. 11. Eorum libri non conſcripti characteribus linguæ vulgaris Italicæ, contra Chriſtianos non probent. §. 12. Et ita, & non aliter iudicetur. §. 13. Executores deputantur. §. 14. Contraríque omnia remouentur. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid honeſtæ conuerſationis, & familiaritatis permiſſione, poſſunt Hebræi comedere cum Chriſtianis?

RESP. Hoc dubium ſuſtulit Clemens VIII. cuius iuſſu emanauit Illuſtriſſimi D. Cardinalis Vicarij in Vrbe proclama, ſub die 17. Auguſti 1592. vbi comedere cum Chriſtianis omnimodè, præterquàm in itinere, eis prohibuit, cap. 5. & ſeqq. vbi aliæ leguntur prohibitiones ad materiam huius Bullæ pertinentes.

Scholion ſecundum.

Quæro. Antiquo autem iure comederéne licebat cum Hebræis?

RESP. Non, textus eſt in cap. omnes. 14. cauſ. 28. quæſt. 1. & habemus gloſ. in c. ad menſam. 124. cauſ. 11. quæſt. 3. Turrecrem. ibid. num. 5. & Archid. num. 2. in fin. vbi limitat, ſi Epiſcopus dat licentiam, vel in caſu neceſſitatis.

XLIX.

Cum vices eius, & infra pag. 64. Bullarij. *Edita Anno 1562.*

COMPENDIVM.

Prohibet deferri, & detineri quouis prætextu per cuiuſuis ordinis, & conditionis perſonas in Statu Eccleſiaſtico, archibuſettos breuioris menſuræ duorum palmorum, etiam in itinere, & quoquomodo etiã militiæ prætextu, aut executionis Iuſtitiæ. §. 1. Contrauenientibus pœnam criminis læſæ maieſtatis, & rebellionis, ac alias pœnas de iure inflictas imponit. §. 2. Inhibet quibuſcumque Officialibus licentias dare. §. 3. Dataſque, & dandas irritas decernit, & illis vtentes à prædictis pœnis non excuſare. §. 4. Publicationem huius Bullæ in Vrbe committit. §. 5. Tranſumptiſque illius credi indulget. §. 6. Et contraria remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi teſtes deponant, vidiſſe aliquem deferre archibuſettos duorum palmorum in circa?

RESP. Non dicitur concludenter probata illa breuitas, de qua in hac lege, cùm verbum, *in circa*, dubitationem impor

importet; & conſequenter non releuat, vt in indiuiduo tenet Bertazzol. conſ. crim. 361. lib. 1. num. 10. vbi ad hoc Ruin. Alexand. & Alciat. allegat, & ei adhæret Farinac. quæſt. 108. num. 54.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et quid ſi etiam dicunt, vidiſſe deferre archibuſettum prohibitum?

R E S P. Simili modo dicendum eſſe, eam probationem non concludere, vt latè voluit Burſat. conſ. 331. libr. 3. num. 31. & Farinac. vbi ſup. num. 57. Sed tu intellige id verum, ſi teſtis non ſubdat, illud menſuraſſe, aut menſurari vidiſſe, ſiquidem menſura determinata per ſolam rationem viſus non certificatur, vt egregiè docuit Bart. in ſuo tract. de teſtimon. num. 47. de quo meminit Burſat. in loc. præcit. Aduertendo, quòd menſura duorum palmorum, intelligenda eſt de canna, non computata capſa, vt dignoſcitur ex lectura bannimentorum Gubernatoris Vrbis, de anno 1610. edidis, cap. 8.

L.

Edita Anno 1562.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 65. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Vt lites Monaſterij Conuertitarum de Vrbe, eo citiùs, & minus damnosè expediantur, eas coram quocumque Iudice, non tamen inſtructas vertentes, ad ſe auocat. §. 1. Ad eáſque, & alias intereſſe Monaſterij concernentes, Cardinalem illius Protectorem, per ſe, vel alium ab eo deputandum, cognoſcendas in Iudicem ordinarium deputat. §. 2. Cum facultate inhibendi quibuſcumque Iudicibus Vrbis. §. 3. Sententiáſque exequendi. §. 4. Inobedientes coërcendi. §. 5. Cæteráque neceſſaria faciendi. §. 6. Cauſas ab aliis Iudicibus reaſſumendi. §. 7. Decernit inſuper huiuſmodi cauſas alibi cognoſci non poſſe. §. 8. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 9. Et decretum irritans. §. 10. Derogatoriáſque contrariorum. §. 11. Et ſolam illius ſignaturam ſufficere. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quæ hic diſponuntur ad fauorem Monaſterij, num etiam contra illud ſunt attendenda?

R E S P. Ita ſanè, quia in iudiciis non debet reus, & actor ad imparia iudicari, & conceſſum pro vna parte, pro alia quoque diſpoſitum cenſetur. l. fin. vbi omnes notant, Cod. de fructib. & lit. expenſ. l. non debet. 42. vbi Dec. & Cagnol. ff. de Regul. iur. Rota in terminis indultorum huius Monaſterij, in deciſ. Sacrati 25. Iunij 1610. in vna Romana ſociet. impreſſa à Marcheſ. de commiſſionib. par. 2. §. 3. pag. mihi 228. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num contrarium eſt dicendum, cùm iſte Pius non ad inſtantiam Monaſterij, ſed motu eius proprio hæc illi indulta conceſſerit?

R E S P. Non, quia effectus motus proprij non impedit regulam æqualitatis ſeruandæ in iudicialibus, vt reſpondet Bald. in d. l. fin. num. 2. Panorm. in cap. 2. de mut. petit. num. 10. & Felyn. ibid. num. 4.

L I.

PAſtoris æterni, & infra pag. 66. Bullarij. Edita Anno 1562.

C O M P E N D I V M.

Aliqui Romani Pontifices diuerſis Ordinibus Regularibus conceſſerunt, eorum perſonas de hæreſi inquiri non poſſe, niſi ab eorum Superioribus. §. 1. Hic Pont. decernit, Inquiſitores contra quoſcumq; Religioſos procedere, dummodo per illorum Superiores non ſit præuentum. §. 2. Et ita ſolùm iudicari debere. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Ante hanc Bullam, quid in procedendo contra Regulares ſeruabatur?

R E S P. Quandoque ſoli Superiores contra Religioſos; quandoque non illi, ſed Inquiſitores procedebant, vt videre eſt apud Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 3. quæſtione 28. & comment. Pegnæ 77. verſ. in hac.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et poſt hanc Pij ſanctionem, quid obſeruatum?

R E S P. In ſanctæ Inquiſitionis Tribunali hoc vſu receptum fuit, vt nulli Religioſorum Superiores ſuos ſubditos

Religioſos de cauſa fidei iudicare audeant, aut punire, ſed protinus ad huiuſmodi S. Officium cauſas deferant; nec aliud agentes bene fecerunt, vt aduertit Pegna in loco cit. verſ. Tametſi. Et ita ſancitum eſt modò à Paulo V. in ſua Conſt. 25. aliàs 19.

L I I.

Edita Anno 1562. *&* 1565. ETſi cunctæ, quæ ex multa, & infra pag.67. *Item*; Cùm nos dudum, & infra pag.68. *Item*; Licèt dudum, & infra pag. 68. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Bullam 24. Iulij I I. de qua ſup. tom. 1. §. 1. & alteram Pauli I I I. etiam 24. de qua tom.1. Eas approbat. §. 3. Addit, quòd nemo capitaliter condemnatus, etiam ſi aliquem bannitum occiderit, vel ad manus Curiæ deuenire fecerit, & ob id ſuam, vel alterius banniti à ſe nominandi liberationem petierit, extra carceres andiatur, iuxta formam dictæ Bullæ Iulij I I. §. 4. Et in ſubſeq. Conſtit. id extendit ad quemcumque, pro quocumque crimine, cuius pœna eſt capitalis, condemnatum. §. 2. Addit inſuper, hos bannitos nequaquam remitti in locum vbi ſunt hæredes occiſi, niſi priùs habita pace. §. 3. Idque prohibet omnibus Officialibus. §. 4. Et in ſubſeq. altera Conſtitutione declarat actuale fieri debere depoſitum pœnæ, vel æſtimationis rei, de qua agitur, ſiue quis à ſententia diffinitiua, ſiue alia appellet, aut de nullitate dicat, conſtétque de depoſito per publicum inſtrumentum, antequàm appellatio, ſeu reclamatio admittatur. §. 2. Niſi Iudici ad quem conſtiterit de paupertate reclamantis. d. §. 2. Declarat inſuper, reos extra carceres non audiri, ſi pœna capitalis non ſit pecunia æſtimabilis. §. 3. Decernit pœnas conuentionales pacis, & treugæ, & fideiuſſiones de non offendendo, ſtipulari per Notarios ad fauorem Cameræ. §. 4. Et in cauſis fractæ pacis, vel treugæ, ipſos fractores, & eorum fideiuſſores allegare non poſſe ex noua cauſa offenſam ſecutam. §. 5. Declarat verba, quæ apponuntur in cautionibus de non offendendo. §. 6. Et ſententiam contumacialem præiudicare fideiuſſoribus, in his cautionibus de non offendendo. §. 7. Hoc extendit ad legitimam per parentes ſoluendam, vt eam ſoluere teneantur, etiamſi eorum filij in contumaciam condemnati fuerint. §. 8. In contumaciam pro crimine condemnatos, lapſis ſex menſibus, ad defenſiones admitti vetat. §. 9. Et eo termino elapſo, ſententias in contumaciam pro crimine latas, crimen notorium efficere, & tamquam rem iudicatam exequi iubet. d. §. 9. Hos condemnatos, ſi fuerint, poſtea abſoluendi, gratis abſolui mandat. §. 11. Addit, Iudicum ad quos appellationibus, nullitatum dictionibus, & aliis decretis, contra formam ſuperiùs traditam emanatis, non obſtantibus, Iudices à quibus, ad exequutionem (aliàs tamen legitimè) procedere poſſe. §. 12. Iudicibus, & Notariis contrauenientibus pœnas infligit. §. 13. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 14. Contrariis derogat. §. 15. Formam, & effectum publicationis huius Bullæ ſubiungit. §. 16. Eam publicationem ſubdit in fine.

Scholion primum.

Quæro. Prohibitio dicendi de nullitatibus, de qua in §. 12. num comprehendet exceptionem opponendi de nullitatibus?

RESP. Quamuis dicere de nullitate, comprehendat regulariter etiam excipere, vt voluit Rota in deciſ. Put. 174. lib. 2. num. 2. in penultimò impreſſis: nihilominus, quia hæc Bulla ponit verbum, *dicere*, poſt verbum, *appellare*, ideo cenſetur illud intellexiſſe de nullitate per modum agendi, non autem excipiendi, id eſt, vt coram Iudicibus ad quos, appellationes, & nullitatum dictiones, executionem non impediant, niſi per viam exceptionis, vt notabiliter notat Francus in c. dilecto. 65. de appellat. num. 150. quem ſequitur Scaccia de appellat. lib. 3. cap. 2. quæſt. 19. remed. 1. concluſ. 4. num. 49. Prout quando prohibetur agi de nullitate, non prohibetur excipi de nullitate. l. verbum. 8. ff. de verbor. & rer. ſignific. Bald. in l. 2. Cod. ſentent. reſcind. non poſſ. num. 24. Contard. de moment. poſſ. limit. 7. rub. 7. in fine.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erant exceptiones rei iudicatæ, de qua in §. 9. in fine, executionem impedientes?

R E S P. Non ſolùm quæ ex actis, aut aliàs notoriæ ſunt, ſed & quæ inconti-nenti probari poſſunt, vt per multa exépla docent Bart. & alij in l. 4. §. condemnatum.ff.de re iudic. Scacciavbi ſuprà ſub num. 29. & ſeqq. Aſin. in pract. Iudiciar. §. 3. cap. 22. & ſeq. ac latiſſimè Chartar. de execut. ſent. contumac. cap. vlt. per totum, vbi intelligentiam huius Bullæ optimè explicauit.

L I I I.

Edita Anno 1562. IN ſublimi B. Petri ſolio, & infra pag. 71. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reformat, & reſtringit authoritatem ſummi Pœnitentiarij, ei prohibens de cætero commutare vltimas voluntates, eiſq; derogare.§.1.& 2.Vnire,ſupprimere,& transferre beneficia Eccleſiaſtica. §. 3. Concedere iuſpatronatus, niſi ex cauſa fundationis, & dotationis. §. 4. Licentiam dare Religioſis ſtandi extra monaſteria. §. 6. & 8. Iudicare de profeſſionibus Religioſorũ. §. 7. Abſoluere apoſtatas. §. 9. & 10. Concedere licentiam alienandi, vel permurandi bona Eccleſiarum. §. 11. Abſoluere à criminibus,præterquàm leuioribus,& in aliis in foro conſcientiæ. §. 12. & ſeqq. Iuramentiſque, præterquàm ad effectum agendi. §. 16. Concedere diſpenſationes matrimoniales gratioſè, ſed Ordinario eas committere. §. 17. Licentias dare Religioſis ſuſcipiendi gradus abſque cauſa, & licentia ſuorum Superiorum.§.18. Abſoluere ab indebita fructuum perceptione. §. 19. Vel à violata iuriſdictione Eccleſiaſtica,niſi cum clauſula,*ſatisfacto priùs parti læſæ*.§. 20. Concedere facultatem teſtandi, præterquàm certo modo. §. 21. Confirmare geſta ab Ordinariis.§. 22. Diſpenſare ſuper ætate promouendorum. §. 23. Præcipit Pœnitentiario, ne ſuas facultates excedat.§. 24. Eius officium Sede vacante ceſſare decernit in his, quæ ad forum fori ſpectant. §. 25. Pœnas contrauenientibus infligit. §. 26. Et ita iudicari mandat. §.27.Contrariiſque derogat. §. 28.

Scholion primum.

Quæro. Quamplura ad hoc officium ſpectantia addiſcere vellem, quis ergo ex antiquioribus me edocebit?

R E S P. Scribb. in clem. 2. de elect. & Gomez. cæteris vberiùs omnia pertractans in eo, quem edidit, libello de poteſt. & ſtyl. offic. Pœnit. de quo meminit Grauat. ad Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Antiquis temporibus quomodo hoc officium regebatur?

R E S P. In primitiua Eccleſia communiter à pluribus immaculatæ vitæ,& ſcientiæ ſimplicibus Confeſſoribus regebatur. Poſtmodum ad tantum honoris culmen hoc officium deuenit, vt quindecim Cardinales illud obire munus non dedignarentur, vt poſt alios ſcribit Gomez. (qui eius officij Regens fuit) in procem. Reg. Cancellar.in tit. de ſacræ Pœnitent. Officialib.

L I V.

VNiuerſi gregis Dominici, & infra pag. 73. Bullarij. *Edita Anno 1562.*

C O M P E N D I V M.

Correctoris Cancellariæ Apoſtolicæ, & literarum minoris Iuſtitiæ, contradictarum nuncupatarum,officium reformat,circa commiſſiones; & reſcripta litium.§.1.& 2. Indulgentiarumque vltimarum voluntatum, iuriſpatronatus, & præſentandi, atque contractuum, ſententiarum, & laudorum confirmationes. §. 3. & 4. Vniones beneficiorum,& ſimilium. §. 5. Alienationes bonorum Eccleſiaſticorum. §. 6. Profeſſiones Regularium. §. 7. Religioſorum licentias ſtandi extra clauſtra. §. 8. Abſolutiones à iuramentis. §. 9. Facultates teſtandi. §. 1. Ordinariorum geſta. §. 11. Beneficiorum titulos, & poſſeſſiones. §. 12. Declaratorias ſuper homicidio, & irregularitate exinde contracta. §. 13. Decimarum confirmationes. §. 14. Reſque litigioſas. §. 15. Priuilegiorum confirmationes. §. 16. Res in iure dubias. §. 17. Facti narrationem. §. 18. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 19. Irritat contraria. §. 20. Decernit ita, & non aliter iudicari. §. 21. Derogat contrariis. §. 22.

d 2 *Scholion*

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore Cancellaria Apoſtolica inſtituta fuit?

R E S P. Hoc penitus ignoro, & illud vnum certum videtur, quod tempore Lucij Papæ III. qui Pontificatum anno 1181. adeptus eſt, & anno 1185. vita exceſſit, Cancellaria iam fuerat promota, cùm de ea ipſe meminerit in c. Ad hæc. 10. de reſcript. & aduertit Gomez. in procem. Regul. Cancell. quæſtione 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Correctoris huius Cancellariæ dignitas ctne Collegialis, ita vt non poſſit aliis conferri, quàm vni de Collegio?

R E S P. Non, vt multis rationibus dixit Rota in deciſ. Seraph. 716. num. 6. & ſeqq. vbi idem determinat quoad omnes actus Collegiales.

L V.

Edita Anno 1562. Romanus Pontifex, & inf. pag. 74. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Proſequendo Romanæ Curiæ reformationem, decernit, Camerarium, & Clericos Cameræ Apoſtolicæ, cauſas intereſſe eius Fiſci tantùm, non autem priuatorum, cognoſcere debere. §. 1. 2. & 3. Et ſe abſtinere à commiſſionibus cauſarum, exceptis ſummam ducat. 25. non excedentibus, & in diſtrictu Vrbis tantùm, ac in profanis. §. 4. Et à commiſſionibus alienationum de bonis Eccleſiaſticis, vbi annuus valor ſummam ducatorum quinque non excedat. §. 5. Abſolutionibúſque delictorum, & ſaluiſconductis. §. 6. Moratoriis quoque vltra menſem. §. 7. Hebræorum tolerantiis, & priuilegiis, quæ Chriſtianis præiudicant. §. 8. Extractionibus frumentorum, & victualium de bonis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. §. 9. Repreſaliis. §. 10. Literiſque de adipiſcenda poſſeſſione beneficiorum, vel prorogationibus téporis, ad expediendum literas Apoſtolicas quarumcumque gratiarum, vel ad ſolutionem annatarum, aut Cathedralium, Collegio, aut Officialibus debitorum. §. 11. Vectigalium impoſitione, augmento, vel diminutione. §. 12. Spoliis Clericorum, decimis, regalibus, & creditis Fiſcalibus. §. 13. Notariorum munere circa expeditiones. §. 14. Indultis circa ſpiritualia. §. 15. Expeditionibus extra facultates datas non concedendis. §. 16. Camerariique & Clericorum officio Sede vacante. §. 19. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 20. Aliter gerenda irritat. §. 21. Clauſulam, *Sublata*, &c. apponit. §. 22. Contrariiſque derogat. §. 23.

Scholion primum.

Quæro. Fiſcus, ſi velit admitti ad cauſam pro ſuo intereſſe, de quo in §. 3. quam probationem deducere debet?

R E S P. Summariè, & non plenè de eiuſmodi intereſſe docere ſat eſt, vt ſcripſit Butr. conſ. 28. num. 1. & Panormit. conſ. 82. lib. 2. num. 10. verſ. Inſuper dici poteſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num ſufficiet Fiſco, probare, ſe eius rei eſſe conſortem Sempronij, contra quem lata eſſe ſententia, prout in facti contingentia hac die à me quæſitum fuit?

R E S P. Affirmatiuè reſpondeas per ea, quæ ſcribit Alex. conſ. 185. lib. 5. num. 8.

L V I.

INter multiplices, & infra pag. 76. Bullarij. *Edita Anno 1562.*

C O M P E N D I V M.

Reformat Curiam Auditoris cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, ſuper monitoriis ſpecialibus in cauſis profanis. §. 1. & ſeqq. Appellationibuſque recipiendis. §. 4. Monitoriis generalibus. §. 5. Cedulonibus cum picturis dæmonum, & ſimilibus. §. 6. Sequeſtris. §. 7. Monitoriis contra Epiſcopos, & eorum Superiores. §. 8. Expenſis contumacialibus inſtigatoris. §. 9. Remiſſoriis in cauſis criminalibus. §. 10. Literis pro capiendis indiciis. §. 11. Examine reorum, & teſtium. §. 12. Eorumdem retentione in ſecretis carceribus. §. 13. Dilationibúſque. §. 14. Fiſci admiſſione pro ſuo intereſſe. §. 15. Cauſis vſuræ cõtra mercatores. §. 16. Appellationibus Fiſci. §. 17. Inuentariis de bonis Inquiſitorum. §. 18. Sportulis Iudicum. §. 19. Notariorum procura, vel pactis cùm Procuratoribus. §. 20. Decretorúmve extenſione. §. 21. Teſtium

Teſtium quoque in teſtamentis adhibédorum cognitione.§. 22. Officiorum arrendatione. §. 23. Inhibitionibus vigore Eugenianæ.§. 24. Notariorum relatione, quoad decreta ſeruanda pro aliis Notariis.§.25. Mandatis de manutenendo per Auditorem dandis. §. 26. Mandatiſque ſuſpicionis fugæ. §. 27. Copiis reo ante torturam dandis.§.28.Regiſtris in cauſis ciuilibus. §. 29. Facultate A. C. in executione obligationis Cameralis. §. 30. Inhibitio, & pœnæ infliguntur contrauenientibus.§.31.Clauſula, *Sublata*, &c. apponitur. §. 32. Derogatoriæque ſubſequuntur. §. 33.

Scholion primum.

Quæro. Si excommunicationum cedulones, de quibus in §.6. deturparentur, num contra eos deturpantes agendum eſt, & coram quibus Iudicibus?

RESP. Procedendum eſt coram Inquiſitoribus S. Officij contra prædictos, cùm libellos excommunicationis deturpantes, videantur de Prælatorum authoritate malè ſentire, cenſuras Eccleſiæ contemnere, atque irridere, eique Eccleſiæ ignominiam irrogare, quæ eius cenſuris vtitur. Hoc habet Pegna in Director. Inquiſ. par. 3. & comm. 24. verſ. Sunt item, & ſequitur Marcus Antonius Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ in pract. Curiæ Archiep. Neap. cap. 8. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cauſæ criminales, de quibus in §. 10. quæ dicuntur?

RESP. Illæ, in quibus Fiſcus agit ad pœnam pro aliquo delicto ad vindictã publicam;ſecus autẽ ſi ex contractu, iuxta theoricam Bart. & aliorum in l.3. ff. de ſepulchr. viol. Peregrin. de priuil. Fiſc. lib. 7.tit.1. Foller. in pract.crim.§. audiantur exceptiones. num. 176. Clar. quæſt. 1. verſ. Tertius caſus.

L V I I.

Edita Anno 1562.

Regimini vniuerſalis Eccleſiæ,& infra pag. 78. Bullarij.

COMPENDIVM.

RESP. Quia Miniſtri Eccleſiarum, Oratoriorum, Capellarum, & Confraternitatum dependentium ab Eccleſia Lateranenſi, vel Hoſpitali S. Spiritus in Saxia, vel Monaſterio S. Sebaſtiani extra muros de Vrbe, prætendunt ſe exemptos à iuriſdictione Ordinariorum, vnde deſuper quamplures lites ortæ ſunt. §. 1. Hic Pont.dicta loca, & perſonas Ordinariis ſubiicit, & facultates Eccleſiæ, Hoſpitalis, & Monaſterij prædictorum, erigendi Eccleſias in locis ſuis à quocumque conceſſas,reuocat. §.2. Cõtrariiſque omnibus derogat.§. 3.

Quæro. Si alicui ex locis erectis Papa conceſſerat facultatem adeundi Ordinarium pro Sacramentis, nónne erat argumentum, quod eſſet locus exemptus?

RESP. Validum eſſe argumentum ex eo probatur, quod facultas adeundi Ordinarium pro Sacramentis, non eſt neceſſaria,niſi in caſu exemptionis.Gloſ. in c. fin. in verſ. permittimus, de pœnit. & remiſſ. & idem tenuit Rota in deciſ. 1025.Seraph. num. 6. & 7. in nouis, vbi alia non abſimilia argumenta habentur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hic, & alibi Epiſcopi appellantur Ordinarij, prout & alibi appellantur Diœceſani?

RESP. Quia in verbo (Ordinarius) includuntur, quæ ſunt Ordinis, & quæ ſunt iuriſdictionis: in verbo autem (Epiſcopus) includuntur quæ ſunt Ordinis tantùm, & ſic non comprehenditur electus ante conſecrationem: & in verbo(Diœceſanus) includuntur, quæ poteſtatis, ſeu dignitatis ſunt, vt per iura, quæ allegat ſcribit Butr. conſ. 19. num. 3. verſ. Cùm igitur.

L V I I I.

Edita Anno 1562.

Cum ab ipſo Pontificatus noſtri initio,& infra pag.80. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformationi tribunalium ordinariorum, & aliorum Iudicum Vrbis intentus, prohibet ſportulas recipi in cauſis ciuilibus ordinariis. §. 1. & ſeqq. Taxat ſportulas recipiendas in cauſis criminalibus, tam ordinariis,quàm cõmiſſariis.§.4. Taxat etiam in cauſis ciuilibus commiſſariis. §. 5. Taxat mercedem Iudicum,quoad decreta in contractibus.§.6. Et ſportulas Iudicis appellationum Curiæ Capitolij.§.7. Sportulas è

manibus Notarij, & poſt ſubſcriptam ſententiam recipi mandat. §. 8. Quid pro ſigillo Iudicum ſit ſoluendum ſtatuit. §. 9. Iudices à bariſello, & birruariis quicquam recipere vetat. §. 10. Quoad expeditionem carceratorum ſeruetur Bulla 44. Pauli III. de qua ſup. tom. 1. §. 11. Terminus pro ſeruato à Iudicibus infra decem dies declaretur. §. 12. Nullitates citationis, iuriſdictionis, & mandati tantùm attendendas eſſe decernit. §. 13. Cauſæ à duobus ſcutis infra fine ſcriptis expediantur. §. 14. Carceres vt viſitandi. §. 15. Medici pro carceratis vt deputandi. §. 16. Et Confeſſores. §. 17. Fiſcus in cauſis criminalibus ſemper citetur. §. 18. Iudices domi non retineant Aduocatum, Procuratorem, vel Notarium. §. 19. Iudex de Sabellis, pro obtinendo officio, nihil Mareſcallo ſoluat. §. 20. Idem Mareſcallus duos tantùm habeat Notarios. §. 21. Carcerumque dictæ Curiæ cuſtodiam vt curet. §. 22. Iudices dictæ Curiæ Burgi, & Turris Nonæ, necnon Ripæ, & Ripettæ, vt ſyndicentur. §. 23. Camerarius Ripæ vltra ſex menſes in officio non confirmetur. §. 24. Cauſæ habitantium in Burgo, vbi cognoſcendæ. §. 25. Conſeruatores Vrbis vt in Palatio Capitolij reſideant. §. 26. De pœnis vt gratiam facere poſſint. §. 27. Extraordinarij vt caueant ante adeptum officium. §. 28. Quæ eis præſtanda ſit fides. §. 29. Quodque ſit eorum munus. §. 30. Mandata executiua à quibus exequẽda. §. 31. Magiſtri Viarum quid recipere poſſint pro conceſſione locorum, ad exponenda venalia. §. 32. Eorum munus quod. §. 33. Submagiſtrorum relationes vt fiendæ, & contra fraudes vt procedendum. §. 34. Magiſtrorum Viarum proclamata vt edenda. §. 35. Aduocati pauperum munus quod. §. 36. Procuratoriſque pauperum. §. 37. Aduocati etiam Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ. §. 38. Procuratoriſque Fiſcalis. §. 39. Hic Procurator à reis nil, & ab inſtigatoribus moderatè aliquid in cauſæ proſecutione recipere poſſit. §. 40. Expenſæ contumaciales ſibi, inſtigatoribus, & Notario, vt perſoluendæ. §. 41. Citatio contra Fiſcum vt fieri, & à Fiſco vt expediri debeat. §. 42. Mandata de capiendo quando dare valeat. §. 43. Appellare quomodo, & quando poſſit. §. 44. Superſeſſorias in cauſis ciuilibus non procuret, niſi prout de iure. §. 45. Fiſco, & inſtigatori, nonniſi prout de iure remiſſoriæ dentur. §. 46. Literæ pro capiendis indiciis vt concedendæ. §. 47. Reis dilationes vt dandæ. §. 48. Compoſitiones cum quibus tractandæ. §. 49. Abſolutorum cautiones non requirendæ. §. 50. Fiſcus appellationem proſequi poteſt, extante inſtigatore, expenſáſque reficere cauente. §. 51. Fiſcus pro ſuo intereſſe quando audiendus. §. 52. Fiſcus in omni cauſa criminali, & in omni Curia citandus. §. 53. Fiſci facultas deputandi ſubſtitutos, quæ. §. 54. Prohibitio cum eis participandi. §. 55. Fiſcus Capitolinus ſeruet, quæ dicta ſunt de Fiſco Cameræ Apoſtolicæ. §. 56. Pœna contrauenientium in prædictis quæ. §. 57. Notariorum taxa vt ſeruanda. §. 58. Officia eorum vt arrendanda. §. 59. Subſtitutos vt recipiant. §. 60. In cauſis à ſcutis duobus infra Notarij nihil ſcribant abſque licentia Iudicis. §. 61. Regiſtra vt faciant. §. 62. Copiáſque indiciorum. §. 63. Notariorum Capitolij munus quod, & quæ electio. §. 64. Quæue ipſorum taxa. §. 65. & ſeqq. Rogitus ad referendum vt eis prohibitus. §. 69. Plurium Notariatuum retentio interdicta. §. 70. Notariorúmque & ſcribarum procuratio in eorum Curiis. §. 71. Conſules artium ſua ſtatuta approbata ſeruent. §. 72. Cauſas coram maioribus Tribunalibus introductas non reaſſumant. §. 73. Eorum Notariorum taxa ſeruanda. §. 74. Aſſeſſores eorumdem quid pro voto recipiant. §. 75. Iudex Turris Nonæ quas cauſas cognoſcat. §. 76. Eius Notarius ſeruet taxam Notariorum Curiæ de Sabellis. §. 77. Curſorum Papæ taxa quæ. §. 78. Mandatariorum aliarum Curiarum taxa quæ. §. 79. Bariſellorum & cuſtodum carcerum taxa quæ. §. 80. Et quæ eorum poteſtas circa fraudes artificum. §. 81. Pœnæ Notariorum, Conſulum, Aſſeſſorum, & Mandatariorum in prædictis contrauenientium, quæ. §. 82. Prædicti à pauperibus nihil exigant. §. 83. Contraria omnia remouet. §. 84. Sanctionemque pœnalem adiungit. §. 85.

Scholion primum.

Quæro. Expenſarum, in caſu ſuccumbentiæ,appellatione, de quibus in §. 1. quæ impenſæ veniunt?

RESP. Impenſæ Aduocatorum, Procuratorum, Notariorum, Scribarum, & Actorum. Item impenſæ itineris, & temporis, quo pars verſatur extra domum, necnon cibariorum, & ſimilium; de quibus latè ſcribit, relatis aliis, Theſaur. deciſ. 67. per tot.

Scholion ſecundum.

Quæro. Succumbere forſan etiam dicetur is, qui liti ceſſerit?

RESP. Ad effectum refectionis expenſarum, opinionem affirmatiuam probat Bald. in Auth. Contra qui propriam. Cod. de non numer. pecun. num. 3. & in l. 4. Cod. de pact. num. 14. Iaſ. in l. properandum. 11. Cod. de Iudic. num. 2. verſ. Extende, & Aſin. in pract. Iudic. §. 32. ampliat. 2. & Rota in deciſ. Bellam. 14.

LIX.

Edita Anno 1562. CVm nuper nos generali, & infra pag. 84. *Item*; Cùm nuper noſtris, & infra pag. 86. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformat Referendarios Papæ, ſuper commiſſionibus proponendis. §. 1. & 2. Præinſertarumque commiſſionum moderatione, & reuocatione. §. 3. Commiſſionibus quoque appellationum. §. 4. Nullitatum etiam, & attentatorum. §. 5. Prorogationis fatalium. §. 6. & in Conſt. ſubſeq. §. 1. Cauſarumque criminalium, & matrimonialium. §. 7. Decernit, Iudices in cauſis nullitatum, attentatorum, & reſtitutionis in integrũ, terminum ad docendum de eis præfigere. §. 8. Terminóſque ſubſtantiales reiterare. §. 9. Et ſemel tantùm in cauſa taxationis expenſarum appellari. §. 10. Cauſas quoque diſcuſſionis inter creditores, & hæredes debitoris infra menſes tres, inter præſentes expediri, & inter abſentes citra montes, infra tres, & vltra montes, infra nouem. §. 11. Hæredéſque debitoris an velint hæreditatem adire, præſentes, infra duos menſes, abſentes autem citra montes, infra quatuor, vltra verò, infra ſex, inuentarium conficere debere. §. 12. Et interim credita liquida, recepta cautione, exequenda eſſe. §. 13. Et ita iubet, & non aliter iudicari. §. 14. Derogationes apponit contrariorum. §. 15. Sanctionémque pœnalem. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Fatalia, de quibus in §. 6. cur ita nuncupantur?

RESP. Fatalia dicuntur tempora appellationum, quia mortẽ pro qua fatum ſumitur, appellationi inferunt. l. 2. Cod. de tempor. in integr. reſtit. Bald. in l. fin. Cod. de tempor. appellat. num. 5. & latè Sigiſmund. Scacc. de appellat. lib. 3. cap. 2. quæſt. 15. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Termini ſubſtantiales, de quibus in §. 7. ſi non ſeruarentur, num ſententia eſſet nulla, cùm in Conſtit. hanc præcedente, §. 13. ſolùm tres nullitates attendendas hic idem Pont. decreuerit?

RESP. Erit nulla, ex defectu citationis neceſſariæ circa ea, quæ ſunt de ſubſtantia iudicij, vt de ſe patet, & nouiſſimè ſcribit Salluſt. Tiber. in pract. Iudiciar. lib. 2. cap. 8. num. 7.

LX.

HIs, quæ pro Religionis, & infra pag. 86. *Item*; Altitudo diuinæ prouidẽtiæ, & inf. p. 87. Bul. 1562. *Edita Anno 1562.*

COMPENDIVM.

Coſmus Medices Florentiæ, & Senarum Dux, licentiam habuit ab iſto Pont. ſub die 1. Octobris 1561. aliquam Militiam ad inſtar aliarum inſtituendi. §. 1. Is Militiam Equitum S. Stephani ſub Regula S. Benedicti erexit, & condecentes prouentus aſſignauit. §. 2. Charitatem, & coniugalem caſtitatem, obedientiamque eos profiteri voluit. §. 3. Statuta quoque edidit. §. 4. Hic Pont. dictam erectionem, & ſtatuta approbat. §. 5. Ipſum Coſmum, & alios pro tempore Florentiæ Duces, dictæ Militiæ Magnum Magiſtrum creat, cum priuilegiis, quibus alij Magni Magiſtri aliarum Militiarum vtuntur. §. 6. Milites eximit à iuriſdictione Ordinariorum. §. 7. Facultatem retinendi, & transferẽdi

pen

Digitized by Google

penſiones, vſque ad ducat. 200. eiſdem concedit. §. 2. ſubſeq. Conſt. Et indultum diſponendi de quoquomodo acquiſitis. §. 3. Milites presbyteros beneficium vnum habere poſſe indulget. §. 4. Milites ob inobſeruantiam Regulæ ut peccent, declarat. §. 5. Eximit eoſdem à ſolutione decimarum, & aliorum onerum. §. 6. Penſiones ſuper beneficiis Militiæ pro perſonis eius tantùm imponi poſſe decernit. §. 7. Indulgentiam plenariam Militibus decedentibus in expeditione contra infideles, vel hæreticos, elargitur. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore hæc Militia a Pio nunc approbata, ab ipſo Coſmo promota fuit?

RESP. Anno 1560. vt poſt Ald. Manut. in vita Coſmi, ſcripſit etiam Franciſcus Meunens in Opere ſuo inſcripto, *Deliciæ Equeſtrium, ſiue Militarium Ordinum*, pag. mihi 184.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quare, & ſub cuius Stephani denominatione inſtituta?

RESP. Papæ, ac Martyris, cuius feſtum agitur die 2. Auguſti, vt habetur in Martyrolog. Baronij, ab iſtáque Militia ſolemniter celebratur; & ob maximam ea die partam à Coſmo victoriam, illius Sancti nomini Militia dicata fuit, vt ſcribit Author præcit. licèt incuria forſan Impreſſoris dies tertia pro ſecunda habeatur.

L X I.

Edita Anno 1562. DVdum ſiquidem à fel. record. & infra pag. 89. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendas controuerſias, quæ oriri poſſent inter Auditores Rotæ Vrbis ſuper Decanatu vacaturo, decernit, illum de cætero ſpectare ad Auditorem antiquiorē, occurrente vacatione in Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentē, & extra Curiam à Papa deſtinatum. §. 1. & 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Auditor ex cauſa priuata acceſſiet ad patriam, habita licentia à Papa, nonne habebitur pro præſente, iuxta deciſ. Puti 103. lib. 3. in vltimò impreſſis?

RESP. Hæc licentia facit per fictionem Auditorem præſentem, & in hac Bulla requiritur præſentia vera, vel Papæ deſtinatio extra Curiā ob cauſam publicam, vt liquet ex lectura tex. in cap. Audientiam. 15. de Cleric. non reſid. cum ibi not. Barbat. optimè in conſ. 57. lib. 1. num. 3. Et ita fuit tentum, vacante per obitum R. P. D. Peniæ Auditoris, Decanatu de anno 1612. de menſe Auguſti. Nam Paulus V. habito voto à quinque Cardinalibus, Decanum declarauit Reuerendiſſ. D. Coccinum tunc in Curia præſentem, quamuis illum ad ſe ſpectare assereret Reuerendiſſ. D. Sacratus antiquior Auditor, à Curia tamen die vacationis abſens, cum licentia Papæ, non tamen ob cauſam publicā.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi omnes Auditores promiſierēt, abſuturū Auditorē in omnibus, & per omnia habituros pro præſente?

RESP. Hæc promiſſio non ſuffragaretur, quia Decanatus eſt conſtitutus propter publicam vtilitatem. l. 1. §. huius ſtudij. ff. de iuſtit. & iur. Ius autem publicum non læditur pactis priuatorum. l. Ius publicum. 39. ff. de pact. cum ſimilib. & ita in d. cauſa Decanatus dictum fuit.

L X I I.

DE commiſſo nobis vniuerſalis Eccleſiæ regimine, & infra pag. 90. Bullarij. *Edita Anno 1562.*

COMPENDIVM.

Reuocat Indulgentias, gratias, & priuilegia quibuſuis piis locis, & eorum Miniſtris conceſſa, facultateſque diſpēſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, vel aliis quibuſcumque defectibus, & irregularitatibus, & abſoluendi. §. 1. & 2. Excipit priuilegia fabricæ S. Petri, exequendi hæreditates, & relicta ad pias cauſas, & illa applicādi, & Cōmiſſarios, ac debitores dictæ fabricæ ad reddendum computa de adminiſtratis compellendi. d. §. 2. Excipit etiam ea, quæ iam ſuum ſortita ſunt effectum. d. §. 2. Præcipit omnibus dictorum locorum perſonis, & Miniſtris, ne prædictis gratiis vtātur. §. 3.

Aliter gerenda irritat. d. §. 3. Obſtantia remouet. §. 4. Fidémque huius Bullæ tranſumptis dari mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Data eſt forſan Epiſcopis poſt eiuſmodi prohibitionem, facultas diſpenſandi in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus?

RESP. Concilium Tridentinum in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, Epiſcopos diſpenſare cenſuit ſeſſ. 24. c. 6. de reform. de quo meminit Nauar. in conſ. 39. incip. Aliàs fuit dubitatum, in fin. lib. 1. de tempor. ordin. vbi inquit d. Concil. comprehendere etiam irregularitatem incurſam ob violationem ſuſpenſionis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur credis exceptam eſſe diſpenſationem ab irregularitate orta ex homicidio voluntario, per Concilium ſupradictum?

RESP. Quia raro concedenda eſt, & à ſolo Papa. Syluest. in ſua Summ. in verb. Homicidium. §. 3. q. 8. Nauar. in Manual. Confeſſor. cap. 27. num. 239.

LXIII.

Edita Anno 1562. IN eligendis Eccleſiarum Prælatis, & infra pag. 91. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro matura electione Summi Romani Pontificis, nonnulli prædeceſſores prouidas Conſtitutiones edixerunt. §. 1. Quibus addit hic Pontifex, quòd defuncto Papa, Cardinales præſentes, abſentes expectent, & interim defuncti exequias per nouem dies peragant. §. 2. Exequiarum impenſam, & modum præſcribit. §. 2. Elapſis decem diebus, Cardinales præſentes celebrata Miſſa Spiritus Sancti, Conclaue ingrediantur, & in electionis negotio procedant, fiátque ſcrutinium ſingulis diebus, & in primo ſcrutinio accedere liceat. §. 3. Nolentes illud intrare, vel ingreſſi, ſi abſque legitima cauſa exire voluerint, pœnam à Gregorio X. impoſitam in cap. 3. de elect. in 6. incurrant. §. 4. Cardinales præſentes, abſentia poſt decem dies aliorum non obſtante, ad electionem procedant. §. 5. Sede vacante, quid Collegium facere poſſit, declarat. §. 6. Cardinales tres, Capita ordinum, vnà cum Cardinali Camerario, reliquos congregandi, neceſſitates proponendi, & Conclauis clauſuram curandi, facultatem habeant per tres dies, eorúmque loco tres alij ſequentes in ordine, tertio quoque die cum eodem Camerario ſuccedant. §. 8. Camerarius, & Pœnitentiarius quid Sede vacante agere poſſint, declaratur. §. 9. & ſeq. Datarij officium Papa defuncto omnino expiret. §. 11. Cardinalium, & Prælatorum Signaturæ Gratiæ, & Iuſtitiæ munus, Sede vacante quieſcat. §. 12. Cellæ Conclauis ſorte diſtribuantur. §. 13. Apud Conclaue commorari non liceat. §. 14. Conclaue à Cardinalibus pro tempore deputatis cuſtodiatur. §. 15. Cardinales ſani duos familiares; infirmi autem tres in eo habere poſſint. §. 16. Familiarium qualitates præſcribuntur. §. 17. Confeſſores, Medici, Chirurgi, & alij pro ſeruitio Conclauis exiſtant. §. 18. Colloquium, Conclaui clauſo, non permittatur ab extrà, & ingreſſus coërceatur. §. 19. Literæque & ſigna prohibentur. §. 20. Excommmiſſæ ſuper electione Papæ damnantur. §. 21. Cardinales in Conclaui vno ferculo ſint contenti. §. 22. Prælati ad illius cuſtodiam deputati diligenter ſe gerant. §. 23. Conclauiſtæ diſcedentes vlteriùs non recipiantur. §. 24. Cardinalis in Diaconatus ſaltem Ordine non conſtitutus, ad electionem non admittatur. §. 25. Cardinales circa electionem multa aduertere debent. §. 26. Cuſtodes Conclauis omnia inuiolatè obſeruent. §. 27. Cardinales nihil de hac Conſtitutione immutent, ſed omnia obſeruari curent. §. 28. Prætextu quarumcumque cenſurarum ab electione non excludantur. §. 29. Hæc, vbicumque Papa obierit, obſeruentur. §. 30. Publicetúrque iſta Bulla, & omnes afficiat. §. 31. Sanctióque pœnalis adiungitur. §. 32.

Scholion primum.

Quæro. Cardinalium conuentiones in Conclaui factæ, nunquid neceſſariò ſunt ſeruandæ per Pontificem poſtea creatum?

RESP. Latè de hac materia ſcripſit Barbat. conſil.1.lib.1. pet totum, & concludit pro parte negatiua, quod etiamſi iuramentum interuenerit, verum eſſe in his, quæ præiudicant vtilitati Eccleſiaſticæ, vel authoritati Summi Pontificis, probat tex.in cap. Sicut noſtris. 27. de iureiur. vbi Panormit. & alij ita tenent. Et hanc opinionem veriorem aſſirmat in cap. 1. de probat. num. 34. Berous, & Mandoſ. ſup. Reg. Cancell.reg. 32. quæſt. 5. num.8. Fallit ramen, ſi Papa illa iurauit, poſtquam creatus fuit Papa, vt poſt alios tenet Cardinalis Tuſc. in verſ. Papa. concluſ. 50. num.23.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sede iſta vacante, curſúntne fatalia?

RESP. Non in cauſis, in quibus Iudicis iuriſdictio eo tempore quieſcit. Gloſ. & alij in clem.2. §.1. in verb.expirare, de elect. & Rota in deciſ. Seraphin. 362. num. 2. Marcheſan. de commiſſ. par. 3. §. 1. num. 121. in nouis, fol. mihi 409.

L X I V.

Edita Anno 1562.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 94. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, ab iſto Papa, & eius ſucceſſoribus conceſſas, & concedendas, à quibuſuis Rom. Cur. Officialibus, & Miniſtris gratis pro Deo (excepto ſalario regiſtraturæ) expediri decernit. §. 1. Contrauenientibus pœnas infligit. d. §. 1. Executores huius Conſtitutionis Datarium, & Regentem Cancellariæ deputat. §.2. Obſtantibúſque derogat. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Hæc exactionis prohibitio comprehendet forſan voluntariam oblationem?

RESP. Non, ſiquidem illa regula, quòd gratia Dei non venditur, ſed donatur, de qua S. Chryſoſtom. in Marcum homil. 13.& altera; *Quod gratis accepiſtis, gratis date*, de qua Matth. cap. 19. quas regulas ad materiam Indulgentiarum tradit Leon. in Theſaur. for. Eccleſ. par.4.cap.2. num.124. non applicantur in voluntaria oblatione. Tex. eſt clarus in c. Quicquid. 101.cauſ.1.quæſt.1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Diſpoſitio iſta comprehendítne Indulgentias ab Epiſcopis, aliſque Prælatis elargitas?

RESP. Non, quia ſpecificè loquitur de conceſſis ab iſtomet Pont. & eius ſucceſſoribus, vt in ſimili caſu ſcripſit Nauar.in ſuo comm. de Iubil.& Indulg. 20.notab. num. 12. in fin. præter id, quod materia Indulgentiarum ſtrictè eſt interpretanda, & non extendenda. Nauarr. conſ.9. lib.5.de priuileg. num.1. in impreſſis Brixiæ anno 1597.

L X V.

Edita Anno 1562.

ETſi per diuerſos Romanos Pontifices, & infra pag. 95. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Pontifices prædeceſſores Collegio Deputatorum fabricæ S. Petri de Vrbe dederunt priuilegium, vt debitæ executioni demandari faciant teſtamenta, & legata ad pias cauſas facta: ſed accidit, quòd hæredes non curant illa teſtamenta aperiri, & diſpoſitiones teſtatorum exequi. §.1. Hic ideo Pont. eidem Collegio dat facultatem cogendi, cum inuocatione brachij ſæcularis, & appellatione remota, quoſcumque Notarios de teſtamentis in quibus legata pia continentur, rogatos, ad illa poſt annum à die obitus teſtatoris aperiendum, Commiſſariíſque dictæ fabricæ oſtendendum, & exemplar in forma authentica (ſoluta eis debita mercede iuxta formam priuilegiorum dictæ fabricæ) tradendum. §. 1. & 2. Decernítque ita, & non aliàs iudicari. §.3. Et contraria non obſtare. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Inuocatio brachij ſæcularis, de qua in §. 2. eſtne ſubſidiaria?

RESP. Ita ſanè, debet etenim Eccleſiaſticus Iudex militantis Eccleſię armis, quæ fulmina ſunt, priùs vti, & deinde ad brachij ſæcularis auxilium confugere, quia eſt vltimum remedium, aliis deficientibus, implorandum, vt bene Practicus Veſtr. docet in ſua pract. Rom. Cur. l.8.c.vlt.n.5. verſ. Epiſcopus, & Marcheſ. de commiſſ. par.1.c.5.n.237. in dicta penult. impreſſione. Sed hæc quæ de iure ſunt, intellige omnino iuxta decretum Concil. Trident. ſeſſ. 25.c.3. de reformat.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Iudex laicus ab Eccleſiaſtico requiſitus, dictum auxilium denegare poterit?

RESP. Non, quinimò Eccleſiaſticus illum compellere valet ſub vinculo excommunicationis, iuxta communem DD. ſententiam, de qua teſtatur Aleiat. in cap. 1. de offic. Ordinar. num. 123. & ſequitur Grauat. ad Veſtr. vbi ſup. numero 40.

L X V I.

Edita Anno 1563.

ONeroſum ſupremi, & inf. pag. 95. Bullarij.

COMPENDIVM.

Odettus à Caſtellione S. R. E. Cardinalis Hugonotorum hæreſim ſecutus eſt. §. 1. Cuius rei verificatio S. R. E. Cardinalibus hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus generalibus in Rom. Cur. deputatis ab iſto Pont. delegata fuit, vt ſe de præmiſſis informarent, & ſibi relationem darent. §. 2. Qua relatione data, citatus ille vſque ad ſententiam fuit. §. 3. Et ſucceſſiuè ab iſto Pont. excommunicatus, & hæreticus declaratus, omnibúſque bonis, & dignitatibus de voto eorumdem Cardinalium priuatus extitit. §. 4. Sanctióque pœnalis adiicitur. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quo genere ortus, & à quo Romano Pont. ad Cardinalatum euectus fuit hic Odettus?

RESP. Ex gente Colinia, ſeu Colignia, Mareſcallij Caſtellionis filius anno 1523. 1. Februarij natus, Epiſcopus Beluaceſ. Diaconus Cardinalis tit. SS. Sergij, & Bacchi, & poſtea S. Adriani à Clemente VII. Pontifice Maximo creatus fuit, vt ſcribit Ciacon. de vitis, & geſt. Pontific. in vita dicti Clementis, pag. mihi 1103. & in vita huius Pij pag. 1198. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur potiùs hæc ſententia contra Odettum ab iſto Pont. creditur promulgata, quàm à Cardd. S. R. E. Inquiſitoribus, de quibus in §. 2.

RESP. Fortaſſe quia ſolus Papa deponit, & excommunicat Cardinales. Gloſ. 1. & cæteri ſcribb. in cap. 2. de Cleric. non. reſid. & notat Martin. Lauden. in ſuo Tract. de Cardinal. q. 44. Quod verius dignoſcitur ex contextu Conſtitutionis ſubſeq.

L X V I I.

Edita Anno 1563.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 96. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat facultatem S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus, in Vrbe reſidentibus, contra quoſcumque, etiam Epiſcopali, aut alia quacumque etiam Cardinalatus authoritate præditos, hæreticos, eorúmque fautores de eiuſmodi crimine diffamatos, certa ſeruata forma procedendi, & ipſi Papæ, vt ad ſententiam deuenire poſſit, in Conſiſtorio ſecreto referendi. §. 1. & 2. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 3. Obſtantiáque reiicit. §. 4. Sanctionémque pœnalem ſubdit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Sicuti Papa eſt Iudex in crimine hæreſis contra Cardinales, vt in §. 2. nunquid & illi ſunt Iudices contra Papam?

RESP. Non, ſed ſolummodò Concilium generale, vt expreſsè loquitur cap. Concilia. §. Hinc etiam. diſt. 17. & tradit Archidiacon. in cap. in fidei. ſ. de hæretic. in 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad probandum diffamationem, ad effectum inquirendi, vt in §. 2. num duorum grauium virorum teſtimonium ſufficit?

RESP. Hoc eſt certiſſimum, & ita habetur apud Eymeric. in Director. Inquiſit. par. 2. quæſt. 57. & comment. Pegnæ 82. & Locat. in prax. Iudic. Inquiſit. in verb. Diffamatus, pag. mihi 89.

L X V I I I.

Edita Anno 1563.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 97. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cardinalem Protectorem Hoſpitalis, ac Confraternitatis S. Hieronymi Illyricorum de Vrbe, deputat Iudicem cauſarum ciuilium, criminalium, & mixtarũdd. Hoſpitalis, & Cõfraternitatis tam actiuè, quam paſſimè intereſſe concernentium, in ſtatu & terminis, in quibus

reperiuntur, & dummodo inſtructæ non ſint. §. 1. Facultatémque ſummariè, &c. procedendi concedit. §. 2. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit. §. 3. Derogatoriáſque. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore hoc Hoſpitale erectum dicitur?

RESP. Anno 1453. ſedente Nicolào V. Hoſpitale promotum, & ſub Pontificatu Sixti IV. conſtructum fuiſſe, inquit Camill. Phanuc. in ſuo opuſculo de piis operib. Vrbis, lib. 1. cap. 26. & ab eius Confraternitate illud regi, & pia opera per ipſam exerceri, lib. 4. cap. 6. recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et à quo promotum?

RESP. A quodam Hieronymo de Potinia, & aliis pauperibus Eremitis Dalmatiæ, & Sclauoniæ nationum in Alma Vrbe degentium. Ita perlegi in authentico diplomate Nicolai V. ipſo eodem anno 1453. 11. Kalend. Maij obſignato, quod in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruatur.

LXIX.

Edita Anno 1562. SAcri Apoſtolatus miniſterio, & infra pag. 99. Bullarij.

COMPENDIVM.

Studium Bononienſe commendat. §. 1. Rectori plenam iuriſdictionem tradit regendi Vniuerſitatem dicti Studij. §. 2. Eidem dat priuilegium, quòd de aliqua Prætoria, vel Gubernio prouideatur, eius officio expleto. §. 3. Confirmat omnia priuilegia, ac ſtatuta dicti Studij. §. 4. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 5. Executores deputat. §. 6. Clauſulas derogatorias ſubnectit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Clerici ſtudentes Bononiæ, percipere poſſunt fructus ſuorum beneficiorum?

RESP. Poſſunt ex ſpeciali indulto Romani Pontificis, vt inquit Anchar. in conſ. 17. Quod indultum elargitus eſt Studio Bononiæ Clemens, & renouauit Ioann. 22. vt ſcribit Feder. de Sen. conſ. 295. num. 2. Quem Clementem, nomine V. fuiſſe inquit Tuſc. in litera B, concluſ. 120. num. 45.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne verum, quòd Scholares Bononiæ renunciarunt priuilegio fori in criminalibus, quo gaudent Studia generalia?

RESP. Gloſ. in Auth. Habita. Cod. ne fil. pro pat. tenet fuiſſe renunciatum, & Oldrad. ibid. dicit id fuiſſe tempore Azonis: verumtamen Scholares reintegratos inquit Alberic. in d. Auth. ſub numero 2. vbi ſeriem facti recenſet.

LXX.

IN eminenti dignitatis, & infra pag. 100. Bullarij. *Edita Anno 1563.*

COMPENDIVM.

Ordo Monachorum Ciſtercienſium iamdiu vitæ ſanctitate floruit, ſed paulatim ab ea receſſit. §. 1. Cuius reformatio tunc haberi proponitur Papæ, cùm antiquum eorum inſtitutum, & ritus renouetur, amotis quibuſcumque indultis in contrarium extortis ab ipſius Ordinis Superioribus. §. 2. Quæ propterea hic Pont. reuocat. §. 3. Abbatémque, & alios Superiores, omnia Ordinis loca viſitare, & corrigere poſſe iubet. §. 4. Priuilegia huiuſmodi Epiſcopis conceſſa, quatenus impediant Abbatis, & Superiorum Ordinis viſitationem, irritat. §. 5. Omnibus, ne illum perturbent, præcipit. §. 6. Monaſteriis, vt Abbatem, & Superiores recipiant, iubet. §. 7. Priuilegia Ordinis cuncta approbat. §. 8. Statutáque eiuſdem. §. 9. Priuilegia prædicta innouat. §. 10. In Monaſteriis commendatis perſonis extra Ordinem, mandat inſtitui menſam Conuentualem ſufficientem pro Monachis. §. 11. Religioſos alios ibi intruſos eiici, vel in Ordine profiteri iubet. §. 12. Vniones, diſmembrationes, & ſuſpenſiones Monaſteriorum prohibet. §. 13. Monachos degentes in Monaſteriis, aliis piis locis vnitis, ſub correctione Superiorum huius Ordinis remanere decernit. §. 14. Moniales alterius Ordinis, quando recipi poſſint in Abbatiſſas huius Ordinis, declarat. §. 15. Monaſteria omnia ad contributiones ſoluendum Abbati, & Capitulo teneri mandat. §. 16. Cauſulas huius Cõſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 17. Decre

Decretum irritans ſubiicit. §. 18. Contrariis omnibus derogat. §. 19. Tranſumptis credi iubet. §. 20.

Scholion primum.

Quaero. Vnde eſt, quòd priuilegia ab Ordinis Superioribus extorta, hic Pont. reuocauit, vt in §. 2. & 3.

R E S P. Quia hæc priuilegia obſeruantiæ ipſius Ordinis erant valdè noxia. Vnde illis reuocatis, Romani Pontt. reformationi adhæſerunt, vt in ſimilibus tradit Rod. de quæſtion. Regular. tom .1. quæſt. 1. artic. 9.

Scholion ſecundum.

Quaero. Superiorum ergo Ordinis vitio ipſe ruit?

R E S P. Patritius lib. 1. de Reg. tit. 3. ex Xenophontis dicto inquit, omnes Societates vitio eorum ruere, qui illis præſunt; nam ſi rectè gubernarentur, perpetuæ omnino, & etiam immortales eſſent.

L X X I.

Edita Anno 1563. CVm ſicut non ſine animi noſtri, & infra pag. 102. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Caupones, & Albergatores in Vrbe, decernit de rebus in eorum locis per aduenas, hoſpites, & Albergatarios quoquomodo furto ſubtractis non teneri, niſi iſti eas illis conſignauerint. §. 1. Dummodo caupones, & Albergatores, in eorum ingreſſu aduenis, hoſpitibus, & Albergatariis hoc notificent. §. 2. Confirmat priuilegia Societati dictorum cauponum, & Albergatorum conceſſa. §. 2. Et ſtatuta ſacris Canonibus non contraria condendi facultatem tribuit. §. 3. Clauſulam, *ſublata*, &c. apponit. §. 4. Derogatorias quoque. §. 5.

Scholion primum.

Quaero. Num iſta diſpoſitio §. 1. nouum ius inducit?

R E S P. Non, quia Vlpianus iam decreuerat, Caupones, & Stabularios teneri de eo, quod ſaluum fore receperant, in l. 1. ff. Naut. Caupon. & Stabul. Quoniam recipiendo, cuſtodiæ periculum ſubeunt, vt Vlpian. ſubdit in l. 1. ff. Furti aduerſ. Naut. Vnde videbatur è contrà deciſum, quòd de non receptis non tenebantur. Recipere autem tunc dicitur, cùm ſciente Caupone bona viatoris fuerunt in ſtabulo, vel in caupona repoſita. Alex. in addit. ad Bart. in l. 1. §. Recipit. ff. Naut. Caupon. & Stabul. Alber. in rubr. eod. tit. num. 6. Plot. de in lit. iur. §. 10. num. 12. Caball. caſu 70. ſub num. 5.

Scholion ſecundum.

Quaero. Addita modò Pij declaratione in d. §. 1. quòd Caupones, & Albergatores teneantur proteſtari, quòd de non receptis nolunt teneri, quid dicendum, ſi tacitè receperint?

R E S P. Credo quòd hæc tacita receptio non præiudicet, ſed neceſſaria ſit expreſſa conſignatio, quam requirit ipſa proteſtatio. l. fin. §. Item ſi prædixerit. ff. Naut. Caup. & Stabul. gloſ. in l. 2. ff. eod. tit. & Caball. vbi ſuprà num. 9. & 10.

L X X I I.

Edita Anno 1563. LIcet fel. record. Paulus Papa III. & infra pag. 103. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, Paulum III. quamdam Conſtitutionem ſuper reuocatione exemptionum à ſolutione Dohanæ Vrbis edidiſſe, & nihilominus nouas deſuper difficultates ortas fuiſſe, in proœm. Reuocat propterea omnes exemptiones, præter expreſſas in Capitulis Dohanæ. §. 1. Et piis locis, vel ob numerum duodecim filiorum conceſſas, quouſque in communi viuunt, & in Vrbe continuò degerint, & pro rebus dumtaxat, quas aliunde (excepto vino, quod in Ripa ſibi comparauerint) ad Vrbem ipſimet pro proprio vſu tantùm conuehi facient. d. §. 1. Declarat quod ſi aliquis ex illis fratribus, ob Prælaturam, vel ob aliam cauſam, numerum familiæ ſuæ augeat, exemptio remaneat iuxta numerũ perſonarũ, quæ erant tempore impetratæ immunitatis. §. 2. Pro aliis perſonis, & in cæteris rebus alias exemptiones reuocat. §. 1. & 2.

Scholion primum.

Quaero. Hæc exemptio num locum habebit in bonis conuehi cœptis tantùm tempore obitus aliquot ex eis?

R E S P. Bald. in conſ. 117. lib. 1. ſub n. 1. verſ. Secundo caſu, inquit, quòd durat immunitas, quia inſpecto initio, incepit habere vim ſuam. arg. l. incola. 29. ff. ad municipal. cui adhæret Ripa in l. ex facto. 43. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit. n. 18.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis ex dictis filiis ingreſſus ſit Religionem, dicitúrne mortuus, vt ceſſet hæc immunitas?

R E S P. Egregiè Ripa in loco cit. num. 9. defendit opinionem negatiuam, quam relatis aliis tenet Io. Franc. de Pont. conſ. 16. num. 21. & eis libenter aſſentirem, niſi repugnarent illa verba §. 1. *in communi viuant.*

L X X I I I.

Edita Anno 1564. Benedictus Deus, & infra pag. 104. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum indictũ fuit à Paulo III. in ſua Conſt. 33. de qua ſup. rom. 1. & deinde à Iulio III. §. 1. Quod hic Pius in ſua Conſt. 23. de qua ſuprà proſequi iuſſit. §. 2. Deóque dante perfectum fuit, & iuſſu huius Pont. perſolutæ Deo laudes fuerunt. d. §. 2. Ipſáque Synodus huius Papæ confirmationem petiit. d. §. 2. Et ipſe in Conſiſtorio ſecreto comprobauit. d. §. 2. Et modò ab omnibus præcipit obſeruari. §. 3. Imperatorem, Reges, & Principes, ad eius obſeruantiam hortatur. §. 4. Prohibétque edi commentaria ſuper interpretationem illius. §. 5. Declarationem eiuſdem ſibi reſeruat. §. 6. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 7. Hanc Conſtitutionem in Vrbe publicari iubet. §. 8. Tranſumptis eiuſdem credi decernit. §. 9. Sanctionéque pœnalé adiungit. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Huic Concilio cenſetúrne Papa derogaſſe, ſpeciali de eo non facta mentione?

R E S P. Quamuis quoad alia Concilia neceſſaria ſit ſpecialis derogatio; ſecus tamen eſt quoad Tridentinum, cùm in cap. fin. ſeſſ. 25. expreſsè diſponatur, quòd omnia illius decreta intelliguntur facta, ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, qua Papa vtendo, non videtur aliquid contra illud facere; & ſic illi ſpecificè derogare nõ eſt opus, vt cenſuit Rota in deciſ. Pamphilij in vna S. Angeli penſionis, 16. Decemb. 1594. & in alia R. P. D. mei Manzanedi in vna Bononienſi Prioratus, 9. Iunij 1606. Et de ſtylo Curiæ teſtatur Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 32. art. 4. pag. mihi 119. & Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ. 6. num. 220.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Epiſcopus, vel Legatus contra eiuſmodi generale Concilium diſpenſare valet?

R E S P. Soli Papæ id licet. Gloſ. penu in cap. dilectus 19. de præbẽd. & ita cõmuniter tenetur, teſte Nauar. in relect. cap. 5. de reſcript. in except. 16. num. 9. Et patet expreſsè ex eo, quod ſolummodo huius Concilij interpretatio à Papa ſpeciali S.R.E. Cardinalium Congregationi data fuit, vt dicetur infra in Conſtit. 74. Sixti V. in Congreg. 8.

L X X I V.

Romanus Pontifex, & infra pag. 105. Bullarij. *Edita Anno 1564.*

C O M P E N D I V M.

Græcorum priuilegia quęcumque reuocat à Sede Apoſtolica cõceſſa, ad hoc, vt locorũ Ordinarij eos, eorumq; Eccleſias, & Prælatos, cuiuſcumque dignitatis ſint, ac Monaſteria, & alia pia loca ſæcularia, & cuiuſcumque Ordinis regularia, in ſuis diœceſibus conſiſtentia, viſitare, ac in illis ordinariam iuriſdictionem, & omnimodam ſuperioritatem in his, quæ Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, animarum ſalutem, hæreſúmque extirpationem concernunt, exercere, & liberè exequi poſſint. §. 1. & 2. Reliqua Græcorum in diuinis celebrandis, aliiſque ritibus à Sede Apoſtolica approbatis indulta intacta remanere declarand. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 3. Obſtantiáque remouet. §. 4. Sed per hæc non intendit Græcos à Græcanico ritu diſtrahi, vel aliàs per locorum Ordinarios, aut alios impediri. §. 5. Huiuſque Conſtitutionis tranſumptis fidem dari indulget. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid olim ſtatutum eſt ad animarum ſalutem retinendam, de qua in §. 1. circa prauos Græcorum vſus?

R E S P. Multa quidem: ſed pro nunc vide nonnulla, quæ diffiniuit Cæleſtinus III. in cap. 9. & 11. de temporib. ordinat. & Innoc. III. in cap. fin. de Baptiſ. vbi Parnomit. & antiquiores fusè

fuſè de his locuti fuerunt, & meminit Pegna in Director. Inquiſ. par. 2. comment. 43. verſ. Quanta verò.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ritus, de quo fit mentio in §. 2. quid eſt, & in quo differt à conſuetudine, ſtylo, & ſimilibus?

RESP. Ritus propriè eſt quædam cõſuetudo in modo ordinãdi, vel exercẽdo alio actu, ſolẽnitatẽ actus præbens, cap. fin. de conſecrat. Panormit. ad noſtrum propoſitum Græcorum, in cap. 9. de tempor. ordinat. num. 1. Et quid differat à ſtylo, & ſimilibus, fuſè oſtendit Rocch. de Curt. in rubr. de conſuet. quæſt. 4.

LXXV.

Edita Anno 1564. SEdis Apoſtolicæ prouidentia, & infra pag. 106. Bullarij.

COMPENDIVM.

Lis orta fuit inter Canonicos Regulares S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis ex vna, & Monachos S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis ex altera partibus, ſuper eorũ præcedẽtia, quã audiendã, & ſibi referendam tribus Cardinalibus hic Põt. delegauit. §. 1. & 2. Et illi præcedentiam deberi prædictis Canonicis retulerunt. §. 3. Pontifex ideo ſententiam eis fauorabilẽ promulgauit, dicens, Canonicos, & Prælatos Lateranenſes, conuentualiter in proceſſionibus, & aliis locis publicis, & priuatis incedentes, præcedere debere Monachos, & Prælatos Congregationis Caſſinenſis. §. 4. Abbates autem dictarum Congregationum ſingulariter in Conciliis generalibus, & aliis actibus publicis, & priuatis, inter ſe iuxta ſingulorum antiquiorem promotionem ad Abbatiam, præferri debere. §. 5. Et modò ſupplet omnes dictæ ſententiæ defectus, ſi qui ſunt. §. 6. Clauſulas huius ſanctionis præſeruatiuas apponit. §. 7. Executores eiuſdem eligit. §. 8. Obſtantibus derogat. §. 9. Tranſumptiſque fidem dari decernit. §. 10. Tenor deinde dictæ ſententiæ ſubſequitur.

Scholion primum.

Quæro. Cur hi Canonici intitulantur S. Auguſtini?

RESP. Eo quod (ni fallor) S. Auguſtinus cum ſociis ſuis Hippone annos circiter 40. ſecundùm regulam ipſorum Canonicorum Regularium vixit, vt ex Poſſidonio, & aliis, ſic eum vixiſſe tradit Nauar. comment. 4. de Regular. num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid arctior eſt eiuſmodi Ordo Canonicorum, quàm Monachorum?

RESP. Arctior videtur, eo quod, etſi vtrique fuerint inſtituti ad vitam contemplatiuam; Canonici tamen inſtituti fuerunt ad contemplatiuam circa myſteria Eccleſiaſtica publica: Monachi verò ad contemplatiuam priuatam, vt ex S. Thoma inquit Nauar. vbi ſuprà n. 1. verſ. Quartò.

LXXVI.

CVm pro munere, & infra pag. 108. Bullarij. *Edita Anno 1564.*

COMPENDIVM.

Reuocat quaſcumque facultates habendi libros Lutheranos, aut aliorum hæreticorum, vel de hæreſi ſuſpectos, præterquàm Commiſſariis, vel Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis conceſſas. §. 1. & 2. Prohibet eiuſmodi libros prohibitos, aut in poſterum prohibendos, legi, vel haberi. §. 3. Monet Impreſſores, Bibliopolas, & alios omnes, eiuſmodi libros Inquiſitoribus locorum conſignare debere. §. 4. Obſtantia remouet. §. 5. Hanc Conſtitutionem publicari mandat. §. 6. Eiuſdem tranſumptis fidem dari præcipit. §. 7.

Scholion primum

Quæro. Num etiam Iudæis, Infidelibus, Gentilibus, ſeu Paganis, horum librorum lectio eſſet permittenda?

RESP. Non in Terris Catholicorum, vbi eiuſmodi commorantur perſonæ, permittenda eſt lectio librorum prohibitorum, quibus eorum impietas, vel foueretur, vel augeretur, vel conuerſio retardaretur, aut de Chriſtiana fide confutanda, vel de erroribus in eam inuehendis tractaretur, aliiſque quomodolibet prohibitis. Hæc ſcribit Pegna in Director. Inquiſit. part. 2. comment. 3. prope finem, pag. 94.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis libros non conſignaret

In

Inquiſitoribus, vt dicitur in §. 4. ſed combureret, quid dicendum?

R E S P. Pœna dignus videtur, ob ſpretum Pontificis præceptum huiuſmodi, quod libros Inquiſitoribus conſignet. Præter id, quod ſicut ex illa librorum traditione clarum orietur obedientiæ, & fidei teſtimonium apud Inquiſitores, vt aduertit Vmbert. Locat. in prax. iudiciar. Inquiſ. in verb. Libri, loquens de ſimili Pauli IV. præcepto: ita è contrà Inquiſitores ex dicta combuſtione, ſi libri tradlti fuerint alicuius hæretici, damnare poterunt, & ſimilia deferentes interrogare, vnde habuerint. Ita notat Pegna vbi ſuprà, verſ. Præterea, & ſeq. pag. mihi 91.

L X X V I I.

Edita Anno 1564.

DOminici gregis, & infra pag. 106. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quoniam libri hæreticorum nedum ſimplices, ſed etiam literatos viros corrumpunt, Concilium Tridentinum Prælatos delegit ad conſtituendum Indicem librorum prohibitorum. §. 1. & 2. Quem poſtea perfectum hic Pont approbat. §. 3. Illóſque legi, & retineri prohibet. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Publicationem huius Bullæ ſubdit. §. 6. Eiuſque tranſumptis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Prohibitio, de qua in §. 4. comprehendit etiam libros non impreſſos?

R E S P. Proculdubiò, quia adhuc libri ſunt, & in eis militat eadem ratio prohibitionis. Ita tenet Barthol. Vgulin. in tract. de cenſur. Rom. Pont. reſeru. par. 2. verſ. Ac eorundem libros, num. 1. verſ. Quartò. & refert Farinac. quæſt. 180. num. 30.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et quid de libris Catholicorum cum ſcholiis, vel adnotationibus hæreticorum?

R E S P. Eadem ſententia tenenda eſt, ob identitatem rationis periculi. Ita aduertit Iacob. Graff. lib. 4. ſuarum deciſ. cap. 18. num. 43. de quo meminit Farinac. vbi ſuprà num. 50. in fine.

L X X V I I I.

Edita Anno 1564.

INiunctum nobis, & infra pag. 110. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confraternitas ſub inuocatione ſanctiſſimi nominis I E S V, & in Burgenſi, & pluribus aliis Hiſpaniarum locis inſtituta fuit, vt Confratres potiſſimùm curarent, ne ipſi, vel alij coram eis aliquo modo, niſi ob grauiſſimam cauſam, iurarent, & contrafacientes modeſtè admonerentur: vnde blaſphemiæ, periuria, & alia illicita iuramenta commodè prohibebantur. §. 1. Eam ideo hic Pont. approbat, & plenarias Indulgentias elargitur. §. 2. & ſeqq. Ordinarióſque monet, vt eiuſmodi Confraternitati faueant, illámque promoueant. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Confraternitatum inſtitutio ad quos actus regulariter cenſetur ordinata?

R E S P. Aliæ ordinatæ dicuntur ad miſericordiæ, & pietatis opera: aliæ ad actus diſciplinæ in vigiliis, peregrinationibus, ieiuniis, & ſimilibus: aliæ ad vitam contemplatiuam, vt putà in orationibus: aliæ verò (vt hæc noſtra) ad actus charitatis, vt enarrat Petr. de Vbald. in ſuo Tract. de canon. Epiſcop. quæſt. 14. princip. ſub num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad cauendum blaſphemias, quæ hi Confratres poſſunt commodè proponere remedia?

R E S P. Nouem luculenter congerit, cōprobátque authoritatibus, & rationibus, Ioan. Buſæus in ſua Summ. remedior. ſpirit. in verb. Blaſphemia, quæ potiùs integra egent lectione, quàm breui ſcholio comprehendi poſſunt. Ea igitur ab ipſo perlegas.

L X X I X.

Edita Anno 1564.

CVm nos per noſtrum, & infra pag. 141. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Declarat, quòd quicquid maior pars Cardinalium Congregationis ſanctiſſimæ Inquiſitionis, qui in ea interuenerint, ſeu conuenerint, de cætero decreuerit, validum ſit, perinde ac ſi omnes Cardinales in dicta Congregatione con

conueniſſent, & maior pars conſenſiſſet. §. 1. & 2. Omnimodam poteſtatem prædictis Cardinalibus per Summos Pontifices attributam comprobat. §. 3. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Horum generalium Inquiſitorum ſimpliciter ſic delegatorum officium expiráne morte Papæ delegantis?

R E S P. Non, ſic etenim fauore fidei, etiam quantùm ad ea, quæ nequaquam emerſerant, cenſuit Clemens IV. in cap. Ne aliqui. 10. de hæretic. in 6. Canon. ibid. id communiter affirmant, & Nicol. Arelatenſ. de hæretic. notab. 4. Simanc. de Catholic. inſtitut. tit. 34. num. 14. Ioannes Azor Inſtit. Moral. par. 1. lib. 8. cap. 18. quæſt. 7. & Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 56.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid iidem Inquiſitores contra Epiſcopos inquirere valent, vt ex Conſtitut. Pij V. ſic diffinitum dicitur?

R E S P. Poſſunt quidem ex proximè præced. huius Pij IV. Conſtitut. 67. de qua ſup. vt iam vidimus. Quamuis Pegna in Director. illam Pio V. attribuerit errore Impreſſoris, quem non aduertit; & Pegnam ſimpliciter ſequitur Farinac. quæſt. 186. num. 123.

L X X X.

Edita Anno 1564. Sicut ad ſacrorum, & infra pag. 111. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Dubitarunt aliqui, ex quo tempore decreta Concilij Tridentini ad reformationem, & ius poſitiuum ſpectantia, cœperint eos, ad quos pertinent, obligare. §. 1. Hic Pont. dictum Concilium, quamuis ab eo in fine menſis Ianuarij confirmatum fuerit, quia tamen non parum temporis Romæ in illo emendatè imprimendo conſumptum fuit, & de iure communi nonniſi poſt certum tempus nouæ Conſtitutiones vim habent, propterea à die 1. menſis Maij proximè præteriti, omnes obligare cœpiſſe declarar hac die 18. Iunij 1564. §. 2. & 3. Contrariis derogat. §. 4. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quod eſt tempus à iure communi, de quo in §. 2. requiſitum, vt noua Conſtitutio robur ſortiatur?

R E S P. Duorum menſium poſt earum publicationem, vt cauetur in auth. Vt nouæ fact. conſtitut. vbi omnes vno ore id affirmant, & poſt alios Gabr. de legib. concluſ. 4. num. 8. vbi de magis communi opinione teſtatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hoc temporis ſpatium omnibus indiſtinctè iure illo conceditur?

R E S P. Ne iſtos lex noua liget ante illos, tollatúrque rixa, contentio, & imparitas ſubditorum, dum alij ante alios ligarentur, vt ad noſtrum propoſitum, poſt Paul. de Leazin proœm. Clement. §. Nunc igitur. ſub num. 41. tradit Nauar. in conſ. 1. de Conſtitut. num. 17. vbi aliter de ſtylo Vrbis ſubdit obſeruari, poſt nouæ legis publicationem.

L X X X I.

Edita Anno 1564. Alias nonnullas Conſtitutiones, & infra pag. 112. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Multas refert edidiſſe ſanctiones pro reformatione Officialium Rom. Cur. quæ, & etiam decreta Concilij Tridentini, vt obſeruentur, deputat nonnullos S. R. E. Cardinales dicti Concilij, & dictarum reformationum executores, cum facultate contrauenientes coërcendi, etiam ſub pœna executionis latæ ſententiæ, & priuationis officiorum, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. §. 1. Sibi tamen reſeruat declarationem dubiorum, ſi quæ ſuper illis emerſerint. d. §. 1. & 2. Contrariíſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quomodo ſe gerere debent hi executores reformationum circa cenſuras Eccleſiaſticas?

R E S P. Formam præſcripſit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. de reformat. quam obſeruandam puto.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſti executores potuiſſéntne brachium ſæculare inuocare, ſi in §. 2. eiuſmodi facultatem eis hic Pont. non dediſſet?

Digitized by Google

Resp. Non, quia, vt hactenus dixi, iſti ſunt Iudices delegati, qui eam non habent, quam Papa non tribuit poteſtatem, vt notat poſt Archid. quem allegat Feder. de Sen. conſ. 251. num. 4. vbi ſic de ſtylo Curiæ obſeruari ſubiungit.

LXXXII.

Edita Anno 1564. CVm inter crimina, & inf. pag. 112. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat, ſe nonnullos S. R. E. Cardinales iam Inquiſitores ſuper hæretica prauitate deputaſſe, multiſque reſpectibus indigere eos librorum hæreticorum, & aliàs prohibitorum lectione, retentione, & facultate eos retinendi licentiam aliis dandi, id tamen facere non audere, ſtantibus Indice librorum prohibitorum, & aliis Bullis 76. & 77. de quibus ſuprà proximè. §. 2. Huiuſmodi ideo facultates eiſdem Inquiſitoribus elargitur. §. 3. & 4. Cæteris autem retentionem, & vſum, ac lectionem dictorum librorum abſque Inquiſitorum licentia interdicit. d. §. 3. Contrariáque non obſtare decernit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Num legere licet Catholicorum libros continentes errores hæreticorum, ad eos confutandos?

Resp. Minimè, niſi verè pro eiuſmodi errorum confutatione legantur, quia ceſſat tūc ratio prohibitionis. Ioan. Azor par. 1. Inſtit. Moral. lib. 8. cap. 16. quæſt. 2. vbi allegat Nauar. in Manuali cap. 27. num. 56. loquentem de non abſimili prohibitione, de qua in Bulla Cœnæ Domini. Quod videtur intelligendum, quando confutatio errorum reperitur ſcripta in eiſdem libris Catholicorum, & non aliàs, per ea, quæ notat Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. commenr. 4. verſ. Iam ex hoc.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi oculis illos libros inſpexerit, ſed ore non expreſſerit?

Resp. Legere dicitur, qui ſcripturam inſpicit. l. 2. §. inſpectio. ff. quemad. teſtament. aperian. & l. 1. §. legi. ff. de his, quæ in teſtam. delent. & tradit Graff. lib. 4. ſuarum deciſ. in expoſitione Bullæ Cœnæ Domini. cap. 1. num. 45. cui adhæret Vgolin. de cenſuris par. 2. §. Ac eorumdem libros. verſ. Decimò fol. mihi 88.

LXXXIII.

Edita Anno 1564. & 1565. SVperna prouidentia, & infra pag. 113. *Item*; Continua mentem noſtram, & infra pag. 118. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quoniam Pauli IV. Conſtitutio 10. de qua ſup. tom. 1. edita ſuper Cancellariis Status Eccleſ. malè obſeruatur, ideo hic Pont. iterum reuocat quaſcumque conceſſiones ex cauſa non onerosa de eis factas. §. 1. 2. & 3. Innouat d. Conſt. Paul. IV. §. 4. & 5. Cancellarios ſtatim publicos Notarios creatos eſſe decernit. §. 6. Originarios, & exteros Cancellarias emere poſſe indulget. §. 7. & 15. Occupantéſque eas inde expelli iubet. §. 9. Theſaurarium ad explicationem dubiorum, & cognitionem litium ſuper his Cancellariis deputat. §. 10. Facultatem diſponendi de dictis Cancellariis omnibus Officialibus aufert, præterquàm eius Theſaurario. §. 11. & ſeqq. Eas per triennium non vacare decernit. §. 13. Cancellariis facultatem quæcumque acta, & inſtrumenta rogandi tribuit. §. 14. Eoſdem ordinationes has, & etiam Pauli IV. taxáſque obſeruare iubet. §. 17. Confirmat eiſdem indulta Paul. IV. §. 18. Contributiones prohibet. §. 19. Auditorem Cameræ eorum Iudicem deputat. §. 22. & 23. Alienationes earum, ſi Camera vltra dimidium læſa ſit, irritat. §. 24. Inſtantibus Cancellariis, inquirere de facultatibus aliorum Notariorum præcipit. §. 27. Scripturarum reconſignationis formam præſcribit. §. 25. & 28. Cauſarúmque diſtributionis. §. 29. Muneris quoque, & extractionis Menſarij. §. 30. Cancellarios in ſcripturis Archiuiorum ſe intromittere prohibet. §. 31. Arrham dantes eis pro ſcripturis, ad reluitionem cogi mandat. §. 33. Cancellariorum officia non niſi pro læſæ maieſtatis, falſitatis, & homicidij criminibus confiſcari indulget. §. 36. Societates officiorū deſuper creari permittit. §. 37. Eáſque teſignari. §. 39. Cancellariorum Collegiſi priui..

priuilegis Archiuij Rom. Cur. gaudere, haberéque ſigillum, & nemini ſubiacere decernit. §. 40. & 43. Et per ſubſtitutos exerceri poſſe. §. 41 Ac de quibuſcumque ſcripturis rogari. §. 42. Cancellarios expeditionum exactores Rom. Cur. priuatiuè quoad alios, deputat. §. 44. Theſaurario facultatem Cancellarias prædictas locandi concedit, in §. 2. Conſtit. huic annexæ.

Scholion primum.

Quæro. Si Cancellarius habet nudum nomen ſui officij, vt putà, pater emit pro filio Cancellariam, cum promiſſione ne quicquam ſuper eo ſine ipſo diſponat, nunquid ſocietates, de quibus in §. 37. validè contrahuntur?

R E S P. Validè quidem, dummodo non in præiudicium patris, cuius reſpectu cenſetur facta prohibitio non diſponendi de dicto officio. Sic tenet Rota in deciſ. Gypſij, 9. Maij 1388. in vna Romana ſocietatis in meis manuſcriptis tom. 1. fol. 302.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si ſuper duabus Cancellariis, vel aliis duobus officiis contracta eſſet ſocietas, vacarétne vendito vno ex dictis officiis?

R E S P. Non, ſi officium, quod remanſit, capax eſt ſummæ ſocietatis, de qua agitur. Sic cenſuit Rota in deciſ. Blanchett. die 24. Ianuarij 1575. in vna Romana ſocietatis, impreſſa poſt Marcheſan. de commiſſionib. par. 1. § 2. pag. mihi 834. in nouis.

L X X X I V.

Edita Anno 1564.

CVm Magiſtrum, & infra pag. 119. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reſtrinxit primùm omnia indulta Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, & aliorum locorum piorum, diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, & irregularitatibus, & etiam indulgentias, & poſtmodum in Conſtit. 62. de qua ſup. reuocauit. §. 1. Concilium Tridentinum quæſtores eleemoſynarum ſtatuit aboleri, & indulgentias per Ordinarios certo modo publicari, atque colligi. §. 2. Nunc pro huius Hoſpitalis, in quo multa pia opera exercentur, ſuſtentatione innouat indulgentias, & gratias dicto Concilio non contrarias. §. 3. Eleemoſynáſque fideliter, & nulla prorſus mercede recepta oblatas, colligi concedit. §. 4. Clauſulam, *Sublata*, &c. apponit. §. 5. Et clauſulas derogatorias. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vbi colligendi eleemoſynas normam tradidit Concilium, vt dicitur in §. 3.

R E S P. In ſeſſ. 21. cap. 9. vt Genitor meus etiam in huius Cõſtitutionis apoſtilla adnotauit, & conuenit etiam dictum Bald. in conſ. 27. lib. 1. ſub num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eleemoſyna, ſine pœnitentia, delétne peccatum?

R E S P. Sola non delet, ſed eſt magna pars ad conſequendam remiſſionem peccati per legitimam pœnitentiam, ad tex. in cap. Non ſufficit. 63. de pœnit. diſt. 1. vbi Turrecremata, & Archidiac. hoc explicant, & tenet Nauar. in cap. medicamentum. 77. eod. tit. de pœnit. diſtinct. 1. in 1. not. num. 1. & 4. ex S. Thom. 4. lib. Sentent. diſt. 15. quæſt. 1. art. 4.

L X X X V.

Edita Anno 1564.

ROmanum Pontificem, & infra pag. 120. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confidentiæ beneficialis prauũ abuſum tollere intentus, decernit beneficia in confidentiam recepta, à die receptionis vacaſſe. §. 1. & 2. Et Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruat. d. §. 2. Eorum redditus Cameræ Apoſtolicæ applicat. §. 3. Has confidentias de cætero prohibet. §. 4. Prouiſiones de eis factas irritat. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 6. Obſtantibúſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid huiuſmodi confidentia ante hanc Bullam punibilis erat, ob enarratam hic conſuetudinem?

R E S P. Conſuetudo non excuſabat à peccato, ſed à pœna temporali, vt communiter DD. ita firmarunt, quos allegat Pariſ. in ſuo Tractat. de confident. quæſt. 5. per tot. pag. mihi 19. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Bulla cenſetur odioſa, & ſtrictè intelligenda, vel potiùs

fauorablis, & latè interpretanda, ita vt locum habeat etiam in confidentia commiſſa in tranſlatione penſionis?

R E S P. Multis, & quidem vrgentibus rationibus Nauar. conſ. 3. de conſtitut. lib. 1. per tot. egregiè probat eſſe ſtrictè intelligendam, & non comprehendere confidentiam circa penſionem, quæ propriè non eſt beneficium, & Bulla loquitur de confidentia beneficiali. Et in alio fortiori caſu idem tenet Nauar. conſ. 26. de ſimon. in fin. lib. 5. pag. mihi 446.

L X X X V I.

Edita Anno 1564. SAnctiſſimus in Chriſto, & infra pag. 121. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Monaſteria virorum ſupra valorem 200. florenorum auri de Camera iuxta communem æſtimationem, & Prioratus, Præpoſituras, & alias dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumcumque Ordinum, ſuæ diſpoſitioni reſeruaſſe. §. 1. Diſpoſitiones ab aliis factas modò irritat, & earum confirmationem à Sede Apoſtolica intra ſex menſes tantùm impetrari poſſe decernit. d. §. 1. & 2. Contrauenientibuſque pœnas imponit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Prioratus Conuentuales, de quibus in §. 1. qui dicuntur?

R E S P. Qui in Conuentu Religioſorum, vbi non eſt Abbas, præfecti, & capita ſunt; ad tex. in Clem. 1. §. Cæterùm, & ibi Canoniſtæ communiter de ſtat. Monachor. & notat Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ. 8. num. 113. pag. mihi 241.

Scholion ſecundum.

Quæro. Florenorum, de quibus in d. §. 1. fit mentio, origo, & denominatio à quibus habita?

R E S P. A Florentinis, qui certam ob cauſam iamdiu eos cudi fecerunt, & eorum vſus ad alias Prouincias deuenit, vt luculenter enarrat Villan. lib. 6. Hiſtor. cap. 54. & proſequitur Ludouic. Gomez. ſuper Reg. Cancellar. in tit. de valor. exprim. quæſt. 9. verſ. Conſequenter.

L X X X V I I.

CVm inter cæteras animi curas, & infra pag. 122. Bullarij. *Edita Anno 1564.*

C O M P E N D I V M.

Pro vltiori reformatione Cameræ Apoſtolicæ, de qua in Conſt. 55. ſup. confirmat eius priuilegia huic reformationi non contraria. §. 1. & ſeqq. Innouátque, & firmiter obſeruari præcipit. §. 4. Clericorum eligendorum qualitates præſcribit. §. 5. Camerales contractuum Cameræ participes eſſe prohibet. §. 6. Contractibúſque Cameræ cum eorum conſanguineis, vel affinibus vſque ad quartum gradum intereſſe vetat. §. 7. Et etiam diſcuſſionibus cauſarum eorumdem. §. 8. Suſpectos ex cauſa à pluribus probata, Clericos, & Camerales allegari permittit. §. 9. Contractuum Cameralium formam tradit. §. 10. Et prouentus Cameræ ſub haſta licitari iubet. §. 11. Dies, quibus Camera fieri debeat, declarat. §. 12. Curſoréſque pridie eam intimare debere. §. 13. Camerales, abſque Camerarij, vel Decani licentia, abeſſe non debent. §. 14. Veſtibus præſcriptis indutos, in Camera ſtare decernit. §. 15. Miſſámque poſtmodum audire, & inde ad Cameram ſe conferre. §. 16. Procuratores cauſarum ſucceſſiuè audire. §. 17. Notariis Cameræ Procuratoris officium interdicit. §. 18. Miſerabilium cauſas gratis ab Aduocato, & Procuratore pauperum tractari iubet. §. 19. Propoſitiones occurrentium cauſarum ante cœptam Cameram à Clerico Menſario deſcribi mandat. §. 20. Orationem S. Iſidori à nouiſſimo Clerico in primis perlegi præcipit. §. 21. Deinde litigantes audiri. §. 22. Cameram poſtea claudi, & per duas horas continuas ad minus haberi. §. 23. Menſarius deinde propoſitiones perlegat. §. 24. Decanus cauſas non concernentes officia particularia Clericorum, per turnum diſtribuat. §. 25. Clerici deinde cauſas proponant, ſeruatis nonnullis ab eis obſeruandis. §. 26. Iuxta maiorem partem votorum decidant. §. 27. Votis æqualibus, Camerarius, vel eo abſente, maior pars aliorum Cameralium præualet. §. 28. Cauſas gratiam ſapientes ad Papam, & cauſas

cauſas ſpectantes ad Gubernatorem, A. C. vel Theſaurarium, eis remittat. §. 29. Vota reuelantibus pœnas imponit. §. 30. Delinquentes in Camera coërcendi, & Papæ denunciandi ſunt. §. 31. Proponentes cauſas, ſecum ſcripturas deferant. §. 32. Deciſiones earum in libro Cameræ adnotentur. §. 33. Expedienda in Camera de voto omnium vt ſubſcribi debeant. §. 34. Adminiſtratores vt rationes reddere debeant. §. 35. Eas Notarius ad calculatores deferat. §. 36. Eas præſente Camerario, & Cameræ Clericis, ſolidet. §. 37. Adminiſtratores quem librum tenere debeant. §. 38. Rationum redditio vbi deſcribenda. §. 39. In ſolidatione rationum, Clerici videant ſcripturas originales. §. 40. Libri rationum quæ continere debeant. §. 41. In Archiuio cuſtodiantur. §. 42. Contrauenientes puniantur. §. 43. Rationes à Clericis quomodo videndæ. §. 44. Adminiſtratores quotannis rationem reddant. §. 45. Theſaurarij, & alij Papæ Miniſtri, vt rationes reddere teneantur. §. 46. Commiſſarij officium quale ſit. §. 47. Computatorúmque Cameræ. §. 48. & 51. Miniſtrorum Cameræ expeditiones regiſtrentur, & à tergo ſubſcribantur à Computatore. §. 49. Adminiſtratores Cameræ iurent, & idoneè caueant. §. 50. Occultatores ſcripturarum Cameræ puniantur. §. 52. Computatores etiam iurent, & caueant. §. 53. Salarium pro onere alicui à Clerico iniuncto, Papa declarat. §. 54. Decretum irritans apponitur. §. 55. Camerarius horum omnium executor deputatur. §. 56. Contrariis derogatur. §. 57. Forma, & effectus publicationis huius reformationis adiungitur. §. 58. Et iſta Conſtitutio quotannis in Camera legatur. §. 59.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi ſuſpicione iam probata, vt in §. 9. pars redit ad Clericum ſuſpectum allegatum?

R E S P. Ita rediens cenſetur à dicta ſuſpicione receſſiſſe. Rota in deciſ. Seraphini 532. n. 2. vbi aliam Purei deciſionem allegat, quæ eſt num. 371. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui ſic deſtitit à ſuſpicione, num poterit denuò ſuſpectum allegare?

R E S P. Poterit ſolùm ex noua, quæ ſuperuenerit cauſa. Rota in deciſ. Seraphini 598. num. 4. vbi multas authoritates allegat.

L X X X V I I I.

IN ſacroſancta, & infra pag. 128. Bullarij. *Edita Anno 1564.*

C O M P E N D I V M.

Ad fidei Chriſtianæ puritatem præſeruandam, decernit, Doctores, Magiſtros, Regentes, ac cæteros cuiuſcumque facultatis profeſſores, tam Clericos, quàm laicos, & Regulares, ac ad cathedras, & lecturas publicorum Studiorum tam electos, quàm eligendos, eiuſmodi facultatem exercere non poſſe, niſi prænia fidei Catholicæ publica, iuratáque profeſſione, iuxta formam ſucceſſiuè hic inſerendam. §. 1. & 2. Neque Rectores Studiorum, & alij ſuperiores eligantur; nec etiam ipſi Palatini Comites, Scholares quoſcumque ad vllũ gradum in eiſdem facultatibus admittere poſſint, niſi ſeruatis præmiſſis, &c. § 3. & 4. Promouentibus non ſeruata lege prædicta, pœnas imponit. §. 5. Promotionéſque aliter factas, irritas declarat. §. 6. Decretum irritans apponit. §. 7. Et contrariorum derogationem ſubiicit. §. 8. Formam, & effectũ publicationis addit. §. 9. Formam quoque emittendæ dictæ profeſſionis Catholicæ fidei ſubdit. d. §. 9. Sanctionémque pœnalem adiicit. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid iuramentum, quod continetur in forma profeſſionis fidei, vt in §. 10. per Procuratorem præſtari poteſt?

R E S P. Poſſe non eſt dubium, cùm vera ſit Iuris regula, quòd qui per ſemetipſum aliquid facere valet, idem per Procuratorem facere poteſt. l. 1. cum ibi not. ff. de Procuratorib. cap. Qui facit. 72. de reg. Iur. in 6. Et ad hanc Bullam ſic ſcribit Nauar. conſ. 4. lib. 1. num. 2. in tit. de Summ. Trinit. in fin. iuxta impreſſionem Brixiæ anno 1597.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc, vel aliud iuramentum à futuro Imperatore, & Regibus præſtandum erit?

R E S P. De Imperatore habet tex. cum ibi not. in Clement. vnica de

iureiur. & de Rege habes formulam in Pontificiali Romano, Clemétis VIII. iuſſu edito, pag. mihi 128. prout etiam & de Epiſcopis pag. 79.

L X X X I X.

Edita Anno. 1564. INiunctum nobis, & infra pag. 129. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum cenſuit, eos quos Cathedralibus, aut aliis ſuperioribus Eccleſiis præfici, vel quibus de earum dignitatibus, canonicatibus, & aliis quibuſcumque beneficiis curatis, prouideri contigerit, publicam orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſéque in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & iurare debere. §. 1. Idem hic Pont. decernit obſeruari per quoſcumque, quibus de Monaſteriis, Conuentibus, domibus, & aliis Regularium quorumcunque Ordinum, & Militiarum locis, quouis nomine, & titulo, prouideri occurrerit, ſub pœnis in dicto Concilio contentis. §. 2. Formámque dictæ profeſſionis ſubiungit. §. 3. Hanc Conſtitutionem publicari mandat. §. 4. Sanctionémque pœnalem addit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Intra quod tempus ſtatuit dictum Concilium eiuſmodi profeſſionem fidei emitti debere?

R E S P. Intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis, alioquin prædicti prouiſi fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur, in cap. 12. ſeſſ. 24. de reformat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Omittentem hanc fidei profeſſionem facere, iuuabit fortaſſe Regula Cancellariæ de triennali poſſeſſore, quæ eum tuetur?

R E S P. Non, quia dicta Regula, quæ odioſa cenſetur, requirit qualitatem bonæ fidei, quæ deficit in eo, qui ignorantiam huius Bullæ, claram diſpoſitionem continentis, allegat, vt in puncto ſic reſpondet Nauar. in conſ. 1. lib. 1. de Summ. Trinit. in impreſſis Brixiæ anno 1597.

X C.

Edita Anno 1564. IN Apoſtolicæ dignitatis, & infra pag. 131. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

In Eccleſia Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium S. Franciſci de Vrbe, nuper à nonnullis Chriſti fidelibus Confraternitas ſub inuocatione ſanctorum duodecim Apoſtolorum inſtituta fuit, pro maiori ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti veneratione, Monaſteriíque Monialium Domus Piæ fœliciori regimine, ac eleemoſynarum, ad pauperum erubeſcentium, & miſerabilium perſonarum in eorum neceſſitatibus ſecretam ſubuentionem, aliorúmque ope indigêtium, commendatione. §. 1. Cardinalis Protector à dicta Confraternitate deputatus fuit. §. 2. Et modò pro prædictorum comprobatione huic Pontifici ſupplicatur. §. 3. Qui ea confirmat, vnà cum ordinationibus ab eadem Confraternitate firmatis. §. 4. Aliáque edendi facultatem tribuit. §. 5. Indulgentiáſque Confraternitatibus elargitur. §. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo primùm tempore dicta Eccleſia erecta dicitur, & ſub quorum Apoſtolorum nomine?

R E S P. Pelagius I. qui ad Pontificatum anno 556. euectus fuit, eam à ſolo ædificare cœpit, quam morte præuentus perficere nequiuit: Ioannes verò III. eius ſucceſſor conſummauit, & titulo SS. Apoſtolorum Philippi, & Iacobi conſecrauit. Ita Baron. in Annalib. Eccleſ. anno 559. & Ciacon. in vita ſupradictorum Pelagij, & Ioannis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Miſerabiles perſonæ, de quibus in §. 1. quæ dicuntur?

R E S P. Viduæ, pupilli, orphani, cæci, peregrini, decrepiti, diuturno morbo fatigati, vel carcerati, & alij, quibus natura mouetur ad miſerendum. l. vnica. Cod. quand. Imper. int. pupill. & vid. & latè ibi DD. proſequuntur, & Roland. conſ. 76. lib. 1. num. 44. Aufrer. in addit ad deciſ. 556. Guidon. Pap. & Afflict. deciſ. 257. in princ. Menoch. caſu 66. num. 17. & Theſaur. deciſ. 177. num. 1.

X C I.

IN ſuprema, & infra pag. 132. Bullarij. *Edita Anno 1564.*

COMPENDIVM.

Quia nõnulli Prelati, & alij beneficiati, apud Eccleſias ſponſas ſuas iuxta Concil. Trid. decretum reſidere negligunt. §. 1. Eoſdem hic Pont. ad eiuſmodi reſidentiam adhortatur. §. 2. Et extra eam decedentiũ bona, vti ſpolia, etiamſi teſtandi licentiam haberent, Cameræ Apoſtolicæ applicat. §. 3. Et ab Officialibus eius inuentariari præcipit. §. 4. Licentias teſtandi extra reſidentiam reuocat, vnà cum diſpoſitionibus aliter factis. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 6. Alias circa ſpolia emanatas Conſtitutiones præſeruat, præterquàm quoad reſidentes, iuxta dicti Concilij decretum, & ſpecialem teſtandi licentiam habentes. §. 7. Hanc Bullam publicari iubet. §. 8. Contrariáque ei non obſtare decernit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Reſidentia Epiſcoporum fortaſſe excuſat eum, qui officio fungitur Inquiſitoris?

RESP. Non excuſare ſcribit Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ. 43. nu. 164. pag. mihi 527.

Scholion ſecundum.

Quæro. De reſidentiæ negligentia, de qua in §. 4. notatur forſan beneficij reſignatarius?

RESP. Notatur quidem poſt captam beneficij poſſeſſionem, vt poſt alios ſcribit Flamin. Pariſ. de reſignat. benefic. lib. 1. quæſt. 10. num. 20. vbi de communi.

X C I I.

Edita Anno 1565.

DVm ad ſolitam, & infra pag. 133. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quæcumque indulta Confraternitatibus, locis piis, aliiſque conceſſa, homicidam toto die Veneris ſancti, alioque tempore liberandi in Vrbe, & S. R. E. dominio temporali, ne illi, in quorum manibus priuilegiorum vſus eſt, eiſdem abutantur. §. 1. & 2. Præcipit autem aliquem miſerabilem caſum Rom. Pont. referendum eſſe. §. 3. Derogátque omnibus contrariis. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Cur potiùs homicidarum gratias, quàm aliorum reuocat hic Pont.

RESP. Scelus quippe immane eſt, & adeò ipſi Deo exoſum fuit, vt licèt prædilectum habuerit Dauid Regem, cùm de eo dixerit; *Inueni Dauid virum ſecundùm cor meum*, Pſalm. 88. & Iſa. cap. 11. ac Act. cap. 13. attamen noluerit, vt ſibi templum ædificaret, quia erat vir ſanguinis, eo quod adulterium, & homicidium Vriæ commiſerat. 1. Paralipom. cap. 17. Et hæc referuntur in cap. 2. cauſ. 1. quæſt. 7. & recenſet Tiber. Decian. lib. 9. ſui Tract. crimin. cap. 17. vbi plures conſimiles prærogatiuæ habeantur contra homicidas.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur adeò immane cenſetur?

RESP. Quinque enarrat cauſas Decian. in loco cit. quas per te videas: longum ſiquidè eſſet eas ſingulas recéſere.

X C I I I.

Edita Anno 1565.

CVm Paſtorali noſtro, & infra pag. 134. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Conſeruatores Vrbis aſſignare Vniuerſitati merciariorum locum in foro Capitolino, vt eius Conſules ibi ius dicerent de rebus ſpectantibus ad Vniuerſitatis artem. §. 1. Senatorémque Vrbis tempore Bonifacij IX. eidem facultatem dediſſe, vendendi res quaſcumque etiam alias artes concernentes, & erigendi vnum Collegium. §. 2. Et Collegium modò edixiſſe, Conſules cognoſcere cauſas de rebus ſpectantibus ad artem, vſque ad quamcumque ſummam, inter homines de arte, & inter alios vſque ad ducatos 30. auri in auro de Camera incluſiuè. §. 3. Librisque eorum mercantiliter tentis, omnibus partitis ſimul computatis vſque ad ſummã ducat. 30. fidem adhiberi. §. 4. Falſitatem doloſè committentes in eorum libris coërceri. §. 5. Appellarique non poſſe à ſententiis Conſulum, à decem ſcutis infra. §. 6. Senatorem, & Conſeruatores dicta ſtatuta approbaſſe. §. 7. Hic modò Pont. ſupradictas conceſſiones Senatoris, & Conſeruatorum, & dicta ſtatuta, & Conſulum iuriſdictionem comprobat. §. 8. Iudicibus Vrbis impedimentum in prædictis dare vetat. §. 9. Et ita, & non aliter iudicari decer-

decernit. §. 10. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 11. Et derogatorias. §. 12. In iuriſdictione Conſulum alios conſentire permittit. §. 13. & 14. Facultatem citandi intra diſtrictum concedit. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Si non extarent illa verba §. 4. *omnibus partitis ſimul computatis*, hoc priuilegium fortaſſe ſimili modo intelligeretur?

RESP. Non, ſed crederetur libris in qualibet partita quoad ducat. 30. Nam quot ſunt partitæ, tot ſunt credita, & tot contractus. l. cùm plures. 72. ff. de euict. Dec. conſ. 344. in fin. præſertim ſi partitæ eſſent creatæ diuerſis diebus. Alex. conſ. 135. lib. 4. num. 1. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid credendum, ſi partita non haberet annum, menſem, & diem?

RESP. Non creditur. l. 1. §. rationes, & ibi Angel. ff. de eden. latè Straccha de mercat. par. 2. num. 55. & 61. cum aliis citatis per Ioſeph. Ludou. concluſ. 29. verſ. Octauò requitur.

X C I V.

Edita Anno 1564. IN Principis Apoſtolorum Sede, & infra pag. 136. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum multa edidit decreta, quibus plurima indulta, priuilegia, diſpenſationes, immunitates, Confeſſionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ, variis Eccleſiis, Monaſteriis, Religioſis, Hoſpitalibus, Militiis, Patriarchis, Epiſcopis, & aliis cuiuſcumque dignitatis perſonis, à Romanis Pontificibus elargitæ contrariantur. §. 1. Has ergo gratias, & priuilegia, etiam pluries confirmata, & ex quauis honeſta cauſa conceſſa, hic Pont. reuocat. §. 2. Eorumque vigore acta, & agenda, à die, qua dictum Concilium ligare cœpit, nulla eſſe decernit. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari iubet. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Sanctionemque pœnalem apponit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Mare magnum quid ſignificat?

RESP. Multitudinem priuilegiorum indicat, vt dixit Rod. tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 7. artic. 4. vbi etiam pro diuerſis Religionibus nonnullos Rom. Pont. Mare magnum dediſſe recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc priuilegiorum reuocatio num abſolutè valida fuit contra omnes?

RESP. Ita ſanè, quia Reipublicæ Chriſtianæ illa cœperant eſſe damnoſa, cap. ſuggeſtum. 9. vbi Canon. communiter de decim. latè Philipp. Dec. in conſ. 235. num. 1. & Surd. deciſ. 236. num. 21.

X C V.

INter aſſiduas, & infra pag. 137. Bullarij. Edita Anno 1564.

COMPENDIVM.

Innocentius III. & Honorius III. diuerſas gratias Hoſpitali, & Militiæ S. Lazari conceſſerunt, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ ſuſceperunt. §. 1. Gregorius IX. quandam Indulgentiam porrigentibus pro eis manus adiutrices dedit. §. 2. Et licentiam profitendi vnam ex Regulis approbatis. §. 3. Magnum Magiſtrum non leproſum, ſed ſanum eligi voluit. §. 4. Et medietatem molendini in Nympha conceſſit. §. 5. Alexander IV. dedit Prioribus facultatem abſoluendi Fratres quoquomodo ſe percutientes. §. 6. Regulam S. Auguſtini iuſſit obſeruari. §. 7. Donationem Federici Imperatoris approbauit. §. 8. Eccleſiam de Galbiis conceſſit. §. 9. Facultatémque componendi ſuper vſuris, &c. §. 10. Diœceſanos etiam non poſſe in domibus Hoſpitalis ponere Rectores. §. 10. Nicolaus III. exemptionem tribuit à decimis. §. 11. Clemens IV. in ſua Conſt. 5. de qua ſup. tom. 1. multa priuilegia dedit. §. 12. & ſeqq. Ioannes XXII. exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum elargitus eſt. §. 26. Gregor. X. ſeu Alexander IV. bona, & perſonas Militiæ moleſtari vetuit. §. 27. Exemptionémque à gabellis, & pedagiis pro eorum bonis dedit. §. 28. Paulus II. Leproſiam Capuanam ſub protectione Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, & exemptionem ab omni onere dedit. §. 29. Alex. Vrb. Clem. & Greg. viſitantibus Leproſiã Hoſpitalis de Colle, & eleemoſynas ſubmi

ſubminiſtrantibus, quaſdam Indulgentias conceſſerunt. §. 30. Nicolaus IV. eas confirmauit, & alias adiunxit. §. 31. Clemens IV. Hoſpitali de Valloneellis exemptionem tribuit à procurationibus legatorum, & quibuſcumque collectis. §. 32. Leo X. Hoſpitali S. Lazari reſtituit Hoſpitalia S. Ioannis Leproſorum, Panormitanenſ. & Meſſanenſ. aduerſus Innocentij VIII. ſuppreſſionem. §. 33. & 34. Alex. IV. & alij quamplura alia indulta elargiti ſunt. §. 35. Hic Pius poſtea omnia comprobauit. §. 36. Et modò omnia comprobat, & iterato concedit, quatenus Concilio Tridentino non ſint contraria. §. 37. Hoſpitaliſque Capuano communicat, & omnem eius ſuppreſſionem reuocat. §. 38. & 39. Illúdque caput Hoſpitalis, & Militiæ S. Lazari conſtituit. §. 40. Magni Magiſtri electionem ad Conuentum, & Milites ſpectare decernit. §. 41. Eique facultatem dictam Sedem aliò transferendi concedit. §. 42. Habitum quoque, Crucem, & ſtatuta reformandi. §. 43. Commendas quoque, & beneficia qualitercumque qualificata, de iurepatronatus laicorum erigendi. §. 44. Iuſpatronatus præſeruandi, perſonas præſentandi, inſtituendi præſentatos, & dicta beneficia conferendi. §. 45. Hoſpitalia leproſorum, quæcumque ſint, ad Hoſpitale, & Militiam Sancti Lazari ſpectare decernit, ſalua iuriſdictione Ordinariorum, & ſaluis his, quæ Concilium excepit, & eximit Militiam S. Ioannis Hieroſolymitani, in quibus Militia etiam S. Lazari excepta ſit, & exempta. §. 47. Facultatem retinendi penſiones pro ducat. 500. concedit. §. 48. Eáſque transferendi. §. 49. Magnum Magiſtrum, & Militiam ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recipit. §. 50. Exemptionem à iuriſdictione omnium Dominorum temporalium, & ſpiritualium tribuit. §. 51. Et à decimis, aliiſque oneribus. §. 52. Ac fori priuilegium dedit. §. 53. Exemptionémque à charitatiuis ſubſidiis, etiam in Regnis Franciæ, & Hiſpaniarum. §. 54. Et priuilegium extrahendi frumenta, & alias quaſcumque fruges. §. 55. Exemptionem etiam pro bonis patrimonialibus poſt emiſſam profeſſionem concedit. §. 56. Lites omnes ad Magni Magiſtri deciſionem, priuatiuè quoad alios ſpectare decernit. §. 57. & ſeqq. Conſeruatores, qui pro hac Religione conſtitui poſſunt, deputat. §. 67. Iura mortuariorum, & vacantium, &c. omnino perſoluantur. §. 68. Facultas datur ſumendi Ordines à quocumque Antiſtite, & extra tempora, & celebrandi in quibuſuis Eccleſiis. §. 69. Magnus Magiſter, Conuentus, Prior Eccleſiæ, aliíque Priores, & Præceptores, intra limites ſuarum iuriſdictionum ſint verè Ordinarij. §. 70. Magnus Magiſter, & Conuentus quoſcumque alios coërceant. §. 71. Officiales quicumque ad hoc præſtò ſint. §. 72. Gratiæ præuentiuæ quoad loca Religionis irritæ ſint, & Magnus Magiſter de eis prouideat. §. 73. Expectatiuæ etiam reſeruationum, antianitatum, & aliarum conceſſionum. §. 74. & ſeq. Monentur omnes vſurpatores, ad reſtituendum loca Ordinis. §. 76. Bona per priuationem vacantia diſponantur à Magno Magiſtro, & Conuentu. §. 77. & ſeq. Loca Religionis non comprehendantur ſub reſeruationibus Apoſtolicis. §. 79. Magnus Magiſter, & Conuentus perſonis Religionis ea conferant. §. 80. Debita communi ærario nulla exemptione impediantur. §. 81. Huic Bullæ vt non cenſeatur derogatum. §. 82. & ſeq. Prohibitio diſponendi de locis Religionis, præterquàm de conſenſu Magni Magiſtri, & Conuentus. §. 84. Reſciſſio alienationum in damnum Religionis factarum, & fiendarum. §. 85. & ſeqq. Conceſſio, & incorporatio Hoſpitalium, & locorum omnium ſub inuocatione S. Lazari conſtructorum. §. 89. & 93. Inhabilitas omnium, præterquàm perſonarum huius Religionis; ad Hoſpitalia, & loca illius. §. 90. & 94. Facultas Magni Magiſtri, Conuentus, & Diffinitorum generalis Concilij, imponendi annuum ſubſidium in ſignum ſuperioritatis. §. 91. Demoliendique omnia loca ſub inuocatione S. Lazari, pro quibus obedientia recuſabitur. §. 92. Preſbyteri ſæculares obtinentes beneficia huius Religionis, vt illis cedere valeat. §. 95. & ſeq.

g. Reuo

Reuocatio iuriſpatronatus, præterquàm ex fundatione,& dotatione. §. 97. Prohibitio reſeruandi penſiones ſuper beneficiis Religionis, niſi in fauorem Fratrum. §. 98. Obtinentes beneficia, & penſiones, vel cedant in manibus Magni Magiſtri, vel habitum ſuſcipiant, & profeſſionem emittant. §. 99. Capellani vt deputandi. §. 100. Vt differant à preſbyteris ſæcularibus. §. 101. Preſbyteri huius Militiæ vnum beneficium curatum vt retineant. §. 102. Res iudicata ſuper iuriſdictione, & ciuili poſſeſſione, vt Magno Magiſtro non præiudicet. §. 103. Perſonæ Religionis vt in eius cauſis recipiendæ ſint. §. 104. Qui ad deſeruiendum Eccleſiis Religionis admittendi. §. 105. Habitum non ſuſcipientes, priuilegiis non perfruātur. §. 106. Neque vagabundi. §. 107. Manus violentas iniici in confugientes ad Eccleſias Ordinis, prohibetur. §. 108. Iura mortuariorum, &c. ſoluantur, quacumque exceptione non obſtante. §. 109. Magni Magiſtri,& Conuentus facultas, Vicarium deputandi ad conferendum beneficia Ordinis, antianitates concedendum, & penſiones imponendum. §. 110. Diſpenſandíque ſuper ætate, & defectu natalium. §. 111. Antianitates à Magno Magiſtro, & Conuentu cōceſſæ,& concedendæ, à Sede Apoſtolica approbatæ cenſeantur. §. 112. Prouiſiones beneficiorum Ordinis quæ per ceſſationem ſolutionis, vel inobedientiam vacauerint, ad Sedem Apoſtolicam non deuoluantur. §. 113. Magni Magiſtri,& Conuentus authoritas deputandi Procuratorem generalem in Curia Romana, cum facultate conferendi beneficia Ordinis ibidem, præterquàm per reſignationem vacantia. §. 114. Magni Magiſtri, & Conuentus, in conferendis beneficiis authoritas quæ. §. 115. Et in vniendis,& diſmembrandis, antianitatibúſque concedendis, §. 116. Admittendíſque reſignationibus. §. 117. Indulgentias publicandi, & eleemoſynas colligendi. §. 118. Excommunicatos, & interdictos, qui interdicto cauſam non dederint, in Eccleſiis Ordinis ſepeliendi. §. 119. Donata, & legata exigendi. §. 120. Sacramenta, & Ordines à Catholico quouis Antiſtite recipiendi. §. 121. Arma deferendi. §. 122. Capellanis eiuſdem Ordinis dat facultatem audiendi confeſſiones, & Sacramenta miniſtrandi perſonis illius, eorúmque familiaribus, & ſubditis. §. 123. Præceptoriáſque erigendi. §. 124. Indulgentias communicandi. §. 125. Hoſpitalia etiam, Confraternitates, & Oratoria. §. 126. Perſonis Hoſpitalis, & Militiæ concedit licentiam teſtandi, etiā more militari, & de bonis ex fructibus beneficiorum acquiſitis, ac ad fauorem conſanguineorum. §. 127. Priori Eccleſiæ Conuentus dat poteſtatem celebrandi in habitu Pontificali, & benedictionem populo impendendi. §. 128. Magnus Magiſter, Milites, & Fratres cùm Regulam non obſeruant, quando mortaliter peccent. §. 129. Magnus Magiſter quos ad Ordinem recipere poſſit. §. 130. Militibus in expeditione contra Infideles morientibus, Indulgentia plenaria conceditur. §. 131. Indulgentiæ pro viſitantibus Eccleſias Ordinis conceduntur. §. 132. Fundatoribúſque Commendarum, vel dotantibus, aut aliter ſubuenientibus. §. 133. Eleemoſynæ ingredientibus Confraternitates Ordinis quæ dantur. §. 134. Et electio Confeſſorum, qui abſoluant, &c. §. 135. & ſeqq. Confratres etiam excommunicati vt ſepeliendi. §. 138. Indulgentias Vrbis vt conſequantur. §. 139. Oua, & lacticinia quando per eos comedenda. §. 140. Mulieres vt ad Monaſteria Ordinis admittendæ. §. 141. Priuilegia Hoſpitalis ſancti Spiritus de Vrbe huic Ordini communicantur. §. 142. & ſeqq. Notariis præcipit reuelare omnia legata Ordini. §. 147. Hortaríque infirmos ad ſubueniendum huic Religioni. §. 148. Confeſſoribus, & Confratribus hoc idem præcipit. §. 149. Inſiſtentibus obſequio Hoſpitalis, & pauperum leproſorum, concedit omnia priuilegia Confratrum. d. §. 149. Magno Magiſtro dat facultatem componendi ſuper vſuris, &c. §. 150. Indulgentiáſque publicandi. §. 151. Confraternitates inſtituendi. §. 152. Omnia loca ſub inuocatione ſancti Lazari, ſint huic Ordini ſubiecta. §. 153. Confratréſque gratiis Ordinis perfruātur. §. 154. Et Priores, ac Præceptores indulgentiam vt publicare poſſint. §. 155.

Et ſi

Et ſi ſacerdotes fuerint,vt valeant confeſſiones audire, & Sacramenta miniſtrare. §. 156. Collectáſque etiam nolis ſonantibus de licentia Magni Magiſtri facere.§.157.Ammalibus S. Lazaro oblatis nolas,ſeu campanas apponere.§.158. Magnus Magiſter,& Conuentus, & eorum Commiſſarij, vt valeant indulgentias publicare in locis,in quibus Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, vel Commiſſarij pro fabrica S. Petri de Vrbe, fuerint deputati. §. 159. Ordinis indulgentiæ vt non intelligantur ſuſpeſæ.§.160. Fratres huius Religionis poſſint per ſe,vel alios idoneos preſbyteros, in eius Eccleſiis Miſſas, & officia diuina celebrare. §. 161. Sacramentáque infirmis Hoſpitalis miniſtrare. §. 162. Mortuos etiam ſepelire. §.163. Verbum Dei prædicare.§.164. Quæcumque priuilegia, quibuſcumque Militiis conceſſa, dummodo Concilio Tridentino, & iuribus alterius tertij non præiudicent, elargitur. §. 165. Exemptionem concedit in caſibus Concilij,vt conceſſa eſt Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani.§. 166. Et indulgentias conceſſas, & concedendas Hoſpitali S. Spiritus de Vrbe. §. 167. Publicationem mandatorum Magni Magiſtri iubet omnes ligare, ac ſi perſonaliter eſſet facta executio. §. 168. Omnes infra annum in Conuentu comparere decernit. §. 169. Et ſimiliter cæteros vocatos, poſſidentes beneficia, vel penſiones Ordinis. §. 170. Nullam in his exemptionem aduerſus obedientiam Magni Magiſtri valere declarat. §. 171. Sed Magnum Magiſtrum, & Conuentum liberè de beneficiis huiuſmodi diſponere poſſe. §. 172. Huic Bullæ clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 173. Et decretum irritans. §. 174. Executores eius deputat. §. 175. Contrariiſque derogat. §. 176. Concilio Tridentino in prædictis non præiudicare declarat. §. 177. Tranſumptis credi mandat. §. 178. Gratias Magni Magiſtri huius Bullæ inſertione non egere indulger. §. 179. Sanctinnémque pœnalem adiungit. §. 180.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore Innocentius VIII. ſuppreſſit hanc Militiam, vt enunciatur in §. 33.

RESP. Anno 490. eam ſuppreſſit, & Militiæ Sancti Ioannis Hieroſolymitani applicauit: vnde illa tum apud Gallos,tum etiam apud Italos obſcurata fuit. Ita ſcribit Franc. Mennenius de orig. Militiar. pag. mihi 50. iuxta impreſſionem de anno 1541.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vtra priuilegia multa, quæ huic militiæ plures Romani Pontt. elargiti ſunt,num Reges quoque, & Principes aliis eamdem gratiis honeſtarunt?

RESP. Plerique diuerſiſque temporibus, ſicuti enarrat Franc. Menn. vbi ſuprà.

XCVI.

ETſi Romanum Pontificem, & infra pag. 151. Bullarij. *Edita Anno 1565.*

COMPENDIVM.

Prohibet Nunciis Apoſtolicis, & aliis,ad ſæculares Principes deſtinatis fauores etiam vocales, & ſponte oblatos ambire, vel directè, vel indirectè, ad dignitates, & officia Eccleſiaſtica conſequenda, aut ſibi, vel aliis eorum conſanguineis, & neceſſariis quoquomodo per Romanos Pontifices conferenda procurare.§.1.& 2.Contrauenientibus multas infligit pœnas.d. §. 2. Preces Principũ,etiam per eorum Oratores apud Sedem Apoſtolicam porrectas, id legitimè,& ſufficiẽter probare decernit. §.3.Et ita,ac non aliter iudicari iubet.§. 4.Hanc Bullã pręcipit publicari in Vrbe, & poſt duos menſes ligare declarat.§.5. Contrariáque non obſtare. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Apud Gentiles etiam ambitus eiuſmodi forſan extitit improbatus?

RESP. Audi nunc ſolummodo Ciceronem in lib. de Offic. *Miſerrima eſt omnino ambitio, honorúmque contentio.* & Senecam in Epiſt. 78. *Non tam iucundum eſt, multos poſt ſe,quàm alium ante ſe videre.* & alibi. *Relinque ambitum, tumida res eſt, vana, ventoſa, nullúmque habet terminum*, &c.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod fertur apud eoſdem Gentiles, ambitum pro fumo reputari?

RESP. Fumum reputaſſe, ex illo di-

dignoſcitur exemplo, quod refert Nauar. in conſ. 57. lib. 5. de ſimon. num. 2. iuxta impreſſionem de anno 1610. Venetiis, vbi inquit, quod Alexander Seuerus iuſſit, quemdam Turrinum, qui apud Imperatorem magnæ authoritatis videbatur, in foro tranſitorio ad palum alligatum, fumo necari, præcone acclamante; *Fumo punitur, qui fumum vendidit.* Et de his fumi venditoribus nouiſſimè verba facit etiam Ioannes Baptiſta Baiard. in ſua quæſt. crim. 73. num. 14.

XCVII.

Edita Anno 1565. SEdis Apoſtolicæ, & infra pag. 152. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commoditati Religioſorum Congregationis Caſſinenſ. aliàs S. Iuſtinæ de Padua, Ordinis S. Benedicti, opportunè conſulere volens, priuilegiò donat Abbates dicti Ordinis, qui ex Apoſtolico indulto Pontificalibus vti, & Pontificalem benedictionem elargiri conſueuerunt, vt lapides pro vſu altarium portatilium, pro locis eiuſdem Ordinis, benedicere, & conſecrare poſſint, Ordinariorum licentia minimè requiſita. §. 1. Clauſulas huius priuilegij præſeruatiuas ſubdit. §. 2. Derogatoriáſque. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Confracto hoc lapide, altare portatile eſſétne execratum?

RESP. Eſſet ſine dubio, nedum eo confracto, ſed etiam enormiter diminuto; quia ipſe lapis dicitur ſigillum conſecrationis, vt cenſuit Alex. III. in cap. 1. & 3. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. vbi Innoc. Anchar. Panormit. & alij vno ore id affirmant.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erit in caſu prædicto enormis diminutio?

RESP. Ea, ob quam ille lapis eius formam amiſerit, cùm illa det eſſe rei. Ita argum. tex. in cap. Huiuſmodi. 3. cauſ. 10. quæſt. 2. notat Panormit. in cap. 1. & 6. de conſecrat. Eccleſ. vel Alta. Quod totum eſt ad arbitrium Epiſcopi redigendum, qui etiam oculis debet talia ſubiicere per ſe, vel per alium; & melius eſt ſi per ſe, dummodo commodè hoc fieri poſſit, vt inquit Hoſtienſis in d. cap. 5. num. 1.

XCVIII.

INgens humeris noſtris, & infra pag. 152. Bullarij. Edita Anno 1565.

COMPENDIVM.

Decernit, quoſcumque Duces, Marchiones, Epiſcopos, & alios etiam Cardinalatus honore fulgentes, qui indulta, gratias, licentias, & alias quaſcumque conceſſiones, quæ quoquomodo, & qualecumque minimum Cameræ Apoſtolicæ præiudicium, & intereſſe concernere cenſebuntur, illa infra tres menſes à die eorum impetrationis computandos in eadem Camera præſentare, ac ibi regiſtrari facere debere. §. 1. & 2. Alioquin illa nullam fidem faciant, nulláque exiſtant. d. §. 2. Cardinalis Camerarius ſit huius Conſtitutionis executor. §. 3. Sicque, & non aliter iudicari poſſit. §. 4. Obſtantia reuocantur. §. 5. Soláque huius motus proprij ſignatura ſufficit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Si aliqua ſint conceſſa priuilegia motu proprio, comprehendénturne hac lege, contra impetrantes priuilegia loquente?

RESP. Comprehendentur, tum quia lata eſt ſignificatio verbi, *priuilegium*, quia omne, quod quoquomodo conceditur contra ius à Principe, dicitur priuilegium. cap. 3. diſt. 3. Panormit. in cap. Cùm tibi. 18. de verbor. ſignific. num. 1. Tum etiam quia gratia facta motu proprio, eo ipſo, quod eſt acceptata, dicitur impetrata, vt in puncto tenet Ruin. conſ. 133. lib. 1. num. 1. & ſeqq. & Rota in deciſ. Seraph. 365. num. 8. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hæc latè accipienda eſt ſignificatio in hac lege pœnali?

RESP. Quoniam principaliter agitur de vtilitate Cameræ, quæ dicitur vtilitas publica, vt probat tex. in l. 3. Cod. de Primipil. lib. 12. ideóque ampla verbi ſignificatio recipitur. Bart. in l. 1. ff. ſol. matrim. num. 26. & Iaſ. num. 40. vbi alios allegat.

XCIX.

INter multiplices curas, quibus aſſiduè, & infra pag. 153. Bullarij. Edita Anno 1565.

COMPENDIVM.

Reuocat omnes licẽtias, & facultates extra

extrahendi frumenta, blada, & legumina, de Statu Eccleſiaſtico quomodolibet, præterquàm ex cauſa ſolutionis, & exburſationis pecuniarum conceſſas. §. 2. Quaſcumque hactenus emanatas prohibitiones huiuſmodi extractionum innouat. §. 3. Iterum prohibet dictam extractionem. §. 4. Executorem deputat S. R. E. Camerarium. §. 5. Facultates ex cauſa oneroſa haberi prætenſas, irritas decernit, quatenus coram Camerario non verificentur. §. 6. Contrariis derogat. §. 7. Licentias etiam ex cauſa oneroſa conceſſas, Camerarij approbatione indigere decernit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Continebitúrne farina appellatione frumenti, de quo in §. 1.

R E S P. Certiſſimum eſt contineri, ex identitate rationis euitandi penuriã. Bart. in l. quæſitum. 76. §. illud. ff. de legat. 3. in fin. & Bertach. poſt alios de Gabell. par. 8. membro 2. num. 16. Quamuis contrarium ſimpliciter dixerit Bald. in l. Si conuenerit. 18. §. ſi fundus. ff. de pignorat. act. in fin.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi ego extraxiſſem granum, poſtea pœnitens retrocederem, & in reditu fui deprehenſus?

R E S P. Non ligaris hac lege, ſi eras in via, ſecus ſi in tugurio, & diceres pœnituiſſe, niſi alia extarent indicia. Ita ſingulariter docet Ioan. Andr. ad Speculat. in tit. de Conſtitut. §. 1. in apoſtilla ad num. 9. & ſequitur Bertach. de Gabell. par. 9. ſub num. 18. ſubdens, quod hoc nemo alius dixit præter Ioan. Andr.

C.

Edita Anno 1565.

EX debito Paſtoralis officij, & infra pag. 154. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 9. aboleri cenſuit nomen, & vſum quæſtuandi eleemoſynas. §. 1. Hinc Fratres, & Hoſpitalia S. Antonij Viennenſis, quæ piorum eleemoſynis ſuſtentari conſueuerunt, quaſi deſtituta remanebant. §. 2. Iſte ergo Pont. priuilegium quæſtuandi eis reſtituit, quoad ea tantùm, quæ ſunt in vſu, & Concilij Tridentini decretis non repugnant, quibuſcumque aliis non obſtantibus. §. 3. & 4. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 5. Executoréſque deputat. §. 6. Obſtantia repellit. §. 7. Tranſumptiſque credi iubet. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quis hunc Ordinem dicitur promouiſſe?

R E S P. A Gaſtono, & Guindo nobiliſſimis Viennenſibus ſub Regula S. Auguſtini, ante annum 1092. inſtitutum ſcribit Ciacon. in vita Vrbani II. pag. mihi 355. in princ. Sed aliter ſcribit Baron. tom. 11. Annal. Eccleſ. anno 1095. pag. mihi 668. in fine, ſic dicens; *Hoc eodem anno Gaſtono Franco viro nobili Prouinciæ Viennenſis, tum Gerino filio eius authore, iunctis ſibi octo aliis, inſtitutus aſſeritur Ordo miniſtrantium infirmis, qui ſacro igne conſumpti perpetuò viuerent, truncatis membris calamitate; qui cùm laici eſſent, pro inſignibus Thau ſignum ſibi ſumpſerunt.*

Scholion ſecundum.

R E S P. Ante hanc Pij declarationem, num ſtricto iure dictum Conciliũ Tridentinum quæſtum eleemoſynarum dictis Fratribus impediebat?

R E S P. Non, niſi quatenus prædicando, vel indulgentias publicando illas quærerent, vt ſex, & validis quidem rationibus bene in puncto explicat Nauar. in conſ. 79. lib. 3. incip. An verba, num. 2. & ſeqq. pag. mihi 288. pro quo facit conſ. Bald. 27. lib. 1. num. 2. vſque ad finem.

C I.

Edita Anno 1565.

ROmanum Pontificem, & infra pag. 155. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Suburbium, ſeu Burgum S. Petri nuncupatum, prope illius Baſilicam, Nicolaus III. & alij Pont. & præcipuè Leo X. pro Vrbis decore amphiarunt, ita vt idem Leo Ciuitatem Leoninam appellari voluerit, & priuilegiis inibi ædificantes ornauerit. §. 1. Eius hic Pont. veſtigiis inhærendo, aliam ſtatuit viam, ab Arce S. Angeli ad Palatium Apoſtolicum directam, ædificiiſque ornare cœpit; & Ciuitatem Piam nuncupari cenſuit. §. 2. & ſeqq. Scholam publicam ad pueros gratis edocendos inſtitui iuſſit. §. 7. Eccleſiaſticis, & locis

piis ibi ædificantibus, priuilegia dedit. §. 8. & ſeq. Laicis quoque, & ſæcularibus. §. 10. Et impudicis etiam mulieribus. §. 11. Ædificia ibidem conſtructa confiſcari vetat. §. 12. Dominóſque locorum, ſeu fundorum, aut ædificare, aut aliis ædificare volentibus, locare iuſſit. §. 13. Hos conductores à decima parte pretij illorum fundorum affrancare indulget. §. 14. Ædificantibus in hac Ciuitate, ius congrui præferri voluit in venditionibus viridariorum, vinearum, & terrenorum regionis trans Tyberim. §. 15. Aliáque dat priuilegia Ciuitati Leoninę hactenus cōceſſa. §. 16. Executores huius Bullæ deputat. §. 17. Decretum irritans apponit. §. 18. Clauſuláſque derogatorias. §. 19. Sanctionémque pœnalem adiungit. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Ædificiorum appellatione, de quibus hic, nunquid Capanna contineatur?

R E S P. Propriè non venit Capanna appellatione domus, vt inquit Bald. in cap. 1. de duob. fratrib. de feud. inueſt. in princ. verſ. Loquitur. licèt apoſtill. ibi ob diuorſos caſus variam dicat eſſe diſpoſitionem ad propoſitum Bullæ. Sed iudicio Magiſtrorum Viatum puto committendum, an Ciuitas ex dicta Capanna aliquo reſpectu ornata videatur, vt in ſimili caſu notat Bard. de iure Prothomis. §. 7. num. 7.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ædificare num dicitur, qui ædem iam factam in altum edit, vel ampliat?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam tenet Bard. vbi ſuprà in rubr. de ædific. ſub num. 1. ad finem. Sed rectiùs dicendum videtur, ſupradictorum Magiſtrorum iudicio remittendum, an exinde Ciuitas onata remaneat, vt mox notatum fuit.

C I I.

Edita Anno 1565. I Nter multiplices curas, quæ mentem noſtram, & infra pag. 158. Bullatij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus IV. & Leo X. ad ornatum Vrbis, eorum ediderunt Conſtitutiones §. 1. & ſeq. Quas hic Pont. approbat §. 3. Præfigítque terminum his, qui iam ædificare promiſerunt. §. 4. Declarat venditiones domorum intimandas eſſe vicinis, vt valeant. §. 5. Vicinóſque intimatos nonnulla implere debere. §. 6. Eoſdem inquilinis eſſe præferendos. §. 7. Simulatas venditiones irritat. §. 8. Dubia circa iuriſdictionem Magiſtrorum Viarum ſoluit. §. 9. Ædificare volentibus, vicinos eorum domos ad vendendum cogi mandat. §. 10. Idem ſeruari iubet in Caſalibus. §. 11. Ad plateas, & vias ornandas, domos vicinas aptandas eſſe cenſet. §. 12. Inquilinos domorum cogi ad ſoluendum, quod debent pro penſionibus, iubet. §. 13. Domini habitantes domos occaſione ornatus publici diminutas, poſſunt alios cogere ad vicinas domos vendendum. §. 14. Situs vacantes fabricentur. §. 15. Viculi approprientur vicinis. §. 16. Cloacæ, & cætera obſtruantur. §. 17. Fideicommiſſa non impediant præmiſſorum occaſionem. §. 18. Canneta ad culturam redigantur. §. 19. Prata prope viam Angelicam, non reducantur ad canneta. §. 20. Scalæ impedientes vias tollantur. §. 22. & 24. Hæc ſanctio extēditur etiam ad vineas, & Caſalia intra duodecim milliaria ab Vrbe. §. 23. Porticalia tollantur. §. 25. Horti in vrbe muris claudanthr. §. 26. Pontes lignei in viis publicis auferantur. §. 27. Pontelli de domibus ruinoſis amoueantur. §. 28. Artes per Vrbem in certis viis firmentur. §. 29. & 30. Viæ lateribus coctis ſternantur. §. 31. Vicini viis publicis, eorum poſſeſſiones muris cingant. §. 32. Dubia in præmiſſis Camerarius, & Magiſtri Viarum ſuo arbitrio ſoluant. §. 33. Quando ab eis non appelletur. §. 34. Cauſas muratorias ipſi cognoſcant. §. 35. Camerarium deputat executorem. §. 36. & 39.

Scholion primum.

Quæro. Poſſúntne Camerarius, & Magiſtri cogere habentem domum dirutam, vnde reſultat Vrbis deformitas, quam ob paupertatem reficere nequit, vt alteri vendat?

R E S P. Poſſūt, vt inquit poſt Specul. quem allegat, Roman. in ſing. 784. incip. Pauper. & ſequitur Marſil. 460. in cap. habens.

Scho-

Scholion ſecundum.

Quæro. Intimatio facienda vicinis, de qua in §. 5. quæ requirit?

R E S P. Latè hoc explicat M. Ant. Bard. in comment. ſimilis Bullæ Six. I V. in quæſt. 6. num. 3. & ſeqq. in ſuo Tract. de iure congr. vbi congruas affert diſtinctiones, quas hic recenſere non poſſum, cùm ſummaria ſit noſtra contentio.

C I I I.

Edita Anno 1565. SEdis Apoſtolicæ, & infra pag. 164. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

In Capitulo generali Florentię coacto Antonius de Sapientibus Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium generalis, Miniſtrique, & alij Fratres pro illius felici ſtatu, & reformatione, nonnullas leges ad duodecim capitula Regulæ B. Franciſci ediderunt. §. 1. Hic Pontifex eas approbat, obſeruarique præcipit. §. 2. Contrariiſque omnibus derogat. §. 3. Subſequuntur poſtea leges ipſæ; & ſuper cap. 1. dictæ Regulæ tres apponuntur declarationes, circa obedientiam, proprietatem, & caſtitatem. Super cap. 2. declarationes decem & ſeptem, circa Nouitiorum receptionem, & pleraque alia. Super cap. 3. aliæ declarationes decem & ſeptem, circa officij recitationem, Miſſarum celebrationem, Proceſſiones, & alia multa. Super cap. 4. declaratio vnica, circa vſum, & tactum pecuniarum. Super cap. 5. declarationes ſex, circa id, in quo Fratres ſe exercere debent. Super cap. 6. declarationes nouem, circa adminiſtrationem bonorum, eorúmque vſum, & proprietatem. Super cap. 7. declarationes decem, circa eorumdem Fratrum confeſſionem, accuſationem, incorrigibilitatem, & punitionem. Super cap. 8. declarationes ſeptem, circa illorum electionem, & ſuffragia, confirmationem, & Capituli generalis conuocationem. Super. cap. 9. declarationes ſeptem, circa prædicationem, confeſſionem, Prædicatorum qualitates, librorúmque editionem. Super cap. 10. declarationes quatuor, circa munus, & qualitates Prouincialium. Super cap. 11. declarationes viginti ſeptem, circa colloquia, & conſortia cum mulieribus, & ad miſſionem Monialium ad habitum, & pleraque alia. Super c. 12. declarationes quinque, circa miſſionem Fratrũ ad infideles, & nõnulla alia.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quòd præfatio ad leges eiuſmodi Regulæ Franciſcanæ, aliàs à me pluries viſa, à Genitore tuo hic prætermiſſa videtur?

R E S P. Illam Impreſſorum incuria omiſſam, non autem cõſultò ab eo prætermiſſam fuiſſe, ſæpiùs ab ipſo audiuit

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne ad faciliorem intelligentiam dictarum legum præfatio illa fuiſſet opportuna?

R E S P. Quinimò præfationes neceſſarias appellat Bal. in l. 1. ff. de orig. iur. in princip. pleroſque effectus operari tenent DD. communiter, ad ſcripta per Barbat. conſ. 64. lib. 4. n. 1. & Tiraquel. in ſuo Tractat. de ceſſ. cauſ. in 1. limit. num. 64. & ſeqq. Illam itaque præfationem hic intexere arbitratus ſum.

P R Æ F A T I O.

P*Rimùm omnium ſatis conſtat, Seraphicum Patrem noſtrum Beatum Franciſcum, diuino lumine illuſtratum, Ordinem ſuum ſub titulo Fratrum Minorum inſtituiſſe, hocque nomen delegiſſe, ne Fratres ſui (vt Diuus Bonauentura teſtatur ſuper reg.) de vllo dignitatis gradu contenderent, neque honoris nomen ſibi vendicarent, ſed omnibus, ſaluo Dei honore, ſe ſubiicerent, & ad temporalem magnitudinem non aſpirarent. Sic verò dicti ad imitationem illorum, de quibus dixit Saluator:* Quandiu non feciſtis vni ex minoribus his, neque mihi feciſtis. *Huic autem Minorum titulo, in ipſis quaſi Religionis primordiis ex Apoſtolica auctoritate nomen Conuentualium acceſſit, quod vſque hodie à nobis retinetur. Innocentius enim Quartus Pont. Max. vir doctrina, & ſanctitate clarus, per Breue, quod in Archiuio Eccleſiæ noſtræ Sanctorum duodecim Apoſtolorum Romæ integrum ſeruatur, declarauit Eccleſias Fratrum Minorum, vbi eorum Conuentus exiſtebant, Conuentuales vocari: vnde Conuentualium nomen Minorum titulo adiunctum eſt; nomen quidem humillimum, quod nullum honoris,*

nal

nullum dignitatis, vel ſanctitatis titulum præ ſe fert: ſed tantùm Minorum Fratrum ad vnam Regulam, ad vnamque vitæ communitatem vniformem animum ſignificat. Sub hoc titulo per vniuerſum orbem creuit. Minorum Religio, & adeò celeriter aucta eſt, vt ſuperſtes adhuc Beatus Franciſcus in vno Capitulo Aſſiſij habito contemplatus ſit quinque, & eò amplius millia ſuorum Fratrum, quemadmodum Annales Ordinis teſtantur: quod miraculi loco iure optimo aſcribendum foret; non enim ſine ſpeciali Dei omnipotentis virtute, & gratia tot viri ex tot Prouinciis tam exigui ſpatio ad tam arduum viuendi modum adduci potuiſſent. Hæc auctio autem non tam propter hominum multitudinem, quàm propter ſpectatæ ſanctitatis virorum multitudinem ponderanda eſt; tunc enim quinque illi Martyres, qui catologo Sanctorum adſcripti ſunt, dum Mahometicam ſectam oppugnant, & Chriſtum Deum verum prædicant, apud Marochium Sarracenorum Vrbem ſanguinem profuderunt. Tunc ſeptem item Martyres ex eodem Ordine in Cepta Africæ Ciuitate per martyrium ad cælos euolauerunt. Non referam tot prodigia, & miracula Beati Antonij: non multiplicem Doctoris Seraphici Bonauenturæ eruditionem, & ſanctitatem, cuius opera, & conſilio in Lugdunenſi Concilio Græcorum controuerſiæ de fide compoſitæ fuere. Prætermittam Beatum Ludouicum, Epiſc. Toloſanum, Beatam Claram, Eliſabeth, & innumeros alios, qui miraculis coruſcarunt, ex quorum vita, doctrina, & exemplo, maximam vtilitatem, & ſplendorem Eccleſia ſemper conſequuta eſt, vt diuerſarum Gentium hiſtoriæ teſtantur. Quis Oranum totius Mauritaniæ munitiſſimam Vrbem, & alia infidelium oppida Chriſtianorum imperio reſtituit, niſi ille Archiepiſcopus Toletanus, & Cardinalis ex Ordine Minorum aſſumptus, qui ex prouentibus ſuæ Eccleſiæ aduerſus Mauros claſſem parauit, & eidem præfuit? Quis Vſumcaſſanum Perſarum, & Armeniæ Principem contra Tyrannum Turcarum adeò excitauit, vt poſtea (Deo votis noſtris fauente) ferè ſemper illi infeſtus fuerit? Quis Græcos, & eorum Imperatorem Paleologum ad Lugdunenſe Concilium, vt in ſententiam Romanæ venirent Eccleſiæ, adduxit? Quis Tartarorum gentem, & Parthos ad fidem Chriſti verbo, & exemplo traxit? nónne hi omnes ex Minorum Conuentualium ſodalitio egreſſi ſunt?

In his ſtudiis, & præclaris geſtis Ordo Minorum abſque vlla controuerſia ſe exercuit per annos ducentos, & eò amplius, in quibus adeò floruit, vt omnes Eccleſiæ gradus, & dignitates adeptus fuerit, eique Summi Pontifices certatim gratias, & priuilegia conferrent, vt in literis Apoſtolicis facile eſt videre. Quis verò tunc fuerit in Ordine rerum ſtatus, quod vitæ genus, quæ Regulæ obſeruatio, multæ Summorum Pontificum in Regulam noſtram declarationes, quarum quædam in Decretalibus continentur, teſtatum relinquunt: adeò enim dubitationibus, & difficultatibus litera Regulæ noſtræ ſcatet, vt niſi eam Sedes Apoſtolica declaraſſet, nullus dubitandi eſſet finis.

Principio quidem, dum pauci adhuc eſſent Fratres, ex mendicatis quotidie fidelium ſuffragiis victitabant, & vti etiam quotidianis vtenſilibus crimen arbitrabantur, ita vt cogeretur Summus Pontifex Gregorius Nonus eorum conſcientiæ per literas Apoſtolicas conſulere, qui hæc dixit. Dicimus itaque quòd nec in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed vtenſilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, eorum vſum habeant. Et Fratres, ſecundùm quod Generalis Miniſter, vel Prouinciales duxerint, iis vtantur, ſaluo locorum & domorum dominio illis, ad quos noſcitur pertinere. (*Hæc Gregorius, qui tempore Beati Franciſci claruit, & de ſe dicit:* Et cùm ex longa familiaritate, quam idem Confeſſor nobiſcum habuit, pleniùs nouerimus intentionem ipſius, & in condendo præfatam Regulam, & obtinendo confirmationem ipſius per Sedem Apoſtolicam, ſibi aſtiterimus dum eſſemus in minori officio conſtituti, &c.) *Ad quos verò pertineret prædictum dominium, ſequentes Summi Pontifices declarant. Innocentius Quartus, qui quidem poſt Cœleſtinum (qui decem & octo tantùm diebus Eccleſiæ præfuit) Gregorio ſucceſſit, eadem ferè verba dixit, hoc adiungens,* quòd

quòd bona Fratrum non debent vendi, aut alienari ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, cùm tam immobilium, quàm mobilium (inquit) ius, proprietas, & dominium nullo medio ad Eccleſiam ipſam ſpectent, cui domus, & loca prædicta, cum Eccleſiis, & cæteris ſuis pertinentiis (quæ omnia in ius & proprietatem Beati Petri ſuſcipimus) omnino tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus immediatè ſubeſſe noſcuntur. Idem profert Alexander Quartus iiſdem verbis. Clemens verò Quartus anno primo ſui Pontificatus, cùm iam Fratres Minores valdè eſſent propagati, & quotidianæ eleemoſynæ ad eos alendos non ſufficerent, conceſſit, vt licitè poſſent ſuccedere in bonis ſuorum parentum, & poſſeſſiones apprehendere, & in ſuam vtilitatem conuertere. Et Martinus Quartus ex ſuis literis idem conceſſiſſe videtur, cùm de Fratribus Minoribus loquens dicit. Iidem Fratres, qui pro nulla re temporali poſſunt in iudicio experiri, vt excluſis quibuslibet ſolicitudinibus, liberiùs, & quietiùs diuinis vacent obſequiis, & offerentium, donantium, concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus eiuſdem Ordinis, aliquid propter Deum, ne pia intentio fraudetur, ſitque nobis ſolicitudini, quòd præfatus Ordo pro ſuis neceſſitatib. quoties ingrueret neceſſitas, vel vtilitas ſuaderet, recurrere ad Romanam Eccleſiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti poſſunt, ius, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat, &c. *Hæc eadem explicatiùs declararunt recentiores quidam Summi Pontifices, & præcipuè (vt omnes in paucos includam) Martinus Quintus, Sixtus Quartus, Alexander Sextus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, qui etiam conceſſerunt, vt in hæreditatibus ab inteſtato obuenientibus, ipſi Fratres nomine Eccleſiæ Romanæ ſuccedere poſſent, ac ſi eſſent in ſæculo. Ex quo liquet, quòd quaſi à principio ſurgentis Religionis Fratres Minores cœperunt habere vſum non tantùm mobilium, ſed immobiliũ ex liberalitate Sedis Apoſtolicæ, quæ ipſorum bonorum ius, & dominium apud ſe recipiebat, vſum verò Fratribus concedebat, quomodo hactenus ante Tridentinam Synodum nobiſcum ſe geſſit.*

Hunc viuendi modum maiores noſtri ſequuti ſunt abſque vlla impugnatione, & ſtimulo conſcientiæ, ſoliciti ſemper Eccleſiæ Catholicæ pro ſua in eos benignitate, & clementia totis viribus vicem aliquam grati animi rependere, donec circa tempora Concilij Conſtantienſis quidam noſtri Ordinis Fratres priuilegiis Summorum Pontificum, & eorum declarationibus ſuper Regulam abiectis, ſoli literæ inniti cœperunt, & ſub prætextu obſeruantiæ Regulæ ad mendicationem quotidianam primorum noſtrorum Patrum, in quibus egebant, conuerſi ſunt; quod à Superioribus Ordinis, ne Spiritui ſancto obſiſtere viderentur, facilè illis conceſſum eſt. Verùm iſti non contenti ſubduxiſſe ſe à communi vita aliorum, in Conſtãtienſi Synodo, quæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo octauo celebrata eſt; ſubduxerunt ſe etiam ab ordinaria Superiorum poteſtate, proprios ex ſeipſis Præfectos poſtulantes. Et id quidem obtinuerunt, non recuſantibus, imò aſſentientibus Prælatis noſtris, qui ibi aderant, hac tantùm lege præfixa, vt electi ex ipſis Præfecti à noſtris confirmarentur; & quòd Generalis in perſona propria eos viſitare poſſet: quod ſeruatum eſt vſque ad annum Domini milleſimum quingenteſimum decimum ſeptimum. Tunc verò ſub Leone Decimo Pontifice Maximo ita effecerunt quorundam Principum fauore adiuti, quòd ab obedientia noſtri Generalis ſe ſubtraxerunt, & Obſeruantium Regulam ſibi nomen vendicando, etiam proprium Generalem obtinuere. Nos interim Summorum Pontificum declarationem, vſúmque bonorum eius poſt Patres noſtros, qui Eccleſiam illuſtrarunt, ſecuti ſumus, tutius eſſe arbitrantes, piam Eccleſiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam Regulæ completionem cum periculo profiteri, & maximè cùm videomus etiam ipſos Obſeruantiæ Regulæ profeſſores habere varios redditus, & prouentus, ſine quibus minimè viuere poſſent. Vnde conſtat, quod vſus rerum, noſtro vſui à Sede Apoſtolica conceſſus, paupertati Regulæ non contradicit: tum quia maiores noſtri, qui doctrina, & pietate inſignes fuerunt, ita vixerunt: tum quia nos Regulam B. Patris noſtri Franciſci non ſimpliciter iuxta literam, ſed eam iuxta Summorum Pontificum declarationem (ita nos docuit Beatus Pater, cùm Sedi Apoſtolicæ ſuam Regulam ſubiecit) profitemur, præſertim Martini Quarti, &

Quinti, Eugenij Quarti, Sixti quoque Quarti, & Alexandri Sexti.

Errant igitur, & in Sedem Apoſtolicam matrem noſtram temerè inuehunt, qui aſſerunt, nos propter vſum ſimplicem rerum temporalium Regulæ noſtræ aduerſari, vel non ſatisfacere: quibus tandem Sacroſancta Tridentina Synodus, quæ nobis concedit, vt poſſimus habere proprium in communi, ora opprimet. Sed quoniam nulla eſt adeò bonis legibus inſtituta Reſpublica, quæ præuaricatores aliquos non habeat, quibus iuſti offenduntur, & mali ad præuaricationem excitantur: ita non eſt adeò ſanctis ordinibus diſtincta Religio, quæ aliquos minus ſuæ profeſſioni reſpondentes nō habeat, ex quorum vitio publica ſæpe in vniuerſos vergit infamia. Quod quidem ne Religioni noſtræ accidat, infraſcriptas leges collegimus, per quas Religio noſtra in ſua puritate, & in Patrum noſtrorum diſciplina conſeruabitur ad Dei gloriam, animarum ſalutem, & Eccleſiæ vtilitatem.

C I V.

Edita Anno 1565. Apoſtolicæ ſeruitutis officium, & infra pag. 172. *Item*; Decens eſſe, & infra pag. 173. Bullarij.

COMPENDIVM.

Poſtquàm hic Pont. ad viam iuris reduxit Conſtitutionem Pauli IV. ſuper reſciſſione alienationum rerum Eccleſiaſticarum, vt ſup. in ſua Conſtit. 11. tom. 1. cognouit multas alienationes rerum Eccleſiæ Romanæ, & Cameræ Apoſtolicæ, perperam factas fuiſſe. §. 1. & 2. Propterea eas ſine competenti recōpenſa, aut neceſſitate, vel euidenti vtilitate factas, irritat. d. §. 2. Nullásque fuiſſe declarat. §. 3. Occupatoribus vaſſalagium non deberi decernit. §. 4. Et eoſdem ad reſtitutionem cum fructibus teneri. §. 5. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 6. Decretum irritans addit. §. 7. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quæ requiruntur, vt ex neceſſitate, de qua in §. 2. dicatur facta alienatio?

R e s p. Quinque: & primò, quòd neceſſitas ſit euidens; ſecundò, quòd in eum modum ſit permiſſa vēditio; tertiò, quòd non ſit ſuperflua quantitas; quartò, quòd reſpectu loci, & temporis immineat opportunitas; quintò, quòd ceſſet omnis fraus, vt fusè hæc tradit Oſasc. in deciſ. Pedemont. 171. numer. 14. & ſeqq. cui adhæret Card. Tuſc. in verb. Neceſſitas, concluſ. 22. num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sed de qua neceſſitate intelligendum?

R e s p. De fatali, vt putà ſi quis incidit in latrones: & etiam de naturali, vt putà ob infirmitatem, aut familiæ ſuſtentationem. Sed non de alia, quæ euenit data opera, ſponte contrahendo debita, vel committendo delicta. Bald. conſ. 20. incip. Quid important. lib. 2. num. 1. & Boër. deciſ. 44. num. 27.

C V.

Cum nuper generali, & infra pag. 173. Bullarij. *Edita Anno 1565.*

COMPENDIVM.

Taxam mercedis Notariorum cauſarum ciuilium Gubernatoris Vrbis, Vicarij, Iudicis Burgi, Magiſtrorum Viarū, & Iudicum Curiæ Capitolij, in caſibus, in quibus per ſtatuta non eſt prouiſum, præſcribit, in princ. Et tabellam dictæ taxæ in loco publicò affixam teneri præcipit. ibid. Tenorem eiuſdem taxæ ſubiungit: & deinde in fine decernit, pro pauperibus, miſerabilibus perſonis, ſoluere impotentibus, nihil percipi, iuxta formam ſuarum literarum.

Scholion primum

Quæro. Prouiſio ſtatutorū circa eiuſmodi taxas, de qua hic in princ. vbi habetur?

R e s p. In lib. 3. fol. mihi 58. ſecundùm impreſſionem Romæ anno 1519. ſedente Leone X. Non tamen illæ taxæ, ſed aliæ à Paulo V. nuper editæ in ſua Conſtit. 72. de qua infrà, ſeruandæ ſunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ ſunt literæ, ad quas fit relatio hic in fine?

R e s p. In Conſt. hanc immediatè ſubſequenti: vnde patet, quòd illa iſtam præcedere debebat. Quòd autem ſubſequatur, impreſſorum incuria id creditur eueniſſe.

CVI.

C V I.

Edita Anno 1565. CVm nuper generali, & infra pag. 175. Bullarij.

COMPENDIVM.

Taxam mercedis Notariorum cauſarum criminalium Gubernatoris Vrbis, A.C. Vicarij, Senatoris Vrbis, ac Iudicis Burgi, præſcribit, in princ. Tabellam dictæ taxæ in loco publico affixam teneri præcipit. ibid. Tenorem taxæ ſubiungit: & quòd in omnibus caſibus pro paupere nihil recipiatur, in fin. Ac de paupertate ſtetur relationi Aduocati, vel Procuratoris pauperum. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Pauper quo pacto hic intelligendus?

RESP. Ita miſerabilis, vt mercedē, de qua agitur, ſoluere non poſſit. Quia circa Notariorum taxam habetur etiam alia præcedens Conſtitutio (quæ tamen, vt ibi dixi, ſubſequi debebat) & ibi poſt verbum, *pauperibus*, extant verba illa, *miſerabilibus, ſoluere impotentibus*; & clara eſt iuris regula, quòd vna lex aliam declarat. l. ſed & poſteriores. 28. vbi gloſ. 1. communiter recepta. ff. de legib. cum ſimilib. Præſertim quòd ſunt inter ſe viciniæ. Mantic. de coniectur. vltimæ volunt. lib. 6. tit. 13. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis ſit pauper de præſenti, ſed ſperatur, quòd potens ſit ſoluere in futurum?

RESP. Poſſet eius recipi obligatio, quod Notarius tūc habebit ab eo, quod fuerit iuſtum, & rationabile, prout in Rota ſeruari dicitur in deciſ. 2. de conſtitution. in antiq.

PIVS V.

Italus, creatus anno 1566.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1566. SAnctiſſimus D. N. Pius, & infra pag. 177. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt negotia fidei cæteris præferantur, præcipit omnibus Officialibus, Sanctitati ſuæ, & S. R. E. mediatè, & immediatè ſubiectis, necnon aliis locorum Ordinariis, cæteriſque Magiſtratibus, & Officialibus, & cuiuſuis ſtatus, & conditionis hominibus, in tota Republica Chriſtiana exiſtentibus, vt Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, eorūmque mandatis, in quibuſcumque officiū S. Inquiſitionis concernentibus, pareant & obediant. §. 1. Reges, & quoſcumque Principes ſæculares hortatur, vt eiſdem Inquiſitoribus in prædictis faueant. §. 2. Delatos apud dictum Officium, ſuſpenſa aliorum criminum cognitione, ad Cardinales prædictos, ac Inquiſitionis carceres remitti iubet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ante horum generalium Inquiſitorum delegationem, quo primùm tēpore Inquiſitores delegari cœperunt?

RESP. Circa annum Domini 1200. temporibus Innocentij III. B. Dominico Ordinis Prædicatorum inſtitutori, exploratum eſt eiuſmodi officium fuiſſe commiſſum, vt aduertit Pegna in Director. Inquiſ. part. 3. comment. 32. vbi de eodem B. Dominico nonnulla recenſet egregia facta. Idémque de prædictæ Inquiſitionis exordio refert Scac. in ſuo Tractat. de Iudic. cap. 67. n. 4. & meminit Ciacon. in vita d. Innocentij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc certè præcipuum Epiſcoporum munus hæreticos iudicandi erat; cur ergo aliis demandatum?

RESP. Propter varias eorum curas, vel abſentiam, ignauiam, vel imperitiam, vt poſt alios inquit Simanc. de Catholic. inſtitut. tit. 25. num. 1. & 4. & ei aſſentitur Pegna iam citatus.

I I.

CVpientes, vt beneficia Eccleſiaſtica, & infra pag. 177. Bullarij. Edita Anno 1566.

COMPENDIVM.

Beneficia Eccleſiaſtica curata in Vrbe, & eius diſtrictu, vt idoneis conferantur perſonis, ſtatuit, vt à nullis ordinariis collatoribus, etiam S. R. E. Cardinalibus, aliqua de eis fiat diſpoſitio, niſi à Papæ Vicario generali Vrbis, eiúſque diſtrictus, præuio examine, per examinatores ad hoc approbatos, idoneus fuerit repertus, & approbatus. §. 1. & 2. Aliter factas diſpoſitiones irri-

tat,quibuſcũque nõ obſtãtibus.§.3.& 4.

Scholion primum.

Quæro. Quod beneficiũ dicitur curatũ?

RESP. Illud, quod obtinet Sacerdos habens poteſtatem ligandi, atque ſoluendi in foro pœnitentiali, & neceſſitate adſtringitur Eccleſiaſtica adminiſtrare Sacramenta fidelibus,ad eum accedere coactis in loco certo, certiſque limitibus deſignato, in quo populus alicui Eccleſiæ deputatus degit, vt plenè oſtendit Rota in deciſ. Cantuccij 52. part. 2. diuerſor. num. 2. & ſeqq. & in alijs deciſionibus cumulatis à Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ.6. num. 35. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si plures reperiuntur idonei, quis præferendus?

RESP. Magis idoneus, vt in ſimili diſpoſitione cauetur in cap. 18. ſeſſ. 24. Concil. Trident. At magis idoneus quis ſit, multa aduertenda cenſuit Rota in deciſ. Cantuccij 16. par. 2. diuerſor. in fine,& in alia deciſ. Ludouiſ. nunc Sanctiſſimi in deciſ. 40. par. 1. diuerſor. in nouiſſimis, vltra alias, quas cumulat Gonzal. vbi ſuprà, gloſ. 4.n.111.& ſeqq.

III.

Edita Anno 1566. SVper gregem Dominicum,& infra pag.178.Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius III. Medicis præcepit, vt cùm eos ad ægrotos vocari contigerit,ante omnia eos moneant,vt animarũ Medicos vocent. §. 1.Hic Pont. id innouat in Medicos,qui hoc cum infirmis in lecto iacentibus non fecerint. §. 2. Additque, ne tertio die vlteriùs eos non confeſſos viſitent, niſi Confeſſor longius tempus ob rationabilem cauſam conceſſerit.§. 3. Coniunctos, & domeſticos infirmorum monet, vt de infirmitate Parochum certiorem faciat. §. 4. Parochus, & coniuncti infirmis peccatorum confeſſionẽ ſuadeant.d. §.4. Medicis contrauenientibus hic Pont. innouat pœnas dictæ Conſtitutionis Innocen. III. Additque pœnam infamiæ, & priuationis gradus Medicinę,& eiectionis ab Vniuerſitate Medicorum,necnon pœnam arbitrio Ordinariorum declarandam.§.5. Medicos non doctorari,nec medendi facultatem habere iubet, niſi præuia promiſſione iurata hæc omnia obſeruandi,aliàs promotoribus, & licentiam dantibus, pœnam priuationis vlteriùs doctorandi imponit.§.6.Ordinariis publicationem huius Conſtitutionis iniungit, & præcipit, vt iuramentum à promotis,vel licentiam habentibus exigant, & hæc iurare recuſantes gradu Medicinæ, & omnibus priuilegiis priuent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, quouſque reſipuerint. §.7.Contrariáque non obſtare decernit.§.8.

Scholion primum.

Quæro. Vbi habetur Innocentij III. prohibitio, de qua in §.1.

RESP. In cap. cùm infirmitas.13.de pœnit. & remiſſ. de cuius intelligentia agit Nauar. in Manual. Confeſſor. cap. 25. num.61.verſ. Tertiò peccat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num iſtæ Conſtitutiones intelliguntur ſolùm quoad infirmitates periculoſas,& dubias?

RESP. Quicquid alij dicant, intelligas quoad omnes,ob quas infirmi Medicos vocant, cùm ſic generaliter iſtæ leges loquantur, & generalis ſit ipſarũ ratio expreſſa, quæ eſt, vt infirmis de ſpirituali remedio prouiſis, ad corporale medicinæ remedium ſalubriùs procedatur, & ne qui à principio non grauiter morbo laborant, ſi deinde grauiùs laborarent, & tunc Confeſſor confeſſionem ſuaderet, in deſperationis articulum incidere poſſent, quod non eſſet dum in leui infirmitate Confeſſor ex iſtarum Conſtitutionũ præcepto id ageret, vt docet poſt alios Syluest. in ſua Summ.in verb.Medicus,quæſt.3.& Rod. de quæſt.Regular.tom.1.quæſt.47.art. 3. verſ. Hæc aſſertio.

IV.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag.178. Bullarij. Edita Anno 1566.

COMPENDIVM.

Reuocat quaſcumque licentias, & indulta celebrandi Miſſas veſpertino tempore, contra antiquum Catholicæ Eccleſiæ ritum, ac Sanctorum Patrum decreta. §.1.Prohibet illorum indultorum,aut quouis alio prætextu quemquã præſumere, eo tempore celebrare, aut celebrari

celebrari facere. §. 2. Derogátque contrariis. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Hoc tempus veſpertinum quo pacto intelligendum?

R E S P. A meridie, qua hora C H R I S T V S expirauit, vſque ad auroram, qua ſurrexit. Sed cùm res morales tam indiuiſibiliter præſcribi non poſſint, dico, quod meridies intelligitur de hora circiter nona, aurora autem de prima lucis irradiatione, ſeu initio crepuſculi diei, vt poſt Summiſtas, & regulam Miſſalis Romani, habetur apud Rod. tom. 1. quæſt. Regular. art. 1. & 2. vbi in ſpecie loquitur de interpretatione huius Conſtitutionis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Singulis autem diebus cur Miſſa celebratur?

R E S P. Vt quotidie recordemur mortis eius, qui pro noſtrorum remiſſione peccatorum in ara Crucis paſſus eſt. Ita S. Ambroſ. in cap. 4. de conſecrat. diſtinct. 2. Vt etiam, quia nos quotidie peccamus, & ille denuò mori non poteſt, per iſtud Sacramentum remiſſionem peccatorum conſequamur, vt inquit S. Gregor. in cap. Quid ſit ſanguis. 73. verſ. Prouidens. ead. diſt. 2. de conſecrat.

V.

Edita Anno 1566. CVm primùm Apoſtolatus officium, & infra pag. 179. Bull.

C O M P E N D I V M.

Innouat omnes pœnas iam impoſitas contra neglectus diuini cultus, & ſimoniæ, blaſphemiæ, & ſodomiæ criminum reos. §. 1. & 2. Et contra eos ab Ordinariis, & locorum Gubernatoribus procedi iubet. §. 3. Diuini cultus in Eccleſiis obſeruantiam in multis præſcribit. §. 4. Tempore Miſſarum, & prædicationum, pauperes eleemoſynas petere non poſſint. §. 5. Cadauerum capſæ in Eccleſiis ſuper terram exiſtentes, amoueantur. §. 6. Feſtorum obſeruatio præcipitur. §. 7. Contra ſimoniæ labe attractos, Pauli II. & aliorum Conſtitutiones obſeruari mandat, & alias pœnas imponit. Videlicet, pro ſimonia in conſequendis Ordinibus, ſuſpenſionem eo ipſo per decennium, & carcerem per annum. Et pro ſimonia in acquirenda dignitate Eccleſiaſtica, priuationem ipſo iure, & inhabilitatem ad eam, & aliam obtinendam. Ac pro ſimonia in adeptione beneficij, aut officij Eccleſiaſtici, priuationem, & fructuum reſtitutionem, vltra inhabilitatem, de qua ſuprà, adijcit. §. 8. Pœnas auget contra hoc crimen pluries committentes. ibid. Simoniam ſacramentalem ſeueriſſimè puniri mandat iuxta ſtatuta Concilij Tridentini. §. 9. Blaſphematoribus pœnas infligit. §. 10. Sodomitiſque pœnam capitis imponit. §. 11. Contra concubinarios Ordinarij procedant iuxta ſtatuta Concilij Tridentini. §. 12. Contra ſimoniæ, ſodomiæ, & blaſphemiæ criminum reos, etiam ad ſecretam denunciationem procedi iubet. §. 13. Calumnioſos accuſatores ad pœnam talionis teneri mandat. §. 14. Mulctas pecuniarias pro duabus partibus, locis piis, & pro alia, accuſatoribus applicat. §. 15. Baronibus S.R.E. feudatariis, ſub pœna priuationis feudorum, obſeruantiam prædictorum iniungit; aliósque Principes ad idem hortatur. §. 16. Contrariis omnibus derogat. §. 17. Tranſumptis credatur. §. 18. Sanctionem pœnalem adijcit. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Simonia circa Ordines poteríſtne committi ab ipſis competitoribus inter ſe?

R E S P. Poterit quidem tribus modis Primo, ſi alter alteri pretium det, vt à concurſu deſiſtat, vel ſuæ electioni cedat. Secundo, ſi paciſcatur non opponere exceptiones, quas habet & qui beneficium conſequetur, alteri penſionem ſolueret, cum beneplacito Sedis Apoſtolicæ. Tertio, ſi pecuniam det viro potenti, vt metum alteri inferat, quòd à concurſu ceſſet. Ita ſcripſit Maiol. de irregular. lib. 5. cap. 45. num. 3. Nauar. conſ. 3. de ſimon. num. 1. in antiqu. ac Pariſ. de confident. quæſt. 47. num. 10. necnon Bartholom. Vgolin. de ſimon. tab. 1. cap. 48. §. 3. num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Calumnioſus accuſator, de quo in §. 14. quis propriè dicitur?

R E S P. Qui ſcienter falſa crimina intendit. l. 1. §. calumniari, & ibi

 DD.

DD. communiter. ff. ad Senatuſc. Turpil. Felyn. & alij Canon. in cap. 1. de calumniatorib. Boſſ. de accuſat. num. 24. & Clar. quæſt. 62. ſub num. 4.

V I.

Edita Anno 1566. Romanus Pontifex,& infra pag. 181. Bullarij.

COMPENDIUM.

Paulus IV. in ſua Conſt. 3. de qua ſup. tom. 1. contra Hebræos in Statu Eccleſiaſtico degentes, nonnullas leges edidit. §. 1. Quas hic Pont. comprobat. §. 2. Colorem birreti à maſculis,& ſignu à mulieribus Hebræis deferendum declarat eum eſſe,qui vulgo *gialdo* nuncupatur. §. 3. Prælatis præcipit, vt in eorum locis hanc Conſtitutionem publicent. §. 4. Principéſque ſeculares, vt Prælatis faueant in præmiſſis, rogat. §. 5. Quibuſcumque, & etiam Bulla 48. Pij IV. non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Iudæi cur ita nuncupati?

R E S P. Multorum ſunt variæ opiniones, quarum vna mihi arridet, quòd idem ſit dicere Iudæum,& peregrinum, prout re ipſa ita eis ſucceſſit, cùm ferè ſemper peregrinati ſint, modò in Ægyptum, modò per deſertum,& modò per vniuerſum Orbem, vt ex Paulo Epiſcopo Burgenſi ſcribit Marquard. in tract. de Iudæis parte 1. cap. 1. num. 7. vbi ſubdit, quòd Euſebius lib. 3. cap. 4. Hiſtor. Eccleſ. tradit, Petrum Apoſtolorum Principem ad eos Epiſtolam ſcripſiſſe, qui in diſperſione gentium ſunt, intelligendo de Iudæis, tanquam à propriis laribus pulſis, & in diſperſione poſitis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Diſtinctio habitus Iudæorum, cuius color declaratur in §. 3. quo primùm tempore à Summo Pontifice inducta fuit?

R E S P. Innocentius III. in Lateranenſi Concilio generali id primùm ſtatuit, ad euitandam confuſionem qualitatis perſonarum, & ritus, quæ exceſſuum præbebant occaſionem. cap. In nónullis. 15. Vbi Zabar. Panormitan. & alij notant de Iud.& Sarrac. & notat Petrus Gregor. lib. 12. Syntagm. iur. cap. 4. n. 9. in fin. & lib. 10. cap. 2. n. 38.

V I.

Cum nobis ex parte, & infra pag. 182. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

COMPENDIUM.

Narrat,bona naufragantium plerumque ab incolis, & Officialibus locorum diripi in Terris S. R. E. in princ. Imponit ideo pœnas his qui naufragium patientibus non ſubueniunt. §. 1. Commiſſarium, & Conſulem deputat pro eorum recuperatione. §. 2. Seruantibus, aut recuperantibus dicta bona, prohibet ne abſque dicto Conſule de eis diſponant. §. 3. Baronibus, & Officialibus præcipit, vt eidem Conſuli faueant, & auxilientur. §. 4. Subuenientibus naufraganti indulgentias elargitur. §. 6. A commorantibus prope loca naufragiorum, auxilium petentibus præſtari iubet. §. 6. Communitates,& Dominos locorum ſecuti naufragij, latrones, & occupatores capere decernit. §. 7. Camerarium S. R. E. iſtarum cauſarum Iudicem deputat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Naufragium quid eſt?

R E S P. Damnum ſecutum ex fractione nauis, & dicitur naufragium, quaſi nauis fractio, ſiue damnum ſit de ipſa naui, ſiue de perſonis, ſiue de rebus, vt colligitur ex tit. ff. de incend. ruin.& naufrag. iuncto tit. ad leg. Rhod. de iact. & tradunt Syluest. & Zab. in eorum Summis, in verbo, Naufragium.

Scholion ſecundum.

Quæro. Inciditne quis in pœnas, qui retinet bona, quæ inuenit ob naufragium in mari iactata?

R E S P. Diſtinguendum eſt, an ea habita ſint pro derelictis,vel non; quia primo caſu licitè, ſecundo verò illicitè retinentur. Nam qui proiicit illa in mare ad euadendum periculum, non deſinit eſſe dominus, & qui occupat animo retinendi, furtum committit, vt ſequendo gloſ. iuris ciuilis, ſic docet Sylueſtr. in ſua Summa, in verb. Naufragium, numer. 4. Et ſubdit,quod ſi non reſtituit quàm primùm poteſt, eſt excommunicatus, per tex. in cap. 3. de raptorib.

VIII.

VIII.

Edita Anno 1566. CIrca Paſtoralis, & infra pag. 184. *Item*; Decori, & honeſtati, & infra pag. 185. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inhærendo Conſtitutioni Bonif. VIII. in cap. 1. de ſtatu Monach. in 6. & decreto Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 6. de reformat. decernit, cuiuſcumque Ordinis, & Religionis, etiam Militiarum, tacitè, vel expreſsè Religionem profeſſos, quocumque nomine nuncupatos, etiamſi ad clauſuram non teneantur, clauſuram omnino ſeruare debere. §. 1. Et recuſantes ad eam cogi iubet. §. 2. Mulieres Tertiarias quoque in Congregatione viuentes, & cum ſolemni voto Religionem profeſſas, ad eamdem clauſuram teneri; & ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarij, & earũ Superiores ſtudeãt, vt illud emittant, & profiteãtur, & deinde clauſuræ ſe ſubijciãt. §. 3. Alias autem volentes abſque profeſſione, & clauſura viuere, neminem de cætero recipere, & receptationes inualidas eſſe decernit, & ad ſic viuendum inhabiles reddit. §. 4. Vt verò earum, quæ viuunt in clauſura, victui conſulatur, mandat pro eis colligi eleemoſynas per earumdem Conuerſas non profeſſas, vel profeſſas ætatis annorum 40. & extra Monaſterium degentes, Conuerſáſque profeſſas amplius recipi vetat. §. 5. & 6. Vel alio modo de eleemoſynis eis Ordinarij, ipſarúmque Superiores prouideant. §. 7. Et numerus Monialium recipiendarum reguletur iuxta redditus Monaſteriorum. d. §. 7. Executores deputat Ordinarios, & Monialium Superiores, etiam in locis exemptis. §. 8. & ſeqq. Monialibus è Monaſteriis exire, & Superioribus licentiam exeundi dare, omnibuſque eas comitari, & recipere interdicit, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmatis lepræ, aut epidemiæ, & dummodo infirmitas hæc, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci Ordinarium, etiam ſi Monaſteria exempta ſint, cognita, & expreſsè in ſcriptis ſit approbata. §. 2. in ſubſeq. Bulla. Indulta, & licentias, & facultates totaliter reuocat. §. 3. Decretum irritans addit. §. 4. Locorum Ordinarios huius Conſtitutionis, & Concil. Trid. atque Conſtitutionis prædictæ Bonif. VIII. executores deputat. §. 5. Cõtraria remouet. §. 6. Et tranſumptis credi indulget. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Illæ tres exceptiones (de quibus in §. 2. ſecundæ Conſtitutionis) extenduntúrne ad quemcumque alium morbum non contagioſum, de quo tamen Medici iudicẽt aliquam Monialem morituram, ſi inde non exeat in aliquem locum illi, morbo infectæ, ſalubriorem?

RESP. Affirmatiuam ſententiam multis probat argumẽtis Nauar. de Regular. comment. 4. num. 49. Sed egregiè eam reprobat Guttier. de canonic. quæſt. lib. 1. cap. 14. num. 8. quando caſus infirmitatis, vel ſimilis, aliquas ſingulas Moniales concernit: ſecus ſi omnes, vt ſunt ſupradicti tres caſus excepti, & poteſt eſſe exemplum in caſu imminentis belli, vt latè ipſe declarat; eiúſque declarationem veriſſimam puto, eamque tenet Petr. Cened. in ſua collect. ad ius Canon. & cap. 1. de ſtatu Regul. in 6. pag. mihi 558.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi puella inter Moniales pro educatione degens infirmatur?

RESP. Siue infirmetur, ſiue non, ſemper (amplius tamen non reuerſuram) exire poteſt, quia clauſuram ipſa profeſſa non eſt, nec iſta Conſtitutio alias, quã Moniales ligat, vt notat Nauar. vbi ſup. num. 47. verſ. Circa quod, vbi ſic deciſũ teſtatur in Prętorio S. Pœnitentiariæ. Idémque ſupponunt multa ſacræ Congregationis ſuper interpretatione Concilij Tridentini decreta, quibus conditiones recipiendarum puellarum præfinitæ fuerunt, quas recenſet Cappucin. in ſuis adnor. ad Compend. Priuilegior. Ordin. Mendic. & non Mendic. in §. Ingredi Monaſteria. eáſque & alias cumulauit Rod. de quæſt. Regular. lib. 2. q. 46. art. 10.

IX.

CVm ob innumeras Rom. Pont. occupationes, & inf. pag. 186. *Item*; Dudum poſtquam, & infra pag. 187. Bullarij. Edita Anno 1566. & 1571.

COM

COMPENDIVM.

Quia Pius IV. in eius Conſt. 52. de qua ſup. in cauſis treugæ, & pacis fractæ, ab earum fractoribus, vel fideiuſſoribus offenſam ex noua cauſa allegari vetuit. §. 1. Et in cauſis mixti fori, inter Iudicem Eccleſiaſticum, & laicum, præuentioni locum dedit. §. 2. Hic Pontifex reſtringit illam prohibitionem ad principales comprehenſos in pace, treuga, vel fideiuſſione de non offendendo. §. 3. Et terminum ſex menſium à Pio IV. bannitis ad cõparendum conceſſum, ad annum extendit. §. 4. Bullam Pij IV. circa dictam præuentionem ad terminos iuris reducit. §. 5. Et in ſubſeqq. Conſtit. declarat, contra bannitos infra annum captos, ſententias, legitimis præcedentibus indiciis latas, executioni demandandas eſſe, nec admittendos fore ad nouas, vel alias defenſiones abſque ſpeciali gratia Papæ. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Principales, qui non valent allegare nouam cauſam, vt in §. 3. poterúntne ſaltem ſe defendendo excipere, quod conſtat ex proceſſu met facto per Curiam?

RESP. Poterunt quidem, vt hanc Bullam ſic interpretatus eſt Hercul. de caution. cap. 13. num. 5. Baiard. q. 57. num. 55. & Farinac. quæſt. 107. num. 507. apud quem alias habes huius Bullæ declarationes; quibus adde, cùm ex confeſſione partis conſtat de noua cauſa, ad ſcripta per Dec. in rubr. de probat. num. 85. & 97. & Veron. conſ. crim. 57. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ dicuntur eſſe ea legitima indicia ad inquirendum, de quibus in §. vltimo?

RESP. Prolixo ſermone opus eſſet; perlege igitur Marſil. in conſ. 2. num. 17. & 47. vſque ad num. 53. & bene Chartar. de hoc loquentem in ſuo Tract. de execut. ſent. contum. c. fin. n. 58. & ſeqq. & poſtremò Farinac. q. 1. num. 46. & q. 11. num. 16. & ſeqq. Et hic te monere non prætermittam, quòd hac Bulla non obſtante, multæ competunt exceptiones bannito, etiam legitimis præcedentibus indiciis condemnato, quas Chartar. eruditè deſcribit, & latè in cap. vltimo: & ex ſupradictis exceptionibus à Genitore meo pleroſque à pœna capitis liberatos audiui.

X.

EX ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, & infra pag. 188. *Item*; Indefeſſa Paſtoralis, & infra pag. 190. *Item*; Cùm nos nuper, & infra pag. ead. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

COMPENDIVM.

Refert, à Pio II. editam fuiſſe Conſtitut. 8. quæ eſt ſup. rom. 1. §. 1. Et aliam Conſtitut. 4. à Paulo II. editam ſup. ibid. §. 2. Subdit, Sixtum IV. confirmaſſe dictam Conſtit. II. qua decreuerat, condemnatos pro homicidio ſaluumconductum à ſolo Papa habere poſſe. §. 3. Refert, à Iulio II. promulgatam fuiſſe aliam Conſt. 6. quæ eſt ſup. ibid. §. 4. Et aliam Conſt. 6. à Iulio, in qua decreuerat, Barones, & alios non poſſe bannitos, & criminoſos homines receptare, & fauere, ſed illos capere debere. §. 5. Refert etiam, à Leone X. editam fuiſſe Bullam 36. quæ eſt ibid. §. 6. Et alteram Bullam 10. à Clemente VII. quæ eſt ibid. §. 7. Et à Pio IV. editam fuiſſe aliam Conſtit. 27. hic ſup. §. 8. Hic modò Pontifex ſupradictas omnes Conſtitutiones approbat, & innouat. §. 9. Communitatéſque teneri declarat ad damna & intereſſe damnum paſſi ab homicidis, ſicariis, bannitis, ſi impunè euaſerint, necnon ad tantundem Cameræ Apoſtolicæ perſoluendum. §. 10. Pœnas in fautores bannitorum ampliat in ſubſeq. Conſt. §. 2. Et in altera ſubſequenti Conſtitutione quotannis hanc Bullam à Communitatibus publicari, & in publicis archiuiis aſſeruari mandar. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Hodie carceratus reperitur compater meus, quod receptauit quendam bannitum, & pro ſua defenſione allegat, quòd non potuit prohibere illum ingredi domum ſuam de nocte, & ſummo manè inde diſceſſit, quid futurum credis, attento §. 2.

RESP.

Digitized by Google

R E S P. Probato quod aſſerit, liberabitur à pœna receptationis, vt in terminis ſimilis ſtatuti ſic inquit Marſil. in l. 1. §. Item Diuus. num. 13. ff. de ſicar. & Rol. qui alios congerit in conſ. 45. lib. 1. num. 76.

Scholion ſecundum.

Quæro. Allegat idem carceratus, quod ignorabat illum eſſe banuitum, & Fiſcus probat, quòd publicè dicebatur eſſe bannitus, quis obtinebit?

R E S P. Reus obtinebit, quia ab vno poſſunt teſtes publicè dici audiuiſſe. Secus verò erit, ſi probaretur publica vox, & fama, quod eſſet bannitus. Bart. & alij in l. 1. ff. de receptator. Simon de Pret. conſ. 81. num. 18. cum ſeqq. ſcribb. communiter in l. 1. Cod. de his qui latron.

X I.

Edita Anno 1566. DVm ad vberes, & infra pag. 191. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Fratres, Monachos, & Moniales, ſiue Sorores Ordinum Mendicantium, & alias vtriuſque ſexus perſonas Regulares, in toto Orbe conſtitutas, & eorumdem Conuentus, Eccleſias, & loca omnia etiam vnita, & dependentia, terráſque, agros, & cuiuſcumque generis bona, necnon & illorum colonos, locatarios, negotiorúmq; geſtores, eximit ab omnibus collectis pedagiis, & vectigalibus, ſubſidio triennali, equorum taxis, & hoſpitiis Militum, aliiſque oneribus impoſitis, & imponendis. §. 1. 2. & 4. Redditus eorum per ipſos Mendicantes, & in eorumdem ſuſtentationem dumtaxat expendi præcipit. § 3. Officialibus Cameræ Apoſtolicæ mandat, vt Monaſteriis ſupradictorum Mendicantium in Statu Eccleſiaſtico exiſtentibus, tantum ſalis, quantum pro eorum vſu ſuffecerit, quotannis aſſignent. §. 5. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 6. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 7. Executores huius indulti deputat. §. 8. Contrariáque omnia refellit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Hoc indultum fuitne à Gregorio XIII. reuocatum?

R E S P. Reuocatio Gregorij de priuilegiis à Pio V. erga Regulares elargitis, quæ habetur infra in ſua Conſt. 9. hanc Bullam Pij non comprehendit, vt in dicta Conſtit. 9. Gregorij dicetur. Quod aduertit etiam author Catecheſis Neapol. fol. 302. & Sorbus in Compendio Priuilegior. Fratr. Minor. fol. 451. quos citat, & ſequitur Quaranr. in Summa quarundam Bullarum, in §. Priuilegia Regularium, fol. 416. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hac exemptione à gabellis potiri forſan poterit laicus, habens rem communem cum Regularibus?

R E S P. Non, ſed diuidenda illa erit iuxta pretij partem, quæ laici portionem tangit, vt relatis aliis tradit Rod. tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 74. art. 14.

X I I.

PRouidentia Romani Pontificis, & infra pag. 192. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

C O M P E N D I V M.

Reuocat licentias, & facultates conceſſas Græcis, Latino more, & Latinis, Græco ritu Miſſas, & alia diuina officia celebrandi. §. 1. Prohibet Græcis, præſertim vxoratis, ne Latino more, & Latinis, ne Græco ritu, in vim eiuſmodi facultatum, aut quouis alio prætextu celebrent. d. §. 1. Huius legis obſeruantiam Prælatis, & aliis omnibus præcipit. §. 2. Contraria quæcumque remouet. §. 3. Hanc ſanctionẽ publicari, eiuſque trãſumptis credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid Latinus celebrans in pane fermentato, ſit de iure communi grauiter corripiendus?

R E S P. Deponendus venit, id eſt, officio, & beneficio priuandus, ad tex. in cap. vlt. de celebrat. Miſſar. & ibi Panormit. num. 1. & idem eſt dicendum de Græco, qui in azymo celebraret.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quare in azymo celebrandum eſt potiùs, quàm in fermentato?

R E S P. Quia Sacramentum Euchariſtiæ CHRISTVS inſtituit prima die azymorum. Matth. cap. 27. Vnde cùm ea die nil fermentatum eſſet in domibus Iudæorum, præſumendum eſt, quod CHRISTVS in azymo dictum Sacramentũ inſtituit. Panor. vbi ſup. & Greg.

Digitized by Google

Toloſan. lib. 2. Syntagm. Iur. vniuerſ. cap. 6. num. 5. Vnde inquit D. Paulus 1. Corinth. 5. *Epulemur in azymis ſinceritatis, cùm Paſcha noſtrum immolatus eſt CHRISTVS*; quo tempore Paſchæ hoc ſacrificium Dominus inſtituit.

XIII.

Edita Anno 1566. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 193. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat, Pium IV. decreuiſſe, quod in diſpenſationibus matrimonialibus, pro diuerſis conſanguinitatis, ſeu affinitatis ex eodem ſtipite prouenientibus gradibus coniunctis, non remotioris ſolùm, ſed etiam propinquioris gradus expreſſa mentio fieri deberet, aliàs diſpenſationes nullæ eſſet, in princ. Subditque, illud decretum à diſpoſitione iuris communis, & antiquo Romanæ Curiæ ſtylo nimiùm recedere, ac libertatem, & fauorem matrimonij reſtringere. ibid. Subdens, remotioris gradus non expreſſionem non inualidare diſpenſationem. d. §. 1. Et propterea hic Pont. dicto mori, ac ſtylo, atque Gregorij XI. & Clementis VI. veſtigiis inhærendo, ac libertati matrimonij fauendo, ſtatuit, remotiorem tantummodo gradum exprimere ſatis eſſe, obtentis tamen poſtea literis declaratoriis ſuper propinquitate gradus, iuxta Gregorij & Clem. Conſtitutiones. §. 1. Et ita, & non aliter iudicari poſſe. §. 2. Contrariáque non obſtare. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Diſpoſitio iuris communis, ac ſtylus Romanæ Curiæ, de quibus hic mentio facta eſt, vbi habetur?

RESP. Ius commune conſtat in cap. 3. & cap. fin. de conſanguin. & affinit. Stylus autem, & Conſtitutio Clem. VI. citatur à Calder. in conſ. 1. de conſanguin. vbi eam ſubdit non eſſe impreſſam, necnon reſpectiuè à Couar. ſupra 4. Decret. par. 2. cap. 6. num. 12. & à Guttier. canonic. quæſt. lib. 2 cap. 15. num. 128. vbi meminit etiam de alia Conſtit. Greg. XI. & pariter à Sanchez de Matrimon. lib. 8. diſput. 24. num. 24. & ſeqq. pag. mihi 113. qui alios congerit. Et ſi præterea Conſtitutionem Pij IV. hic pariter enunciatam videre cupis, impreſſam habes in antiquiori Genitoris mei Bullario pag. 888. ab eo tamen in hoc poſteriori, vti reuocatam, ſcio prætermiſſam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *obtentis poſtea literis declaratoriis*, de quibus in fine §. 1. quæ conditionem importare videntur, fortaſſe operabuntur, quod ante interpretationem dictarum literarum, matrimonium ſit inualidum?

RESP. Verba prædicta verè in iſto caſu non important conditionem, quia in Bulla deciditur, primas literas validas eſſe etiam non expreſſo proximiori gradu. Quod intellige, ſi affinitas conſurgit ex actu fornicario occulto. Prob. in addition. ad Monach. in rutb. de cognat. ſpirit. in 6. Secus verò ſi diſpenſatio petitur in foro exteriori: tunc enim ſunt ſecundæ literæ obtinendæ, ad tollendam anſam ſcandali eorum, qui videntes non eſſe diſpenſarum in gradu proximiori, exiſtimarent matrimonium irritum eſſe. Ita cenſuit Stephan. de Gaeta in repet. cap. Ad limina. cauſ. 3. quæſt. 1. §. 4. num. 163. & melius explicat Sanch. mox citat. num. 28. & ſeq. Et apud eos eiuſmodi literarum declaratoriarum tenorem poteris videre.

XIV.

SAnctiſſimus in Chriſto Pàter, & infra pag. 193. *Item*; Cùm illius vicem, & infra pag. 194. *Item*; Ad Rom. Pontificem, & infra pag. 194. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

COMPENDIVM.

Enuntiat, Concilium Tridentinum decreuiſſe, inter certas tantùm perſonas contrahi cognationem ſpiritualem, & deinde dubitatum fuiſſe, an qui ante confirmationem dicti Concilij, vltra perſonas prædictas cognatione ſpirituali coniuncti erant, abſque diſpenſatione Apoſtolica matrimonium contrahere poſſent, in princ. Et enuntiat, dictum Concilium decreuiſſe, affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur, in illis tantùm attendi debere, qui primo, vel ſecundo affinitatis gradu coniunguntur; & deinde fuiſſe dubitatum, an

matrimo-

matrimonia inter perſonas,quę ante cõfirmationem Concilij,tertio,vel vlteriori gradu eiuſmodi affinitatis coniunctæ erant, poſt prædictam confirmationem dicti Concilij,abſque diſpẽſatione Apoſtolica contracta, & quæ contrahi contigerit, dirimi debeant. §. 1. Declarat itaque primum dubium, & affirmatiuè reſoluit. §. 2. Secundum verò negatiuè, ſi fornicatio infra ſecundum gradum peruenit. §. 3. Præterea, quia Concilium cognationem ſpiritualem inter certas perſonas reſtrinxit, declarat, ad alias perſonas, quàm expreſſas, non extendi. §. 1. ſubſeq. Conſt. Et nullum hodie impedimentum remanere, quominus in vlterioribus gradibus, quàm à Concilio expreſſis, liberè, & licitè matrimonium contrahi poſſit. §. 1. alterius ſubſeq. Conſt.

Scholion primum.

Quæro. Cognatio eiuſmodi contrahitúrne inter patrinos?

R E S P. Non, etiam inſpecto iure antiquo, & ideo multo minus iure iſto, quia Concilium,& Pius voluerũt potiùs cognationem hanc coarctare,quàm protendere, vt ad propoſitum huius Bullæ notat Sanchez de Matrim. lib. 7. de impediment. matrim. diſput. 54. num. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi vir, & vxor ſimul alienum puerum de ſacro fonte leuent?

R E S P. Nulla inter eos contrahitur ſpiritualis cognatio:& ſic poſt alios aduertit Sanchez ibid. num. 13. vbi alios authores adducit.

X V.

Edita Anno 1566. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 194. *Item*; Cupientes litium,& infra pag. 195. *Item*; Quia ſicut accepimus, & infra pag. 195. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Damnat abuſum,quo familiares Cardinalium defunctorum, bona in eorum miniſteriis teneri ſolita, inuitis hæredibus vſurpent, vel in nouorum Cardinalium creatione, aut aliis temporibus certum quid extorqueant. §. 1. Decernit, quod ſuper bonis quorumcumque Prælatorum Curiæ familiares non poſſint in præiudicium aliorum creditorum petere ſalarium non conuentum, in princ. Conſtitut. ſubſeq. Innouátque Conſtitutionem 43. Pauli III. quæ eſt ſup. tom. 1. §. 1. Prohibet peti regalia, de quibus hic ſuprà in princip. §. 2. Cameram in ſatisfaciendo creditoribus præferri iubet pro annulo, & capella. §. 3. Poſtea creditores pro rebus cibariis. §. 4. Succeſſiuè pro veſtiariis. §. 5. Deinde mercenarios pro mercede cõuenta. §. 6. Executorem deputat Aud. Cameræ. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8. Declarat Aromatarios non connumerari inter creditores pro cibariis, in §. 1. ſubſeq. Conſtit.

Scholion primum.

Quæro. Nónne etiam de iure communi, ſalarium non ſpecificè conuentum minimè debetur?

R E S P. Veriſſimum eſſe probat tex. in l. 1. in fine, & in l. Salarium. 17. Cod. mand. l. qui mutuam. 6. §. Salarium. ff. eod. tit. Natta conſ. 376. num. 4. Rota in deciſ. Seraphini 65. num. 1. in nouis, & in deciſ. Binarini 559. par. 1. diuerſor. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne propterea hæc Bulla otioſa?

R E S P. Non, quia locum habet eius diſpoſitio etiam in familiaribus, qui eſſẽt ſoliti locare operas ſuas dominis eos ſolitis conducere, & etiam quod in Vrbe extet generalis conſuetudo dandi ſalarium. Derogat etenim hæc Bulla quibuſcumque contrariis, & ſic non attenditur ſolitum, neque conſuetudo prædicta, quæ erat attendenda de iure communi. Alex. conſ. 109. lib. 6. in princip. Soc. ſen. conſ. 196. in fin. Natta, & Rota in deciſ. præcit.

X V I.

PIa deuotio, & aſſidua cura, & diligentia, & infra pag. 196. Bull. *Edita Anno 1566.*

C O M P E N D I V M.

Commendat artem agriculturæ Vrbis Romæ. §. 1. Confirmat noua eius ſtatuta. §. 3. Iuriſdictionem cognoſcendi cauſas inter homines artis, & de rebus ad artem ſpectantibus, Conſulibus dictæ artis delegat. §. 4. Decretum irritans apponit. §. 5. Cõtrariis derogat. §. 6.

Digitized by Google

Scholion primum.

Quæro. Perdit fortaſſe priuilegia nobilitatis,qui agriculturæ artem exercet?

R e s p. Non, qui eam in ſuis fundis exercet, vt remotis contrariis ſcribit Tiraquell. de Nobilit. cap. 32. vbi latè,& Guido Pap. deciſ. 41.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui ſunt homines huius artis agriculturæ, & quæ res ſpectantes ad eam artem?

R e s p. Statuta dictæ artis cap. 22. & ſeq. ita bene explicant, vt nihil vltrà deſiderandum videatur,iunctis præſertim adnotationibus celeberrimi Iuriſconſulti D.Fuluij de Fuluiis,& Benignis in Romana Curia Aduocati Primarij, appoſitis ad dicta ſtatuta eiuſdem artis, Romæ edita anno 1595.

XVII

Edita Anno 1566. Dignum, & rationi congruum, & infra pag. 196. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Paulum III. reintegraſſe facultatem populi Romani, cuius Conſeruatores conſueuerunt ex Pontificali, & Imperiali priuilegio quoſcumque ſclauos Chriſtianos iam effectos,ad eos pro libertate confugientes,& libertatem acclamantes,liberare.§ 1. Eamdem facultatem ipſe Papa confirmat, & de nouo concedit.§.2.Et ſclauos ſic de cætero liberandos,pro liberis hominibus,& Romanis ciuibus vbique haberi decernit. ibid. Et ita, ac non alias iudicari præcipit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Pauli III. indultum hic enunciatum vbi perlegere poſſem?

R e s p. In antiquiori Genitoris mei Bullario fol. 357. vbi in fine (impreſſorum forſan incuria)hæc verba deſiderâtur,videlicet, *Datum Romæ apud S. Petrum iuxta Kal. Iulij anno primo*; & ob id ab eodem Genitore in hoc nouo eius Bullario illud prætermiſſum puto.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num hodie Chriſtiani in bello victi, efficiuntur ſclaui, aut ſerui Chriſtianorum?

R e s p. Non, ex antiquitatis obſeruata, laudabilique conſuetudine, de qua meminit Bart.in l. Hoſtes. 24. ff. de captiu. poſtlim. reuerſ. & Simanc. de Catholic. Inſtit. in tit. 61. de ſeru.num. 2. vbi alios ad hoc allegat.

XVIII.

Conſiderantes varia diſpendia, & infra pag. 197. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

C O M P E N D I V M.

Declarat, iuriſdictionem Aud. Cameræ non præiudicare iuriſdictioni Vicarij Papæ,circa perſonas Eccleſiaſticas, loca pia,eorúmque bona,etiamſi agatur de obligatione in forma Cameræ, ſeu Ripæ, & Ripettæ.§.1.Et ita, & non aliter iudicari poſſe. d. §.1. Contrariiſque derogat. §. 2. & 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid hodie ſeruatur in cauſis eiuſmodi obligationis Cameralis, quoad Hebræos?

R e s p. Reformatio Pauli V. in ſua Conſtitutione 71. §. 7. nuperrimè edita, ideóque à Genitore meo in rubr. huius Bullæ de more non indicata.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cameralis obligatio ſemel extenſa inter eaſdem perſonas in vno officio Notariatus,erit forſan extêdenda de nouo, vel reproducenda in officio alterius Notarij cauſæ, cuius ipſe eſt actuarius?

R e s p. Affirmatiuam ſententiam tenuit Rota coram Lancell. in vna Romana releuationis à moleſtiis, die 12. Ianuarij 1601. in verſ. Non obſtat. in manuſcriptis meis tom. 8. fol. 121. eam adducens rationem, quod Notarij, licèt ſint vnius Tribunalis, habent tamen acta ſeparata, neque vnus intromittit ſe in negotiis alterius, vt dixit etiam Rota coram Pamphilio in vna Romana cenſus, die 4. Decembris 1595. d. tom. 8.fol. 120. verſ. Non obſtat.

XIX.

Cupientes pro commiſſo nobis Apoſtolico munere, & infra pag. 197. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

C O M P E N D I V M.

Innouat Conſtitutionem Clementis VII. editam contra Barones, & alios, frumenta vltra eorum vſum ementes, aut ad Vrbem deferri impedientes. §. 1. Ementes abſque licentia blada, vltra dictum

dictum vſum , vt cariùs vendant,pœnis alligat. §. 3. Baronibus , & aliis , vltra dictum vſum , ſubditorum frumenta, aliáque blada ementibus, vel ad Vrbem deferentes impedientibus , alias pœnas infligit. d. §. 3. Et hos deferentes à ſolutione gabellarum, & aliorum onerum eximit. §. 4. Quidquam ab eis exigi omnibus interdicit. §. 5. Imò eos pro debitis etiam Cameralibus non moleſtari præcipit.§. 6. Agriculturam exercentes,dum colunt, vel ſeminant, aut colligunt frumenta,pro eorum debitis vexari prohibet , dummodo aliunde quàm ex agriculturæ fructibus ſoluere non poſſint.§. 7. Boues , & inſtrumenta aratoria in hypotheca non comprehendi, & priuilegiis dotis gaudere, ac in executione ciuili non auferri mandat. §. 8. Executores deputat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Inſtrumenta aratoria , de quibus in §. 8. quæ dicuntur?

RESP. Ligones,aratra,vltra boues,& ſeruos aratorios. l. Executores. 7. & ibi Bald & alij , Cod.quæ res pignor.oblig. poſſ. Plot. de in lit.iur. num. 742. Ferret. de gabell. num. 125.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si executor eiuſmodi inſtrumenta aratoria caperet , poſſétne dominus eorum propria authoritate recuperare de manu executoris?

RESP. Poſſet , quia executori iniuſtè exequenti reſiſti poteſt , tanquam priuato , vt in ſpecie ſic probat Plot. in loco cit. & Menoch. de arbitrar. Iud. caſu 378.n.7.Quod limita in caſib.in quibus poſſent ea capi,non obſtāte dicta regula prohibitiua , quorum duo ponuntur à Ploto in illis duabus limitationibus ab eo traditis.

X X.

Edita Anno 1567. Regularium perſonarum , & inf. pag. 198. *Item* ; Decet Romanum , & infra pag. 199. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quaſcumque facultates , & licentias ingrediendi Monaſteria,& domos virorum , cuiuſcumque Ordinis Regularis , mulieribus cuiuſcumque ſtatus, ordinis , & conditionis , & quacumque dignitate , & præeminentia præditis , quoquomodo conceſſas.§.1.& 2. Mulieribus illas prætendentibus , excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſeruatæ pœnam poſt habitam eiuſmodi Bullæ notitiam , infligit. §. 3. Viris autem Regularibus,ne eas admittere præſumant , ſub pœna priuationis officiorum , inhabilitatiſque ad illa,& alia, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda , prohibet. §. 4. Quaſcumque mulieres comprehenſas declarat , etiam habentes , vel habere prætendentes facultatem , & indulta ingrediendi Monaſteria virorum Ordinis Regularis. §. 1. & 2. in Conſtit. ſubſeq. Aditum autem eiſdem mulieribus non præcludi ad Monaſteria , & Clauſtra , quando in eis Miſſæ , & diuina officia celebrantur , & dum proceſſiones fiunt , & quando Chriſti fidelium cadauera ſepeliuntur, ac pro eis ſuffragia fiunt , declarat. §.3. Vel quando diuinum verbum in Clauſtris proponitur, vel alia ex cauſa tantus populi concurſus fit , quod commodè ipſæ mulieres non poſſent ingredi , & egredi per portam Eccleſiæ , quo caſu illæ cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi , & egredi per portam Clauſtri , dummodo recto tramite accedant ad portam , qua exitur à Monaſterio. §. 4. Et ita , & non aliter iudicari mandat , non obſtantibus quibuſcumque. §. 5. & 6.

Scholion primum.

Quæro. Appellatione Monaſteriorum, & domorum , de quibus in §. 1. num veniunt etiam illa , quæ ſunt in fieri, vel in quæ Conuentus non fuerit introductus , ſed aliqui Regulares potiùs pro fabricæ ſeruitio , quàm aliter habitauerint?

RESP. Non , quia in eis non eſt talis clauſura , vt mulieres ea intrando huius Pontificis lege comprehendantur, prout diffinitum fuiſſe à Congregatione Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium ſuper interpretatione ſacri Concilij Tridentini , ſcribit Capuccin. in Compend. Priuileg. Fratr. Minor. in §. ingredi Monaſteria. verſ. Eſt aduertendum. pag. mihi 365. in fin. & ſequitur Stephan. Quarant. in Sum. quarundam Bullarum , in verb. Monaſteria , pag. mihi 307.

Scholion ſecundum.

Quæro. Licentia eiuſmodi ingrediendi Monaſterium, intelligitur forſan finita ſtatim finito negotio, ad quod conceſſa fuit?

R e s p. Moraliter debet interpretari, non autem punctualiter, & metaphyſicè, vt nulla mora egredi ſit neceſſe, recta via, complero negotio: ſed ibi aliquantulum permanere, officinas circumeundo, dummodo abſit corrupta aliqua intentio, vt ex mox ſupracitato Capuccino collectore Compend. tenet, & explicat Rod. de quæſt. Regularib. tom. 1. quæſt. 47. artic. 11.

XXI.

Edita Anno 1566. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 200. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, Procuratores Officij Sacræ Pœnitentiariæ, ſeu contradictarum, & quoſcumque Solicitatores, & Scriptores, qui veritatem facti in diſpenſationibus matrimonialibus, & alijs gratiis obtinendis, à narratione, quam à partibus habuerint, quoad ſubſtantialia, & qualitates neceſſariò exprimendas, diuerſam faciunt, interuertunt, immutant, deprauant, & per ſubreptionem, vel obreptionem gratias à Papa extorquent, pœnam falſi incurrere, eáque puniri. §. 1. Mandat Iudicibus Gubernatoris Vrbis, Aud. Cameræ, & Vicario, reos culpabiles repertos pœna falſi puniri. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quod eſt munus eiuſmodi Procuratorum Pœnitentiariæ?

R e s p. Hi, veluti cauſarum patroni, libellum ſuarum precum dictitant, & quaſi cauſas orant apud ipſum Summũ Pœnitentiarium, à quo poſtulata concedi, & exinde diplomata expediri curant. Ita ſcribit Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2. num. 4. Gomez. in prolog. Regular. Cancell. quæſt. 1. necnon Petrus Greg. Tholoſ. par. 2. Syntagm. iur. lib. 15. cap. vlt. ſub num. 16.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num pœna falſi, de qua hic, incurratur, etiamſi diſpenſatione quis vſus non ſit?

R e s p. Affirmatiuè, quia delictum totaliter conſummatum fuit in ipſa falſa expreſſione, quæ hic ponitur, per ea quæ notant Hoſtienſ. & alij in c. penult. de crimin. falſ. & tradit Farin. q. 150. n. 54.

XXII.

Edita Anno 1566. INter multiplices curas, & infra pag. 200. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quod ipſe in minoribus exiſtens, ſanctiſſimi Officij Romanæ, & vniuerſalis contra hæreticam prauitatem Inquiſitionis negotia tractauit, & quod rei inquiſiti diuerſimodè ſententias & decreta ad eorum fauorem extorſerunt, & varias literas Apoſtolicas deſuper habuerunt, in princ. Eas ergo in cauſis hæreſis emanatas, reducit ad terminos iuris communis & reuocat eaſdem, quatenus contrariæ ſint iuriſdictioni, & ſtylo Inquiſitionis, & eiuſmodi ſententias abſolutorias ſic prolatas, numquam tranſire in iudicatum decernit. §. 1. Dátque facultatem Inquiſitoribus huiuſmodi cauſas reuidédi, nõ obſtantibus ſententiis à Sede Apoſtolica confirmatis. §. 2. Pauli IV. Conſt. 19. de qua ſup. tom. 1. contra hæreticos editam comprobat. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 4. Contrariáque remouet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Num etiam de iure communi verum eſt, ſententias abſolutorias eiuſmodi non tranſire in iudicatum, vt hic quoque diſpoſitum eſt in §. 1.

R e s p. Sic fauore fidei tenendum probat Luc. de Pen. in l. vnica, aig. d. l. Cod. de ſent. aduerſ. Fiſc. lib. 10. num. 3. quem ſequitur Ioann. Royas, & Simanc. quibus adhæret Pegnà in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 37. verſ. Sed quid ſi abſoluatur, & Scac. de Iudic. cap. 95. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ampliaturne hæc regula, etiãſi rei ſint tanquam innocentes abſoluti?

R e s p. Ita ſanè, quia etiam eo caſu militat fauor fidei, ideóque eſt pariter attẽdẽdus, prout tenet Pegna in addit. ad Conrad. Brun. aliter ſentientem in tract. de hæret. lib. 4. cap. 8. num. 14. & Farinac. quæſt. 185. num. 197.

XXIII.

Digitized by Google

X X I I I.

Edita Anno 1566. CVm fel. record. Pius I V.& infra pag.201.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Pius I.V.in ſua Conſt. 79.de qua ſup. ſtatuit,quod quicquid decreuerit maior pars Cardinalium Congregationis ſanctiſſimæ Inquiſitionis,qui in ea interuenerint, validum ſit, perinde ac ſi omnes ibidem interueniſſent, in princip. Hic Pont. idem mandat in eo, quod maior pras pręſentiũ ſtatuit,vel duo ſolùm aliquibus abſentibus, perinde ac ſi omnes, & ſinguli interueniſſent. §. 1. 2. & 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Illa dictio, *perinde*, num veritatem, hoc eſt,totalem iuris ſimilitudinem importat in caſu aſſimilato?

R E S P. Ita ſanè, ſecundùm Bald. in l. vtrùm. 26. §. perinde. ff.de petit. hæred. num.1. Dec. conſ. 360. num. 4. ac Igneus in l. 1. §. ſeruus. ff. ad Syllanian. num. 13. vbi ex Bart.quem allegat,quaſdam huius ſignificationis limitationes adducit, quæ non faciunt ad caſum noſtræ Conſtit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Abſentes, de quibus hic, fortaſſe intelliges ab Vrbe?

R E S P. Non, ſed à Congregatione, aliàs difficillimum foret oſtendere, quæ pars Cardinalium abeſſet ab Vrbe. Vltra quod ſicuti nedum Bulla Pij, ſed etiam iſta loquitur de præſentibus in Congregatione; ita è contra loquendo de abſentibus à Congregatione intellexiſſe cenſetur d. l. vtrùm, & l. ſed & poſteriores.28. ff. de legib. cum aliis vulgar.

X X I V.

Edita Anno 1566 CVm ſicut accepimus à dilecto filio,& infra pag. 202.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Pius I V. & alij Pontt. decreuerunt, reos condemnatos ad fauorem Fiſci Cameræ Apoſtolicæ,non admitti ad appellandum, non facto depoſito pœnæ, in qua quis condemnatus eſt, vel de ſe conſtituendo in carcere, & ibidem remanendo in quacumque parte iudicij. §. 1. Hic Pont. limitat, & reſtringit ad diuites;alios autem appellare indulget, data fideiuſſione in forma depoſiti. § 2. Excipit tamen confeſſos, contra quos Iudex à quo exequi poterit. §. 3. Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Si quis à ſententia Iudicis Baronis appellat ad eumdem Baronem; qui habeat ſecũdas inſtãtias,tenetur forſan ad depoſitũ;vel cautionẽ,de qua hic?

R E S P. Non certè, quia hæc ad fauorem Fiſci Cameræ Apoſtolicæ Conſtitutio emanauit, cuius intereſſe ceſſat in caſu propoſito, & ſpectat ad Baronem. Ita tradit Farinac.quæſt. 101. num. 104. Scac. de appellat. lib. 3. cap. 2. quæſt. 17.limit. 43. num. 34. & Marcheſan. de commiſſionib. appell. in cauſ. crim. par. 1. §. 1. num. 105. iuxta vltimam impreſſionem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi vaſſallus à ſententia Iudicis Baronis appellaret ad Curiam Papæ?

R E S P. Iſte caſus contingere poteſt, ſi ſecundæ inſtantiæ non ſint à Papa cōceſſæ Baroni priuatiuè quoad Cameram Apoſtolicam; & tunc dico locum habere diſpoſitionem, de qua in hac Bulla, quoad depoſitum, & executionem, Peregrin. de iure Fiſc.lib. 1. tit. 2. num. 98.in fin.quia tunc pœnæ ſpectant ad dictam Cameram. Theſaur. deciſ. 250. num. 1. in fin. iuncto num. 5. verſ. & in fin. Capic. deciſ. 27. num. 19. Capiblanc. de author. Baron. in Prag. 8. par. 1. num.18.& in terminis noſtris Farinac. vbi ſup. ſic obſeruari vidiſſe affirmans, & ſequitur Scac. in loco cit. & ambo loquuntur de Bulla Pij, de qua hic agitur. Et Farinacio non bene contradicit Guazzin.de defenſ.reor.defenſ. 36.cap.5.ſub n.2.quia fundat ſe in Caſſaneo, & Natta, qui non loquũtur in iſtis terminis appellationis,& depoſiti.

X X V.

ACcepimus, quòd poſtquam,& infra pag. 202. Bullarij. *Edita Anno 1566.*

C O M P E N D I V M.

Dominicus, & Angelus de Capranica S. R. E. Cardinales, vnum Collegium Scholaſticorum in Vrbe, & aliud Stepha-

Stephanus Nardinus Cardinales fundarunt & dotarunt, & Conſtitutiones pro vita, moribus, & profeſſione ibi ſtudentium ediderunt, in princ. Eorúmque Collegiorum gubernium cuſtodibus Hoſpitalis S. Saluatoris de Vrbe conceſſerunt. ibid. Scholares illorum cuſtodum regimen, & iuriſdictionem euitare tentarunt. §. 1. Paulus III. eorumdé iuriſdictioni ſubiecit,& Scholaribus appellationem in caſu grauaminis,ad Vrbis Conſeruatores dedit,Scholaréſque recuſantes ſuſtinere concluſiones ſecundum ſtatuta, ipſo iure à Collegio expelli decreuit.§. 2.& 3.Paulus IV. hæc approbauit. §. 4. Necnon pariter, & Collegij Conſtitutiones hic Pont. comprobat. §. 5. Armorum omnium vſum (non tamen enſis in Camera) prohibet. §. 6. Ludos quoque alearum & taxillorum. §. 7.Veſtem longam cum ſolito capuccio,& extra Collegium à Scholaribus deferri iubet. §. 8. Logicæ, & Philoſophiæ operam eò vſque dare permittit, quouſque eis ſufficiat ad ingreſſum Theologiæ, & pariter iuri ciuili, quouſque ſufficiat pro ingreſſu ad ius canonicum. §. 9.Scholares elapſo triennio quatuor Ordines minores accipere iubet. §. 10. Et quotidie officium Beatæ MARIÆ Virginis recitare. §. 10. Ac idoneos ſe præbere ad recipiendum Ordines ſacros, ſi beneficia Eccleſiaſtica eis conferantur. ibid. Obſeruantiam huius Conſtitutionis dictis cuſtodibus præcipit. §.11.Contrariiſque derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore prædicti Cardinales creati,& ab eis Collegia iſta inſtituta fuerunt?

RESP. Dominicus à Martino V.anno 1426.& Angelus à Pio II.anno 1460. Stephanus autem à Sixto IV. anno 1473. vt ſcribit Ciacon. in vit. dictorum Pontificum. Collegium verò Capranicenſe pro pauperibus Scholaribus ex teſtamento Dominici anno 1458. & Nardinum à prædicto Stephano anno 1488. inſtituta fuere, vt ſcribit Camill. Phanuc.de oper.piis Vrb.l.2.cap.5. & 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quidam Scholaris, qui (vt meri eueniſſe fertur) vendit alteri ſuum locum huius Collegij, committítne ſimoniam?

RESP. Hoc ſodalitium licèt non ſit ſpirituale, videtur tamen ei annexum, ex his quæ diſponuntur in §. 8. & ſeqq. & ideo hæc venditio importat ſimoniam,prout in vendente ius patronatus, quod eſt ſpirituali annexum. Ita de ſimilibus Collegiis loquendo arguit, & tenet Nauarr. conſ. 47. de ſimon. num. 1. ſecundùm impreſſionem Brixiæ, & 89. iuxta impreſſ. Venet. Subdit tamen non incidere in pœnas extrauag. 2. de ſimon. quia illæ imponuntur ibi contra ſimoniacos in ordine, & beneficio Eccleſiaſtico.

XXVI.

CVpientes malitiis nonnullorum, qui fructus, & inf.pag. 204. Bullarij. *Edita Anno.* 1567.

COMPENDIVM.

Applicat Cameræ Apoſtolicæ omnes fructus, & iura beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, ſeu affectorum, Regni Neapolis, aliter quàm per ceſſum vacantium, & pro rata temporis, quo vacant. §. 1. Ordinariis, & aliis prohibet, ne in illis ſe intromittant. §. 2. Sic iudicari præcipit. §.3.Nuncio dat facultatem illos colligendi.§.4.Quibuſcumque non obſtantibus.§.5.Tranſumptis credi mādat.§. 6.

Scholion primum.

Quæro. A quo addiſcam,quæ ſint huiuſmodi beneficia Sedi Apoſtolicæ reſeruata, de quibus in §. 1.

RESP. Plures de hac materia ſcripſerunt, ſed omnium pleniſſimè Gonzal. ſup. 8. Reg. Cancell. in gloſ.51. per totam. Illam perlege.

Scholion ſecundum.

Quæro. Affecta autem,de quibus in d. §. 1. quæ ſunt, & in quibus differunt à reſeruatis?

RESP. Affecta dicuntur beneficia, quæ ſemel Papa contulit: eius etenim prærogatiua eſt ſupremæ ſuæ poteſtatis, vt in quibus manum appoſuerit, alij ſe non intromittant,vt per multa iura oſtēdit Mandoſ. in proœm. Regul. Cancell. quæſt. 5. num. 6. & ſeqq. & Simonet. in ſuo tract. de reſeruat. benef. quæſt.

quæſt. 64. quibus adhæret Gonzal. ſup. Reg. 7. Cancell. num. 115. in proœm. Et differunt à reſeruatis, quia reſeruatio fit verbo, id eſt, lege, vel regula; affectio autem fit facto, id eſt, per manus appoſitionem, vt tradunt iidem vbi ſuprà.

XXXVII.

Edita Anno 1566. ACcepimus multos, & infra pag. 204. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, in cauſis diſcuſſionum Tribunalis A. C. creditores vſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta incluſiuè pro quolibet, qui verè ſint pauperes & miſerabiles perſonæ, cæteris creditoribus præferri, eiſque ſatisfieri. §. 1. Et ſummariè per A. C. deſuper procedi. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari. §. 3. Contrariis remotis quibuſcùmque. §. 4.

Scholion primum.

Quærò. Num etiam in aliis Tribunalibus Vrbis hanc eamdem legem obſeruari videmus?

Resp. Coram omnibus Iudicibus ordinariis obſeruabatur olim, & nuper fel. record. Paulus V. in ſua Conſt. 71. §. 11. hoc idem expreſsè decreuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Miſerabilis perſona dicetúrne vidua, ſi diues ſit?

Resp. Non, quia priuilegium iſtud non eſt conceſſum perſonæ miſerabili ſimpliciter, quo caſu dubitabilis eſſet iſte articulus; ſed pauperi, & miſerabili, vt patet ex proœmio. Ideo ceſſante paupertate, non ſufficit qualitas viduitatis, quæ miſerabilitatem inducit, vt in his terminis docet per illã tex. Card. Zabarella in cap. Significantibus. 38. de offic. delegat. num. 1. & 2. ad finem verſ. Quæro. Imola ibid. num. 2. 15. & 16. quos ſequitur Maran. in ſuo Specul. par. 4. §. Iudicium mercatorum. num. 195. & ſeq. Iaſ. in l. Titiæ textores. 36. ff. de legat. 1. num. 31. & alij plerique.

XXVIII.

Edita Anno 1557. SIcuti bonus agricola, & inf. pag. 205. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in ſua Conſt. 95. de qua ſupmulta priuilegia Militiæ, & Hoſpitali Sancti Lazari, & alia conceſſit. §. 1. Et hic Pont. comprobauit. §. 2. Nunc autem illa reformare intendens, declarat reintegrationem, & translationem dictæ Militiæ, & Hoſpitalis firmas remanere. §. 3. Conceſſiones, & indulta ante Pium IV. confirmat, quatenus in vſu ſint, & nemini præiudicialia. §. 4. Conceſſiones autem Pij IV. reuocat, & limitat, vt infrà, cum conditione, quod ipſa Militia obſequiis S. R. E. ſemper parata ſit contra eius hoſtes. §. 6. & 7. Subdit infraſcripta ſubſiſtere priuilegia, videlicet, quòd electio Magni Magiſtri ſpectet ad Religionem: confirmatio verò à Sede Apoſtolica infra tres menſes obtineatur. §. 8. Magnus Magiſter, & Conuentus de licentia Sedis Apoſtolicæ principalem locum transferre, & habitum, regulam, & ſtatuta reformare poſſit. §. 9. Magnus Magiſter inſtituere valeat, quæcumque ſimplicia beneficia de iure patronatus laicorum, in Commendas, & Hoſpitali, ac Militiæ incorporare, & in eis de perſonis idoneis prouidere. §. 10. Quódque confirmatio eiuſmodi inſtitutionum, & eorum incorporationis, ſi citra, infra quatuor menſes, ſi verò vltra montes eiuſmodi beneficia conſiſtant, infra ſex menſes, à die quo factæ fuerint, à Sede Apoſtolica impetretur. §. 11. Hoſpitalia, & Leproſariæ quæcumque Hoſpitali S. Lazari ſubiecta cenſeantur, & per Fratres huius Religionis regantur. §. 12. Præſeruatur tamen iuriſdictio Ordinariorum iuxta ius commune, & Concilium Tridentinum, præterquàm in exemptis ab eo, pro Militibus Hieroſolymitanis, & excepta contributione pro ſeminariis. §. 13. Facultatem dat Militibus etiam cum vna tantùm & virgine coniugatis, percipiendi annuam penſionem ducat. 500. §. 14. Exemptionem à iuriſdictione quorumcumque tam ſpiritualium, quàm temporalium, & à ſolutione cuiuſcumque oneris realis, & perſonalis. §. 15. In atrocioribus tamen locus ſit præuentioni inter Magnum Magiſtrum, eiúſque deputatos, ac locorum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus Ordinarios. §. 16. Exemptionémque concedit à decimis, noualibus, quartis, ſeu canonica portione, & charitatiuo

tatiuo ſubſidio.§.17.Facultatem quoque extrahendi frumenta, ac alios fructus, & pecunias,ex locis Militiæ,& Hoſpitalis. §. 18. Exemptionem extendit quoad bona patrimonialia poſt emiſſam profeſſionem.§.19.Iuriſdictionem tribuit,& authoritatem Magno Magiſtro,eiuſque delegatis, inter omnes perſonas Ordinis, priuatiuè quoad alios. §. 20. & ſeqq. Prouidendique contra inobedientes. §. 23. Et quaſcumque lites ad ſe auocandi. §. 24. Ac ſententias, & rem iudicatam exequendi. §. 25. Appellationem à ſententiis delegatorum concedit ad Magnum Magiſtrum, & Conuentum, & ab illis, ad Capitulum generale. §. 26. Decernit, expeditiones eorumdem à nemine poſſe impediri. §. 27. Eoſdémque contra Clericos, ſeu alios, occupantes bona Religionis, vel eius debita non ſoluentes, procedere poſſe. §. 28. Conſeruatores Religionis quoſcumque in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutos eligi permittit.§.29. Obtinentes beneficia Hoſpitalis teneantur ſoluere iura mortuariorum, vacantium, & ſimilia. §. 31. Perſonæ Religionis poſſint recipere Ordines etiam extra tempora, & certo modo celebrare in omnibus eius Eccleſiis.§.31.Magnus Magiſter,Conuẽtus, Priores, & Præceptores intra terminos ſuatum iuriſdictionum verè exiſtunt Ordinarij.§.32.Officiales locorum omnium teneantur prædictis auxilium præſtare pro capiendis, & tranſmittendis Ordinis delinquentibus.§.34.Annullantur omnes reſeruationes,antianatus, expectatiuæ ſuper locis Religionis abſq; conſenſu Magni Magiſtri, & Conuẽtus, & ad illos prouiſio ſpectet.§.35 Et interim poſſeſſiones ab eis apprehendantur. §. 36. Loca Religionis non comprehendantur ſub reſeruationibus Apoſtolicis. §. 37. Beneficia ordinis conferantur à Magno Magiſtro,& Conuentu, perſonis dicti Ordinis. §. 38. Exemptiones non ſuffragentur circa eorum debita erga commune ærarium Hoſpitalis, & obedientiam Magni Magiſtri, & Conuentus. §. 39. Loca Religionis non niſi in ea profeſſis, & habitum geſtantibus, conferantur. §. 40. Alienationes rerum Religionis non fiant, & factæ viribus omnino careant. §. 41. Ius patronatus, & præſentandi vt reuocentur. §. 42. Reſeruationes penſionum ſuper beneficiis huius Ordinis prohibentur aliis, quàm eiuſdem Fratribus. §. 43. Ad parochiales, & alias dicti Ordinis Eccleſias Fratres Capellani vt deputari poſſint. §. 44. Iidem Fratres Capellani vt differat à Militibus presbyteris, & Clericis.d.§. 44. Fratres Milites vt beneficia retinere poſſint. §. 45. Presbyteri ad parochiales vt admittendi. §. 46. Priuilegiis Religionis perfruantur, qui habitum ſuſceperunt, & profeſſionem emiſerunt.§. 47. In Romana Curia vt eis vti valeant. §. 48. Manus violentas inicientes in eos, qui ad Eccleſias Ordinis cõfugiunt,excommunicantur. §. 49. Magno Magiſtro, & Conuentui liceat in Prioratibus Ordinis Vicarios deputare, cum facultate conferendi Præceptorias, & domos deputandi, & onera ſuper beneficiis imponi ſolita exigendi. §. 50. Liceátque etiam deputare Procuratorem in Curia Romana, cum facultate conferendi beneficia, etiam affecta, reſeruata, & deuoluta.§.51. Antianitatéſque concedere, & beneficiorum reſignationes admittere. §. 52. Cœmeteria etiam habere, & mortuos interdictos certo modo ſepelire in Eccleſiis parochialibus. §. 53. Legata, & donata exigere. §. 54. Perſonis Religionis, intra Regularia Hoſpitalis degentibus, dat facultatem recipiendi Eccleſiaſtica Sacramenta à quocumque Catholico Antiſtite. §. 55. Arma quoque vbique locorum deferendi. §. 56. Capellanis audire confeſſiones, Sacramentáque adminiſtrare permittit. §. 57. Cuique etiam licere decernit erigere Præceptorias,domos,& Hoſpitalia, abſque licentia Ordinariorum, quæ gaudeant priuilegiis Religionis, & in eis nulla ſit Ordinariorum iuriſdictio.§.58. Perſonis Religionis facultas teſtandi vt permiſſa. §. 59. Priori Conuentus vt liceat celebrare in habitu Pontificali, & dare benedictionem. §. 60. Milites, & alij quando ex tranſgreſſionibus Ordinis mortale peccatum incurrant. §. 61. Perſonæ Religionis tempore ſumptionis habitus, & profeſſionis, atque in articulo mortis, vt poſſint eligere Con

Confeſſorem, qui Indulgentiam plenariam concedat. §. 62. Notarij vt teneantur notificare legata facta Hoſpitali, & Militiæ. §. 63. Priores, & Præceptores in Dominica Palmarum, & per eius Octauam, vt poſſint confeſſiones audire. §. 64. Campanáſque animalibus Ordinis apponere. §. 65. Indulgentiæ, & gratiæ huius Ordinis vt non intelligantur ſuſpenſæ. §. 66. Fratres vt poſſint celebrare diuina officia, & Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, & corpora fidelium ſepelire. §. 67. Verbúmque Dei prædicare. §. 68. Concedit priuilegia aliarum Militiarum. §. 69. Publicatio priuilegiorum literarum Summorum Pontificum, & mandatorum Magni Magiſtri, vt afficiat. §. 70. Fides quæ adhibenda literis Magni Magiſtri, & Conuentus. §. 71. Magnus Magiſter, & Conuentus vt poſſint priuare inobedientes, iura Religionis non ſeruantes, & in ſoluendis annuis cenſibus moroſos. §. 72. Nulla exemptio valeat aduerſus obedientiam Magni Magiſtri, eiuſque in illos authoritatem. §. 73. Huius Bullæ clauſulæ præſeruatiuæ ſubduntur. §. 74. Et decretum irritans. §. 75. Contrarioróunque derogationes. §. 76.

Scholion primum.

Quæro. Initia Ordinis huius S. Lazari à quibus temporibus repetuntur?

RESP. A temporibus S. Baſilij Magni Cæſarienſis Epiſcopi, vt in eius vita legitur: & hunc Baſilium Hoſpitale eiuſdem Sancti excitaſſe ſcribit Gregorius Nazianzenus, vt nouiſſimè refert Franciſc. Mennen. de orig. Ord. Equeſtr. pag. mihi 50. vbi eiuſdem Ordinis hiſtoriam bene proſequitur. At prædictum Baſilium anno 378. vita functum inquit poſt alios Baron. in Martyrolog. die prima Ianuarij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Beneficiorum huius Religionis præſeruatio, de qua in §. 37. num de iure etiam communi competebat?

RESP. Competiiſſe probat tex. in clem. 2. §. præmiſſa, de Relig. domib. vbi gloſ. & communiter ſcribb. idem affirmant, & nouiſſimè Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancellar, de menſib. alternat. gloſ. 8. num. 52. & ſeqq. pag. mihi 237.

XXIX.

CVm ex Apoſtolatus, & infra pag. 213. Bullarij. *Edita Anno* 1567.

COMPENDIVM.

Beneficia Eccleſiaſtica propter hæreſim vacantia, cuiuſcumque ſint qualitatis, diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſeruat. §. 1. Et illa in interpretationibus nullo modo comprehendi decernit, niſi diſpoſitiuè vacationis modus expreſſus fuerit, aut per impetrantem deductum fuerit crimen in iudicium, & ſententia fauorabilis obtenta. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 3. Hanc Bullam in Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ de more publicari, & inter Conſtitutiones perpetuò valituras deſcribi mandat. §. 4. Tranſumptíſque fidem adhiberi. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid de iure antiquo hæc beneficia ob crimen hæreſis ipſo iure vacabant?

RESP. Sic profectò, ad tex. in cap. ad abolendam. 9. in illis verbis, *& ſit omni beneficio priuatus*; & tenet Iulius Clar. in §. hæreſis. num. 17. & quæſt. 73. num. 7. Rota in deciſ. 728. par. 3. diuerſor. lib. 3. num. 1. Pegna in Director. Inquiſit. comment. 262. verſ. Mihi tamen. vbi de hac Bulla in ſpecie mentionem facit, & dubitationem hanc penitus auferre affirmat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eodem modo vacabunt fortaſſe etiam beneficia filiorum ipſorum hæreticorum?

RESP. Ita quoque vacare communis eſt opinio, vt poſt alios ſcribit Guttier. de canonic. quæſt. lib. 2. cap. 30. num. 37. vbi tamen ſubdit, contrarium ſeruari in Regno Hiſpaniæ. Sed tamen primam, & communem firmauit Rota in deciſ. Peregrini 6. Martij 1598. in vna Conchenſi penſionis, num. 9. & ſeqq. de qua meminit Gonzal. in Reg. 8. Cancell. gloſ. 11. ſub num. 67. & ea impreſſa habetur in Tract. Marcheſ. de commiſſionib. par. 2. §. 3. pag. mihi 215.

XXX.

ETſi Dominici gregis, & infra pag. 214. Bullarij. *Edita Anno* 1567.

COMPENDIVM.

Reuocat quaſcumque Indulgentias à Romanis Pont. quibuſcumque piis locis conceſſas quauis de cauſa, pro quibus conſequendis porrigendæ ſunt manus adiutrices, & quæ facultatem quæſtuandi continent. §. 1. Prohibet quæſtores, & quæſtuandi, quæſtoréſque deputandi facultates. §. 2. Decretum irritans apponit. §. 3. Contrariorúmque derogationem. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Num cenſetur reuocata Indulgentia Eccleſiam aliquam viſitantibus, & aliqua ſua bona ſecundùm ſuam deuotionem diſtribuentibus conceſſa?

RESP. Ita ſanè, quia Indulgentiam concedere diſtribuenti bona pro Indulgentia conſequenda, eſt Indulgentiam concedere porrigenti manus adiutrices, prout ſic iſtam Bullam declarauit Nauar. conſ. 2. lib. 5. de pœnit. & remiſſ. num. 7. pag. mihi 571. iuxta impreſſionem Brixiæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si eleemoſynam quis tribuat Hoſpitali, putans propterea conſequi Indulgentiam, quam tamen falsò publicauerat quidam quæſtor, num Indulgentiam conſequetur?

RESP. Non, quia bona intentio ad id non ſufficit, vt poſt Oldrad. Felyn. & Cardin. quos allegat, tenet Dec. conſ. 276. num. 1. ſed habebit meritum eleemoſynæ, quia talis dolus, reſpectu ipſius decepti, videtur bonus, quia eum prouocat ad melius. argum. cap. dilecti. 6. de dolo, cum ibi not. & tradit Graff. in append. ſuar. deciſ. lib. 2. cap. 5. num. 70. in fine.

XXXI.

Edita Anno 1567. AD immarceſcibilem vitæ æternæ coronam, & infra pag. 215. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens VII. in Conſt. 11. de qua ſup. tomo 1. Congregationem Clericorum Theatinorum confirmauit. §. 1. Et in alia Conſtitut. 38. de qua ſup. tom. 1. quaſdam gratias elargitus eſt. §. 2. Paulus III. decreuit, maiorem partem Capituli illud totum repræſentare, cum omnimoda poteſtate ſuper Præpoſitos, & alios. §. 3. Et in paritate vocalium, ibi voluit eſſe Capitulum, vbi antiquior reperitur vocalis. §. 4. Capitulíque ius ſupremum eſſe. §. 5. Superiorum officia anno expleri. §. 7. Præpoſitorum, & eorum loca tenentium, eamdem eſſe authoritatem. §. 7. Præpoſituris vacantibus Capitulum prouidere decernit. §. 8. Antiquiorem vocalem ſuccedere ipſo iure Præpoſituræ vacanti per lapſum anni. §. 9. Laicos venientes ad Ordinem, vti poſſe veſtibus Clericalibus, & gaudere priuilegiis Ordinis indulget. §. 10. Iulius III. hæc omnia confirmauit. §. 11. Paulus IV. Bullam Iulij III. approbauit, & priuilegia Clericorum de Somaſca communicauit. §. 12. Adminiſtrandíque Sacramenta in omnibus Eccleſiis facultatem dedit. §. 13. Priuilegia inſuper Clericorum Societatis IESV conceſſit. §. 14. Hic Pont. modò omnia confirmat. §. 15. Præpoſitóque dat facultatem abſoluendi venientes ad Ordinem, à quibuſcumque caſibus non reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini. §. 16. Clericis dat authoritatem adminiſtrãdi Sacramenta omnibus exiſtentibus intra habitationes Congregationis, ac cæteris in caſu neceſſitatis. §. 17. Ad proceſſiones non poſſe cogi decernit. §. 18. Contraria omnia aufert. §. 22.

Scholion primum.

Quæro. Congregatio iſta vbi cœpit habere primam ſedem?

RESP. Romæ in Eccleſia S. Syluestri in monte Quirinali, tempore Clementis VII. qui eam confirmauit anno 1524. Et licèt ob inuaſionem Vrbis fugerit Venetias anno 1532. rediit poſtea Romam, Paulo IV. eiùs inſtitutore Summo Pontifice creato anno 1560. vt recenſet Nauar. conſ. 9. lib. 1. de maior. & obed. iuxta impreſſionem Venetiis num. 1. pag. mihi 191.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num laudabiliter vſque in hanc diem progreditur?

RESP. Ita quidem, vt experientia docet, & Nauar. ſcribit in d. conſ. 9. vbi eam illuſtriſſimam appellat, eiúſque multa, & magna priuilegia vidiſſe reſtatur. Et re vera ſic eſſe paret, attendendo præſertim, quod omnia indulta Congregationis Lateranenſis ei dedit Clem. VII.

VII. in ſupracitata Conſtit. 11. ſup. tom.1.& alia Societatis I E S V iſte Pius V. vt hic in §. 14.

LXXII.

Edita Anno 1567.

COgit nos neceſſitas, & infra pag. 218. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vicecancellario S. R. E. Abbreuiatoribus literarum Apoſtolicarum, & alıis mandat, vt ſuper omnibus gratiis & conceſſionibus Apoſtolicis, de quibuſuis beneficiis per reſignationem etiã apud Sedem Apoſtolicam vacantibus,& Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, in quibus addita eſt (*& in forma dignum*) literas Apoſtolicas certo modo expediant. §. 1. Et ſuper aliis beneficiis per eamdem reſignationem vacantibus, poſt verbum (*mandamus*) certas clauſulas apponant. d. §. 1. verſ. In cæteris. Et alias apponi in mandatis prouiſionum, ſeu Commendis,de quibuſcumque beneficiis, & Monaſteriis per ſimilem reſignationem, ſeu ceſſum vacantibus, mandat. d. §. 1. verſ. Propterea. Et alias in aliis prouiſionibus, vſque ad finem d. §. 1. Præcipit hanc Bullam in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ, & etiam in Camera regiſtrari, & ab omnibus inuiolabiliter cuſtodiri. §. 2. Et contraria nequaquam obſtare. §. 3.

Scbolion primum.

RESP. Reſignatio cenſetúrne fauorabilis, vel odioſa?

RESP. Fauorabilis, quando fit ob vtilitatem, & neceſſitatem Eccleſiæ, vt quia reſignans non poteſt inſeruire, & quærendum eſt de vtiliori neceſſitate: odioſa autem cùm fit reſpectu perſonæ reſignatarij tantùm, & non beneficij,vt plenè poſt antiquos deducit Pariſ. de reſignat. lib. 1.quæſt. 18. num. 1.& ſeqq.

Scbolion ſecundum.

Quæro. Num omnia beneficia poſſunt reſignari?

RESP. Regulariter poſſunt, etiam Conſiſtorialia,& electiua, ac iuriſpatronatus, & alia, vt fusè proſequitur Pariſ. in d. tract. lib. 2. quæſt. 1.& ſeqq. vbi aliquas ad hanc regulam limitationes adducit.

XXXIII.

Edita Anno 1567.

IN conferendis beneficiis Eccleſiaſticis, & infra pag. 219. Bull.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 13. & ſeſſ. 24. cap. 18. de reformat.præſcripſit formam conferendi Eccleſias parochiales, & interim de Vicario eis prouidendi. §. 1. Hic Pont. prouiſiones aliter factas, & fiendas irritat, beneficiáque vacare decernit, Sedique Apoſtolicæ eorum collationem reſeruat. §.2. & 3. Et etiam ea, quæ iuxta formam dicti Concilij, Ordinarij non prouiderint infra ſex menſes à die vacationis, perfecto examine, beneficia quorũ collatio ad Ordinarios pertinet. §. 4. Vel beneficia etiam reſeruata, quæ infra quatuor menſes à die vacationis notificata non fuerint.d.§.4. Prohibet tempus decem dierum à Concilio præfixum Ordinariis, & patronis ad nominandũ idoneos Clericos corã examinatoribus, vltra alios decem dies prorogare.§.5.Prohibet eiſdem collationem beneficiorum ſic reſeruatorum. §. 6. Collationem beneficiorum idoneis fieri præcipit, & grauatis à mala electione appellare ad nouum examen permittit. §. 7. Sed non ſuſpenſiuè. §. 8. Et à Iudice appellationis ad Sedem Apoſtolicam iterum appellari decernit. §. 9. Huiúſque Bullæ tranſumptis credi iubet. §. 10.

Scbolion primum

Quæro. Appellans à mala electione, vt in §. 7. debebit forſan docere priùs de fumo læſionis, & grauaminis?

RESP. Sacra Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concilij Tridentini, ad id non teneri cenſuit, quia eſſet ligare manus appellanti, cùm vt plurimum acta examinis primæ inſtantiæ tali modo fabricentur, vt ex inde de læſione apparere non valeat, & fruſtratoria redderetur hæc Bulla, quæ ideo diſponit, vt appellans poſſit ad nouum examen prouocare, vt ex illo liqueat de rationabili, vel irrationabili iudicio Ordinarij, vt refert Gonzal.ſup. 8. Reg. Cancel.glo.4.num.144.pag.mihi 117.vbi ſubdit num.146. nouum examen fieri debere infra breue tempus, eo quod non eſt attendenda literatura, niſi

k 3 tem

tempore primi examinis, quando apellans ſe grauatum fuiſſe prætendit; nam poſſet alioquin doctior fieri, ſicuti tentum fuit à Rota in deciſ. Lancellotti in vna Pampilonenſi parochialis, ac in aliis deciſionibus ibid. à Gozal. allegatis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Spatium ſex menſium, de quo in § 4. quando currere incipit?

R e s p. A die ſcientiæ vacationis, iuxta deciſ. Rotæ coram Seraphino 380. in vna Toletana beneficij, num. 1. Vbi tamen ſubdit num. 3. quòd ignorantia debet eſſe omnino veriſimilis, & ideo ſcientiam præſumi, quando extat longitudo temporis vacationis beneficij qualificati.

XXXIV.

Edita Anno 1567. Exponi nobis nuper fecit tua Maieſtas Regia, & inf. pag. 220. Bullarij.

COMPENDIVM.

Philippus II. Rex Hiſpaniarum expoſuit huic Pontifici, quòd matrimonia non niſi præſente Parocho, aut de eius licentia, contrahi poſſunt; nullúſque Religioſus abſque Epiſcopi licentia prędicare, aut ſæcularium confeſſiones audire valet. §. 1. Sed Epiſcopi nouas Parochias in locis ab inuicem longè diſtātibus conſtituere poſſunt. d. §. 1. Quia tamen in partibus Indiarū maris Oceani Religioſi, propter presbyterorum defectum, Parochorum officio functi ſunt, in maximam Chriſtianæ fidei propagationem; ideo eidem Papæ ſupplicat, vt de cætero hoc idem exercere valeant, obtenta ab eorum Superioribus licentia in Capitulis Prouincialibus. eod. §. 1. Qui Pontifex dictis Religioſis idioma Indorum intelligentibus, & cum dicta licentia ſuorum Superiorum, ac ſeruata circa matrimonia in reliquis ſolemnitatibus forma Concilij Tridentini, eam facultatem concedit. §. 2. Epiſcopis prohibet, ne illos moleſtent. §. 3. Decretum irritans apponit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Tranſumptis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quis pro parte intelligit, & pro parte non intelligit Indorum idioma, de quo in §. 2.

R e s p. Non videtur ſufficere, cùm pro forma requiratur hæc intelligentia, & nihil videtur actum, cùm aliquid deficit, cap. 1. de Bapt. Et forma ita tranſgreditur in minimo defectu, ſicut in magno. Felin. in cap. cùm dilecta. 22. de reſcrip. num. 10. & in terminis Gomez. ſuper Regul. Cancell. in reg. de idiomat. quem ſequitur Rod. in expoſitione huius Bullæ, in 1. tom. quæſt. Regul. quæſt. 35. art. 1. verſ. Secundò nota.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc indultum eſtne comprehenſum in reuocatione Greg. XIII. qui priuilegia Religioſis conceſſa ab iſto Pio, ad terminos Concilij Tridentini reduxit?

R e s p. Non comprehenditur in dicta reuocatione, quia hæc emanauit fauore fidei, & conuerſionis Indorum, pro quibus multa contra dictum Concilium conceſſa fuere, teſte Rod. in loco cit. in verſ. Tertiò nota.

XXXV.

Admonet nos, & infra pag. 221. Bullarij. *Edita Anno 1567.*

COMPENDIVM.

Vltra prædeceſſorum prohibitiones circa bonorum Eccleſiaſticorum alienationes, decernit, Ciuitates, & loca S. R. E. etiam alienari, & infeudari ſolita, ad Sedem Apoſtolicam quomodolibet deuoluta, & deuoluenda, abſque alia declaratione incorporata cenſeri Sedi Apoſtolicæ. & ad eius priſtinum dominium rediiſſe. §. 1. & 2. Vetat de cætero quauis de cauſa alienari, & infeudari, ac de his tractari. §. 3. Reuocat priuilegia quęcumque de illis meliorandis, & vſque ad melioramentorum refectionem retinendis, quomodolibet conceſſa. §. 4. Clauſulas huic Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 5. Et decretum irritans. §. 6. Derogatoriáſque. §. 7. Iubet hanc Bullam à Cardinalibus abſentibus, vel de cætero creandis iurari, ſicut à Cardinalibus præſentibus iuratum fuit. §. 8. & 9.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *quomodolibet deuoluta, & deuoluenda*, comprehendúntne deuolutionem, quæ oritur ex condēnatione, ſeu confiſcatione ob delicta?

R e s p. Negatiua opinio verior videtur.

tur, attendendo illa verba, *ad priſtinum dominium*, & illa, *abſque alia declaratione*: ſiquidem confiſcatio non ſupponit priſtinum dominium, & requirit declarationem; idémque probat illa prohibitio meliorandi, quæ non cadit in bonis deuoluendis Cameræ per confiſcationem ex delicto. Intellige tamen, niſi eſſet delictum tale, propter quod, ex natura feudi, deuolutioni locus ſit, vt habetur in tit. quibus mod. feud. amit. & in tit. quæ fuit prim. cauſ. amitt. cũ ibi not. Tunc enim deuoluuntur bona rei, etiamſi confiſcatio non fiat. Aliis autem caſibus, ſi eſt locus confiſcationi, tranſeunt in Fiſcum, vti ſucceſſorem rei, non autem redeunt via deuolutionis ad Cameram, vti directam dominam. Boſſ. de bonor. public. num. 53. & ſeqq. Clar. in §. feudum. quæſt. 84.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Bulla habebítne locum, quando res non agitur cum Sede, vel Camera Apoſtolica, ſed inter particulares perſonas?

RESP. Negatiuè, Rota in deciſ. Seraphini 1231. num. 6. in nouis.

XXXVI.

Edita Anno 1567. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & infra pag. 223. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ioannes XXII. S. Thomam de Aquino in ſua Conſtit. 11. de qua ſup. canonizauit. §. 1. Hic Pont. ob eiuſdem Sancti præclara merita, illius feſtum in Regno Neapolis, vbi nobiliſſima degit familia Aquinatis, ſolemniter, ſicut alia feſta de præcepto, in aliis verò locis ſicut feſtiuitates quatuor Eccleſiæ Doctorum, à Bonifacio VIII. inſtitutas, celebrari præcipit. §. 2. & 3. Indulgentiáſque eius Altaria in Eccleſia S. Dominici Neapolis viſitantibus elargitur. §. 4. Et alias in aliis locis feſtum eius agentibus, & Sacella viſitantibus concedit. §. 5. Exemplis huius Bullæ credi mandat. §. 6. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Dum Bonifacius feſtum S. Thomæ agi voluit, ſicut feſtiuitates quatuor Eccleſiæ Doctorum peraguntur, nónne adnumerauit eundem inter illos Eccleſiæ Doctores?

RESP. Ita ſanè, vt in ſpecie aduertit Baron. in Martyrolog. die 7. Martij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Bonifacij VIII. inſtitutionem feſtiuitatum quatuor Eccleſiæ Doctorum, de quibus in §. 3. vbi perlegere poſſem?

RESP. Ante oculos habes in cap. vnic. de reliq. & vener. Sanctor. in 6.

XXXVII.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 224. Bullarij. *Edita Anno 1567.*

COMPENDIVM.

Quæcumque indulta S. R. E. Cardd. quomodolibet à Summis Pontt. & à Sede Apoſtolica conceſſa circa collationem quorumcumque beneficiorũ Eccleſiaſticorũ, reuocat quod ea, in quibus illa nõ ſunt ſortita effectũ. §. 1. Formã huiuſmodi indultorũ de cætero concedendorum præſcribit. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari poſſe iubet, irritum decernens quicquid in contrarium ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Decretum irritans, de quo in §. 3. habetur forſitan in corpore iuris communis?

RESP. In cap. fin. vt lite pend. in 6. habentur nonnulla verba huius decreti, & plura in c. ſi eo tempore. 45. de elect. in 6. & ibi Canon. omnes dicunt, quod dictum decretum ligat, etiamſi Bulla non eſſet publicata, quoad nullitatem actus, non autem quoad pœnam. Rota in deciſ. Pur. 278. lib. 1. & in deciſ. Robuſter. deciſ. 578. part. 1. diuerſ. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi in §. 3. non eſſet appoſitum verbum, *ignoranter*?

RESP. Idem dicendum eſſet, cap. penult. de præbend. in 6. & tradit gl. in d. cap. 1. ſi eo tempore, in verb. ignoranter, & latè Gabr. de clauſul. concluſ. 3. num. 2. & etiam Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancell. gloſ. 67. num. 18. vbi alios cumulat, pag. mihi 676.

XXXVIII.

XXXVIII.

Edita Anno 1567. APoſtolicæ Sedis poſcit authoritas,& infra pag.225.Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quod Pius II. Paulus II. Innocentius VIII. & Iulius II. ac Iulius III. & Paulus IV. ſuper ſolutione quindenniorum de beneficiis perpetuò vnitis,ſuas ediderunt Conſtitutiones,ad fauorem Cameræ Apoſtolicæ, in princ. Hic Pont. eas approbat, omnéſque defectus ſupplet. §. 2. Declarat inſuper, Monaſteria taxata in Camera, & reliqua perpetuò vnita, etiam manualia, & etiã de iurepatronatus, excedentia valorem ducatorum viginti quatuor, ad præſtationem quidenniorum, & aliorum iuriũ Cameræ teneri.§.3.Et illa tenentes obligare ſe debere ad eorum præſtationem. §. 4.

Scholion primum.

*Quæro.*Monaſterium manuale,de quo in §. 3. quod eſſe dicitur?

RESP. Quod non confertur alicui in perpetuum, ſed ad nutum conferentis, vel aliter, ita vt pro libito illius amoueri poſſit quandocumque, & quomodocumque voluerit. cap. ad Monaſterium. 6. de ſtat. Monachor. §. talis. cap. 1. §. fin. de priuileg, in 6. Rota in deciſ. Caſſad..8. per tot. Gonzal. ſup. 8. Reg. Cancell. §. 6. gloſ. 5. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Inſtitutionem annatarum, & quindenniorum, de quibus hic, quis author me luculenter edocebit?

RESP. Quamplures de hac re ſcripſerunt, & præter alios Campeg.in ſuo tract. de inſtitut. annat. & doctiſſimè Galleſ. in ſuo breui, egregio tamen tract. de annat.

XXXIX.

Edita Anno 1567. QVoniam nos pluries, & infra pag. 226. Bullarij.

COMPENDIVM.

Populus Romanus (ad hoc hortante iſto Pontifice) condidit ſtatuta ſuper reformatione, & moderatione dotium, munerum, & ornamentorum,etiã tempore nuptiarum in Vrbe, in princ. Quę ipſe comprobat.§.Statutũ primum fuit, quòd dos ſit ſolummodo ducatorũ quatuor mille, & quingentorum de carolenis, cap. 1. Statutum ſecundum, quòd Notarij aliter inſtrumenta non conficiant, in cap. 2.Statutum tertium, quòd nemo deſuper ſit mediator, aut teſtis,in cap.3. Statutum quartum,quòd hæc reformatio liget nobiles omnes, & Clericos, in cap. 4. Statutum quintum, quòd ſponſa nõ poſſit ad pompam oſtẽdere parafernalia,in ca.5. Statutum ſextum præfiniuit munera, & ornamenta inter ſponſos, & eorum coniunctos, in cap. 6. Subſequuntur nomina deputatorum huius reformationis.

Scholion primum.

Quæro. Munera, de quibus hic, datæ ſponſæ à cõſanguineo ſponſi, acquiruntúrne marito?

RESP. Opinio Bart. quæ videtur communis, eſt quòd acquirantur marito; ſed Bald. opinio contraria videtur verior, & eam ſecuta eſt Rota in deciſ. 1108. Seraphini num.6. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et quæ ſponſus donat ſponſæ, ſi non ſequatur matrimonium, ſunt forſan reſtituenda ſponſo?

RESP. Sunt profectò, niſi adeſſet pactum de non reuocando, vel niſi per ſponſum ſteterit, quo minùs matrimonium ſequatur. Sic cenſuit Rota in alia deciſ. Seraphini 914. ſub num. 1.vbi rationes, & authoritates allegat.

XL.

LIcèt alias fel. record. Pius Papa IV. & infra pag. 227. Bull. *Edita Anno 1567.*

COMPENDIVM.

Quia Pius IV. edidit Conſt. num.52. de non audiendis bannitis, niſi in carceribus conſtitutis, & defuncti hæredibus non citatis, de qua ſup. in princ. Hic Pontifex eam extendit ad condemnatos in contumaciam pro pœna corporis afflictiua,& in quacumque inſtantia.§.2.Irritat abſolutiones aliter obſtentas. §. 3.Clauſulam, *Sublata*, &c. apponit. §. 4. Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

*Quæro.*Hæredes erúntne citandi,probato quòd iam pacem dederunt?

RESP. Non, quia ceſſat ratio huius legis. Aduerte tamen ne pacem teſtibus probes:nam etſi per teſtes eam probari

poſſe

poſſe teneant Vulpell. in tract. de pace quæſt. 66. num. 4. Maſcard. de probat. lib. 3. concluſ. 1256. num. 2. Caball. caſu 141. num. 10. veruntamen Vulpell. vbi ſuprà num. 5. Clar. quæſt. 58. num. 40. & Baiard. num. 72. dicunr in practica non recipi probationem pacis aliter quàm per publicum inſtrumentum, contra Fiſcum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Exilium venit appellatione pœnæ corporis afflictiuæ, de qua in §. 2.

R E S P. Exilium ſumendo pro confinatione ad certum locum, vel pro interdictione à certo loco, non eſt verè, & propriè pœna corporis afflictiua. l. ſi quis fortè. 8. ff. de pœn. Clar. quæſt. 32. num. 5. Farinac. quæſt. 99. num. 67. Menoch. de arbitrar. Iud. quæſt. 80. num. 129. Caball. caſu 146. & Peguer. deciſ. 22. num. 1. verſ. His tamen. Sumendo autem pro damnatione in metallum, vel opus metalli, iuxta l. aut damnum. 8. ff. de pœn. vel pro interdictione aquæ, & ignis, ſeu deportatione in Inſulam cum perpetuis vinculis, iuxta l. 4. & l. capitalium. 28. eodem tit. proculdubio eſt pœna corporis afflictiua. Sed proprior eius ſignificatio eſt de relegatione. l. 2. ff. de public. Iudic. l. exilium. 5. de interdict. & DD. vtrobique ſic tenent.

X L I.

Edita Anno 1567. & 1571. ETſi Mendicantiũ, & inf. pag. 228. *Item*; Ex ſupernæ, & infra pag. 232. *Item*; Ad hoc nos, & infra pag. 334. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Multa priuilegia Ordinibus Mendicantibus concedit, & ſignanter circa facultatem prædicandi, de ſola licentia ſuorum Generalium, vel Miniſtrorũ. §. 1. & 2. num. 1. Et circa facultatem Confeſſorum, num. 2. Et præſertim Monialium, num. 3. Receptionémque Euchariſtiæ infra annum, num. 4. Ingreſſum quoque in Monaſteria Monialium, num. 5. Examen puellarum Deo dicandarum, num. 6. Receptionem ſacrorum Ordinum, num. 7. Celebrationem Miſſarum, & diuinorum officiorum, num. 8. Controuerſias præcedentiæ, num. 9. Curam animarum, num 10. Quartam funeralium, num. 11. & ſeqq. Contributiones onerum, num. 14. Quæſtum eleemoſynarum, num. 15. Delinquentes notoriè, num. 16. Gubernationem Conuentuum, num. 17. Recurſum ad Ordinarios, num. 18. Extra Clauſtra degentium protectionem, num. 19. & ſeq. Impedimentum vnionum, & curam animarum, num. 21. Pulſationem campanarum, celebrationem Miſſarum, & ſepulturam mortuariorum, num. 22. Conſtructionem nouarum domorum, num. 23. Mandatum, & prædicationem in die Cœnæ Domini, numer. 24. Recitationem officij mortuorum, Monialium ſepulturas, Fratrúmque áſſociationem ad ſepulturam, num. 25. Teſtantium voluntatis prohibitionem, num. 26. Acceſſum ad proceſſiones. §. 3. Extinguit omnes lites ſuper prædictis. §. 4. Confirmat alia omnia priuilegia Concilio Tridentino non contraria. §. 5. Decretum, irritans apponit. §. 6. Executores deputat. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8. Sanctionem pœnalem addit. §. 9. Extendit dicta priuilegia ad alios Ordines Regulares in Conſt. ſubſeq. Declarat priuilegium quoad prædicationes. §. 8. Et ſepulturas defunctorum. §. 9. Quartámque funeralium. §. 10. Decimas, & contributiones. §. 11. Ædificationem nouorum Monaſteriorum. §. 12. Exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum. §. 13. Electionem & facultatem Conſeruatorum. §. 14. 15. 16. Decretum irritans apponit. §. 17. Et derogationes contrariorum. §. 18. Declarat facultatem Conſeruatorum. §. 19. Huius Bullæ tranſumptis credi mandat. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Quid circa celebrationem Miſſarum, prædicationem, proceſſiones & viſitationes Eccleſiarum horum Regularium, à Clemente V I I I. nuper ſtatutum fuiſſe fertur?

R E S P. Audi in hoc non à Clem. V I I I. ſed eo ſedente à Congregatione Cardinalium interpretum ſacri Concilij Trident. ſtatuta quodã Decreto ex Typographia Camerali anno 1602. Romæ impreſſo, quæ etiam maioris tui commodi cauſá inrexere volui, tenoris ſubſeq.

CONGREGATIO *Concilij cenſuit*, *De retum* cap. xij. verſ. dies etiam feſti, ſeſſ. 25. de Regul. *ita eſſe intelligendum*, *ut Regularium ritus illis diebus feſtis ſemper permaneat*, *quoad Miſſas celebrandas*, *& catera diuina officia*; *tam publicè*, *quàm priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſoluenda. Nec circa hæc ab Epiſcopis quoquomodo quicquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe*; *quod ſi de facto praeceperint*, *Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones*, *& lectiones*, *quas iidem Regulares ad populum habuerint*, *debere ſe conformare Euangeliis*, *& Epiſtolis*, *quibus Clerus ſecularis vtitur illis diebus feſtis.*

Congregatio item Concilij cenſuit, *Regulares*, *qui abſque licentia Epiſcopi prædicauerint in Eccleſiis*, *quæ ſuorum Ordinum non ſunt*, *tametſi Decreto eiuſdem Concilij* cap. xxj. ſeſſ. 5. *contrafecerint*, *non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo*, *ſed tantùm à ſuis ſuperioribus Regularibus.*

Congregatio Concilij etiam cenſuit; *Regulares Monaſterij vltra medium milliare à Ciuitate diſtantis*, *non poſſe ab Epiſcopo compelli accedere ad proceſſiones.*

Congregatio itidem Concilij cenſuit, *Epiſcopos*, *aut alios locorum Ordinarios vigore cuiuſuis Decreti eiuſdem Concilij*, *nullam habere facultatem quouis tempore in Monaſteriis*, *domibus*, *& Eccleſiis Regularium exemptorum*, *quibus non imminet cura animarum perſonarum ſecularium*, *viſitandi Sacriſtias*, *paramenta*, *vaſa ſacra*, *Altaria*, *& cætera huiuſmodi*, *aut etiam tabernaculum*, *ſeu pyxidem*, *in qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur.*

HIER. CARD. MATTHÆIVS.
IO. FRAN. FAGNANVS
Sacræ Cong. Concilij Secret.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Regularium priuilegia perduntne, ſi illi irregulariter viuũt?

RESP. In foro conſcientiæ perduntur; ſecus verò in exteriori, vt latè deducit Rod. qui alios citat tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 9. artic. 10.

XLII.

Edita Anno 1567. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 238. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ornamenta, & paramenta, vaſa, libros, & res ſacras, aliáque bona perſonarum Eccleſiaſticarum, ad cultum diuinum deſtinata, non venire ſub nomine ſpoliorum, ad Cameram Apoſtolicam ſpectantium, ſed ad eorum Eccleſias, idque proportionabiliter habita ratione fructuum, & temporis quo beneficia, ſi plura fuerunt, poſſederunt, pertinere, nec ad hæredes ex teſtamento, vel ab inteſtato deuenire declarat. §. 1. 2. & 11. Diſpoſitiones teſtatorum aliter factas irritat. §. 3. Detentores ad reſtitutionem cogi iubet. §. 4. Supellectilia domeſtica ſpoliorum nomine non venire decernit. §. 5. Nec bona obtinentium penſiones, vel beneficia non excedentia ducatos 30. §. 6. Collectoribus ſpoliorum præcipit ne deſuper ſe intromittant. §. 7. Et ita iudicari mandat. §. 8. Executores huius Bullæ deputat. §. 9. Contrariis omnibus derogat. §. 10. Tranſumptis credi iubet. §. 13. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quis multos calices, & ornamenta ad celebrandas Miſſas idonea emiſſet, vt aliis ea venderet?

RESP. Iſta Conſtitutio ea non comprehendit, quia non dicuntur ad ſacrũ vſum deputata, vt ipſa loquitur in §. 1. & ita notat ad hanc Bullam Nauarrus de ſpol. Cleric. §. 8. ſub num. 4. ad fin. vbi idem tenet de tapetis, & aulæis, quæ beneficiarius principaliter habet ad ſuam domum ornandam, quamuis ea quandoque commodet etiam ad ornandum Eccleſias.

Scholion ſecundum.

Quæro. Supellectilia, de quibus in §. 5. ſpectant ad Cameram, vel ad hæredes beneficiariorum?

RESP. Ad hæredes, quia quæ voluit ad Eccleſias, vel ad Cameram pertinere, expreſſit Pontifex; quod tenet etiam Nauar. vbi ſup. ſub num. 6.

XLIII.

VT ad artis lanæ, & infra pag. 239. Bullarij. *Edita Anno 1567.*

COMPENDIVM.

Artem lanæ Mediolani, Neapoli, Florentiæ, & alibi, nobilẽ dicit, in princ.

Sta-

Digitized by Google

Statuta, & priuilegia dictæ artis in Vrbe, etiamſi in vſu eſſe deſierint, licita tamen, & honeſta comprobat. §. 1. Conſulibus Societatis dictæ artis dat iuriſdictionem cognoſcendi iuxta dicta ſtatuta, cauſas ciuiles, criminales, & mixtas, eam concernentes. §. 2. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit. §. 3. Et decretum irritans. §. 4. Conſules prædictos ab aliis Iudicibus perturbari prohibet. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Num ſimilis, aut maior iuriſdictio fuit artis Conſulibus huiuſmodi conceſſa in Ciuitatibus, de quibus in §. 1.

RESP. Hoc vnum ſcio, quòd Neapoli maior iuriſdictio data fuit, vt videre eſt in deciſ. Vinc. de Franc. *679.* vbi maximam propoſuit quæſtionem; An ſi Carcerarius Curiæ artis delinqueret in officio, ab illius Conſulibus, vel à magna Curia eſſe puniendus?

Scholion ſecundum.

Quæro. Inter ſtatuta licita, & honeſta, de quibus in §. 1. connumerabitur forſan ſtatutum, quo prohibeatur emere volentibus pannos lanæ à mercatoribus artis, ſi ſecum non ducant Cimatores ad capiendum, inſpiciendum, & oſtendendum pannos, ac eorum venditioni intereſſendum?

RESP. Hanc quæſtionem in puncto propoſuit, & affirmatiuè reſoluit Anchar. multis motus rationibus, hic ob breuitatem conſultò prætermiſſis, in conſ.157.incip.Summæ.num.4.& ſeqq.& Anchar. ſimpliciter ſequitur Boſſ. in tit. de vnion. num. 6. & Decian. lib. 7. ſui Tract. crimin.cap.21. de monopol.num. 24. qui tamen numerum dicti conſilij corruptè allegant ſub num. *166.*

XLIV.

Edita Anno 1567. ROmanus Pontifex tam vniuerſalis Eccleſiæ, & infra pag.240. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis Fratres omnium Ordinum Mendicantium à contributione Seminarij Clericorum, & ſubſidio quocumque, ac decimis, aliiſque contributionibus hic Pont. exemerit. §. 1. Nihilominus prætextu quòd dicti Fratres ex diſpenſatione Apoſtolica bona ſtabilia quædam poſſideant, ad prædictas contributiones ab Ordinariis coguntur. §. 2. Hic ideo Pont. attentis vtilitatibus, quas dicti Ordines Reipublicæ Chriſtianæ afferunt, Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, S. Dominici, S. Franciſci, Eremitarum S. Auguſtini, Seruorúmque B. Mariæ, necnon Carmelitarum, eorúmque domos, & loca, etiāſi in communi bona ſtabilia, & mobilia poſſideant, Mendicantium vocabulo cōtineri, eorúmque priuilegiis omnibus gaudere decernit. §. 2. Ordinariiſque, & aliis inhibet, ne de cætero eos moleſtent. §. 3. Clauſulas præſeruatiuas huius Conſtitutionis apponit. §. 4. Executores eiuſdem deputat. §. 5. Clauſulas derogatorias addit. §. 6. Tranſumptis credi mandat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Dubium quòd iſti Ordines non eſſent Mendicantes, vnde oriebatur?

RESP. Ex eo, quod bona immobilia poſſidebant, vt habetur hic, & conſulendo dicebant Anchar. in conſ.321.num. 3. & Calderin. conſ. 15. de Regular. per totum, licèt hæc eorum ratio refellatur à Lap. in ſua alleg. 4. num. 4. vbi apoſtilla allegat concordantes.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Religioſi alicuius Monaſterij Mendicantium non vtantur priuilegiis Mendicantium ex negligentia, & omiſſione, aut ex commiſſione faciendo actus illis contrarios, præiudicántne illi Monaſterio?

RESP. Non præiudicant, quia priuilegia ſunt data Ordini, vt dicimus in ſimili de Clericis, & in terminis ſic tradit Rod. de quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 44. artic. 6.

XLV.

SEdis Apoſtolicæ ſolertia, & infra pag. 241. Bullarij. *Edita Anno 1567.*

COMPENDIVM.

Ad tollendum perturbationem, quæ oriri poteſt ex tranſitu Fratrum Minorū Capuccinorum S. Franciſci de Aſſiſio, ad Fratres Minimos S. Franciſci de Paula, & è contrà, prohibet huiuſmodi

tranſitum. §. 1. & 2. Pœnam ſuæ indignationis contrauenientibus comminatur, & attentata irritat. §. 3. Contrariis derogat. §. 4. Fidem tranſumptis adhiberi mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi indignationis Papæ pœna quæ eſt?

RESP. Arbitrariã eſſe dixit Bald. in Auth. ſtatuimus. Cod. de Epiſc. & Cleric. num. 2. quam opinionem communiter receptam eſſe patet ex his, quæ ſcripſit Menoch. de arbitr. Iudic. caſu 365. num. 3. & Farinac. quæſt. 19. ſub numero 32.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne poſtea alia addita pœna his qui contraueniunt, vltra prædictam?

RESP. Capuccinus in Compendio Priuileg. Fratr. Minor. in §. Recipere, ſic adnotauit. *Et in anno 1591. die 27. Maij à Sacra Regularium Congregatione, authoritate ei conceſſa à Papa Gregor. XIII. fuit decretum, poſthac memoratum Pij V. Motum proprium, ſub pœna tranſeuntibus, & illos recipientibus, priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum ipſo facto incurrenda, ſeruandum eſſe, & ſeruari debere. Et hæc apud nos Capuccinos ſeruatur authentica.*

XLVI.

Edita Anno 1567.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 242. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in priuilegiis Monachorum Ordinis Ciſtercienſis diſponitur, quòd ſpolia eorum ſpectent ad menſam Conuentualem loci, in quo expreſsè profeſſi ſunt, ſeu deceſſerint, non autem ad eorum Abbates, ſeu Commendatarios. §. 1. Pontifex hoc idem confirmat, decernens ſpectare ad Monachos, ſeu menſam dictorum locorum, non autem ad Commendatarios, vel Cameram Apoſtolicam. §. 2. & 3. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Verbum *ſpoliorum*, de quo in §. 1. reperitur in iure ciuili, vel canonico?

RESP. Non reperiri inquit Guid. Pap. deciſ. 110. verſ. Et aduertendum. Sed contrarium decidendum eſt l. vltima, cum ibi not. ff. de bon. damnat. quem tex. ad hoc ſingularem appellat Boer. deciſione 224. num. 9. verſ. Et pro iſta parte.

Scholion ſecundum.

Quæro. In caſu, quo ſpolia, de quibus hic, ſpectarent ad Cameram Apoſtolicam, vendicarentur fortaſſe, & applicarentur illi in locis, vbi ſpoliorum collectores non deputantur?

RESP. Non, quia licèt in omnibus Regnis, & Dominiis debuiſſent illa applicari Cameræ prædictæ, vt cauetur ex Conſtitut. 29. Pauli III. §. 2. in Bullario pag. 659. nihilominus Rota in deciſ. Seraphin. 594. num. 14. tenuit, quòd conſuetudo ſeruat, illa ſolùm Cameræ vendicari in locis, vbi collectores deputantur. Vnum aduerte, quòd Rota in d. deciſ. num. 13. allegat Bullam Pauli IV. & non Pauli III. à me nunc citati. Illam ergo videre poteris apud Nauar. de ſpol. §. 6. verſ. Pauli autem.

XLVII.

AD exequendum, & infra pag. 243. Bullarij. Edita Anno 1567.

COMPENDIVM.

Quia Ordinarij excedebant mentem Concilij Tridentini, in deputandis Vicariis, ac in aſſignatione portionum Vicariis perpetuis parochialium Eccleſiarum, Monaſteriis, Eccleſiis, & beneficiis perpetuò vnitarum, declarat hic Pont. quantitatem ipſarum portionum non eſſe debere maiorem quàm centum, nec minorem quàm quinquaginta ſcutorum annuorum, computatis etiam certis emolumentis, & aliis obuentionibus communiter percipi ſolitis, niſi Vicariis ſolitum fuiſſet plus aſſignari. §. 1. & 2. Et ad quos ſpectet onus ſoluendi quindennia pro ipſis portionibus. §. 3. Vicarios ad nominationem illorum, in quorum Eccleſiis vnitis ponentur, deputari iubet, ſed cum Ordinariorum, ſeu eorum Vicariorum præuio examine, & approbatione. §. 4. Et ſi parochiales ſint vnitæ Eccleſiis Mendicantium, Vicarij nominari poſſint ex ipſis Mendicãtibus ab eorum Superioribus, & ſi

exa-

examinati approbentur ab Ordinariis, deputentur ab eiſdem ad nutum ſuorum Superiorum. §. 5. Et ſi Monachus deputetur, quatuor alij ex eiſdem Monachis habitent cum eo. d. §. 5. Decretum irritans apponit. §. 6. Et derogationes contrariorum. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Nónne hæc Bulla in §. 5. reuocata fuit à Gregor. XIII. in ſua Conſtit. 9. §. 3.

RESP. Ad terminos iuris reductam fuiſſe aduertit Genitor meus hic in rubrica: ſed mox compertum eſt, quòd poſtmodum idem Gregorius ore reualidauit hanc Pij Bullam, dummodo cum Fratre, ſeu Religioſo Vicario ad nutum amouibili per Monaſterium pro ſubeunda animarum cura aſſignando, vnus dumtaxat alius Religioſus extra Clauſtrum maneat, & non plures, prout ſacra Concilij Tridentini Congregatio declarauit pro interpretatione cap. 7. ſeſſ. 7. de reformat. Ita ſcribit Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancell. de menſib. & alternat. gloſ. 5. §. 4. num. 79. vbi propterea ſubdit hanc Pij Bullam hodie ſeruandam fore pag. mihi 146.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num eleemoſynæ Altaris, funeralium, & ſimiles computandæ ſunt in incertis, de quibus in §. 2.

RESP. Non, quia intelliguntur de incertis, quæ habent quandam certitudinem, vt ſunt decimæ frumenti, vini aliique fructus, emolumenta, & obuentiones, quæ penes titularem ſunt incertæ, quantum ex illis percipere poſſit, ad ſcripta per Rebuff. de cong. port. num. 83. 85. & ſeq. & Leon. in ſuo Theſaur. for. Eccleſ. par. 2. cap. 16. de viſit. num. 6.

XLVIII.

Edita Anno 1567.

DE ſalute gregis Dominici, & infra pag. 244. Bullarij.

COMPENDIVM.

Spectacula, vbi Tauri, & feræ in Circo, vel foro agitantur, à Chriſtiana pietate aliena eſſe enunciat. §. 1. & 2. Agitationes eiuſmodi omnibus cuiuſcumque præeminentiæ viris prohibet. d. §. 2. Morientem ibi Eccleſiaſtica carere ſepultura decernit. §. 3. Clericis quibuſcumque, ac Militibus huiuſmodi ſpectacula interdicit. §. 4. Contractus omnes, iuramenta, & vota circa has agitationes irritat. §. 5. Principes obſeruantiam prædictorum curare hortatur. §. 6. Prælatos hanc Bullam publicare, & ſub cenſuris Eccleſiaſticis cunctos ad obſeruantiam cogere præcipit. §. 7. Contrariis omnibus derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quis Monachus abſque aliquo ſcandalo intereſſet huiuſmodi ſpectaculis?

RESP. Adhuc ipſum ferit iſta Conſtitutio, vt eruditè probat Guttier. lib. 1. canonic. quæſt. cap. 7. num. 20. & ſeqq. & ſequitur Emanuel Rod. tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 68. art. 2. verſ. Quartò notandum eſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid ſecundùm ius commune, pœna carentiæ ſepulturæ plectendi eſſent qui in his ſpectaculis morerentur?

RESP. In cap. 1. & 2. de torneam. hæc pœna morientibus in torneamentis infligitur, ob contingentiam damnorum, & ſcandalorum, & ob eamdem rationem agitationes ſunt prohibitæ, ita quòd videtur idem ius ſtatuendum in vtroque caſu ob identitatem rationis, quæ attenditur in quacumque lege etiã pœnali; præſertim quod tendit ad bonum publicum, vt in puncto ſic tradit Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 15. num. 18. verſ. Tertium. Contrarium tamen ſcribit Eman. Rod. tom. 3. quæſt. Regul. q. 68. art. 2. verſ. Tertiò notandum. Scias quoque nonnullas alias extare Pontificias Conſtitutiones Gregor. XIII. & Clem. VIII. ad hanc Pij V. Conſtitut. Eas tamen Genitor meus conſultò prætermiſit, maximè quòd ſunt locales.

XLIX.

APoſtolicæ Sedis, & infra pag. 244. Bullarij.

Edita Anno 1567.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum Minorum S. Franciſci de Paula omnibus priuilegiis Ordinum Mendicantium, ex Bulla X. Iulij II. de qua ſup. perfruitur. §. 8. Hic Pont. ſciens hos Fratres actu mendicare, eorum Ordinem inter alios Mendicantes adſcribit, & omnia illorũ priuilegia

eidem communicat. §. 2. Ordinariis, & alijs inhibet, ne deſuper dictum Ordinem perturbent. §. 3. Huius indulti præſeruatiuas clauſulas ſubdit. §. 4. Decretúmque irritans. §. 5. Executores deputat. §. 6. Contrariáque remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Qui Ordines principaliter Mendicantes nuncupati fuere?

R E S P. Quatuor, nempe Ordo Sancti Dominici, Ordo S. Franciſci, Ordo S. Auguſtini, & Ordo Carmelitarum B. Mariæ. Butr. conſ. 33. in apoſtilla in verb. Prædicatores, & nouiſſimè poſt alios ſcribit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 2. artic. 1. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Mendicantes appellati?

R E S P. Quia per quæſtus publicos, mendicitas incerta eis ex Regula, ſeu eius fundatione victum præſtabat. cap. 1. §. confirmatos, de Religioſ. domib. in 6. Ancharan. conſ. 109. in princ. Calder. conſ. 17. in tit. de Regular. Gemin. conſ. 40. vbi inquit, quòd hi Ordines pro dote habent mendicitatem.

L.

Edita Anno 1567. ROmanus Pontifex, & infra pag. 245. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregationi Fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum, elargitur omnia priuilegia Ordinum Mendicantium. §. 1. & 2. Connumerátque inter alios Mendicantium Ordines. §. 3. Præſeruatiuas clauſulas huius priuilegij ſubdit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid iſti Fratres ſunt ex eorum inſtitutione Mendicantes?

R E S P. Non, quia profeſſi ſunt Regulam S. Auguſtini, vt dicitur in hac Bulla, quæ permittit poſſidere immobilia in communi, vt poſt Bald. Bertrand. & alios refert Rod. tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 125. artic. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ordo Mendicantium prodeſtne magis Eccleſiæ, quàm Clerici ſæculares?

R E S P. Prodeſſe magis, quatuor probat rationibus Nauarrus in conſ. 2. aliàs 52. incip. An ſit melius, de Regular. lib. 3. num. 1. & ſeqq.

L I.

ATtendentes quòd frequenter, & infra. pag. 246. Bullarij. *Edita Anno 1568.*

C O M P E N D I V M.

Præcipit omnibus Curiæ Rom. Iudicibus, ne quauis auctoritate inhibitiones contra quoſuis ſpoliorum Reu. Cam. Apoſt. collectores decernant, & relaxent, in cauſis ſpoliorum, vel illicitarum negotiationum, non citato priùs eiuſdem Reu. Cam. Commiſſario, & citatione in actis reproducta. §. 1. Neque commiſſiones in dictis cauſis, niſi præuia dicta citatione, expediant. §. 2. Inhibitiones huiuſmodi concedendas vigore commiſſionum ita conceptarum, vt diſcerni non poſſit, an de cauſis ſpoliorum, vel negotiationum illicitarum agatur, nullius eſſe roboris declarat. §. 3. Hanc Bullam in Vrbe publicatam omnes Roman. Cur. Iudices afficere decernit. §. 4. Eiúſque ſolam ſufficere ſignaturam. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid nomine ſpoliorum, de quibus in §. 1. id continetur, quod beneficiarius ſuperlucratus eſt de ea parte redditaum beneficij, quam competenti ſuſtentationi ſubtraxit?

R E S P. Non, quia illud propria beneficiarij induſtria dicitur acquiſitum. Nauar. in Apolog. quæſt. 2. monit. 30. & ſeq. & monit. 78. quem, & alios refert, & ſequitur Molina de iuſtit. tract. 2. diſput. 145. verſ. Hinc vult. & diſput. 147. verſ. Tertia concluſio. vbi tamen ſubdit, quòd in foro exteriori raro fortaſſis locum habebit hæc opinio, & quòd difficilè probari poſſit, quòd bona, quæ beneficiario poſt mortem de redditibus ſui beneficij ſuperſunt, ex prædicta cauſa ſint ſubtracta.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de eo, quod vltra competentem ſuſtentationem, beneficiarius labore, & induſtria ſua, ac vtilitate, quam miniſteriis ſuis Eccleſiæ attulit, eſt promeritus?

R E S P. Eamdem negatiuam ſententiam firmarunt Nauar. Molina, & alij per eum allegati in loco præcit.

LII.

Digitized by Google

L I I.

Edita Anno 1568. EXponi nobis nuper, & infra pag. 247. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Fratres Minores S. Franciſci de Obſeruantia ſupplicarunt Papæ pro licentia celebrandi qualibet feria quinta officium Corporis C H R I S T I, iuxta Breuiarium Romanum. §. 1. Quam eiſdem concedit, præterquàm tempore Quadrageſimæ, & Aduentus, & quando occurrerit feſtum, vel eius Octaua in dicta quinta feria. §. 2. Huius indulti obſeruantiam ad fauorem dictorum Fratrum omnibus præcipit. §. 2. Contraria remouet. §. 4. Et huius Bullæ tranſumptis credi mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Feſtum, de quo in §. 3. intelligendum eſt fortaſſe etiam de ſimplici?

R E S P. Non profectò, vt ratione, & communi vſu verum eſſe probat in puncto Rod. tom. 1. quæſtion. Regnl. quæſt. 42. artic. 16. Et quod magis eſt, hoc idem cenſuit Congregatio Cardinalium ſuper ſacris ritibus, vt aduertit rubrica Breuiarij inter officia Fratrum Minorum, de qua rubrica meminit etiam Rod. vbi ſup.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt ratio celebrandi diem octauam, de qua fit mentio in § 2.

R E S P. Plures quidem rationes referuntur ab his, qui tractatus ſcripſerunt de diuin. offic. Ideo (illis prætermiſſis) dico ſolùm quòd eam ſanctiſſimam, & celeberrimam eſſe debere diuina lex ſanxit Leui. cap. 23. Vnde ſancta Eccleſia tempore Euangelicæ gratiæ eſt mutuata exemplum, vt celebriores quaſdam ſolemnitates etiam Octauarum additione illuſtraret: ſanctè etenim, piéque Dei Eccleſiam ex antequis illis ritibus quædam accepiſſe, teſtatur S. Leo Papa Serm. 6. de Ieiunio ſeptimi menſis. Hæc habet Baron. in Martyrolog. 2. Ianuarij.

L I I I.

Edita Anno 1568. BEatus Chriſti Saluatoris Confeſſor, & infra pag. 247. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

S. Franciſcus de Aſſiſio multos Fratres ſub vna Regula collegit, in princ. Sed hæc vnica illorum familia pluribus agnominibus diſtincta fuit. §. 1. Hic ideo Pont. interdicit omnes Congregationes diſcrepantes ab ipſius Regulæ inſtitutis Fratrum Minorum de Obſeruantia. §. 2. Omnéſque Congregationes huiuſmodi vnit ſub Ordine eorumdem. §. 3. Iuramenta, vota, & promiſſiones, quæ impedire poſſent, remittit. §. 4. Hæc adimplere recuſantibus pœnas imponit. §. 5. Et Fratres ſic vnitos, non Clarenorum, Amadeorum, aut alio, quàm de Obſeruantia, nomine appellari poſſe decernit. §. 6. Eorum præcedentiam, & priuilegia declarat. §. 7. Loca regularia abſque ſcitu Pontificis deſeri vetat. §. 8. Monialium gubernationem Superioribus, quibus antea demandata erat, præſeruat. §. 9. Miniſtro Generali facultatem tribuit circa deputationem Officialium, vſque ad celebrationem Capituli. §. 10. Loca aggregata eius Prouinciæ remanere declarat, intra cuius fines exiſtunt. §. 11. Clauſulas huius legis præſeruatiuas apponit. §. 12. Et decretum irritans. §. 13. Executores deputat. §. 14. Contrariis derogat. §. 15. Tranſumptis credi mandat. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Vltra Clarenos, & Amadeos, quos Fratribus de Obſeruantia hic vniuit, nónne etiam vniuit Conuentuales?

R E S P. In Hiſpania tãtùm id egit, vt in eius legitur diplomate, die 2. Decembris 1566. obſignato, cuius authenticum in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruatum perlegi. Et de hac aggregatione meminit etiam Ioan. Ant. Gabutius de vita, & geſtis huius Pij lib. 2. cap. 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. Apud quos remanſit cura Monialium, quæ à dictis Conuentualibus regebantur?

R E S P. Idem Pius eodem anno, & die 12. menſis Decembris eas reformari, & Fratrum de Obſeruantia Superioribus regimen dari præcipit, prout in alio legitur diplomate, in prædict. Genitoris mei Bibliotheca pariter aſſeruato.

L I V.

Edita Anno 1568.

CVpientes, vt Monaſterium, & infra pag. 249. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſterium S. Catherinæ de Roſa dudum in Vrbe erectum fuit, pro educandis, & receptandis miſerabilibus puellis, quę in ipſa Vrbe, & periculo ſubuertendæ pudicitiæ conſtitutæ erant, & pro eius gubernio Confraternitas, ſeu Congregatio prouidorum virorum inſtituta extitit, in procem. Vt maius ideo incrementum ſuſcipiat, Cardinali Protectori, ſeu Congregationi prædictæ, tribuit authoritatem huiuſmodi puellas, etiam inuitis parentibus, capiendi, & in dictum Monaſtrium introducendi, & illas occultantes, aut occultari facientes puniendi. ibid. Cauſas & lites quaſcumque Monaſterij, & puellarum etiam inde egreſſarum, & nuptarum, ſuper quibuſcumque earum bonis, tam actiuè, quàm paſſiuè, Protectori, & Iudici ſummariè audiendas, ac diffiniendas committit. §. 1. Cum facultate in Curia, & extra eam citandi, & inhibendi, inobedientes coërcendi, & ſingulis diebus, & horis, præterquàm in honorem Dei feriatis, procedendi, non obſtantibus feriis ob neceſſitatem hominum indictis, & indicendis. §. 2. Notarium dictarum cauſarum deputandi. §. 3. Mandatariúmque. §. 4. Executores illius mandata exequi iubet. §. 5. Confraternitatem, Monaſterium, Moniales, puellas, & Adminiſtratores, coram ipſo Protectore, & Iudice, & non alibi, conueniri poſſe decernit. §. 6. Clauſulas huic priuilegio præſeruatiuas apponit. §. 7. Derogatoriáſque contrariorum. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore hoc pium opus inſtitutum fuit?

RESP. Paulo III. in Sedis Apoſtolicæ ſolio ſedente, anno 1536. vt ſcribit Camill. Phanuc. in ſuo, quod edidit, opuſculo de piis operibus Vrbis lib. 2. cap. 22.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si in §. 2. non eſſet expreſsè derogatũ feriis indicendis, num illę cēſerentur in derogatione compręheuſæ?

RESP. Non, quia expreſſa, & non præſumpta requiritur derogatio eiuſmodi. Bart. in l. 1. ff. de feriis, in princ. Butr. in cap. fin. eod. tit. ſub num. 20. Alex. conſ. 188. lib. 2. num. 11.

L V.

Edita Anno 1568.

SAnctiſſimus in Chriſto, & infra pag. 251. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & regularia qualitercumque qualificata, & vbicumque exiſtentia, ſede Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, & Primatiali vacante, diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruat. §. 1. Et ita, ac non aliter iudicari mandat. §. 2.

Scholion primum

Quæro. Hæc reſeruatio capítne etiam beneficia, quorum collatio pertinet ad Cardinales?

RESP. Non, quia ſpecifica eſſet neceſſariò facienda mentio de Cardinalibus, vt in ſimilibus reſeruationibus loquendo, reſoluit Rota coram Seraphino in vna Toletana parochialis, 3. Iulij, 1595. deciſ. 1148. num. 1. & coram Iuſto in vna Hiſpalenſ. beneficij, 19. Aprilis 1602. & latè proſequitur Gonzal. ſup. Reg. 8. Cancell. gloſ. 24. num. 6. & ſeqq. pag. mihi 426.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc reſeruatio eſt fortaſſe fauorabilis, vel potiùs odioſa?

RESP. Quatenus excedit perſonam Epiſcopi, eſt fauorabilis, latéque interpretanda; & quatenus nocet Capitulo, eſt odioſa, vt conſulendo cenſuit Hieronym. Gabr. conſ. 197. lib. 1. num. 4. & Rota coram Pamphilio in vna Vicenſ. beneficij S. Martini, 19. Nouembris 1599. quam citat Gonzal. iam relatus in gloſ. 51. num. 53. pag. mihi 589.

L V I.

Edita Anno 1568.

AD Romani Pontificis, & infra pag. 251. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Notariis, vt quaſcumque diſpoſitiones ad fauorem Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis de Laureto à quocumque faciendas, de quibus quoquomodo eis conſtare poteſt, infra

trium

trium menſium in Italia, & extra eam octo menſium ſpatium, notificent deputatis dictæ Eccleſiæ. §. 1. Deputatiſque & Gubernator eiuſdem Eccleſiæ idem ſignificent, & in libris ſuis deſcribant. §. 2. Quibus negligentibus, Commiſſarij fabricæ S. Petri de Vrbe, quintam partem dictorum legatorum exigere poſſint. §. 3. Negligentiam Miniſtrorum dictæ Eccleſiæ obſtare decernit, cùm infra annum in Italia, & extra eam infra biennium à die, quo deuunciationes, & notificationes dicto Gubernatori, & deputaris factæ fuerint: vel eis non factis, infra biennium in Italia, & quinquennium extra eam, à die mortis teſtatoris, ſeu alius diſpoſitionis computandum, legara exacta non erunt. §. 4. Contrariſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Cur Laurerana hæc Eccleſia ſic nuncupari cœpit?

R E S P. Quia cùm anno 1294. quo è Dalmatia in Italiæ regionem B. Virgo ædem ſuam, in qua de Incarnatione cæleſtem nuntium accepit, tranſportanit, die 10. menſis Decembris in Picænum delata, in ſylua quadam agri Recinetenſis conſedit, quæ Matronæ cuiuſdam Recinetenſis erat, diuitis, piæque, Lauretæ nomine nuncupatæ, vt enarrat Baronius tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. anno Chriſti 9. pag. 73. & nouiſſimè poſt alios ſic ſcribit Horat. Turſellin. Rom. è Societate I E S V in ſuo, quod de Lauretana Hiſtoria edidit, opere lib. 1. cap. 6. & ſeqq. vbi late.

Scholion ſecundum.

Quæro. In biennio à die obitus teſtatoris computando, vt habetur in §. 4. computatur forſan ipſa teſtatoris poſtrema dies?

R E S P. Licèt multi multa de hac propoſitione loquantur, veruntamen in terminis legis noſtræ, illa dies non computatur, ſed excluditur, vt plenè ſcribit Alexan. in l. 1. num. 16. ff. ſi quis eautıon. & pleniùs Tiraquellus de retract. lignag. §. 1. gloſ. 11. num. 17. & ſeq. & ita obſeruari inquit Iaſ. in d. l. 1. num. 15.

Tom. 2. Compend.

L V I I.

Cordi nobis eſt, & infra pag. 252. Bullarij. *Edita Anno* 1568.

C O M P E N D I V M.

Beneficiorum litigioſorum fructus, lite pendente inter prouiſos de beneficio in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, & Capitulum, & Canonicos, percipiebantur à Capitulis, & Canonicis vigore ſuorum ſtatutorum, vnde lites efficiebantur immortales. §. 1. Hic modò Pontifex decernit, fructus prædictos eſſe deponendos penes perſonam fide, ac facultatibus idoneam, à Iudice eligendam. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 3. Contraria remouet. §. 4. Exempliſque huius Bullæ credi mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Perſona fide, & facultatibus idonea, vt requiritur in §. 2. iudicabitúrne is, qui Notarius eſt, vel Procurator?

R E S P. Non; quia idoneus facultatibus dicitur, qui nedum diues eſt, ſed etiam de facili conueniri poteſt. l. 2. vbi Bart. Alex. & Iaſ. ff. de in ius vocando. Et ideo ſi quis eſſe Notarius, vel Procurator rixoſus, & cauilloſus, non eſſet idoneus, vt Bart. & Iaſ. ibi declarant.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid hæc Bulla habeat locum etiam in Vrbe?

R E S P. Non, quia Gregorius XIII. ſpeciali eius diplomate poſtea decreuit, omnia, & ſingula depoſita pecuniarum ſupra ſummam ſcutorum quinque occaſione litium in Vrbe fienda, apud Montem Pietatis fieri debere, vt infrà in ſua Conſt. 94.

L V I I I.

Qvanta Eccleſiæ Dei incommoda, & infra pag. 253. Bullarij. *Edita Anno* 1568.

C O M P E N D I V M.

Quia iam ſuſpendit Epiſcoporum, & aliorum facultatem admittendi reſignationes beneficiorum, & de illis ſic vacantibus diſponendi. §. 1. Nunc eam ſuſpenſionem ſic relaxat. §. 2. Id eſt, reſignationes illi admittere poſſint à ſenio confectis, aut valetudinariis, aut corpore impeditis, aut vitiatis, aut crimini

m obno-

obnoxiis,cenſuríſque Eccleſiaſticis irretitis, qui nequeunt, aut non debent Eccleſiæ,vel beneficiis inſeruire §.3. Et his, qui vnum & aliud, vel plura beneficia obtinuerint,vel quos ad aliud contigerit promoueri.d.§.3.Religionémque ingreſſuris, vel matrimonium contracturis, & in aliis caſibus contentis in cap. niſi, de renuntiat.d.§.3. Non audentibus ob inimicitias in loco beneficij reſidere,dummodo reſignans aliunde poſſit ſe commodè ſuſtentare. d. §. 3. Permutationes autem beneficiorum iuxta ſacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas permittit.d.§ 3. Epiſcopis, & aliis, necnon electoribus,præſentatoribus,& patronis vetat,ne in eiuſmodi beneficiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione,vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos intercedat. §. 4. Collatorum,vel reſignantium conſanguineis beneficia hæc non conferri decernit. §. 5. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 6. Contraria remouet. §. 7. Publicari hanc Bullam præcipit. §. 8. Exemplis eius credi indulget. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Qui ſenio dicuntur confecti, vel alij, de quibus in §. 3.

R E S P. Singulorum exempla recenſere fas non eſt: tu igitur perlege Pariſ. in tract. de reſignat. benefic.lib.5.c.6.per tot. & pariter M. Antonium Genuenſem Epiſcopum Iſerniæ in prax. Archiep. Cur. Neapolit. cap. 6. vbi latam eorum poteris habere explicationem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid circa beneficiorum permutationes militat adhuc illorum ſuſpenſio, ab iſto Pontifice in princ. hic indicata?

R E S P. Non, quicquid etenim dicat Pariſ. de reſignat beneficior. quæſt. 6.num. 231.verſi. num eſt,quòd eam ſuſpenſionem hic in §. 3. in fine relaxauit, vt apertè eius verba ſignificant, & clarè explicat Gomez ſup. 8. Regul. Cancell. gloſ. 14. num. 41. & ſeq.

L I X.

Edita Anno 1568. Nihil in Eccleſia Dei, & infra pag 253. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ordo Fratrum Cruciferorum ab Alex.III.iuxta B. Cleti diſciplinam inſtitutus,dum in ſua obſeruantia ſtetit,multum profecit. §. 1. 2. & 3. A qua poſtea declinans, ferè defecit. §. 4. Innocentius V I I I. ideo perpetuitatem officiorum Generalis, Priorum, Diffinitorum, Rectorum, & Adminiſtratorum dicti Ordinis, ad triennium reduxit iuxta antiquum inſtitutum. §. 5. Veruntamen perpetuatio illa denuò reuixit. §. 6. Clemens V I I. propterea formam eligendi Officiales edixit. §. 7. Prioratus, & Hoſpitalia vacantia, à Priore, & Capitulo Generali conferri iuſſit. §.8. Clemens prædictus, & Paulus I I I. multa alia pro dicti Ordinis reſtitutione decreuerunt, quæ minimè obſeruata fuerunt. §. 9. Hic modò Pont. Ordinem hunc priſtinæ obſeruantiæ reſtituere volens, Bullas Innoc. VIII. Clem. V I I. & Pauli III. approbat in his, quæ huic Conſtitutioni non aduerſantur. §. 10. Prouiſionéſque & collationes, tam Apoſtolicas, quàm alias beneficiorum locorum Ordinis, vel eorum fructuum hactenus factas reuocat. §. 11. Prouiſos poſſeſſione priuatos, ac inde amotos declarat. §. 12. Non dimittentibus pœnas imponit. §. 13. Dimittentibus autem titulum, nomen, & inſignia retinere, electioniſque tam actiuæ, quàm paſſiuæ votum permittit. §. 14. Prioris Generalis officium triennio finiri, & in Capitulo Generali eum eligi iubet. §. 15. Aliorum Priorum eligendi formam, & tempus deſignat. §. 16. Adminiſtratorum cuiuſque Prioratus munus præſcribit. §. 17. Prioribus vitam communem, & alia præcipit. §. 18. Proprietatem omnibus interdicit. §. 19. Veſtitum vniformem, purum, & honeſtum præfinit. §. 20. Hoſpitalitatem, & ſtudium in locis commodis reſtitui iubet. §. 21. Mulierum admiſſionem prohibet. §. 22. Numerum Fratrum in quolibet Conuentu minorem ſeptem vetat, & vbi commodè haberi non poſſunt, vniri iubet. §. 23. Diſpoſitiones de Prioratibus, & beneficiis Ordinis aliter factas irritat. §. 24. & ſeq. Omnem recurſum prohibet. §. 26. Harum literarum impugnationem interdicit. §. 27.

Et

Et ſecundum eas iudicari præcipit. §. 38. Obſeruantiam earumdem toti Ordini iniungit. §. 29. Executionémque Cardinali Ordinis Protectori demandat. §. 30. Obſtantibus derogat. §. 31. Tranſumptiſque credi iubet. §. 32.

Scholion primum.

Quæro. Num Alexandri confirmatio in §. 3. enunciata haberi poteſt?

R E S P. Cuſa, licèt non integra, legitur in ſuo, quod edidit, opuſculo, Benedictus Leo Arcadiæ Epiſcopus, huius Ordinis profeſſor, de orig. Cruciferorũ par. 1. pag. 4. & ſeqq. & pag. 12. in fin. vbi latè. Quod verius eſt, quàm quod ſcribit Ciacon. in vita Innoc. IV. pag. 573. ab ipſo ſcilicet Innocentio hunc Ordinem anno 1243. fuiſſe confirmatum; cùm Alexan. III. ad Pontificatum aſcendiſſet anno 1159. niſi dixerimus à pluribus Pontif. confirmari potuiſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si infra triennium, de quo in §. 5. Prior Generalis decederet, quis eius vicem geret?

R E S P. Primus ex Diffinitoribus vſque ad futurum Capitulum Generale, ex diſpoſitione Conſtitutionum Ordinis, ſub rubr. de offic. Generalis Miniſtr. §. Si verò contingat. pag. 36. de qua meminit etiam Franc. Monald. conſ. 93. lib. 1. num. 1. vbi determinauit, ſecundum Diffinitorem, quamuis primò profeſſum, non ſubintrare locum prædefuncti Generalis.

L X.

Edita Anno 1568.

QVamuis à Sede Apoſtolica, & infra pag. 256. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Facultates, & indulta omnia Comitibus Palatinis, & quibuſuis Romanæ Curiæ Collegiis, ſinguliſque aliis perſonis à Sede Apoſtolica ad Doctoratus licentiaturæ, & Magiſterij gradum promouendi conceſſa, reuocat. §. 1. & 2. Decretiſque Concilij Tridentini inhærendo, promotos à prædictis, quoad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica, nulla gradus prærogatiua gaudere decernit. §. 3. Et ſic, & non aliter poſſe iudicari. §. 4. Contraria non obſtare mandat. §. 5. Et hanc ſanctionem in Vrbe publicari, & inter Conſtitutiones perpetuò valituras deſcribi iubet. §. 6. Eiúſque tranſumptis fidem adhiberi. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. De iure communi, facultas doctorandi in Studiis generalibus ad quem ſpectat?

R E S P. Ad Papam, & Sedem Apoſtolicam. Cardin. & Panormit. in Clem. 2. de Magiſtr. Ancharanus, Gemin. & Franc. in cap. 1. de maior. & obed. in 6. quos, & alios citat, & ſequitur Alex. conſ. 110. lib. 6. num. 2. & ibi apoſtill. 1. in litera A.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi prærogatiua ſublata, promotis ex priuilegio, vt habetur in §. 3. quid ſeruatur in Regnis Galliarum, & Hiſpaniarum?

R E S P. Prærogatiua indigni ſunt, prout de Regno Franciæ ſic teſtatur Guido Pap. deciſ. 388. in fin. & Rebuff. in tract. de nomin. quæſt. 10. num. 3. & 4. Et in Regno Hiſpaniæ idem ex ſpeciali Alexandri VI. reſcripto diffinitum fuiſſe anno 1493. affirmat idem Rebuff. vbi ſup. num. 4. cui adhæret Gratian. lib. 1. diſceptat. forenſ. cap. 186. num. 74.

L X I.

Edita Anno 1568.

AD extirpandos, & infra pag. 257. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Proprietatem Fratribus Minoribus Conuentualibus S. Franciſci interdicit; in prin. Diſpenſationes etiam Pontificias deſuper conceſſas reuocat. §. 1. Bona quæcumque in communes omnium vſus cõuerti mandat. §. 2. Omnes Fratres in communi Refectorio comedere iubet. §. 3. Donatáque Superioribus conſignari. §. 4. Et infirmos diligenter curari. §. 5. Bonorum adminiſtrationis, & rationis reddendæ formam præſcribit. §. 6. Ambitus pro officiis nulli fiant, aut quicquam ſoluatur, aut munera, vel xenia dentur. §. 7. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 8. Et ita, ac non aliter iudicari præcipit. §. 9. Contrariis derogat. §. 10. Huius Bullæ tranſumptis credi indulget. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Proprietas Religioſis cur ita ſtrictè prohibetur?

R E S P. Quia iugulat, & ſuffocat matrem Religionis, quæ eſt paupertas, Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Auferé quoque pacem, quæ eſt totum bonum Religioſorum: vnde ſuper illo, *Pax ſuper Iſraël,* dicit gloſ. in verb. Omnium, in cap. 2. cauſ. 12. q. 1. Quietiſſimè homines viuerent in hoc mundo, ſi de medio hæc duo pronomina tollerentur, Meum, & Tuum. Hæc ſcribit etiam Graff. in ſuis deciſ. caſuum conſcientiæ par. 2. lib. 3. cap. 18. num. 7.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid ſtante huiuſmodi proprietatis prohibitione, ſaltem ad aliquod pietatis opus, poterit Religioſus abſque Papæ diſpenſatione, in vltima eius voluntate quicquam relinquere de rebus eius vſibus deputatis?

R E S P. Non poterit, de eis teſtando, vel aliter ex eius propria voluntate diſponendo, ſed ſolummodo rogando Prælarum ſuum, vel Conuentum, vt pro ſua libera voluntate illud, aud iſtud pietatis, vel miſericordiæ opus illi, aut iſti faciat; cùm hoc nullatenus ſit diſponere, ſed ad piè diſponendum, alium piè rogare, quod cuilibet Religioſo etiam Franciſcano licet, quia miſericordia eſt virtus omnibus, etiam pauperrimis communis. Sic Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 27. ſub num. 270. vbi ſubdit, eam concluſionem eſſe quotidianam; eámque practicari vidiſſe inquit Petrus Cenedus in collectanea ad ius Canonicum ſuper cap. Ad Monaſterium, de ſtat. Monachor. num. 3.

L X I I.

Edita Anno 1568.

AD Romanum ſpectat Pontificem, & infra pag. 258. Bull.

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat. matrim. impedimentum publicæ honeſtatis abſtulit in ſponſalibus, quacumque ratione inualidis: & vbi valida ſunt, primum gradum non excedere. §. 1. Hic modò Pont. declarat, dictum Concilium procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimoniis, per verba de præſenti contractis, in quibus durare cenſuit impedimentum eiuſmodi in omnibus caſibus, & gradibus, quibus de iure veteri erat introductum. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Concilium, de quo in §. 1. intelligitúrne etiam de impedimento honeſtatis, ex ſponſalibus iam cótractis?

R E S P. Ita ſanè, vt reiecta opinione Nauarri, probat Sanchez de Matrim. lib. 7. de impedimentis, diſpur. 68. num. 11. ea, & quidem validiſſima ratione adductus, quòd hic idem Pius in ſua Cóſt. 14. de qua ſup. alia matrimonij impedimenta ſuſtulit, etiam iam contracta.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid ex ſolo conatu ad copulam oritur impedimentum eiuſmodi publicæ honeſtatis?

R E S P. Non, imò neque ex ipſa copula illud oritur, ſed affinitas, vt tenent Io. And. in cap. vnic. de ſponſalibus in 6. num. 3. Anchar. ad finem, quibus aſſentitur Sanchez vbi ſup. num. 22. quicquid aliter tenuerit Archidiac. ibid. numero 10.

L X I I I.

EA eſt officij noſtri ratio, & inf. pag. 258. Bullarij. *Edita Anno* 1568.

C O M P E N D I V M.

Extinguit officium Miniſtri Viſitatoris, & Vicarij Generalis Fratrum, & Sororum Tertij Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci in Congregatione viuentium, & ſub tribus votis ſubſtantialibus aſtrictorum. §. 1. & 2. Subiicit hunc Ordinem Generali, & Prouinciali Miniſtro Fratrum Minorum de Obſeruantia. §. 3. & ſeq. Protectorem eumdem habere iubet. §. 5. In eorum Capitulis Superiores Fratrum de Obſeruantia interuenire præcipit. §. 6. Prouincialium electionem per vota ſecreta fieri mandat. §. 7. Officiorum tempus præſcribit. §. 8. Et Viſitatorum Prouincialium facultatem. §. 9. Proprietatem Fratribus, & Sororibus interdicit. §. 10. Et in communi viuere decernit. §. 11. Confeſſoréſque & Concionatores per Generalem, & Prouincialem Miniſtrum iubet approbari. §. 12. Decretáque Rodulphi de Carpo Cardinadinalis Protectoris obſeruari. §. 13. Dubia quoque deſuper oriunda, à Generali, &

Pro

Prouinciali Miniſtro Ordinis Minorum declarari. §. 14. Clauſulas huius legis præſeruatiuas ſubdit. §. 15. Priuilegia Fratrum de Obſeruantia huic Tertio Ordini elargitur. §. 16. Hanc reformationem omnino obſeruari iubet. §. 17. Executores deputat. §. 18. Contraria tollit. §. 19. Declarat hanc reformationem non præiudicare reformationi Tertij Ordinis in Regnis Hiſpaniarum. §. 20. Huius Bullæ tranſumptis credi indulget. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Quid differunt hi Tertiari viuentes in Congregatione, & ſub votis, de quibus in §. 1. ab aliis non ſic viuentibus?

RESP. Illi non ſunt verè Religioſi; Iſti verò Religioſi ſunt, ex Conſtitut. 42. Leonis X. de qua ſupra tom. 1. Idque etiam aſſeruit conſulendo Nauar. in conſ. 54. lib. 3. de Regularib. incip. An Religioſus, iuxta impreſſionem Venetiis anno 1610.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod fertur hunc Pium de extinctione huius Ordinis cogitaſſe?

RESP. Perlege ſubſequentes literas Venerabili Fratri Ioanni Baptiſtæ Archiepiſcopo Roſanẽſ. ſuo, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio in Regnis Hiſpaniarum ab eo Pont. contrarium declarante exaratas, & in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruatas, videlicet.

PIVS PAPA V. Generali, & aliis Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ in Hiſpaniarum Regnis conſiſtentibus. Fraternitas tua certiores his accepris literis facere curet, nobis non eſſe in animo extinguere Tertium Ordinem Fratrum S. Franciſci de Pœnitentia vocatum, nec eorum habitum, vel Regulam immutare, ſed tantùm eos ad obſeruantiam ipſius Regulæ reformare, & ſi quorum exceſſus puniendi fuerint, debita animaduerſione corrigere: propterea monebis ipſum Generalem, & alios Superiores nomine noſtro, aliàs meo, ne eos moleſtia vlla vltra ea, quæ ad reformationem pertinent, afficiat. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xv. Iulij M.DLXVIII. Põtificatus noſtri anno tertio.

L X I V.

Quod à nobis poſtulát ratio, & infra pag 260. Bullarij. *Edita Anno 568.*

COMPENDIVM.

Diuini officij forma, à Gelaſio I. & Gregorio I. inſtituta, & à Gregorio VII. reformata, multis poſtea modis immutata fuit. Et ideo Paulus IV. emendare tentauit, in princ. & §. 1. Pius IV. perfectionem huius operis commiſit Concilio Tridentino, quod ad eum remiſit. §. 2. & 3. Hic Pont. Breuiarium abſolui fecit, illudque nunc approbat. §. 4. Alia Breuiaria non approbata à primæua inſtitutione, vel conſuetudine 200. annos excedente, prohibet. §. 5. Licentias, & ſtatuta aliter orandi reuocat. §. 6. Breuiarium hoc recipi, & iuxta eius formam orari præcipit. §. 7. Prælatos hortatur, vt illud introducant. §. 8. Indulgentiáſque concedit recitantibus Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut officium paruum B. MARIÆ Virginis, aut defunctorum, diebus in eis præſcriptis. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Clerico habenti Breuiarium priuatum, ante ducentos annos ſcriptum, liceret vti hoc nouo?

RESP. Affirmatiuè ſecundùm Nauar. in conſ. 5. de celebrat. Miſſar. tom. 1. lib. 3. num. 1. iuxta impreſſionem de anno 1610. ea ratione, quòd illud Breuiarium priuatum non eſt de exceptis in hac Bulla.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si cæcus, qui memoria teneret antiquum Breuiarium, indigeret Papæ diſpenſatione, ne teneatur recitare nouum?

RESP. Si illud recitare nõ valeret, vt putà quia non habet vt ab alio adiuuetur, non egere diſpenſatione affirmat Nauar. vbi ſup. in conſ. 14. per totum.

L X V.

Cvpientes pro noſtri, & infra pag. 262. Bullarij. *Edita Anno 1568.*

COMPENDIVM.

Rectores Eccleſiarum parochialium cuiuſcumque ſtatus, & dignitatis, in quibuſcumque Chriſtiani orbis partibus conſiſtentes, reſidere præcipit, qui-

buſcumque indultis non obſtantibus. §. 1. Eóſque reſidentes fructus omnes beneficiorum lucrari cenſuit, exceptis diſtributionibus quotidianis, & aliis, quæ ex iuſta cauſa abſentes percipere non ſolent. d. §. 1. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 2. Contrariorum derogationem apponit. §. 3. Sanctionémque pœnalem. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Ab eiuſmodi reſidentia parochiali excuſabitne grauis inimicitia?

R E S P. Ita ſanè, ſi ſit ita grauis, vt Parochus abſque ſuæ vitæ diſcrimine reſidere non poſſet. Gloſ. in cap. fin. de Cleric. non reſidentib. in verb. excuſationem, & tunc ſi habet parochiam, & canonicatum, reſideat in eo, ſi in parochia habet inimicitiam: ſed ſi ſolummodo habet parochiam, durante inimicitia, poterit de licentia Epiſcopi abeſſe per annum, & interim debet congruenti mercede Vicarium conſtituere, vt declarauit Sacra Congregatio Cardd. ſuper interpret. Concil. Tridentin. cuius verba recenſet Lopez in Pract. Canon. cap. 50. verſ. Octauus caſus, iuxta impreſſionem Moguntiæ. Et conuenit diſpoſitio ipſiuſmet Concil. ſeſſ. 23 cap. 1. de reformat. vbi decernit, Epiſcopum vltra bimeſtre tempus licentiam non concedere, niſi ex cauſa graui, quam tamen in caſu propoſito extare ſupponitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Excuſabitúrne ille Parochus, cui datus eſt fortaſſe ob illiteraturam coadiutor?

R E S P. Non, alioquin melioris conditionis eſſet ſtultus, quam peritus, contra tex. in cap. eum qui. 18. de præbend. in 6. Ad quod ſpecialem extare declarationem Congregationis ſupradictæ, refert Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancell. gloſ. 5. §. 9. num. 16. & ſeq. vbi illius tenorem ſubiungit, pag. mihi 186.

L X V I.

Edita Anno 1568. ILla nos citra inter cæteras, & inſra pag. 262. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Hæc Pont. in ſua Conſt. 61. de qua ſup. reformationem edidit Fratrum Minorum Conuentualium Sancti Franciſci, in princ. Fratres in Generali Capitulo Romę celebrato aliam ediderunt. §. 1. Quam ipſe Pont. præcipit obſeruari. § 3. Executoréſque deputat. §. 4. Et contraria refellit. §. 5. Quæ reformatio eſt circa ætatem Nouitiorum. §. 5. Oblatorúmque. §. 6. Et laicorum. §. 7. Prouincialis ex alia Prouincia aſſumatur. §. 8. Guardianatuum tempus præfinitur. §. 10. Paternitatis titulus quibus competere poſſit. §. 11. Fratres in Conuentu quanto tempore durent. §. 12. Et qui eorum numerus eſſe debeat. §. 13. Regentes Studiorum quot lectiones interpretari teneantur. §. 14 Fratrum exercitium quotidianum quale. §. 15. Proprietas interdicitur. §. 16. In communi viuatur. §. 17. Infirmorum, & ſenum cura quæ. §. 18. Bonorum cuſtodia qualis. §. 19. Quiſque vnica cella, lectoque, & humili menſa ſit contentus. §. 20. Dormitoria efficiantur communia. §. 21. Etiam horti, ſed ſeiuncti a Nouitiis, & infirmis. §. 22. Bona decedentium quibus Conuentibus danda. §. 23. Deputatio, vel confirmatio Officialium, gratis fiat, munera etiam gratis data non recipiantur. §. 24. Subuentiones Prælatis quæ dandæ ſunt. §. 25. Alexandrinæ Conſtitutionis obſeruantia. §. 26. Habitus. & veſtes quæ. §. 27. Ordinationes ad reformationem Ordinis obſeruandæ erunt. §. 28.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quod fertur, fuiſſe eligendum Prouincialem de ipſa Prouincia, contra determinationem hic Ratam in §. 8.

R E S P. Hoc vnum perlegi apud Rod. de quæſtionib. Regul. tom. 2. quæſt. 52. artic. 6. nempe anno 1600. in Capitulo Generali Romæ celebrato ſic diffinitum fuiſſe; videlicet, Miniſtri Prouinciales in poſterum non eligantur ex alienis Prouinciis, niſi ex vrgenti neceſſitate, & conſenſu totius Diffinitorij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Munerum receptio prohibita in §. 24. nunquid valdè omnibus eſt præiudicialis?

R E S P. Fusè, & multis rationibus, ac etiam Sanctorum Patrum authoritatibus, & exemplis, pernicioſa oſtenditur à Ioanne Buſæo in ſua Summa

reme-

remedior. contra animi morbos, pag. 167. in rubr. de muner corrupt.

LXVII.

Edita Anno 1568. Licèt contra Notarios, & infra pag. 264. Bullarij.

COMPENDIVM.

Aliæ ſunt editæ Conſtitutiones contra Notarios in cauſis criminalibus, & ciuilibus, dicta teſtium, aut reorum reſponſiones, abſque Iudicis decreto partibus patefacientes, eóſque tanquam falſi reos, & infames, ac periuros, puniri debere ſtatutum fuit. Pontifex iſte hæc approbat, & obſeruari præcipit. §. 1. Et modò omnes Notarios, tam principales, quam ſubſtitutos, executoréſque, & carcerum cuſtodes, & alios, quibus carceratos in ſecretis carceribus alloquendi facultas conceditur, dicto, vel facto, dicta teſtium, & reſponſiones reorum, abſque Iudicis cauſarum, & Procuratoris Fiſcalis licentia propalantes, vel nomine eorumdem reorum, & teſtium, aliis extra carceres nuncium ferentes, vltra pœnas à iure, vel ſtatuto inflictas, pœnam relegationis in perpetuum, vel ad tempus ad triremes, & etiam vltimi ſupplicij arbitrio Iudicis, pro facti qualitate incurrere decernit. §. 2. Contrariáque refellit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Si nomine carcerati in ſecretis, aliis extra carceres quis nuncium mitteret, in quo nihil contineretur, quod iuſtitiæ, & Fiſco eſſet præiudiciale, hæc forſan prohibitio, de qua in §. 2. locum haberet?

RESP. Non, quia lex iſta, quamuis generaliter ſit prohibitiua, reſtringitur tamen ex ratione præſumpta, & veriſimili mente legiſlatoris, quæ non alia eſſe poteſt, quàm præiudicij ſupradicti, vt in ſimili caſu perbellè, & copioſè demonſtrat Aym. conſ. 3. per totum, vbi alios cumulat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt pœna de iure communi, de qua fit mentio in §. 2. contra propalantes dicta teſtium, aut reſponſiones reorum?

RESP. Pœna legis Corneliæ de falſ. ad tex. vbi communiter id affirmant ſcribb. ff. de falſ. cum aliis citatis à Gandin. in tit. de falſar. num. 15. & à Franc. Marc. deciſ. 480. lib. 2. num. 2.

LXVIII.

Reuerendi DD. Viſitatores carcerum, & infra pag. 265. *Item;* Cùm ſicut accepimus, Viſitatores, & infra pag. ead. Bullarij. *Edita Anno 1568.*

COMPENDIVM.

Viſitatoribus carcerum Vrbis authoritatem tribuit, dilationem concedendi carceratis, data cautione de ſoluendo infra certum tempus, ſi creditores ditiores ſint, & ære alieno non onusti. §. 1. Vel debitoribus non habentibus pecunias in promptu, ſi conſert aut ſubhaſtationi bonorum. d. §. 1. Vel quando creditor eſt bene cautus per execuutionem realem. d. §. 1. Vel infirmis. §. 2. verſ. quarto. Vel quando pertinaces creditores non ſubminiſtrant alimenta pauperibus debitoribus. §. 3 verſ. quinto. Mulieres autem honeſtæ carceratæ pro debito ciuili, quamuis publico, relaxentur. §. 4. Vel qui ex natura debiti non tenentur de iure, vltra id quod facere poſſunt. §. 5. Carcerati etiam vt ſuſpecti de fuga, ſi dent cautionem de ſe repræſentando ſub pœna debiti. §. 6. Et qui cedent eorum bonis, pro vt de iure, & ſeruata forma Motus proprij. §. 7. Vel qui manifeſtè apparet quòd ſint nulliter capti. §. 8 Decernit etiam, quòd in his relaxationibus ſint præſentes Iudices, qui de meritis cauſæ rationes reddant. d. §. 8. Viſitatoréſque eorum arbitrio in cauſis ciuilibus vtantur, habita ratione qualitatum debitoris, & creditoris. §. 9. Sed in cauſis criminalibus non relaxent carceratos eorum arbitrio, neque reos confeſſos, aut conuinctos in leuioribus delictis, & in caſibus dubiis, vnus ex Viſitatoribus cum Iudice cauſæ, præſente Procuratore, vel Aduocato Fiſcali, ac pauperum Aduocato, cauſam ſibi referat. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tempore hæc Viſitatio carcerum Vrbis inſtituta fuit?

RESP. Audi Ciacon. de vit. Pontt. tractanté, qui in vita Alexandri V. ſic l. mihi 1011. ſic ſcribit. *Initio ſui Pontificatus*

(qui

(qui fuit anno 1492.) *rebus Vrbanis intentus, carcerum Viſitatores inſtituit.* Et ſubdit; *Quatuor Iudices creauit, qui de quacumque cauſa capitali cognoſcerent; & die Martis omnibus ſe adire, & alloqui volentibus, ſeipſum exhibuit; vnde ius in Vrbe ſeueriſſimè dici cœptum.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Num depoſitio, de qua in §. 3. & verſ. quinto, comprehendat Hebræos?

RESP. Perlege quod in Gubernatoris Vrbis decreto typis euulgato continetur.

CVM in publica viſitatione carcerum die 13. Auguſti 1620. re maturè diſcuſſa, fuerit declaratum in cap. 5. Conſtitutionis PII V. de facultatibus Viſitatorum carcerum Vrbis, & ſimiliter in cap. 5. Conſtitutionis S. D. N. ſuper reformatione Tribunalium Vrbis tit. de facultatibus Viſitatorum carcerũ, non comprehendi Hebræos; declaratione præfatã idẽ Sãctiſſimus Dominus Noſter viuæ vocis oraculo approbauit, ac cõfirmauit, & publicari, ac in omnibus Tribunalibus Vrbis per omnes Iudices ſeruari voluit, & mandauit. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die 20. Auguſti 1620.

BERLING. Rom. Epiſc. Arim. Gub. & V. Cam.

LXIX.

Edita Anno 1568.

VOlentes indemnitati Eccleſiarum, & infra pag. 266. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Camerario, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, & alijs Romanæ Curiæ Officialibus, data erat facultas concedendi commiſſiones alienationum, permutationum, & affrancationum rerum Eccleſiaſticarum in forma, *ſi in euidentẽ*, ſiue earum cõfirmationum; ideo indemnitati Eccleſiarum, & locorum piorum conſulendo, eiuſmodi facultatem Motu proprio reuocat. §. 1. Decretum irritans apponit. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3. Solam ſignaturam ſufficere iubet. §. 4. Et in Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ publicari mandat. §. 5. Et eius exemplis fidem dari. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Num gratia, *ſi in euidentem*, de qua in §. 1. nulliter executa, poterit denuò executioni demandari?

RESP. Non, quia Iudex à Papa ad hoc deputatur, & Iudicis delegati iuriſdictio latã ſententiã expirat. cap. in literis. 9. & cap. Venerabili. 47. de offic. deleg. & in his terminis ſic cenſuit Rota in deciſ. 631. Dunozetti num. 8. part. 2. nouiſſimorum, vbi aliam quoque Rotæ deciſionem allegat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Prohibitio pœnalis alienandi bona Eccleſiæ, num locum habeat in caſu ſummæ neceſſitatis?

RESP. Non, ſi neceſſitas rantam requirat celeritatem, quòd licentia Papæ peti non poſſit, vel petita obtineri, iuxta gl. in cap. Placuit. 51. cauſ. 12. quæſt. 2. & bene explicat Card. in clem. 1. de reb. Eccleſ. non alienan. ſub num. 27. Gondiſ. Villad. in tract. de Legat. quæſt. 11. in fine, & ſequitur Redoan. de reb. Eccleſ. non alien. rubr. 8. ſub num. 50. & aliqua exempla eiuſmodi neceſſitatis vide in l. 5. ff. de petit. hæred. & DD. & ibid. ſcribb.

LXX.

Edita Anno 1568.

CVm de literis, & infra pag. 266. Bullarij.

COMPENDIVM.

Omnia inſtrumenta, & monimenta ad Romanam Eccleſiam, Sedémque Apoſtolicam ſpectantia, vbicumque exiſtentia inuentariari præcipit. §. 1. Subtractáque & celata repeti, & pariformiter inuentariari mandat. §. 2. Executores huius legis deputat duos Clericos Cameræ Apoſtolicæ. §. 3. Quoſcumque ad reuelationem, & reſtitutionem prædictorum monet, vt in inuentario ponantur infra terminum à dictis Clericis præfigendum. §. 4. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 5. Authoritatem ſupradictorum Clericorum in præmiſſis deſcribit. §. 6. Contraria non obſtare decernit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Fuitne aliàs monitorium ab antiquis prædeceſſoribus emanatum, pro recuperatione rei ad Cameram ſpectantis, quod non ſit abſimile monitorio, de quo in §. 4.

RESP.

Digitized by Google

R e s p. Hoc vnum à Ioanne XXII. pro recuperando quodam dictæ Cameræ theſauro, datum fuiſſe monitorium vidiſſe memor ſum, quod notabile, & omnibus patens eſt, in cap. vnic. de furt. inter extrauag. commun.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid perſonis ſic monitis, reuelantibus, reficiendæ ſunt expenſæ in eundo, ſtando, & redeundo, vel aliter factæ, vt monimenta deperdita propalarent?

R e s p. Reficiendæ quidem, cùm officium ſuum nemini debeat eſſe damnoſum, ad tex. in cap. 2. §. Venturus. cauſ. 4. quæſt. 3. cap. cùm non deceat. 30. de elect. in 6. Graff. conſ. 6. de ſentent. excom. num. 6. & Guttier. canon. quæſt. lib. 1. cap. 11. num. 23.

Edita Anno 1568. L X X I.

Diuina diſponente clementia, & infra pag. 267. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, ordinem Fratrum Prædicatorum à Sede Apoſtolica ante alios Ordines Mendicantes approbatum fuiſſe, ideóque eius profeſſores in actibus publicis, & priuatis, & tam coram Papa, eiúſque Capella, & Conciliorum ſeſſionibus, quàm in pleriſque aliis Chriſti fidelium partibus præcedere, & nihilominus nonnullas deſuper contentiones ab aliis Ordinibus excitari. §. 1. Eas propterea extinguit. §. 2. Et Fratribus Prædicatoribus, etiam vbi Eccleſias non habent, aut alij Mendicantes antiquiores Eccleſias habeant, dictam præcedentiam concedit. §. 3. Et deſuper non moleſtari præcipit. §. 4. Ita, & non aliter iudicari mandat. §. 5. & ſeqq. Contrariiſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Ad quem recurrendum, ſi noua orìretur quæſtio circa eiuſmodi præcedentias, vel ſimiles?

R e s p. Ad loci Ordinarium, qui omni appellatione remota eam componet, vt decreuit Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid præcipuè attendere debet Epiſcopus in illis controuerſis decidendis?

R e s p. Conſuetudini loci multum deferre debet, ex doctr. Bald. in cap. Cùm olim. 6. de conſuetud. num. 1. & Zabar. conſ. 62. num. 1. quam pluries Rota probauit, provt in deciſ. Seraphini 964. num. 1. vbi ampliat id procedere, etiamſi talis conſuetudo iuris communis diſpoſitioni repugnaret. Vnum tibi inſinuare non prætermittam, plurimi nempe eſſe conſuetudinem Romæ, quæ omnium magiſtra dicitur. Ita cenſuit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præfectorum, die 26. & 30. Auguſti 1593. quæ quidem declarationes habentur impreſſæ in priuilegiis Ordinis Camaldulenſis fol. 218. & in collectione priuilegiorum Mendicantium, per Io. Baptiſtam Confectum fol. 188. impreſſa Florentiæ.

L X X I I. Edita Anno 1568.

Horrendum illud ſcelus, & infra pag. 268. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Lateranenſi Concilio ſtatutum fuit, quoſcumque Clericos illa incontinẽtia, quæ contra naturam eſt, laborare deprehenſos, à Clero deiici, vel ad agendam in Monaſteriis pœnitentiam detrudi. §. 1. Hic Pontifex grauiùs vlciſci deliberauit. §. 2. Ideóque quod iam ipſe in ſui Pontificatus initio in Conſt. 5. §. 11. de qua ſup. hac de re decreuerat, pleniùs, & fortiùs intendens, quoſcumque Clericos, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico, præſentis Canonis authoritate priuat, ita quòd per Iudicẽ Eccleſiaſticum degradati poteſtati ſæculari ſtatim tradantur, qui de eis illud idem capiat ſupplicium, quod in laicos in hoc exitio diſſolutos, legitimis reperitur ſanctionibus conſtitutum. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *præſentis Canonis authoritate priuat*, de quibus in §. 3. quid important?

R e s p. Important priuationem beneficiorum ipſo iure. cap. excommunicamus. 13. & ibi communiter ſcribb. de hæretic. cum ſimilibus; & tenet Nauarrus in Manual. Confeſſor. cap. 27.

num. 249. verſ. Secundò dico. & propterea etiam ante ſententiam illa poſſunt impetrari, vt firmat Rota in deciſ. 718.par.3.lib.3.diuerſor. per tot.& Mandoſ. multos adducit concord. in addit. ad Lapum, alleg. 16. aliàs 17. Quibus adhæret Steph. Quaranta in ſua Summ. in verb. ſodomia, ad finem, necnon Gonzal. in comment. ad 8. Regul. Cancell. gloſ. 15. num. 18. de menſib. & alternat. pag. mihi 379.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num vnica tantùm vice Clericus ſic delinquens capitali ſupplicio eſt puniendus, non obſtante illo verbo, *exercentes*, de quo in §. 3.

R e s p. Negatiuam ſententiam tenet Nauarrus in Manual.Confeſſor. cap. 27. ſub num. 249. ponderando verbum, *exercentes*, quod multiplicationem actus ſupponit,ſubdens, quòd ex induſtria dictum verbum poſuit Matthæus Contarellus huius Bullæ compilator, prout ab eo, & exinde à Gregor.Papa XIII.id ſibi relatum fuit.Et hanc ſententiam alij plerique (ſimpliciter tamen) Nauar.ſequuntur,& etiam Rod.de quæſtionib. Regul. lib.1.quæſt. 29.art.12. Sed contraria ſententia mihi verior videtur, quia iam hic Pontifex in ſua Conſt. 5. §. 11.tam laicis quàm Clericis pœnam mortis impoſuit, & in hac Bulla inquit, quòd iam ab eo diſpoſitum contra Clericos fortiùs, ac pleniùs proſequi intendit,ita quòd illam non corrigere, vt aſſerit Rod. ſed ampliare voluit, & bene multis rationibus comprobat Ignat.Lopez ad Diaz in pract. canon. cap. 90. iuxta vltimam impreſſionem. Et illud verbum, *exercentes*, poſitum in lege punitiua ſodomiæ, propriè intelligitur in primo actu. Tex. eſt in §. item lex Iulia de adult. Inſtit. tit. de public. Iudic. quam intelligentiam communem eſſe ſcribit Farina. quæſt. 148. num. 50. Quinimò Epiſcopus Septimacenſis in ſuo Tract. de diſcept. cap. 33. inquit hanc huius Bullæ intelligentiam habuiſſe eumdemmet Pium V. à quo ipſemet Epiſcopus pro dictæ Bullæ impetratione inſtiterat, quod refert etiam Diaz vbi ſuprà. Ita quod Papæ legiſlatoris intentio attendenda eſt, non autem Prælati compilatoris.

L X X I I I.

Sacroſanctum, & infra pag. 269. Bullarij. *Edita Anno 1568.*

C O M P E N D I V M.

Reuocat indulta quorumcũque Collegiorum, & Officialium Romanæ Curiæ, & Conclauiſtarum, penſiones, & fructus rerum Eccleſiaſticarum per coniugatos, bigamos, & alios laicos obtinendi, vel in alios transferendi quomodolibet conceſſa. §. 1. Ita vt penſiones, aut fructus, aut res Eccleſiaſticas habere,& qui ad nuptias trãſierint, antiquas retinere non poſſint.ibid. Reuocat eadem indulta,etiam quarumcumque Militiarum, & Hoſpitalium.§.2. Priuata priuilegia perſonarum Hoſpitalium, & Militiarum reſtringit ad non coniugatos, vt nouas penſiones non habeant, & coniugati rurſus matrimonium contrahentes, habitas iam amittant.§.4.Licentiáq; transferendi penitus ſit interdicta. ibid. Reuocat priuilegia Magiſtris,& aliis Militiarũ,& Hoſpitaliũ perſonis data,concedendi expectatiuas, vniendiq;beneficia,vel incorporandi,vel ſupprimendi.§.5. Reuocat expectatiuas, vniones, & ſuppreſſiones ab illis factas, quæ plenarium effectum ſortitę non ſũt. §.6.Reuocat facultates teſtandi, & quomodocumq; diſponendi de bonis etiam mobilibus ſpectantibus ad perſonas Militiarum,& Hoſpitalium.§.7. Ac diſpoſitionum omnium,quæ plenarium non ſint ſortitæ effectũ.ibid.Clauſulas huius legis præſeruatiuas addit.§. 8. Decretúmque irritans.§.9.Contrariis omnibus derogat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Nónne de iure erat, vt penſio per matrimonium extingueretur?

R e s p. Ita ſanè, ſi penſio detur de iure ratione Clericatus, qui expirat per matrimonium. Ita cenſuit Rota in deciſ. Putei 449.lib.2.num.2.in nouis. (Sed non ex hoc Bulla otioſa eſt, quia edita eſt ad tollendum priuilegia in contrarium conceſſa.) Secus eſt dicendum, ſi penſio detur laico pro benemeritis, & ſeruitiis, vel pro aliquo officio tẽporali, vt putà pro pulſandis campanis, tunc ſiquidem non extinguitur per contractũ matrimonij. Card. in clem. 1. de rebus Eccleſ.

Digitized by Google

Eccleſ. non alienan.latè Gig. de penſionib. quæſt. 54. num.1. & ſeqq. & tenuit Rota in deciſ. Manzanedi 387. par. 2.in nouiſſimis, num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi contractum ſit matrimonium, ſed per ſponſalia tantùm per verba de futuro?

RESP. Non extinguitur penſio data Clerico, niſi per matrimonium verè contractum. cap. 1. & ibi Canon. communiter de Cleric. coniug. & tenuit Rota in deciſ. 1. eod. tit. in nouiſſ. & in deciſ. 772. coram Buratio part. 2. num. 2. prope medium, in nouiſſimis.

LXXIV.

Edita Anno 1568.

QVantum animarum cura, & infra pag. 271. Bullarij.

COMPENDIVM.

Extinguit omnes dignitates maiores, & alia beneficia Eccleſiaſtica vnita aliis Eccleſiis Inſulæ Sardiniæ, quæ parochiales Eccleſias habent, vti præbendas, vel alias annexas, vbi non eſt Vicaria perpetua. §. 1. Parochiales ad primæuum ſtatum ſimplicem, & liberum reducit, ita vt in earum collatione Ordinarij formam ſeruent Concilij Tridentini, quæ de parochialibus Eccleſiis præſcripta eſt. § 2. Vicariæ perpetuæ quando inſtituendæ ſint, declarat. §. 3. Executores deputat. §. 4. Contrariáque remouet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Vicaria perpetua, de qua hic agitur, quotuplex eſt?

RESP. Duplex: vna, quæ continet curam animarum actu; altera,quæ conſiſtit in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, vbi cura reſidet penes Capitulum, exercitium autem penes Vicarium. Rebuff. in prax. benefic. in tit. de diſpenſat. rat. ætat. in verſ. Vel earum perpetuæ Vicariæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vicaria perpetua æquiparatúrne Eccleſiæ parochiali?

RESP. Ita quidem,per tex.in clem. 1. de offic. Vicar.vbi habetur, quòd per adeptionem ſecundæ Vicariæ vacat prima,ſicut parochialis;& ætas,quæ requiritur ad iſtam,requiritur ad illam. Rom. conſ.356.num. 5.vbi etiam inquit, quòd Vicarius perpetuus tenetur promoueri intra annum, ſicut Curatus.cap.licèt.14. de elect. in. 6. Tenetur etiam reſidere. cap. fin. de offic. Vicar. Ita de his, & aliis tradit Tuſch. in verb. Vicaria,concluſ. 196.per totam.

LXXV

Edita Anno 1568.

ROmanus Pontifex,& infra pag. 272. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sacrum Concilium Tridentinum decreuit, ne quis deinceps Clericus ſæcularis ad ſacros Ordines promoueretur, niſi ad titulum ſufficientis beneficij. §. 1. Et cùm non fecerit mentionem de Clericis Religioſis, & in quibuſdam Ordinibus Clerici Religioſi more Regularium in communi viuant, qui nunquam, vel non niſi ad certum tempus profeſſionem emittunt, & interim ad ſæculum redire poſſunt.& abſque titulo beneficij ad ſacros Ordines promoueri prætendunt, non attento tenore dicti Concilij,vnde euenit;quòd per ſęculum vagantes,vel mendicant, vel ſordidum quęſtum exercent,non ſine Ordinis vilipendio.§.2.Hic ideò Pontifex dictum decretum ad eos extendit. §. 3. Promotionéſque de eis factas non ſeruata forma dicti Concilij,irritas decernit. §. 4. Promotos quoque miniſtrare non poſſe, & miniſtrantes quocumque priuilegio priuari,irregularitatem,aliáſque pœnas dicti decreti incurrere decernit, & abſolutionem ſibi reſeruat.d. §. 4. Contrariis omnibus derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid loco beneficij,ordinari quis poteſt ad titulum ſeruitij in aliqua Eccleſia, cui adſcribitur, & deſeruire tenetur in Ordine ſuſcepto, & ex cuius maſſæ fructibus participat?

RESP. Poteſt quidem, quia huiuſmodi titulus deuinctum ibi tenet eum, qui ordinatur ex decreto Concilij Trident. ſeſſ. 23. c.16.de reformat. & tradit Maiol.de irregul.lib.4 c.15.ſub n.2.& ſequitur Pariſ.de reſign.benef.lib.2.quæſt. 6.num.33.vbi ſubdit, ita tentum quoque fuiſſe in ſacra Congregatione Concilij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid Vicaria habetur pro titulo?

Digitized by Google

R E S P. Si perpetua eſt, pro titulo habetur, ſecus ſi temporalis, ad tex. & Panormit. ibi in cap. Michaël. 13. de fil. preſbyt. Maiol. vbi ſup. necnon Lopez in pract. Canon. crim. cap.18.in nouiter edita num. 8. & Tuſch. in verb. Vicaria. concluſ. 195.num. 5. poſt Bellamer.conſ. 38. ſub num. 9.

L X X V I.

Edita Anno 1568. LVbricum vitæ genus eorum veriti, & infra pag. 273. Bullarij.

COMPENDIVM.

Omnes ſub voluntaria obedientia, & in communi, in quibuſcumque domibus, Eccleſiis, & Conuentibus viuentes, extra votum Religionis, & quorum habitus à ſæcularibus preſbyteris eſt diſtinctus, debeant profeſſionem trium votorum emittere regularem infra menſem. §. 2. Inobedientibus nonnullas pœnas imponit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Profeſſionem regularem validéne recipiet Epiſcopus ab aliquo Monacho Ordinis exempti à iuriſdictione, & ſuperioritate ipſius Epiſcopi?

R E S P. Negatiuè, ea ratione, quòd receptio profeſſionis a ſuperioritate accipit virtutem, quam Epiſcopus non habet, ſtante Ordinis exemptione, nec poteſt profeſſionem emittentem incorporare Religioni, vt conſultus optimè reſpondet Nauar. conſ. 6. lib. 3. num. 2. & ſeqq. in impreſſis Brixiæ, vbi iura, & rationes allegat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi ille Epiſcopus nomine Prælatorum Ordinis dicti Monachi, eam profeſſionem recepiſſet, & Prælati deinde ratificarent?

R E S P. Eam validam, & efficacem reddi ex ſubſecuta ratificatione.l.penult. cum ibi not. ff.rem rat.haberi. Innoc. in cap. porrectum.13. de Regular.num.4.& ſequitur Nauar. in loco citato.

L X X V I I.

Edita Anno 1568. ETſi cuncta, quæ ex multa, & infra pag. 274. Bullarij.

COMPENDIVM.

Leo X. & alij Pontt. Hoſpitali,& Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani, & eorum familiaribus, & bonis, à ſolutione decimarum, charitatiui ſubſidij, aliiſque oneribus exemptionem dederunt. §. 1. Ordinarij tamen locorum, & Rectores parochialium,atque Capitulares perſonæ, vigore Concilij Tridentini ſeſſ. 23.cap. 18. Milites, & alios deſuper moleſtarunt.§.2. Hic Pont. illam exemptionem, & alia priuilegia approbat,& iteratò concedit. §. 3. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas addit. §.4. Executores deputat. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Excipit Eccleſias, & perſonas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilij Tridentini ſeruari præcipit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. A quo primùm Pontifice hic Ordo dicitur approbatus?

R E S P. A Gelaſio II. vt nouiſſimè enarrat Franciſ. Mennen. de Equeſtr. Ordin. orig. pag. mihi 69.

Scholion ſecundum.

Quæro. Charitatiuum ſubſidium, de quo in §. 1. à quibus exigi ſolet?

R E S P. Ab Epiſcopis, quando illi ex aliqua manifeſta, & rationabili cauſa à ſuis ſubditis moderatum, & cum charitate auxilium aliàs poſtularũt. cap. cùm Apoſtolus. 6. §. prohibemus. & ibi Canon. communiter de cenſib. & fusè eiuſmodi ſubſidij materiam concinnauit in ſuo, quem edidit, tractatu Bartholom. Bellencin. de charit.ſubſid. tom.15. tract. general. par. 2. pag. 145.

L X X V I I I.

INiunctum nobis, & infra pag. 275. Bullarij. *Edita Anno 1568.*

COMPENDIVM.

Enarrat, Hieronymum Æmilianum Patricium Venetum, initium dediſſe Societati piorum virorum ad erigendum Hoſpitalia pro ſubuentione pauperum orphanorum, & mulierum Conuertitarum, Paulúmque III. in ſua Conſt. 21. de qua ſup. tom. 1. facultatem eidem Societati, ad caput ſibi eligendum, ac ſtatuta condendi dediſſe, eamdémque à iuriſdictione, & ſuperioritate Ordinariorum exemiſſe. §. 1. Et eumdem Paul.III.ac Paul. IV.alia eidem priuilegia conceſſiſſe. d. §. 1. Carolum quoque Borromæum dictæ Societati,ſeu

Con

Congregationi Eccleſiam S. Maioli Papien. donaſſe, & donationem ab ipſo Pont. approbatam fuiſſe. §. 2. Ideóque dictæ Congregationis Eccleſiam prædictam caput conſtituit. §. 3. Orphanorúmque eruditionem, & etiam ſeminariorum curam admodũ religiosè ſuſcepiſſe. §. 4. Et modò tria vota ſubſtantialia emittere ſummopere deſiderare, & facultatem in manibus alicuius Prælati illa emittendi, ab iſto Pont. concedi poſtulaſſe. §. 5. Qui profeſſionis emittendæ normã, & vt ſub clericali habitũ Regulam S. Auguſtini profiteantur, præſcribit. §. 6. Bonáque etiam ſtabilia recipiendi, & in communi poſſidendi facultatem elargitur. §. 7. Congregationem iſtam Clericorum S. Maioli, ſeu de Somaſcha denominari decernit. §. 8. Legata Congregationi ſimpliciter relicta, Eccleſiæ S. Maioli legata cenſeri declarat. §. 9. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas ſubdit. §. 10. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 11. Executores deputat. §. 12. Contrariis derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. In §. 1. narratur, Paulum III. Societatem exemiſſe à iuriſdictione Ordinariorum, quod in eius Bulla 21. non legitur, num ergo huius Pij Conſtitutio ſubreptitia cenſetur?

R E S P. Non, quia Paul. III. in alia Bulla potuit eam exemptionem dediſſe, quàm in ſupradicta, quæ apud nos non habetur. Ita in ſpecie, & aliis rationibus hoc dubium ſuſtulit Nauar. in conſ. 8. lib. 1. de reſcript. per tot. iuxta impreſſioné Venetiis anno 1610. pag. mihi 49.

Scholion ſecundum.

Quæro. Exemptio Paul. III. enunciata in d. §. 1. de qua conſtare non videtur, fuitne vnquam vſu recepta?

R E S P. Congregationem iſtam in quaſi poſſeſſione dictæ exemptionis per quadraginta, & amplius annos manſiſſe, & ſic eam acquiſiuiſſe, probat Nauar. vbi ſup. num. 3.

L X X I X.

Edita Anno 1569. & 1570.

CVm onus Apoſtolicæ, & infra pag. 276. *Item*; Etſi Apoſtolica Sedes, & infra pag. 277. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Cenſus redimibiles creari non poſſe ſtatuit, niſi ſuper re immobili, ſui natura fructifera, certiſque finibus deſignata. §. 1. Et niſi integrè perſoluto pretio in actu celebrationis inſtrumenti, Notario, & teſtibus præſentibus. §. 2. Solutiones anticipatas prohibet. §. 3. Et etiam obligationes ad caſus fortuitos, eius qui ex natura contractus non tenetur. §. 4. Ac pacta auferentia facultatem alienandi rem cenſuatam. §. 5. Decernit autem in ea alienanda præferri dominum cenſus. §. 6. Statuit, contra moroſum cenſus debitorem nihil præiudiciale paciſci poſſe. §. 7. primæ, & 2. Bullę. Neque nouum creari cenſum, aut augeri de fructibus. §. 8. Neque onera extranea imponi. §. 9. Diffinit, cenſum perire pro rata rei cenſuatæ peremptæ, aut infructuoſæ effectæ. §. 10. Ac pro eodem pretio quandocumque redimi poſſe, præuia tamen intimatione per duos menſes ante, & eo caſu, infra annum etiam ab inuito repeti poſſe. §. 11. Alio autem caſu redimendum eſſe paciſci interdicit. §. 12. Contractus alia forma poſthac celebrandos, fœneratitios declarat, & quidquid contra hæc mandata dari, aut remitti contigerit, à Fiſco vindicari decernit. §. 13. Prædicta etiam ad cenſus poſtea alienandos extendit. §. 14. Pretiúmque ſemel conſtitutum minui, aut augeri vetat. §. 15. Hortatur omnes, vt contractus cenſus hactenus celebratos, cenſuræ Religioſorum ſubiiciant. §. 16. Infructuoſitatem, de qua in §. 10. intellexiſſe de perpetua declarat §. 2. ſubſeq. Bullæ. Onera, de quibus in §. 9. declarat in §. 8. ſubſeq. Bullæ. Numerationem pecuniæ, de qua in §. 2. non eſſe neceſſariam in conſtitutione dotium, declarat in §. 9. ſubſeq. Bullæ. Et ſcedulam banchariam loco pretij ſufficere decernit in §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Si factã diſdictã cenſus per intimationé per duos méſes ante, vt in §. 11. vẽditor cenſus nõ offerat pretiũ in tempore erit forsã neceſſaria noua diſdicta?

R E S P. Erit profectò, quoniam Bulla præcipit, vt ille infra bimeſtre pretiũ ſoluat, aliàs emptor non cogitur recipere abſque noua intimatione, vt firmauit Rota in deciſ. Vbaldi 492. part. 1. in recentior. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. In d. §. 11. habetur, quòd facta dicta intimatione per venditorem cenſus, ſi infra bimeſtre non redimit, emptor infra annum cogere poteſt ad redimendum, credis ergo alio caſu nequaquam illum cogere poſſe?

RESP. Directè eo tantùm caſu cogere poteſt, ſed indirectè id facere valet, quãdo ſcilicet venditor cenſus non implet ea, quæ implere promiſit; tunc enim nõ agit directè ad repetitionem pretij, ſed ad implendum promiſſa; & in defectum implementi, ad damna, & intereſſe, & loco illorum petere ſortem principalem, ſed non vti pretium. Bal. in l. 4. C. de action. empti. num 7. Rota in decif. Ludouiſij nunc Sanctiſſimi 77. par. 2. recentior. num. 2. vbi hoc idem antea in vna Romana dotis tentũ fuiſſe teſtatur.

LXXX.

Edita Anno 1569.

HEbræorum gens, & infra pag. 278. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hebræos multa ſcelera in Statu Eccleſiaſtico patrare recẽſet, ideóque eis præcipit, quòd ex toto Statu Eccleſiaſtico locisque Baronum (non tamen Roma, & Ancona) infra ſex menſes à die publicationis huius Bullæ abire debeant, ſub grauiſſimis pœnis. §. 1. & 2. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi Iudæorum exulatio num antiquitus indicta fuit?

RESP. Aliàs tibi dixi, Iudæorum nomen idem ſonare, quod nomen *peregrini*; ad quod, vltra ſacra vaticinia, & Sanctorum atteſtationes, ſic à Prudentio Poeta Chriſtiano dictum fuit in carminibus contra ipſos ſcriptis.

Exilio vagus, huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, poſtquam patria de ſede reuulſus
Supplicium de cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus, commiſſa piacula ſoluit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid antiquioribus temporibus Iudæi vnquam etiam ab Vrbe expulſi ſunt?

RESP. Suetonius Tranquill. in vita Claudij Cæſaris c. 25. ſic loquitur: Iudæos aſſiduè tumultuãtes Roma expulit. Et in Actibus Apoſtolorum cap. 18. verſ. 2. legitur. *Præceperat Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma.*

LXXXI.

INiunctum nobis, & infra pag. 279. Bullarij. Edita Anno 1569.

COMPENDIVM.

Quia in Ordine S. Franciſci de Obſeruantia, Fratres ſtrictioris Obſeruantiæ exiſtunt, quibus opportunum eſt in ſingulis Prouinciis aliqua loca aſſignari, hic Pont. in qualibet Prouincia dicti Ordinis duas domos eis aſſignari, & perpetuò eiſdem remanere, ac Fratres inde nullatenus transferri iubet. §. 1. & 2. Executores ad hoc deputat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid demandata fuit executioni hæc domorum aſſignatio?

RESP. Quamplura ſuperuenerunt impedimenta, quæ totalem executionem pro tunc retardarunt. Sed poſtea Deo auxiliante, iſta ſtrictior Obſeruantia maximum profectum fecit, vt legere eſt in Chronic. Ordin. Franciſcan. lib. 8. par. 4. cap. 56. in fin. & cap. ſeq. pag. mihi 771. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ potuit eſſe cauſa motiua huius Conſtitutionis?

RESP. Ex eo hunc Pont. permotum fuiſſe credo, quòd anno hunc immediatè præcedente, in Prouincia Siciliæ Ordo huius ſtrictioris Obſeruantiæ mirum in modum florere cœpit, vt perlegi in loco proximè citat. cap. 57. pag. mihi 774. & de anno 1579. dum de menſe Maij, ſedente Gregor. XIII. Conuentus S. Franciſci de Vrbe eidem Ordini aſſignatus fuit, vt ſcriptum eſt ibidem cap. 58. pag. mihi 777.

LXXXII.

SI de protegendis, & infra pag. 279. Bullarij. Edita Anno 1569.

COMPENDIVM.

Miniſtros, & Officiales quoſlibet officij Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſuper hæretica prauitate, ſeu accuſatores, denunciatores, aut teſtes in cauſa fidei quomodocumque productos, vel euocatos, occi-

occidentem, verberantem, deiicientem, vel perterrefacientem, bona quæuis dictis officij, aut Miniſtrorum expugnantem, inuadentem, incendentem, expilantem, ſiue ſcripturas, aliáve inſtrumenta comburentem, diripientem, aut interuertentem, ſeu ex incendio, aut alio quocumque modo exportantem, anathemate ligat, & pœnam criminis læſæ maieſtatis, & alias infligit. §. 1. 2. & 3. Et eum, qui in conflagratione, expugnatione, aut diruitione etiam inermis, ſiue capiendi, ſiue comburendi, ſiue ſupprimendi cauſâ fuerit, vel res, aut perſonas ſeruari, defendique prohibuerit, eiſdem pœnis afficit. d. §. 3. Ac eum, qui carcerem, aut aliam cuſtodiam effregerit, vinctum extraxerit, ſeu emiſerit, capiendum, captúmve prohibuerit, receperit, necnon in prædictis auxiliatorem, conſultorem, aut fautoré. §. 4. Delinquentes claras tantummodo probationes in contrariû adducere permittit. §. 5. Epiſcoporum tamen cauſas Romano Pontifici reſeruat. §. 6. Intercedentes pro his delinquentibus hæreticorum pœnis alligat. §. 7. Reuelantibus eiuſmodi delicta impunitatem concedit. §. 8. Abſoluendi prædictos formam præſcribit. §. 9. Executores deputat. §. 10. Contraria remouet. §. 11. Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 12. Obteſtationem ad Principes ſubdit. §. 13. Sanctionem pœnalem adiicit. §. 14.

Scholion primum

Quæro. Nunquid impedientes S. Inquiſitionis officium ſunt ad deſiſtendum per Eccleſiaſticas cenſuras compeſcendi, etiam inuocato brachio ſæculari?

R E S P. Ita ſanè, ad tex. expreſſum in cap. vt officium. 11. §. comprehendi. verſ. denique, de hæretic. in 6. & gloſ. ibid. Archid. Ioann. Andr. Franch. & cæteri communiter admittunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si aliquis Religioſus Inquiſitor impeditur à ſui Ordinis Superiore, vel ab Epiſcopo, ſeu delegato, vel ſubdelegato Papæ, procedere forſan poteſt contra eos pro impedimento ei illato?

R E S P. Non, ſed Summo Pontifici id notificare debet, ſecundùm Ioann. Calder. in ſuo tract. de hæretic. in tit. de his quæ pertin. ad execut. offic. num. 8. quem citat, & ſequitur Farinac. in quæſt. 182. §. 5. num. 78.

L X X X I I I.

IN omnibus rebus, & inf. pag. 281. Bullarij. *Edita Anno* 1569.

C O M P E N D I V M.

Reformationi Romanæ Curiæ intétus, Pœnitentiariam Apoſtolicam reformare incepit, vt ea, quæ animarum ſalutem præcipuè concernunt, attentiori ſtudio proſequi valeat. §. 1. & 2. Supprimit ideo omnia loca Referédariorum, Correctorum, Reuiſoris, viginti ſeptem exercitia Scriptorum, & octo Procuratorum in d. Pœnitentiariæ officio. §. 3. Illúdque Maiore Pœnitentiario, Regente, Datario, vno Correctore, vno Magiſtro in Theologia, vno Doctore in Decretis, duobus Procuratoribus, duobus Scriptoribus, & vno Sigillatore tantùm perpetuò conſtare præcipit. §. 4. Iſtáque officia probis viris, & gratis concedi mandat. §. 5. Maiorémque Pœnitentiarium preſbyterum, Magiſtrúmque in Theologia, vel Decretorum Doctorem eſſe, & per ſe ipſum officium exercere debere præcipit. §. 6. Et ſi abſens fuerit, vel impeditus, alium Cardinalem dictis qualitatibus inſignitum Propœnitentiarium ſubroget. d. §. 6. Correctoris qualitates præſcribit. §. 7. Ac Sigillatoris. §. 8. Procuratorum quoque, & Scriptorum. §. 9. & 11. Ac omnium dicti officij miniſtrorum. ibid. Officiales omnes per ſe ipſos ritè, & rectè adminiſtrare, & ſuis ſtipendiis præcipit eſſe contentos. §. 12. Regentis munus declarat. §. 13. Materias inter Procuratores, & Scriptores à Sigillatore diuidi mandat. §. 14. Correctoris munus deſignat. §. 15. Et Sigillatoris. §. 16. Expeditiones in Pœnitentiaria gratis dari iubet. §. 17. Scripturas omnes Pœnitentiariæ à Sigillatore præcipit cuſtodiri. §. 18. Et à cunctis Officialibus quotannis in manus maioris Pœnitentiarij portari. §. 19. Pœnas dolosè ſe gerentibus in eorum officiis imponit. §. 20. Decretum irritans adiungit. §. 21. Contraria remouet. §. 22. Et prædictorum obſeruantiam ſtrictè præcipit. §. 23.

Scho

Digitized by Google

Scholion primum.

Quæro. Ea officia Referendariorum, &c. quis Pœnitentiariæ adiunxerat?

RESP. Paulus III. dum ſuis temporibus Pœnitentiariæ officium reformaret, viros grauiſſimos à ſuis Conſilio, & Signatura, Pœnitentiariæ aſſeſſores dedit, teſte Veſtrio in pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poterit ſaltem aliquid ſponte datum pro munere accipi, non obſtante quòd gratis expeditiones fieri dicatur in §. 17.

RESP. Negatiuè huic quæſito, cum Nauar. in conſ. 50. incip. An quando. lib. 4. de ſponſalib. num. 3. pag. mihi 395. iuxta impreſſionē Brixæ anno 1597.

LXXXIV.

Edita Anno 1569. IN earum rerum, & infra pag. 282. Bullarij.

COMPENDIVM.

In præcedenti Conſtitutione à Pœnitentiaria Apoſtolicæ ſubduxit officia Correctorum, Scriptorum, & Procuratorum, exceptis duobus. §. 1. Et modò dicta officia Scriptorum, & Procuratorum transfert ad Cancellariã Apoſtolicam. §. 2. Et locum eis in illa aſſignat. §. 3. Formámque ſtatuit expeditionis literarum. §. 4. Emolumenta Officialibus tribuit. §. 5. Sigillatoris officium præſcribit. §. 6. Officiales quidquam pro extraordinario labore recipere, & à famulis, aliiſque perſonis percipi prohibet. §. 7. Executores deputat. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Vicecancellarius Apoſtolicus poteritne de officiis, de quibus in §. 2. vel aliàs liberè diſponere?

RESP. Habebis ad hoc claram Six. V. diffinitionem in ſua Conſtit. 100. aliàs 1. in Append. quam omnino attendere opus erit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Officiales Pœnitentiariæ, de qua in §. 1. nunquid teneantur ſeruare ſecretum, ſicut Confeſſarius, de his quæ ratione ſacræ confeſſionis nouerint?

RESP. Teneri ſcripſit Nauar. in conſ. 1. de ſponſalib. lib. 4. iuxta impreſſionem Brixiæ anno 1597. ſub num. 3. pag. mihi 395.

LXXXV.

IN tolerabilis multorũ, & inf. pag. 283. *Item*; Hodie in Conſiſtorio, & infra pag. 285. Bullarij. *Edita Anno 1569.*

COMPENDIVM.

Pius IV. prohibuit in ſua Conſt. 85. de qua ſup. confidentias beneficiales. §. 1. Hic Pont. aduertit multas deſuper fraudes committi, quæ in iudicio minimè probari valent. §. 2. Ideo certis regulis confidentias declarat. §. 3. & ſeqq. Et ad probandum confidentias, certas præſumptiones ſufficere decernit. §. 4. & ſeqq. Teſtéſque ſingulares, ſingulas præſumptiones probare, & plures præſumptiones ſufficere decreuit. §. 6. Teſtes, qui in crimine ſimoniæ recipi poſſunt, in hoc crimine recipi iubet. §. 7. Contrauenientes omnibus beneficiis, & officiis, præſentium authoritate, priuat, ad futura inhabilitat, & eiuſmodi beneficia Romano Pontifici reſeruat. §. 8. Ordinariis cognitionē ſummariam delegar. §. 9. Cardinales hac lege comprehendi declarat in ſubſeq. Conſtit. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit. §. 2. Obſtantia priuilegia reuocat. §. 3. Solámque ſignaturam ſufficere decernit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. De quibus coniecturis intelligendus eſt tex. §. 6.

RESP. De his, quæ tergiuerſari non poſſunt, ſed ſunt concludentes contra reum, vt pluries dixit Rota circa hanc Bullam, teſte Seraphin. in deciſ. 1359. in nouis n. 2. & coram Litta in vna Aretina confidentiæ, 25. Ianuarij 1595. & coram Orano in vna Cuſentina confidentiæ, 4. Februarij 1591. Concludentes autem dicuntur, quæ adeò præ ſe ferunt confidentiam, vt moueant animum Iudicis ad ita credendum. Rota in d. deciſ. Seraphin. & coram Rubeo in vna Oriolen. confidentiæ, die 1. Februarij 1591. duóſque caſus perlege in deciſ. Caputaq. 200. par. 1. & deciſ. 337. par. 3. diuerſor. lib. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Confidentiarius num in foro conſcientiæ tenetur beneficium dimittere, de quo in §. 6. etiam non expectata ſententia declaratoria?

R E S P. Tenetur quidem, cùm ipſo iure priuetur in §. 8. vt poſt alios, quos congerit, oſtendit Flamin. Pariſ. in ſuo Tract. de confident. quæſt. 58. num. 15. Nauar. in Manual. cap. 23. ſub num. 211. & Rod. in ſua Summa cap. 58. concluſ. 6. par. 2. notab. 8.

L X X X V I.

Edita Anno 1569. INter deſiderabilia, & infra pag. 285. *Item*; Conſueuerunt Rom. Pontt. & infra pag. 286. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Declarat, facultatem erigendi Capellas ſanctiſſimi Roſarij ſpectare dumtaxat ad Miniſtrum Generalem Ordinis S. Dominici, & ab eo deputatos. §. 2. Confratres nihil pro ingreſſu, aut alia cauſa ſoluere debere decernit. §. 3. Eoſdem abſque alterius licentia, ad proceſſiones, & ſepeliendum mortuos ire poſſe indulget. §. 4. Contrariis derogat. §. 7. In alia annexa Conſtitutione inquit, orationes ad Deum in vexationibus proficere. §. 1. Et ideo ad remouendas hæreſes, renouat modum orandi nuncupatum Pſalterium, antiquitus à B. Dominico introductum ob eamdem cauſam. §. 2. Gratiáſque, & Indulgentias confirmat, & innouat. §. 3. Confratribus ſodalitatum inſtitutarum à deputatis Ordinis S. Dominici, eaſdem gratias iteratò concedit. §. 4. Et etiam facultatem percipiendi legata. §. 5. Indulgentiámque plenariam dat Confratribus in ingreſſu, & in articulo mortis, vltra alias in aliis temporibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vbi primùm erecta dicitur, & à quo Confraternitas Roſarij?

R E S P. In Vrbe Coloniæ Agrippinæ, à quodam egregio Doctore, Prouinciali eiuſdem Ordinis, nomine Iacobo Sprenger, anno 1476. inſtituta fuit Confraternitas, quibuſdam editis ſtatutis ſuper ingreſſu, & obligatione Confratrum. Quam Alexander Epiſcopus Foroliuienſis de latere Legatus, ad inſtantiam Imperatoris Federici III. & eius vxoris Auguſtæ, authoritate Apoſtolica confirmauit, & Confratribus Indulgentias pro ſingulis feſtis principalibus B. M A R I Æ Virginis elargitus eſt, vt recenſet Nauar. de orat. miſcell. 24. num. 19. vbi refert tenorem literarum dictæ conceſſionis Legati.

Scholion ſecundum.

Quæro. De quo articulo mortis intelligitur hic tex. in §. 6. præſumpto ſcilicet, aut vero?

R E S P. De vero, id eſt, cùm infirmus verè moritur, vt ſic, explicando hanc Bullam, egregia ratione probat Nauar. proximè cit. in miſcellan. 27. num. 36. vbi hortatur omnes, vt hanc Confraternitatem, ob hanc ſolam gratiam, quæ tam felicem exitum promittit, ingrediantur.

L X X X V I I.

PRidem nos, & infra pag. 287. Bullarij. *Edita Anno 1569.*

C O M P E N D I V M.

Iulius II. in ſua Conſt. 15. de qua ſup. tom. 1. & Leo X. nonnulla priuilegia Scriptoribus Archiuij Romani dederũt, quæ hic Pont. approbat. §. 1. Eóſque Notarios cauſarum ciuilium cuiuſcumque Iudicis Commiſſarij, etiam S.R.E. Cardinalis, in Vrbe deputat. §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Nónne iure ciuili cautũ erat, in qualibet Ciuitate huiuſmodi Archiuia eſſe inſtituenda?

R E S P. Iuſtinianus Imper. ſic decreuerat, vt in eis acta, & inſtrumenta publica aſſeruarentur incorruptè, & inuenirentur faciliùs, in anth. de defenſorib. Ciuit. §. penult. verſ. Præcepta verò. vbi Angel. & cæteri hoc notant.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ex Archiuio publico vellem habere ſcripturam, in qua non habeo intereſſe, poterit Archiuiſta eam denegare? Et quatenus non, plenam fortaſſe probationem conſtituet?

R E S P. Non poterit denegare, vt expreſsè affirmat Angel. in d. §. penult. num. 3. An autem probet, conſule Felin. diſtinguentem in cap. Ad audientiam. 13. de præſcription. numero 11. & ſeqq.

Rota in deciſ. Put. 430. & 441.lib. 2. in ſuis nouiter impreſſis.

LXXXVIII.

Edita Anno 1569. ROmanus Pontifex,& infra pag. 288. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prouinciam Hetruriæ collaudat. §. 1. Et præſertim ob eius erga plures Pontt. prædeceſſores commoda, & obſequia. §. 2. Quæ ſignanter Coſmus Medices Florentinæ Reipublicæ Dux præſtare ſtuduit, & ſemper tam huic Pio, quàm aliis prædeceſſoribus, & Sedi Apoſtolicæ præſtitit. §. 3. Militiámque S. Stephani inſtituit. §. 4. Statum ſuum regit. §. 5. Ac præclara multa operatur. §. 6. Superiorem in ſuo Dominio non recognoſcit. §. 7. Hic igitur Pont. Coſmum Medices, eiúſque ſucceſſores in Magnos Hetruriæ Duces creat.§. 8. Corona regali donat. §. 9. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit. §. 10. Decretúmque irritans. §. 11. Et derogationes contrariorum. §. 12. Creationem eiuſmodi non præiudicare iuriſdictioni, & poteſtati S. R. E. nec Imperatoris, & Regum, neque Ciuitatum, & locorum in dicta Hetruriæ Prouincia conſiſtentium, qui non ſunt ditionis dicti Coſmi Ducis, neque ei ſubiecti, decernit. §. 13. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Quid præcipuè præſtitit Coſmus iſte huic Pio, propter quod titulo Magni Ducis Hetruriæ eum donauit in §. 8.

RESP. Suadente iſto Pontifice, Coſmus præter centum, & ampliùs nummûm aureorum millia, quæ Regi Galliarum in belli ſubſidium commodauerat, milites etiam contra hæreticos vnà cum Pontificis copiis miſerat. Ita Ciacon. in vita huius Pij,& fuſiùs Ioan. Anton. Gabut. preſb. Congregationis Clericorum S.Pauli in ſuo,quem edidit, libro de vita,& geſtis eiuſdem Pij, lib.3. cap. 16. vbi nihil procurante Coſmo, ſed eius Motu proprio, Pontificem poſt habitas ad Deum preces, de augendo Coſmi titulo cogitaſſe ſubdit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num aliud præſtitit commodum eidem Pio Coſmus, poſtquam Magnus ab eo Hetruriæ Dux creatus fuit in d. §. 8.

RESP. Præter alia multa in bello nauali contra Turcas, duodecim triremes Pontifici ſuppeditaſſe ſcribit idem Io. Ant. Gabut. vbi ſuprà lib. 5.c. 1.pag. mihi 160.

LXXXIX.

QVæcumque ſacrarum Religionum,& infra pag.290.Bullarij. *Edita Anno 1569.*

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 11. decreuit, Regulares ad alium Ordinem tranſlatos, neminem Superiorem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſe, niſi in Ordine ipſo, ad quem transferûtur,ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò viuant, in princip. Hic modò Pont. reuocat, & irritat omnia priuilegia,præter iuris communis diſpoſitionem emanata,recipiendi Religioſos alterius Ordinis etiam laxioris. §. 1. Superioréſque prætextu priuilegiorum ſic reuocatorum,nullum alterius Ordinis etiam laxioris,vel Obſeruantiæ regularem, etiam ſpecialem tranſeundi ad ipſos licentiam ferentem, ad habitû, & profeſſionem admittere iubet, etiam vt in clauſtro perpetuò maneat. §. 2. Eos verò, quos vigore dictorû priuilegiorum tantùm iam habēt tranſlatos, ad illorum Superiores, & loca quamprimùm remittere præcipit. §.2. Admiſſiones, & receptiones aliter factas, nullas declarat.§.3. Recipientibúſque & admittentibus pœnas imponit.§. 4.Ordinarios ſuper hic contenta procedere mandat.§. 5. Contrariáque non obſtare decernit. §. 6. Et tranſumptis fidem præſtari iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Diſpoſitio iuris communis, de qua in §. 1. circa tranſitum ad Religionem, vbi habetur?

RESP. Vide Innocentij III.ſanctionem cum ſua materia in cap. licèt. 18. de Regul. & Canoniſtas ibidē ſcribētes.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid agendum à Prælato, ne eius Religioſi, de quibus agitur in Bulla, à ſuo Ordine diſcedant?

RESP. Egregiè docuit S. Bernar.in quadam

quadam eius Epiſtola, quam in tertio Tomo de Regular. quæſt. 52. art. 2. recenſet Rod. pag. mihi 159. vbi alia quædam ad rem hanc congruè ſubdit.

X C.

Edita Anno 1569. ROmani Pontificis, & infra pag. 291. *Item*; Nuper certis, & infra pag. 292. Bullarij.

COMPENDIVM.

Officium Correctoris Cancellariæ Apoſtolicæ, & literarum minoris Iuſtitiæ, contradictarum nuncupatarum, reformat ſuper commiſſionibus, & reſcriptis, & aliis materiam Iuſtitiæ concernentibus: vel ſuper reuelationibus in forma ſignificauit, vel Conſeruatorus. §. 1. Et ſuper confirmatione contractuum, ſententiarum, & laudorum. §. 2. Super Regularum Cancellariæ conceſſione. §. 3. Materiiſque beneficialibus. §. 4. Licentiis teſtandi. §. 5. Statutorum, & priuilegiorum confirmationibus. §. 6. Alienationibus bonorum ad loca pia ſpectantium. §. 7. Literarum expediendarum examine. §. 8. Regularum materiis. §. 9. Literarum regiſtratione. §. 10. Contrauenientibus huic reformationi, & alteri à Pio IV. in ſua Conſt. 54. de qua ſup. editæ, pœnas irrogat. §. 11. Decretum irritans adiungit. §. 12. Contrariis derogat. §. 13. Commiſſiones cauſarum expediendi normam tradit. §. 14. & ſeqq. Facultates dictorum Officialium declarat. §. 1. ſubſeq. Conſtit. Solam ſufficere ſignaturam huius declarationis decernit. §. 2. Contrariáque non obſtare præcipit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Corrector, de quo hic habetur in princip. ſi ex ſtit Abbreuiator, habétne primam ſedem in Parco maiori, ante Abbreuiatores antiquiores?

RESP. Ita ſedere conſueuit, & ſedere debet, quia in hac materia conſuetudo attendenda eſt, vt ſic de eiuſmodi Correctore cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 716. num. 17. vbi tamen contrarium determinat quoad alios actus Collegiales.

Scholion ſecundum.

Quæro. Auditor autem contradictarũ, de quibus hic agitur in princ. quam olim iuriſdictionem habebat in hac Curia?

RESP. Habebat iuriſdictionem ordinariam, eiuſque opinionem magni faciebant etiam Auditores Rotæ, & dignior videbatur Auditore Cameræ, vt relatis aliis fusè recenſet Mandoſ. ſup. Reg. Cancell. reg. 7. quæſt. 2. num. 8. & 9. Sed hodie habet ſolummodo iuriſdictionem circa citationes, quæ fiunt per contradictas, quemadmodum affirmat Tuſc. in verb. Auditor, concluſ. 552. n. 5. Contradictæ autem idem format, quod citationes per edictum. Oldrad. conſ. 130. num. 9. verſ. non obſtat.

X C I.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 292. Bullarij. *Edita Anno 1569.*

COMPENDIVM.

Innocentius VIII. in ſua Conſt. 16. de qua ſup. tom. 1. inſtituit Confraternitatem piorum virorum in Vrbe, ad piè confortandum, & ſepeliendum, via Iuſtitiæ morituros, in princ. & §. 1. Confratribus ius condendi ſtatuta tribuit, & facultatem eligendi Confeſſorem dedit. §. 2. Indulgentias elargitus eſt. §. 3. aliàs 4. Priuilegium fori Aud. Cameræ conceſſit. §. 4. aliàs 5. Hæreditates à dictis condemnatis habere poſſe indulget. §. 5. Indulgentiámque eorum Eccleſiam viſitantibus tribuit. §. 6. Leo X. hæc omnia approbauit. §. 7. Confratres de natione Florentina eſſe decreuit. §. 8. Alias Indulgentias conceſſit. §. 9. Clem. VII. prædicta comprobauit. §. 10. Miſſam circa auroram pro condemnatis celebrari permittit. §. 11. Alias Indulgentias conceſſit. §. 12. Legatum ſex ducatorum, & veſtes horum condemnatorum in præiudicium Fiſci habere permittit. §. 13. Paulus III. confirmauit; & legatum ampliauit quoad ducatos decem. §. 14. Confraternitati priuilegium carceratum vnum ſingulis annis liberandi conceſſit. §. 15. Iulius III. comprobauit. §. 16. Legatum, & omnem aliam diſpoſitionem extendit ad ducatos 25. §. 17. Facultatem alias Confraternitates ſibi aggregandi dedit. §. 18. Pius IV. confirmauit. §. 19. Confratribus infirmis in eorum domo Miſſam celebrari permittit. §. 20. Confraternitatis Capellano facultatem etiam de nocte Miſſam

celebrandi condemnatis, & Euchariſtiæ Sacramentum eiſdem miniſtrandi, ac plenariam abſolutionem, tribuit. §. 21. Hic Pont. prædicta omnia approbat. §. 22. Contrariiſque derogat. §. 23.

Scholion primum.

Quaero. Nunquid Sacramentum Euchariſtiæ eadem ipſa die, qua hi condemnati ſuſpendendi, decapitandi, aut concremandi ſunt, miniſtrari poteſt?

RESP. Poteſt, quinimò debet, ſi petatur: tex. eſt expreſſus in cap. penult. 13. quæſt. 2. ponderando illud verbum in fine. Et quamuis Clar. quæſt. 99. num. 31. dicat, ob reuerentiam Sacramenti aliter fieri debere, & Chartar. de execution. ſent. conrum. cap. vlt. num. 434. alios ad hoc alleget, Romæ tamen, quæ omnium magiſtra iure appellatur, ſeruatur diſpoſitio dicti cap. penult. vt notiſſimum eſt, & ſcripſit Scapp. de iure non ſcript. lib. 5. cap. 210. num. 6. Idemque Bononiæ practicari tradit Corſet. ſing. 68. in fine. Quod animabus horum ad mortem condemnatorum, magis proficuum eſſe inquit Maiol. de irregular. lib. 3. cap. 24. num. 15.

Scholion ſecundum.

Quaero. Quid ſi Princeps, aut Iudex id fieri impediret?

RESP. Ordinarij eos monere, ac recuſantes Eccleſiaſtica cenſura ad hoc cogere debent, vt Clemens V. in Concilio Viennenſi ſic expreſsè decreuit in clem. 1. de pœnitent. vbi Card. & Anchar. & cæteri notant, & ſubdunt contrariam conſuetudinem, tanquam abuſum, non excuſare; ſed dicti iuris Canonici diſpoſitionem ſeruandam eſſe circa adminiſtrationem Sacramentorum.

XCII.

Edita Anno 1569. EX incumbenti, & infra pag. 294. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Canonicorum ſæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum acceptauit Conſtitutionem 76. huius Pij, de qua ſup. qua cautum fuit, vt qui in Congregationibus ſub voluntaria obedientia viuebant profeſſionem regularē ſolemnem ſub trium votorum promiſſione emitterent, & vnam ex regulis approbatis aſſumerent. §. 1. Idem eidem Congregationi comprobat omnia ipſius Cōgregationis priuilegia, Concilio Tridentino non contraria, & cōmunicat alia aliarum Religionum indulta. §. 2. Contrarias conceſſiones irritat. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 4. Executoréſque deputat. §. 5. Et obſtantia remouet. §. 6.

Scholion primum.

Quaero. Acceptatio volentis ingredi Religionem, de qua in §. 1. ad quem ſpectabat de iure communi?

RESP. Ad Prælatum, & Conuentum eiuſdem Religionis, cap. fin. de Regular. in 6. per quem tex. ſic tenet Nauar. in conſ. 9. de Regular. lib. 3. num. 3. incip. Quidam ægrotus, iuxta impreſſionem Brixiæ de anno 1597.

Scholion ſecundum.

Quaero. Vouens Religionem in genere, an plures tentare debeat, ſi ad vnam, quam tentauit, non fuit admiſſus?

RESP. Affirmatiuam ſententiam probat Caiet. in 2. 2. quæſt. 88. artic. 3. cui adhæret Nauar. vbi ſup.

XCIII.

INfelicis ſæculi pericula miſerati, & infra pag. 295. Bullarij. *Edita Anno 1569.*

COMPENDIVM.

Refert, Bonifacium VIII. optima ratione multas conſtituiſſe pœnas in offendentes, vel inſequentes S. R. E. Cardinales, eorúmque mandatores, complices, & fautores. §. 1. Subdit, eam Conſtitutionem ſatis non eſſe, eo quòd ſecretè hoc facinus patratur, vt euenit in attentato facinore contra Cardinalem Borromæum. §. 2. Eaſdem ergo pœnas imponit ſcientibus, & non reuelantibus. §. 3. Pœnas contra eoſdem quoquomodo inflictas præſeruat. §. 4. Reuelantem impunem reddit. §. 5. Ordinarios monet, vt reuelationem Pontifici ſignificent. §. 6. Hanc ſanctionem Romæ, & alibi publicari iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quaero. Quod facinus eſt hic indicatum de Cardinali Borromæo?

RESP. Carolus Cardinalis Borromæus, optimus Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes, integerrimus Diui Ambroſij in dicta Eccleſia ſucceſſor, à fel. record. Paulo

Paulo V. in SS. numerum relatus Kal. Nouembris anno 1610. vt infrà in eius Bulla 67. à quibuſdam facinoroſis pſeudofratribus Ordinis Humiliatorũ præuia coniuratione, dum in Sacello genibus flexis Deo preces effundebat anno 1569. ictu ſclopi tranſuerberandus erat, niſi præpotentiſſimus Deus incolumem reddidiſſet, vt hic Pius ſummatim recenſet infrà in ſua Conſtitut. 119. & ſeq. vbi idem Pont. eum Ordinem, cuius reformationem Sanctus Carolus perficere nequiuit, extinxit. Hæc omnia in hiſtoria vitæ huius Pontificis luculenter enarrantur à Io. Antonio Gabutio Clerico Regulari S. Pauli Decollati lib. 3. cap. 15. & ſcripſit etiam Marius Italia in ſuo Tract. de immunit. Eccleſ. cap. 5. num. 155.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis ſe defendendo Cardinalem offenderet?

R e s p. Non incidit in hanc pœnam, cùm nec iniurioſè, nec temerè hoc agere dicatur. Ita tradit gloſ. in cap. felicis. 5. de pœn. in 6. Viuius in ſua opin. 88. num. 4. Hoc idem ſcripſit Rebuff. in praxi benef. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini Pauli III. & Nauar. in Man. Confeſſ. cap. 27. num. 67. verſ. Sexta vbi. explicando ſenſum Bullæ Cœnæ Domini Greg. XIII. quorum Pontificum Bullæ habent materiam offenſionis Cardinalium.

XCIV.

Edita Anno 1569. INfirma æui conditio ſæpe efficit, & infra pag. 296. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat ſacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ præeminentiam, ob varias ruinas, & Pontificum ab Vrbe (vrgentibus ex cauſis) abſentiam, & eorumdem redeũtium commorationem apud Baſilicam S. Petri in Vaticano, à Leone IV. parta de Sarracenis victoria, mirum in modum exornato, & ab eorum incurſibus munito, in dubium reuocatam à Sacerdotibus dictæ Baſilicæ. §. 1. Sed Gregorius XI. Auenioni permanens, ſupremum locum Eccleſiæ Lateranenſi deberi affirmauit, vt ſuprà in eius Conſtitut. 4. tom. 1. Rota Romana (cui Pius IV. hunc articulũ iteratò controuerſum, poſtremò decidendũ delegauerat) idem pronũciauit, & ita executum fuit. §. 3. Hic Pont. omnia approbat, & defectus, ſi qui adeſſent, ſupplet. §. 4. Appellari vlteriùs vetat. §. 5. Perpetuum ſilentium imponit. §. 6. Et ita ſemper iudicari mandat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quo tẽpore parta fuit à Leone IV. de Sarracenis victoria, Vaticanũque pro tutiori Pontificum manſione munitum, vt in §. 1.

R e s p. Anno circiter 849. victoriam adeptus eſt, & poſt eam anno ſequenti Baſilicam Sancti Petri exornauit, Vaticanum muniuit, muriſque cinxit, Leoninámque de ſuo nomine Vrbem appellauit, vt recenſet Ciacon. in vita dicti Pont. pag. mihi 239.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vltra rationes hic enunciatas, tributæ ſũmæ præeminẽtiæ Eccleſiæ Lateranẽſi, eſtne refutãda cõſideratio, quòd in ea plura Concilia celebrata fuêre?

R e s p. Præter multa Italica Concilia, celebrata etiam fuerunt generalia, tanquam in Sede Pontificia. Primum à Calliſto II. alterum ab Innocentio II. tertium ab Alexandro III. quartum ab Innocentio III. & quintum à Leone X. vt legitur in libris Conciliorum.

XCV.

ETſi omnium litium finem, & inf. pag. 297. Bullarij. *Edita Anno 1569.*

COMPENDIVM.

Ad euitandum ſubterfugia multorum, qui lites fabricæ S. Petri de Vrbe in longum protrahere procurant, decernit fauore dictæ fabricæ, in eius cauſis duas ſententias conformes pro ea latas, in ea parte, qua ſunt conformes, paratam habere executionem, partéſque inde appellantes non audiri. §. 1. & 2. Præſentéſque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut alio quouis defectu notari non poſſe. §. 3. Et ita, & nõ aliter iudicari. §. 4. Contraria non obſtare iubet. §. 5. Tranſumptiſque huius indulti fidem adhiberi. §. 6. Sanctionem quoque pœnalem ſubiicit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Dicentur conformes duæ ſententiæ, de quibus in §. 3. etiamſi inter, vel ante eas, lata ſit ſententia in contrarium?

R E S P. Conformes eſſe oſtendit Dec. conſ. 385. ſub num. 2. Couar. practic. quæſtion. cap. 25. num. 3. verſ. quarto. Gabr. in tit. de execut. rei iud. concluſ. 1. num. 12. & Theſaur. in deciſ. Pedemont. 122. num. 16. vbi ſic etiam antea à Senatu tentum fuiſſe affirmat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi prima ſententia condemnat in centum ſimpliciter, ſecunda verò infra tres menſes?

R E S P. Quamuis Alex. conſ. 73. lib. 2. num. 2. & ſeq. dicat non eſſe conformes, nihilominus contrarium verius videtur, ex eo quod prima ſententia ſimpliciter condemnans, condemnare dicitur etiam ad tempus, & ſic adeſt conformitas, vt poſt alios perpendit Sigiſmund. Scac. de appellat. lib. 3. cap. 2. quæſt. 17. limit. 1. num. 39.

X C V I.

Edita Anno 1569.

DEcet nos, qui ad omnium, infra pag. 297. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Vt fabrica S. Petri quanto citiùs ad finem perducatur, deputatis, & Collegio dictæ fabricæ facultatem concedit exequendi legata pia in Vrbe, cum retentione quintæ partis, pro ſubuentione eiuſdem fabricæ, quatenus in illis Vicarius Papæ infra quindecim menſes à die obitus teſtatoris computandos non præuenerit. §. 1. & ſeq. Et commiſſiones ſignandas in dictis cauſis, ſubintelligi extare clauſulam, ſine præiudicio duarum conformium. §. 2. Et hoc indultum ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut alio quouis defectu notari non poſſe. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari debere. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5. Illiúſque tranſumptis fidem dari decernit. §. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum, ſi hæredes non confeciſſent inuentarium, vnde videri poſſit, an exinde legata ſolui poſſint?

R E S P. Audi, quid deſuper decreuit Collegium fabricæ, quod eius priuilegia declarandi facultatem habet; cuius decreti tenor in actis illius Secretarij, ſub die 27. Martij 1598. talis eſt.

Tandem teneri hæredes, qui intra ſtatuta à iure tempora bonorum hæreditariorum legitima inuentaria non confecerunt, ad integram ſolutionem faciendam legatorum, & piorum relictorum, quoties iuxta eiuſdem fabricæ priuilegia in foro iudiciali conuenti fuerint, neque ſub prætextu, quod hæreditas ſoluendo poſſe non ſit, excuſari quominus etiam vltra vires hæreditarias teneantur. Cùm enim ſine inuentarij confectione hæreditates adeundo, aut in eis ſeipſos immiſcendo, cum legatariis quaſi contraxiſſe videantur, nō debent beneficio legis perfrui, quam contemnendam eſſe cenſuerunt, niſi à Sanctiſſimo D. N. reſtitutionem in integrum aduerſus lapſum temporis ad inuentarij confectionem conceſſi forſan obtinuerint.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et ſi hæredes nedum inuentarium prætermiſiſſent, ſed etiam ipſi, & legatarij aliquam fraudem fabricæ feciſſent, quid agendum?

R E S P. Idem Collegium in hoc puncto eadem die, in actis dicti Secretarij ſic decreuit.

Cùm verò interdum eò vſque habendi cupiditas accreſcat, vt non vereantur multì hæredes, & legatarij ſcripturas falſas fabricare, priores datas confringere, aut aliàs fabricam ipſam defraudare; declaramus contra huiuſmodi falſarios, cōplices, aut quoquomodo culpabiles, omnibus iuris, & facti remediis procedi debere, etiam declarando eos in cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas incidiſſe, mulctas, & pœnas ad fabricæ vtilitatem conuertendas fore, iuxta eiuſdem fabricæ priuilegia.

X C V I I.

Edita Anno 1569.

EXigit incumbentis, & infra pag. 298. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Applicat fabricæ S. Petri de Vrbe medietatem legatorum à piis teſtatoribus ad effectum celebrationis Miſſarum, recitationis diuinorum officiorum, & erogationis eleemoſynarum, diuerſis locis piis factorum per triennium retroactum, ſi & poſtquam ab illis dicta legata infra triennium debitæ executioni demandata fuerint. §. 1. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas apponit. §. 2. Decretum irritans addit. §. 3. Contrariorúmque derogationes. §. 4. Fidémque tranſumptis dari mandat. §. 5.

Scholion

Digitized by Google

Scholion primum.

Quæro. Num triennium, de quo in §. 1. à die mortis diſponentis erit computandum?

R E S P. Ita quidem, vt videre eſt ex decreto Collegij fabricæ, quod declarandi eius priuilegia facultatem habet, & die 27. Martij 1598. in actis ſui Secretarij edito, cuius tenor hic inſeritur, videlicet.

Declaramus, medietatem huiuſmodi pariter à die mortis dictorum teſtatorum, & diſponentium ipſi fabricæ debitam eſſe, ſeruandámque fore in his Bullam fel. record. Pij Papæ V. ſub datum 11. *Kal. Ianuarij 1569. quam generaliter de omnibus piis relictis intelligendam eſſe ſignificamus, & interpretamur, & prædicta etiã locum habere in relictis ſimilibus, quæ intra ſtatutum à teſtatore, & diſponente tempus ſatisfacta non ſunt, vt eo lapſo triennium intelligatur cucurriſſe à die mortis.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi propter aliquod impedimentum legarum eiuſmodi exequi non valeret, vt quia ad Monaſterium conſtruendum pecunia relicta non ſufficit, vel in loco à diſponente deſignato conſtrui nequit, aut licentia Epiſcopi haberi non valet, & ſimile?

R E S P. In decreto præcitato habetur tuæ petitionis deciſio, cuius tenor hic ſubſequitur.

Præterea, quia ſæpe contingit pia huiuſmodi legata, & diſpoſitiones pro conſtitutione Monaſteriorum, Hoſpitalium, ſeu Eccleſiarum, & ſimilium relictorum, debitæ executioni demandari non poſſe propter aliquod facti, ſeu iuris impedimentum, quia nempe pecunia relicta ad conſtruendum Monaſteriũ non ſufficit, aut in loco à teſtatore deſignato ædificari non poteſt, ſeu etiam licentia ab Epiſcopo, aut alio Superiore obtineri nequit, cùm æquum non ſit, vt pium opus huiuſmodi propterea deſeratur, ſed potiùs in aliud de iure commutandum veniat, declaramus, vt grauatis certus competens terminus præfigatur, arbitrio Iudicum, pro impedimentis huiuſmodi realiter, & cum effectu remouendis, aut pro obtinenda à Sede Apoſtolica commutatione talis pij relicti, & diſpoſitionis. Quòd ſi terminus elapſus, & impedimenta remota non fuerint, aut commutatio obtenta non ſit, tunc legatum ipſum integraliter à fabrica exigatur, perinde ac ſi ad fabricæ vtilitatem deuolutio facta fuiſſet.

X C V I I I.

ETſi de ſingulis, & infra pag. 299. *Item*; Exigit incumbentis, & inf. pag. 300. *Item*; Ex debito Paſtoralis, & infra pag. 302. Bullarij. *Edita Anno* 1570.

C O M P E N D I V M.

Quia nonnullæ alienationes rerum Eccleſiaſt. factæ fuerunt contra formam Conſtitutionum Symmachi, & Pauli II. prædeceſſorum. §. 1. Mandat eas examinari, & reſcindi à Miniſtris fabricæ S. Petri. §. 2. Cui fabricæ tertiam partem bonorum recuperandorum applicat. §. 3. Poſtea in ſubſeq. Conſtitut. dat fabricæ facultatem cauſas eiuſmodi ab omnibus Iudicib. auocandi. §. 3. & 4. Et bona recuperata, in eandem vtilitatem concedendi in emphyteuſim, & ſuper fructibus componendi. §. 5. Occupatores puniendi. §. 6. Poſſeſſores ad exhibendum inſtrumenta conceſſionum, pacificámque poſſeſſionẽ, & canonis ſolutionem cogendi. §. 7. Fructus bonorum pro quibus prima ſententia pro fabrica lata eſt, deponi faciendi. §. 8. Notarios ad oſtendendum ſcripturas cogendi. §. 9. Et in his cauſis, ſicut in aliis cauſis fabricæ, procedendi. §. 10. Duáſque partes bonorum recuperatorum Eccleſiis, ad quas ſpectant, conſignandi, alia pro fabrica retenta. §. 14. Deinde in alia ſubſeq. Conſtit. loco dictæ tertiæ partis bonorum, aſſignat fabricæ fructus dictorum bonorum indebitè perceptorum. §. 2. Et facultatem tranſigendi concedit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Si Reliquiæ aliquorum Sanctorum ab Epiſcopo ſine aſſenſu Papæ eſſent alteri datæ, eſſétne reſcindenda à Collegio huius fabricæ iſta alienatio?

R E S P. Credo reſcindendam, quia nõ ſunt mobilia, quæ ſeruando ſeruari non poſſint, vt cauetur in hîc citata Conſt. Pauli II. Quinimò has Reliquias, res pretioſas appellat, & earũ alienationẽ dicta Bulla interdictã cenſuit in ſpecie Reuerẽdiſſ. M. Ant. Genuenſis Iſerniæ Epiſ. in praxi

Digitized by Google

praxi Archiep. Curiæ Neap. cap. 71. num. 4. in addit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Epiſcopus aliquod officiũ vacabile cõceſſiſſet ad vitã alicuius?

R E S P. Non eſt reſcindenda conceſſio, quia Symmach. & Paul. II. prohibuerunt alienationem rerum, quæ numquam vacant, quarum appellatione non venit officium vacabile. Rota deciſ. 622. part. 3. diuerſ. lib. 3, num. 2.

XCIX.

Edita Anno 1570.

QVàm plenum ſit periculi, & infra pag. 304. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quaſcumque literas à Prælatis, & aliis conceſſas, publicandi Indulgentias ad quæſtum, irritas decernit. §. 1. Et in futurum concedi, & publicari vetat. §. 2. Contrauenientibus pœnas irrogat. §. 3. Tranſumptis huius Bullæ credi ſtatuit. §. 4. Sanctionémque pœnalem ſubiungit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Num otioſum videtur hoc decretum, ſtante alia huius Pij Conſtit. 30. de qua ſup.

R E S P. Non, quia ibi reuocantur eiuſmodi Indulgentiæ per Sedem Apoſtolicam conceſſæ, hic verò ab aliis datæ. Item ibi reuocantur conceſſæ, hic verò non ſolùm datæ tolluntur, ſed & de cætero dari prohibentur, vt ex vtriuſque Bullæ lectura ſatis liquet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Indulgentia, quæ concederetur Prælato pro aliquo pio opere, quod fiet extra ſuam diœceſim, prodeſítne ſubditis ipſius Prælati concedentis?

R E S P. Non, niſi habeatur licentia Prælati, in cuius diœceſi fit eiuſmodi opus, vt egregiè hinc inde rationibus diſcuſſis, probat Oldrad. in conſ. 73. num. 3. & ſeqq.

C.

Edita Anno 1570.

VOlumus, vt omnes eleemoſynę, & infra pag. 304. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Eleemoſynas pro carceratis in Vrbe colligendas, decernit exponi debere pro ſoluendis debitis pauperum carceratorum, arbitrio Cardinalis Moroni. §. 1. Eumdem Cardinalem rogat, in carceribus Turris Nonæ de Vrbe, ſumptibus Confraternitatis Charitatis pro curandis infirmis Hoſpitale fieri debere. §. 2. Prohibet aliquem carcerari pro debito infra ſeptem aureos, quod non habet annexam cauſam criminalem. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Exponuntúrne etiam hoc tempore eleemoſynæ pro carceratis in ſoluendis debitis eorum, vt habetur in §. 1.

R E S P. Exponuntur pro ſuſtentandis pauperibus: pro debitis autem eorũ perſoluendis annuum ſubſidium inſtituit Sixtus V. die 30. Iulij 1590. vt in ſpeciali, quam deſuper edidit, Conſtitutione, & peruulgata quidem, ſed à Genitore meo ideo in ſuo Bullario prætermiſſa, quòd abſque mendo integram tunc minimè habere potuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur arbitrium Card. Moroni in diſtribuendis eleemoſynis, & ſumptum Confraternitatis Charitatis in erigendo Hoſpitali expetiuit?

R E S P. Quia Cardinalis erat Protector huius Confraternitatis; ipſa verò Confraternitas carceratorum ſubuentioni enixè ſtuduit, ad idque Pius IV. ſubſidium cuſtodiæ carcerum conceſſit, prout videre eſt ſuprà in Conſt. 37. Leon. X. de qua ſup. cum annotationibus à Genitore meo ibidem adiunctis.

C I.

REgnans in excelſis, & infra pag. 305. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

C O M P E N D I V M.

Eliſabeth Angliæ aſſerta Regina, occupato Regno, ſupremi Catholicæ Eccleſiæ Capitis locum, eiúſque præcipuam authoritatem, & iuriſdictionem monſtruosè ſibi vſurpauit, & dictum Regnum ad Catholicam fidem à Maria Regina legitima reductum, rurſus in miſerum exitium reuocauit, multas impietates commiſit, Catholicos aboleuit, Caluini inſtituta ſuſcepit, & alia horrenda patrauit. §. 1. & 2. Illam ergo hæreticam, & hæreticorum fautricem, eíque in prædictis adhærentes anathematis ſententententiam incurriſſe, eſſéque à Chriſti corporis vnitate præciſos declarat. §. 3. Regno, ac dignitatibus priuat. §. 4. Subdi

Subditos à iure vaſſalagij eximit. §. 5. Huiuſque Bullæ exemplis fidem dari præcipit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Num hæc Pij ſententia potuit cum effectu in dicto Regno publicari?

R E S P. Audi Io. Ant. Gabutium presbyterum Clericorum S. Pauli, in ſuo, quod de vita, & geſtis huius Pij edidit, opere lib. 3. cap. 9. ſic dicentem. *Ioannes Feltonius Britannus, vir, & generis nobilitate ſatis clarus, & Catholicæ fidei confeſſione multo clarior, veræ fidei ſtudio permotus, exemplum eiuſdem ſententiæ ad fores ædiũ Epiſcopi Londinenſis affixit: deinde comprehenſus acerbiſſimo genere mortis affectus eſt, conſtanter aſſeuerans ſe rectè feciſſe, atque ad idem denuò præſtandũ paratũ eſſe, illas enim Pij V. Pont. Max. literas meritò ſibi venerãdas videri, ſeq; agnoſcere illũ eſſe IESV CHRISTI Vicarium in terris.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de Pio iſto Elizabeth aſſeuerabat?

R E S P. Omni ſtudio omnem lapidem pro ſubuentione Catholicæ fidei in eo Regno tentauerat Pius, vt perbellè enarrat Gabut. in loco citato, vbi ad tui quæſiti propoſitum hoc ſcripſiſſe ſubdit. *Quamplurimi ab Eliſabetha vocati abnuentes eam conuenire, palàm profitebantur ſe nequaquam illi obtemperaturos, vigente, ſcilicet, edicto Pontificio, quod tamen illa graue ſibi eſſe dictitabat, non tam ob rem ipſam per ſe, quàm quòd id factum eſſet à Pio, cuius & admirabilem ad Pontificatum aſſumptionem, & vitam integerrimam ipſa prædicabat.*

C I I.

Edita Anno 1570. EX innumeris curis, & infra pag. 305. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Pro reformatione Ordinis Ciſterciẽſis mandat refici omnia Ordinis Monaſteria, etiam commendata, & vnita, & de iure patronatus laicorum, ad debitámque clauſuram reſtituit §. 1. & 2. Numerũmque debitum Monachorum. §. 3. Et ad diuinum cultum, & Monachorum vsũ neceſſaria inſtitui §. 4. Diuina officia in Choro celebrari. §. 5. Menſam Conuentualem, & eleemoſynas reſtitui. §. 6. Libros ſacros haberi. §. 7. Nouitiatus conſtitui. §. 8. Conuentus ad certam formam reduci. §. 9. Mulieribus ingreſſum denegari. §. 10. Carcerem ad correctionem inſtitui. §. 11. Inuentaria bonorum confici. §. 12. Monaſteria non tuta ad Ciuitates transduci. §. 13. Viſitationes prudenter fieri. §. 14. Viſitatoribus neceſſaria ſubminiſtrari. §. 15. Commendatarios nihil Monachis de neceſſariis detrahere, aut numerum minuere, vel eos eiicere. §. 16. Tertiam, vel quartam partem reddituum cuiuſque Monaſterij in eius refectionem, & deinde iuxta Concilium Tridentinum expendere. §. 17. Archiuium in Monaſterio Ciſtercij inſtitui mandat cum indice bonorum omnium Conuentuum. §. 18. Indulta omnia quoad proprietatem irrita declarat. §. 19. Obſeruantiam prædictorum præcipit. §. 20. Contrariáque omnia remouet. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Beneficia huius Ordinis commendata, ſuntne à Commendatariis viſitanda?

R E S P. Vbi non viget regularis obſeruantia, viſitari decreuit Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid credendum in viſitationibus, de quibus in §. 14. ſoli Viſitatoris aſſertioni?

R E S P. Maximum præſtat argumentum in concercentibus eius officium, prout cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 780. num. 2.

C I I I.

POſtquam nos Deo authore, & infra pag. 307. Bullarij. Edita Anno 1570.

C O M P E N D I V M.

Refert, antiquaſſe Congregationem Ordinis Seruorum B. Mariæ, in duas familias diuiſi, totúmque Ordinem in vnam, eamdémque familiam redegiſſe, in proœm. Et modò ipſum Ordinem reformando, reuocat quodcumque priuilegium quicquam priuatim retinendi. §. 1. & 2. Prohibet hoc idem. §. 3. Cameras iubet redigi in commune Dormitorium. §. 4. Ambitum, & munera interdicit. §. 5. Circa recitationem officij in communi, Prælatis dat poteſtatem

Digitized by Google

diſpenſandi cum Prædicatoribus,Lectoribus,& Officialibus.§.6..Diuina officia iuxta Ordinis inſtitutum celebrari iubet.§.7.Confeſſionéſque,communiones, & ieiunia ſeruari.§.8. Certumque numerum Fratrum cuique domui aſſignari. §. 9. Prædicationéſque haberi ſingulis diebus feſtis.§.10.Et lectiones in Studiis,& aliis locis. §. 11. Exercitiúmque circa caſus conſcientiæ. §. 12. Et Catechiſmum. §. 13. Libros prohibitos non retineri iubet. §. 14. Formam præſcribit promouendi ad gradus, qualitatéſque promouendorum. §. 15. Et Confeſſorum. §. 16. Priorum officium biennio expleatur. §. 17. Et Fratres non vltra biennium in eodem loco ſint.§.18. Conuentus,vt adminiſtrandi.§.19,Rationes adminiſtrationis vt reddendæ. §. 20. Donata Superioribus conſignentur. §. 21. In Refectorio omnes communibus epulis veſcantur. §. 22. Nouitij qui, & vt recipiendi, & inſtituendi. §. 23. Veſtiarium Fratrum quale. §. 24. Scripturæ, & res Eccleſiaſticæ, vt ſeruandæ. §. 25. Infirmaria in omni domo inſtituatur. §. 26. Prioris officium quod circa Eccleſias, & earum ornamenta. §. 27. Res Sacriſtiæ non alienentur. §. 28.

Scholion primum.

Quæro. Antiquatio dictæ Congregationis vbi habetur?

R E S P. In Conſtitutione deſuper ab iſtomet Pontifice edita hoc eodem anno, die 5. Maij, quam perlege apud Rod. in collect. Bullarum pro Regular. in 30. Bulla Pij V. & inde cauſam antiquationis intelliges.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pro manutentione huius, vel ſimilis reformationis, de qua hic agitur, quid præcipuum putas?

R E S P. Neceſſarium videtur, quòd in Capitulis omnibus Ordinis ſemper tractetur de proprij inſtituti, & Regulæ obſeruantia, conſulatúrque quo pacto extirpentur vitia & ambitiones,& praui Religioſi,& tyrannici Prælati coërceantur.Ita ſcribit fusè,& luculenter Rod.de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 47. art. 3.

C I V.

Edita Anno 1570. DVrum nimis, & infra pag. 310. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 14. mandauit Epiſcopis, ne quid recipiant, quod in vſus pios non vertitur, in electione, præſentatione, vel alia prouiſione, vel admiſſione ad poſſeſſionem beneficiorum Eccleſiaſticorum.§.1. Hic modò Pont. reuocat quaſcumque conſuetudines, & indulta contraria.§.2. Præcipit Epiſcopis,Capitulis, & perſonis,ne quicquam recipiant.§.3.Declarat, quòd vbi fructus, & diſtributiones fabricæ, vel Sacriſtiæ,aut alterius pij loci vſibus vltra ſemeſtre tempus reperiuntur conceſſæ, pars dimidia tantùm illis deinceps tribuatur,alteram verò ipſi beneficiati integrè percipiant.§.4.Derogat contrariis. §. 5. Declarat non præiudicare Capitulis, Collegiis, menſis, aut perſonis, fructus, & diſtributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, ſiue poſſeſſiones apprehenſorum prouentuum ex ſtatuto, conſuetudine, vel priuilegio percipientibus. §. 6. Exemplis huius legis credi decernit. §. 7. Sanctionémque pœnalem ſubiungit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Damnatio conſuetudinum, de qua in §. 2. num porrigitur ad immemorabilem?

R E S P. Affirmatiua opinio probatur,eo quod eiuſmodi conſuetudo, tanquam irrationabilis, & iniqua hic damnatur, ſicut poſt Aret. Roch. Felyn. & Tiraquell. tradit Couar. variar. reſol. lib. 3. cap. 13. num. 5. poſt medium, & Petrus Duen. in reg. 144. ampliat. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid contraria conſuetudo poterit in futurum introduci?

R E S P. Non, ex eadem ratione nunc allegata, ſecundùm Couar. vbi ſuprà num 4. Duen. d. reg. 144. num. 1. qui alios allegant.

C V.

POntifice dignum eſt, & infra pag. 311. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

C O M P E N D I V M.

Alexander VI in eius Conſt.10.de qua ſup. tom. 1. officium Summatoris litterarum Apoſtolicarum vacabile inſtituit.§. 1. Priuilegiáq; Collegij Scriptorũ earum

earumdem literarum dedit. §. 2. Summatori fuit etiam indultum, quòd officium per alios regere, extraordinariámque earum expeditionem facere poſſit. §. 3. Et quòd literæ, quãtumcumq; ſecretæ, à Summatore examinentur. ibid. Hic Pontifex dictum officium in nobiliorem ſtatum reducens, inſtituit Præſidentem vnum. §. 4. Recognitores quatuor. §. 5. Multa officia Summatori annectit. §. 6. Recognitoribus emolumenta conſtituit. §. 7. Conceſſa hactenus à prædeceſſoribus comprobat. §. 8. Formam examinandi literas Apoſtolicas præſcribit. §. 9. Dubiáque deſuper orta decidendi. §. 10. Subſtitutorum Summatoris emolumenta deſignat. §. 11. Summatoríſque. §. 12. Poteſtatem condendi pro Officialibus ſtatuta tribuit. §. 13. Eoſdémque corrigendi. §. 14. Summatori exemptiones Camerarij, & Clericorum concedit. §. 15. Pro Præſidente, & Recognitore prædictis, gratis literas expediri iubet. §. 16. Officium Summatoris quandocumque, vt alia Romanæ curiæ officia reſignantur, reſignari in fauorem vnius ex S. R. E. Cardinalibus, vel alterius perſonæ Papæ beneuiſæ poſſe indulget. §. 17. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 18. Dictos Officiales admitti præcipit. §. 19. Contrariis derogat. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Si quis pro eius filio Cardinale hoc officium emeret, computaretur illi in legitimam, cùm ſit pacto pretio reſignabile, vt habetur in §. 17.

RESP. Affirmatiuam ſententiam probat Bald. in l. omnimodo. 30. §. imputari. Cod. de inoffic. teſtam. num. 3. & de communi Rol. conſ. 11. lib. 2. num. 10. & ſeq. Ripa in l. in quartam. 90. ff. ad leg. Falcid. num. 163.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sed pro quo pretio imputabitur?

RESP. Pro pretio currente tempore obitus patris, non autem quo conſtitit, quia illo, & non iſto tempore cœpit deberi legitima, ad tex. & ſcribb. in d. l. omnimodo. §. imputari. Bart. in l. 1. §. nec caſtrenſe. ff. de collat. bonor. num. 4. in fin. Roland. conſ. 11. num. 11. Pariſ. conſ. 56. lib. 3. num. 11.

CVI.

QVo primum tempore, & infra pag. 313. Bullarij. *Edita Anno* 1570.

COMPENDIVM.

Ex decreto Concilij Tridentini, Catechiſmus, Miſſale, & Breuiarium emendenda erant. §. 1. Breuiarium hic Pont. in ſua Conſt. 64. de qua ſup. emendauit. §. 2. Et modò emendauit Miſſale, quod confirmat, & illud ſolum obſeruari præcipit, niſi alia ſit inſtitutio à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudo, quæ, vel ipſa inſtitutio ſupra ducentos annos obſeruata ſit. §. 2. Vel niſi hoc nouum Miſſale ei magis placeret; & de Epiſcopi, vel Prælati, aut vniuerſi Capituli conſenſu immutari prohibet. §. 3. & ſeqq. Impreſſoribúſque aliud imprimere interdicitur. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Si Monachus Ciſtercienſis, qui ex antiquiſſima inſtitutione non ligatur à Bullà ad vſum noui Miſſalis, poſſet vti hoc?

RESP. Non, niſi de conſenſu Abbatis, & Conuentus: abſurdum etenim eſſet, diuerſitatem inducere in eodem Ordine, vt conſulendo voluit Nauar. conſ. 15. de celebrat. Miſſar. tom. 1. iuxta nouam impreſſionem lib. 3. poſt princip. vbi apoſtilla inquit in fin. huic opinioni adhæſiſſe Congregationem Cardinalium.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si abſente Superiore, qui poſſet diſpenſare, vnus Monachus ex aliqua cauſa, quæ docto viro videretur æqua, vteretur Miſſali, vel Breuiario alterius regulæ, peccarétne?

RESP. Non peccare affirmat Nauar. in cap. 19. de orat ſub num. 217.

CVII.

CVm Apoſtolica Sedes, & infra pag. 314. Bullarij. *Edita Anno* 1570.

COMPENDIVM.

Inquit omnia per ſe exequi non poſſe, ideóque aliis ſæpe ſuas vices committere, qui ſciant, poſſint, & valeant ea fideliter, & prudenter exequi, prout in Monte de Valentibus Vrbis Gubernatore comperiſſe fatetur. §. 1. Vt igitur celeriùs ſua mandata executioni dentur,

abſque eo quòd pro eorum ſingulis ſuæ voluntatis teſtimonium aſſignetur, decernit,ſingulas ſententias, bannimenta, decreta, aliáque ab ipſo Monte hactenus geſta,& gerenda,in quibus ipſe Gubernator ex ordine ipſius Pont. proceſſiſſe atteſtatus eſt,vel procedere atteſtabitur,illud obtinere robur,& inuiolabiliter obſeruari debere, perinde ac ſi ea omnia de eiuſdem Pontificis commiſſione, & Motu proprio ſignata fuiſſent. d. §. 1.& 2. Montémque prædictum nullatenus deſuper moleſtari poſſe.§.3. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas apponit. §. 4. Et decretum irritans. §. 5. Derogationéſque contrariorum. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Num alij quoque Vrbis Gubernatores hac eadem facultate vſque in hanc diem vſi fuerunt?

RESP. Alij Pontifices ſucceſſores, aliis quoque Gubernatoribus ſucceſſoribus eamdem dederunt facultatem, videlicet.

Si quiſquam ex ordine noſtro Gubernator ore tenus proceſſiſſe atteſtatus fuerit, vel in poſterum procedere atteſtabitur, eam prorſus vim, & efficaciam, idémque robur obtinere, & ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, omnéſque quos illa concernunt,ita, ac perinde afficere, ac ſi ea omnia de ſpeciali, & expreſſa commiſſione noſtra conſtaret emanaſſe, ipſiuſque Gubernatoris aſſertioni, abſque alia per ipſum exhibenda probatione, ſtari, cúmque merum mentis, ac voluntatis noſtræ executorem, ſuper ſic per eum, vt præmittitur, geſtis tam in iudicio, quàm extra, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros, ſeu de eorum mandata per quoſcumque moleſtari, inquietari, aut perturbari ex quauis cauſa non poſſe, &c.

Scholion ſecundum.

Quæro. Abſque ſpeciali eiuſmodi conceſſione, num Gubernatores illa ſupradicti Montis de Valentibus Gubernatoris facultate vti potuiſſent?

RESP. Potuiſſent quidem vigore Breuis, quo gubernium ſibi delegatum fuerat, cum authoritate, facultatibus, iuriſdictione, quibuſuis aliis Vrbis ante eum Gubernatoribus quomodolibet conceſſis: illud enim verbum, *quibuſuis*, prædicatur de omnibus Gubernatoribus, nemine excepto, & verbum, *quomodolibet*, prædicatur de auctoritate eis data ſub quouis modo, forma, & qualitate; ad ſcripta per Cardinalem Tuſc. qui ipſe quoque Vrbis Gubernator antea fuit, in verb. Dictio. concl. 355. 359. & 397. ac Martam de clauſul. par. 2. clauſul. 57. in vltimò impreſſis.

CVIII.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 315. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

COMPENDIVM.

Narrat, quòd Pius IV. edidit Bullam contra extrahentes frumenta,blada, & legumina de Statu Eccleſiaſtico,abſq; facultate, & cauſa verè onerosa exbuſſationis pecuniæ, & abſque Camerarij licentia, vt in ſua Conſt. 99. de qua ſup. tom. 1. Iste Pont. eam innouat, & approbat. §. 2. Et extendit ad omne genus graſciæ, etiam in carnibus, ouibus, agnis, & aliis animalibus, necnon oleo, ac rebus aliis conſiſtens. §. 3. Cameratium ſuum executorem deputat. §. 4. Contrariíſque derogat. §. 5. Vſum dictarum licentiarum prohibet abſque patentibus dicti Camerarij. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Hoc nomen *graſciæ*, de quo in §. 3. reperitur fortaſſe in iure?

RESP. Non meminit legiſſe Paul. de Caſtr. in conſil. 40. lib. 1. in princ. ſubdens, quod ab vſu loquendi fuit introductum. Quod Caſtrenſis conſilium ad verbum repetit Fulgoſ. in ſuo conſ. 115.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quomodo ergo erit intelligendum?

RESP. Secundùm communẽ vſum loquendi,à quo illud fuit introductum, & ſi de tali vſu non apparet, recurrendum eſt ad illud vocabulum iuris, quod magis ſimile eſt dicto verbo *graſciæ*. Ita conſulendo affirmant Paul. de Caſtr. & Fulgoſ. in conſil. præcitatis.

CIX.

SVmmi Sacerdotij cura, & infra pag. 315. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

COMPENDIVM.

Moniales Ordinis S. Dominici Fratrum Prædicatorum nondum profeſſas, in

in legitima tamen ætate conſtitutas,quoties de conſilio Medici ab hoc ſæculo tranſituræ conſpiciuntur, ante completum Nouitiatus tempus, profeſſionem in manibus ſuorum Superiorum pro conſolatione animæ ſuæ in articulo mortis emittere poſſe, omnibúſque gratiis perfrui,quas Moniales verè profeſſæ conſequi valent, indulget. §. 1. & 2.Eiſdem ſic profeſſis plenariam in forma Iubilei Indulgentiam concedit. §. 2. Huius indulti clauſulas præſeruatiuas ſubdit. §. 3. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 4. Derogatoriáſque. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Num virtute huius indulti Monaſteria præd ctis Monialibus Nouitiis ſic decedentibus, ſuccedere valent?

RESP. Non ſuccedere ſcribit Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 15. art. 6. verſ. Secundò notandum, ea ratione motus, quòd indultum fuit conceſſum Nouitiis pro ſuarum animarum conſolatione, quæ non militat in ſucceſſione. Sed aduertendum puto, quòd indultum profitendi infra annum, ad eam rationem reſtrictum fuit; aliæ autem gratiæ omnes Nouitiis ſic profeſſis fuerunt conceſſæ,quæ verè profeſſis competere poſſunt: vnde hoc ſolum videndum eſt, an indultum ſuccedendi competat Monialibus, an Monaſteriis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quod fertur hoc priuilegium à Gregorio XIII. reuocatũ?

RESP. Non reuocatum eſſe ſcribit, tribus rationibus deductis, Rod. vbi ſup. quas ſi videris, veras eſſe cognoueris.

C X.

Edita Anno 1570.

SAcroſanctæ Romanæ, & vniuerſali Eccleſiæ, & infra pag. 316. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cruceſignatorum Societas iamdiu inſtituta fuit, ad præſidium Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, multáque priuilegia, & gratiæ à Romanis Pontificibus elargitæ fuerunt. §. 1. Quæ omnia hic Pontifex approbat, quatenus ſint in vſu, & non aduerſentur Concilio Tridentino. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. An iſta Confraternitas ſit cæteris aliis Confraternitatibus dignior,& antiquior, omnibúſque præferenda?

RESP. Quamplurimis argumentis, & rationibus affirmatiuam ſententiam eleganter probat, eámque origine, creatione, & inſtitutione, antiquiorem, & nobiliorem eſſe optimè demonſtrat Burſat. conſ. 343. lib. 4. num. 1. & 41. ac multis ſeqq. ibi videas.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cruceſignatorum admiſſionem, munus, votum, & gratias, quis me poterit edocere?

RESP. Quamplures, ſed tu adeas Campeg. in addit ad Zanch. in ſuo tractat. de hæretic. tit. 37. vbi alios indicat authores, & pariter videas Burſat. in præced. Schol. citatum.

C X I.

Edita Anno 1570.

CVm nil magis humanæ vitæ, & infra pag. 316. Bullarij.

COMPENDIVM.

Tonſoribus monetæ aureæ pœna vltimi ſupplicij, monetæ autem argenteæ minor pœna à iure communi impoſita erat. §. 1. Sed hic Pont. eadem pœna vltimi ſupplicij tonſores etiam monetæ argenteæ, in Vrbe, & aliis locis Sedi Apoſtolicæ mediatè, & immediatè ſubiectis puniri iubet.§.2.Barones decernit nõ impedire Iudices in hoc delicto ſæuientes. §. 3.Et ita,& non aliàs iudicari præcipit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5. & ſeq. Hanc ſanctionem in Vrbe publicari, & omnes afficere declarat, ac ſi perſonaliter eſſet intimata. §. 7. Eiuſque tranſumptis credi mandat. §. 8. Solam quoque ſignaturam ſufficere ſubdit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Qua lege cauetur mitiùs puniri tonſores monetæ argenteæ, quam aureæ,vt ſupponitur in §. 1.

RESP. Ex l. quicumque. 8. ff. ad leg. Cornel. de falſ. vbi pœna capitalis imponitur tondentibus monetam auream, & eadem tondentibus argenteam impoſita fuiſſet, ſi debuiſſet imponi, ſecundùm Azo. in Sum. Cod. de falſ. mon. poſt princ. Marſil. conſ. 71. num. 13. & ſeqq. Couar. de numiſmat. cap. vlt. in fin. &

fin. & Barthol. Capol. conſil. crim. 77. n. 7. Et quamuis aliter ſenſerit Menoch. caſu 316. num. 35. & Caball. caſu 191. num. 2. eorum tamen opinio damnanda eſt, & contraria tenenda, cui hic Pius adhæſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum de hiſce tonſoribus monetæ aureæ, vel argenteæ, alio tamen viliori metallo commixtæ?

R E S P. Eadem pœna plectendos eſſe hodie in Statu Eccleſiaſtico, eſt indubitatum vigore bannimentorum generaliũ Illuſtriſſimi & Reuerẽdiſſimi Cardinalis Ludouiſij Superintendentis generalis totius Status Eccleſiaſtici ſub felici S. D. N. Gregorij X V. Pontificatu, quorum cap. tenor hic ſubſequitur, videlicet.

57. Prohibiſce ancora Sua Signoria Illuſtriſſ. che non ſia perſona alcuna maggior di venti anni, come di ſopra, tanto ardita & sfacciata, che poſpoſto il timor di Dio, & della Giuſtitia, ardiſca di battere, o far battere, gettare, o far gettare in qualſiuoglia modo, & con qualſiuoglia ſorte d'inſtromenti, forme, cugni, o getti alcuna ſorte di ſcudi d'oro, o monete d'argento, o quattrini, in qualſiuoglia luogo della ſua giuriſditione, ne tampoco ſpenderla, o farla ſpendere, ſotto pena della morte naturale, & della confiſcatione di tutti li ſuoi beni, aggiũgẽdo che nell'iſteſſe pene incorreranno anco quelli, che batteranno monete falſe d'oro, e d'argento, o quattrini con arme, o inſegna di Prencipi eſtranei, o inuentati à capriccio, & li loro complici, & fautori; Et accioche vn così graue e pernicioſo delitto, nel quale principalmente s'offendono il Prencipe, & gli ſudditi, non reſti impunito, promette Sua Signoria Illuſtriſſ. l'impunità aſſolutamente a qual ſi ſia complice, che lo dedurrà a notitia ſua, o della Corte, purche non ſia il principale, il quale in dubio così a queſto, come ad ogn' altro effetto ſi preſumerà, che ſia il padrone, o inquilino della caſa, o luogo nel quale ſi lauorerà.

58. Nella qual pena Sua Signoria Illuſtriſſima dichiara, che incorrerãno anco quelli, che toſaranno, o in qualſiuoglia modo leuaranno con qual ſi ſia ſorte d'inſtromenti, o acque forti, alcuna particella d'oro, o d'argento a ſcudi d'oro, o monete d'argento, ancorche non ſchietto, o che per mercantia, o ſtudioſamente per ſe, o per interpoſta perſona, ſpenderanno ſcientemente, o introdurranno in queſta giuriſdittione monete, così fatte ancorche fuſſero quattrini: Dichiarando che s'intenderà hauerli ſpeſi, o introdotti ſtudioſamente chiunque ne hauerà ſpeſi, introdotti, o fatti portare in vna, o più volte la quantità di venti ſcudi ſchietti, o di cinquanta meſcolati con altri quattrini, o moneta,

C X I I.

Poſtquam eò vſque, & inf. p. 317. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Paulum I V. decreuiſſe, debitoribus non concedi poſſe dilationes, niſi iuxta diſpoſitionem iuris, ac formam ſtatutorum Vrbis, eóſque birretum viride deferre debere. §. 1. Multos verò prodigalitate, ac luxu eorum bona dilapidaſſe, & tandem ceſſione bonorum creditores deluſiſſe. §. 2. Hic ideo Pont. iura omnia contra eos innouat. §. 3. Omnéſque tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticos, & cuiuſcumque conditionis exiſtentes, qui omnem eorum ſubſtantiam non fortuitis caſibus, ſed incuria, prodigalitate, & luxu ſubuerterunt, necnon qui bona ſua decoxiſſe ſimulantes, illa in fraudem creditorum occultant, vt eorum creditores ad ſecum componendũ faciliùs alliciant, vltimi ſupplicij, & ea, qua fures ipſi de iure, vel conſuetudine, aut ſtatuto plecti ſolent, pœna puniri decernit. d. §. 3. Iudicibus omnibus huius legis obſeruantiam demandat. §. 4. Perturbantibus pœnas indicit. §. 5. Clauſulas huius ſanctionis præſeruatiuas apponit. §. 6. Et clauſulam, *Sublata*, &c. Derogatoriáſque. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quod antiquis iuribus, fraudulenti decoctores tradendi erant creditoribus dilaniandi?

R E S P. Speciali lege id cautum non inueni, ſed id conſulendo dixit Bald. in conſ. 249. ſuper ll. lib. 1. num. 1. verſ. Item quia ſunt infames. Quod duplicatur conſ. 396. lib. 5. Sed legem tamquam barbaram, Pium hunc nequaquam in §. 3. confirmaſſe credi poteſt in generali illa iurium confirmatione.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hi fraudulẽti decoctores gaudebúntne

debúntne immunitate Eccleſiæ?

RESP. Gaudent, quia licet hic Pius eos furibus aſſimilauerit in §. 3. quia tamen fures longè differunt à publicis latronibus, ad ſcripta per Ambroſin. de immunit. Eccleſ. c. 2. ideo Bulla Greg. XIV. quæ hodie omnino attendenda eſt, excipiens latrones ab eiuſmodi immunitate, non extendenda eſt ad iſtos furibus aſſimilatos, vt in puncto tenet Ambroſin. vbi ſup. cap. 13. in fine, quicquid Farinac. quæſt. 28. num. 33. & alij ab eo citati dicant, cùm non loquantur de immunitate iuxta terminos dictæ Conſtitutionis Gregorianæ.

CXIII.

Edita Anno 1570. INter illa, quæ in ſingulis, & infra pag. 318. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformationi Tribunalis Aud. Cameræ intendens decernit, debitorem ex confeſſione Procuratoris non condemnari. §. 1. Neque excommunicari. §. 2. Procuratorem ad confitendum debitum, niſi & ad ſe defendendum cõſtitui vetat, præterquàm ſi de iuribus Cameræ agatur. §. 2. & 4. Suſceptionem cenſurarum in ipſa obligatione recipi prohibet. §. 3. Formam ſtrictoris obligationis interdicit. §. 5. Obligati in Curia, vt citandi ſint, declarat. §. 6. Et vt citandi obligati extra Curiam. §. 7. Terminum 30. aut ſaltem 20. dierum, agnoſcenti debitum, Audit. Cameræ concedere permittit. §. 8. Et eo elapſo, mandatum iam relaxatum ſufficere ſtatuit. §. 9. Excommunicari vt poſſint obligati, declarat. §. 10. Executionem obligationis Cameralis in Vrbe ſolùm ad Aud. Cameræ (ſeruata tamen forma priuilegiorum Curiæ Capitolij) ſpectare decernit. §. 11. Et quoad Clericos ratione originis, vel beneficij Romanos locum vult eſſe præuentioni inter Aud. Cameræ & Vicarium Papæ. §. 12. Appellationes à ſententiis extra Curiam, vt concedi poſſint, declarat. §. 13. Literæque Apoſtolicæ vt exequendæ. §. 14. Monitoria generalia, vulgò, *Significauit*, appellata, dari vetat. §. 15. Epiſcopóſque in executione Cõcilij Tridentini impediri. §. 16. Aut aliquam dari expeditionem in his, quæ iuriſdictionem ipſius Aud. Cameræ non concernunt. §. 17. Nihil in contumaciam in cauſis ciuilibus expediri iubet. §. 18. Mandata de manutenendo, parte non citata, dari prohibet. §. 19. Sequeſtra, niſi timendum ſit de ſuſpicione fugæ, aut bonorum dilapidatione, concedi recuſat. §. 20. Abſentes extra Italiam non citati præcipit ad comparendum inſcio Papa. §. 21. Expeditiones à Notariis non relaxari mandat, niſi ab Aud. Cameræ, vel eius Locumtenente ſubſcriptas. §. 22. Circa expenſas taxam ſeruari iubet. §. 23. Cauſas ordinarias per ſuperuenientem commiſſionem, & commiſſiones, quoad impenſam augendam, effici vetat. §. 24. & ſeqq. Expeditionum taxam adiicit, & ſeruari præcipit. §. 25. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 43. Acta in contrarium irritat. §. 44. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 45. Contrariíſque derogat. §. 46.

Scholion primum.

Quæro. Si literæ Apoſtolicæ, de quarum executione agitur in §. 14. non fuerint expeditæ, & præſentatæ coram Aud. Cameræ, ſed ſola ſupplicatio, num Aud. Cameræ executiuè procedere poterit?

RESP. Non, quia longè differt ſupplicatio ab eiuſmodi literis, vt cenſuit Rota in deciſ. Seraph. 267. num. 1. Iſtæ enim non dicuntur expeditæ niſi ſint plumbatæ. Sar. in Reg. Cancell. ſuper reg. de non iudic. quæſt. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Superueniens commiſſio in cauſa ordinaria, quoad alia quam impenſam, de qua in §. 24 efficitne cauſam commiſſariam?

RESP. Regulariter non, vt ex Felyn. in cap. licèt. 12. de offic. Iudic. ordin. num. 1. dixit Rota in deciſ. Seraph. 515. num. 3. Quod intelligit poſt alios Felyn. ibid. niſi in commiſſione alterata ſit ipſa ordinaria iuriſdictio.

CXIV.

SVper ſpecula Domini, & infra pag. 322. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

COMPENDIVM.

Quia acerrimæ exortæ ſunt quæſtiones circa B. MARIÆ Virginis conceptionem, & exinde etiam ſcandala,

innouat hic Pont. (ſalua cuique facultate opinandi eam partem, quam magis piam, & probabilem eſſe iudicauerit) prohibitionem deſuper à Six. I V. editam, & per Concilium Tridentinum approbatam, in procem. & §. 1. Prohibet de dicta conceptione diſputari in popularibus concionibus, aut de ea vulgari ſermone ſcribere, & dictare, ſub multis pœnis. §. 2. Permittit tamen de ea in Academiis diſcutere, & Capitulis generalibus, vbi ſcandali occaſio non exiſtat. §. 3. Huius Conſtitutionis publicationem in Vrbe factam, omnes vbique ligare decernit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Licèt vtraque opinio teneri poſſit, vt in §. 1. tu tamen quam libentiùs teneres?

R E S P. Negatiuam, ſcilicet, non eſſe conceptam in peccato originali, prout tenuit Suarez in 3. par. D. Thom. lib. 2. quæſt. 27. ſect. 6. artic. 1. & 2. & Rod. lib. 1. quæſt. Regul. quæſt. 57. artic. 1. & 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc celebritas quo tempore inducta fuit?

R E S P. Non tempore decreti in Cōcilio Baſileenſi ſeſſione 36. firmati, neque tempore Six. I V. vt ex eius decreto, de quo in §. 1. ſed in Anglia, circa annum Domini 1070. & in Galliis 1145. teſte Baron. in ſuo Martyrolog. ſub die 8. Decembris, vbi diuino admonitu, & ſubſecuto miraculo, hanc celebritatem agi receptam commemorat. Et Suar. in loco præcit. ſect. 5. inquit apud Græcos ante annos mille, & tandem ab Eccleſia Romana huius feſti cultoribus ſingulares fuiſſe Indulgentias conceſſas, quas enumerat Rod. vbi ſup. artic. 3. pag. mihi 328.

X C V.

Edita Anno 1570. LIcèt Eccleſia Dei, & infra pag. 323. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregationi Lateranenſi Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini, qui eorum Pater, ac primus Apoſtolici illius Ordinis reformator fuit, dat facultatem illius feſtum, etiam in die Dominico, ſi illud euenerit, celebrandi, & etiam per totam illius Octauam. §. 1. & 2. Et etiam feſta nonnullorum Sanctorum dicti Ordinis, iuxta Ritum antiquum. §. 2. Canonicos deſuper moleſtari prohibet. §. 3. Clauſulas huius priuilegij præſeruatiuas apponit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contraria remouet. §. 6. Tranſumptiſque illius fidem dari indulget. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Hic S. Auguſtinus Eccleſiæ Doctor eximius, quo tempore ex hac vita migrauit?

R E S P. Anno 430. dum ad Concilium Oecumenicum Epheſinum vocaretur Theodoſij Imperatoris Legatione, vt notat Baron. in Martyrolog. ſub die 28. Auguſti.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num verum eſt, quòd hi Canonici Regulares funguntur vice Clericorum primitiuæ Eccleſiæ?

R E S P. Negatiuam ſententiam nonnullis probat argumentis Collegium Bononienſe in conſ. 1. edito poſt conſ. Card. Zabar. num. 39. & ſeqq. Sed aliter tradit Colleg. Paduanum conſ. 2. poſt dicta conſ. Zabarellæ num. 13. Et ad hæc videas etiam Tuſc. in litera C. concluſ. 39.

C X V I.

CVm ex Ordinum vniuerſitate, & infra pag. 324. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

C O M P E N D I V M.

Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſti Congregationis Lateranenſis, inquit ab Apoſtolis traxiſſe originem, & ab eodē S. Auguſtino reformatos fuiſſe, ideóque prætendere poſſe præcedentiā, tam ante ſæculares, quàm Regulares in proceſſionibus, & actibus publicis. §. 1. Modò autem decernit, vbique locorum, tā in actibus publicis, quàm priuatis præcedere ante omnes Regulares, poſt Clerum ſæcularem. §. 2. Eóſque deſuper moleſtari vetat. §. 3. Illorúmque indultum omnibus præſentari iubet. §. 4. Executores deputat. §. 5. Obſtantiáque remouet. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quomodo dicitur ab Apoſtolis huiuſmodi ortum fuiſſe inſtitutum?

R E S P.

R e s p. Poſt Aſcenſionem Christi in Cælum in monte Sion, de genere vitæ Apoſtoli deliberantes, communia inter ſe omnia, ac tria vota coram Deo ſtatuerunt, vt poſt S. Thom. quem refert, ſcribit Polyd. Virgil. de Inuent. rer. lib. 7. cap. 3. pag. mihi 410.

Scholion ſecundum.

Quæro. Secundùm hanc Regulam ab Apoſtolis traditam, vixitne aliquandiu Sanctus Auguſtinus, qui illam reformauit?

R e s p. Sic affirmat poſt alios Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 3. art. 1. pag. mihi 13.

C X V I I.

Edita Anno 1570. QVæ Ordini Eccleſiaſtico, & infra pag. 325. *Item*; Ad Romanum ſpectat., & infra pag. 327. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reuocat quæcumque priuilegia, & indulta ex ſpeciali iure conceſſa, faciendi teſtamenta, donationes, & quaſcumque alias diſpoſitiones, de quibuſuis rebus, iuribus, & actionibus ex bonis Eccleſiaſticis acquiſitis, necnon de peculio, & aliis ſola induſtria, & labore partis, in quoſcumque, ſuos, vel extraneos, illegitimos, etiam legitimatos. §. 1. Et quæcumque priuilegia inſtituendi, & ſubſtituendi, aut ab inteſtato ſuccedendi in illis, rebúſque feudalibus, & emphyteoticis, ab Eccleſiis, & piis locis profectis, quibuſcumque ſæcularibus, Regularibus, Curialibus, & aliis quibuſcumque (exceptis tamen Hoſpitalibus, expoſitis, & orphanis.) d. §. 1. Reuocat etiam facultates Legatis, Nunciis, Collegiis, & aliis tributas prædicta indulta concedendi. §. 2. Irritas decernit quaſcumque diſpoſitiones huiuſmodi, quæ viuentibus teſtatoribus, aut aliàs locum non habuerunt, & ab inteſtato ſucceſſiones, non tamen litigioſas, quæ plenarium effectum ſortitæ non ſunt. §. 3. Prohibet diſponi ad fauorem eiuſmodi illegitimorum mediatè, & immediatè. §. 4. Diſpoſitiones aliter factas illicitas reddit, & contrauenientibus pœnas infligit. §. 5. Succeſſores in beneficiis, bona, de quibus aliter promiſſum eſſet, recuperare poſſe decernit, & eis non inſiſtentibus idem facere locorum Ordinarios pro Sede Apoſtolica. §. 6. Bona Eccleſiaſtica feudalia, non exiſtentibus legitimis, ad Eccleſiam deuolui mandat. §. 7. Et ita, ac non aliter iudicari præcipit. §. 8. Obſtantibus derogat. §. 9. Tranſumptis credi indulget. §. 10. Extendit ſanctionem hanc etiam ad bona patrimonialia, in ſubſeq. Conſt.

Scholion primum.

Quæro. Illegitimi, qui ſic redduntur incapaces ſucceſſionis in emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſuntne capaces etiam nouæ acquiſitionis?

R e s p. Capaces eſſe ſtatuit Rota in huius Bullæ interpretatione in deciſ. Robuſter. 474. part. 1. diuerſor. & in deciſ. Seraph. 478. num. 1. & ſeqq. & in deciſ. 1358. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Extenſio dictæ prohibitionis ad bona patrimonialia, intelligitúrne etiam quoad laicos, aut Clericos coniugatos, aut ſimplices Clericos ſæculares, nullum obtinentes beneficium, aut diſponentes in illegitimos de bonis patrimonialibus de iure communi?

R e s p. Non comprehendere, niſi quoad bona ex beneficiis, fructibus, penſionibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis ab eis confecta, poſt multas propoſitiones declarauit Rota in deciſ. Rubei 487. par. 1. diuerſor. num. 2. neque comprehendere alios diſponentes, quàm vigore indulti, vt habetur in ead. deciſ. comprobata in deciſ. Seraphin. 488. num. 4.

C X V I I I.

IN eam pro noſtro, & infra pag. 327. Bullarij. *Edita Anno 1571.*

C O M P E N D I V M

Dàmnat ea cambia, quæ ſicca nuncupantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas ire, & cambia celebrare ſimulent, ſed literæ cambiorum non mittuntur, vel ita mittuntur, vt inanes redeant. §. 1. & 2. Vel nemo eſt, qui in nundinis ſolutionem faciat receptis literis. ibid. Vel etiam literis minimè traditis pecunia cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus. d. §. 2. Vel cùm pecuniæ depoſiti, ſeu alio nomine facti cābij tradun-

traduntur, vt poſtea cum lucro reſtituantur. d. §. 2. Vel ſi in pſis cambiis, quæ realia appellantur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum differant, aliquo lucro ex conuentione recepto, vel promiſſo. d. §. 2. Cambia iſta vſuraria eſſe declarat. ibib. Statuit, ne quis determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſcatur, neque realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrautur, vel vbi non celebrantur, pro primis terminis iuxta locorum vſum exerceantur. d. §. 2. Contrauenientes punit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Si literæ miſſiuæ, de quibus hic in §. 1. ſic à mercatore, cui directæ ſunt, ſubſcribuntur, *Viſta adi 20. di Maggio*, dicuntúrne ab eodem acceptatæ?

Resp. Affirmatiuam ſententiam probat Alex. conſ. 174. lib. 2. num. 12. & ſeqq. & firmauit Rota in deciſ. 811. part. 1. diuerſ. numero 42. & ſeqq. in impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num ſic acceptatis literis cãbij, recipiẽs literas liberetur à debitore?

Resp. Non, niſi realis etiam pecuniarum numeratio ſecuta fuerit, cùm aliàs nunquam præſumatur facta numeratio, vt in terminis tenuit Rota coram Gypſio in vna Romana literarum cambij, die 3. & 12. Martij 1595. impreſſa à Marcheſano de commiſſ. part. 2. pag. mihi 475. & coram Remboldo in deciſ. 679. num. 2. par. 1. in nouiſſimis, vbi tamen num. 3. ſubdit, tunc id locum habere, quando facto, vel voluntate ſcribentis literas, aut illius, cui diriguntur, deficeret numeratio.

C X I X.

Edita Anno 1571.

QVemadmodum ſolicitus pater, & infra pag. 318. Bullarij.

COMPENDIVM.

Carolus Cardinalis Borromæus multa ſtatuit pro emendatione Fratrum Humiliatorum. §. 1. Et hic Pont. alia quoque decreuit pro eorumdem reformatione. §. 2. Sed illi in deterius proceſſerunt, & eumdem Carolum interficere conati ſunt, & huius criminis participes pœnas debitas perſoluerunt: hic verò Pont. eorum Ordinem nunc extinguit. §. 3. & 4. Omnibus officiis, & dignitatibus eos priuat. §. 5. Profeſſóſque Regularem vitam, in locis aſſignandis ducere, aut ad pares, vel ſtrictiores Ordines tranſire præcipit. §. 6. Nouitios autem non profeſſos expelli mandat. §. 7. Alios ad hunc Ordinem recipi, & alia loca acquiri prohibet. §. 8. Beneficiáque ſæcularia ob eiuſmodi priuationem vacantia, & loca, ac bona huius Ordinis, Sedi Apoſtolicæ reſeruat. §. 9. Huius inſuper ſanctionis exemplis credi mandat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore tam nefarium ſcelus in Carolum Cardinalem, de quo in §. 3. patratum fuit?

Resp. Die 26. menſis Octobris anni 1569. aliqui dicti Ordinis Fratres in illius necem conſpirarunt, prout totam eiuſmodi admiſſi criminis ſeriem luculenter proſequitur Io. Anton. Gabut. Cleric. Regular. S. Pauli preſbyter, de vita & geſtis huius Pont. lib. 3. cap. 15.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ipſe Carolus in illo tentatæ in eum necis momento peregit?

Resp. Audi eundem Io. Ant. in præcit. loco ſic inter alia ſcribentem. *Exaudito ſtrepitu, mox ne incepto precantes abſiſterent, (in Sacello etenim tum familia ſua ſacris de more precibus tunc erat intentus) præſenti animo iuſſit, ad ipſos orantium animos magis confirmandos, pro concentu canerentur ea Domini verba;* Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.

C X X.

Edita Anno 1571.

QVoniam per extinctionem, & infra pag. 329. Bullarij

COMPENDIVM.

Ordinem Fratrum Humiliatorum in præced. Conſt. extinxit, & nunc vnionẽ Præpoſiturarum dicti Ordinis diſſoluit. §. 1. Quarum aliquas certis locis piis applicat, & alias à Carolo Cardinali Borromæo applicari decernit. §. 2. & ſeqq. & §. 8. & 9. Executores deputat. §. 6. Contrariis derogat. §. 7. Huius Bullæ tranſumptis credi mandat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Eiuſmodi Humiliatorũ Ordo quo

quo primùm tempore initium, & à Sede Apoſtolica approbationem habuit?

RESP. Anno 1017. inchoatus extitit, ſed quia tripliciter variatus fuit in modo viuendi, vltimus eorum viuendi modus ab Innoc. III. approbatus extitit anno 1200. vt ſcribit S. Antonin. Florent. par. 2. Hiſtor. tit. 15. cap. 23. & Caſſan. de glor. mund. par. 4. conſid. 60. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui dictum Ordinem, quáve de cauſa promouerunt?

RESP. Quidam nobiles Longobardi, quos Hēricus III. prædicto anno 1017. ex certis rationibus, & ſignis ſuſpectos habuit, ne fortè aliquid iniquum machinarentur, eos præcipuè ex Mediolano oriundos, in Alemanniam relegauit. Qui proficiſcentes, & videntes ſe adeò humiliatos, humiliauerunt ſe ipſos in conſpectu Dei, facientes de neceſſitate virtutem, eorúmque auditui vexatio tradidit intellectum. Cœperunt namque terrena non immoderatè diligere, vitia euitare, humili veſte, ſcilicet de Bilettino panno indui, & profectui ſpiritus, ieiuniis, & eleemoſynis, orationibúſque inſiſtentes, ac amore fraternitatis ſe inuicem diligentes, cœpítque Ordo pīæ conuerſationis eorum diffundi, &c. Hæc ex S. Antonin. vbi ſup.

C X X I.

Edita Anno 1571. MVneris noſtri eſt, & infra pag. 332. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Siciliæ citra, & vltra Pharum, præſentibus, & futuris, vt deinceps inuentarium authenticum omniū proceſſuum, & actorum cauſarum, & negotiorum criminalium, & mixtorum, quæ apud ſuæ Curiæ Notarium fuerint, quotannis in perpetuum conficiant, & confectum, ac manu dicti Notarij ſubſcriptum penes ſe cuſtodiant, donec ſuper eis fuerit iudicatum. §. 1. Etſi ipſos decedere interim contigerit, ſigillo ſuo obſignatum fidei Sacerdotis, cui peccata confitentur, morte impendente committant. d. §. 1. Qui morte ſecuta, certo modo illud aſſeruari curet. ibid. Violantibus, diripientibus, comburentibúſque, & dictas ſcripturas, & acta ſupprimentibus, eorumque complicibus, & fautoribus pœnas infligit. §. 2. Notario, cui aliquid defuerit, aut aliàs deliquerit in prædictis, pœnas indicit in huiuſmodi rerum falſarios à ſacris canonibus, & conſtitutionib. irrogatas. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Pœna falſi, de qua hic in fine, eſt regulariter de iure ciuili?

RESP. Eſt deportatio cum publicatione bonorum. l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de falſ. Clar. in §. falſum. num. 31. & Menoch. caſu 366. At iſta pœna hodie non eſt in vſu, ſed extraordinaria imponitur, iuxta qualitatem caſuum, & perſonarum, vt relatis aliis ſcribit Caball. caſu 165. num. 21. & Farinac. quæſt. 150. num. 21.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ in ſpecie eſt imponenda pœna contra comburentes ſcripturas in præiudicium Reipublicæ, ne veritas appareat, vt in caſu, de quo in §. 1.

RESP. Pœna mortis de iure ciuili infligenda eſt. l. vbi falſi. 22. in fine. Cod. ad leg. Cornel. de falſ. & Angel. ibid. num. 2. Afflict. deciſ. 404. num. 17. Caball. vbi ſupra num. 11. & Farinac. in loco præcit. num. 24.

C X X I I.

SVperni omnipotentis Dei, & infra pag. 332. Bullarij. *Edita Anno 1571.*

COMPENDIVM.

Refert, emendata fuiſſe Breuiarium, & Miſſale Romanum, hic ſupra in Conſt. 64. & Conſtit. 106. vt iam decreuerat Concilium Tridentinum, & modò reformari iuſſit officium Beatæ MARIÆ Virginis. §. 1. & ſeqq. Quod præcipit obſeruari. §. 4. Excipit illa officia, quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede Apoſtolica expreſsè approbata fuerint, non tamen vulgari ſermone compoſita. d. §. 4. Excipit quoque officia, quorum vſus conſuetudine, aut ipſa inſtitutione ſupra 200. annos aſſiduè in Eccleſiis, & locis Eccleſiaſticorum obſeruatus fuit. d. §. 4. Obligatis ad eiuſmodi antiqui officij recitationem, dat facultatem recitandi hoc nouum, dummodo Epiſcopus, &

Capitulum conſentiant.d.§. 4. Hortatur omnes ad eius recitationem. §. 5. Antiqua officia Inquiſitoribus iubet conſignari. §. 6. Et iſtud non immutari ſtatuit.§. 7. Indulgentias illud recitantibus concedit. §. 8. Prælatis præcipit,quòd illud introducant. §. 9. Concionatoribúſque & Confeſſoribus.§. 10. Illúdque Romæ tantùm imprimi iubet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Quo primùm tẽpore B.Virginis preces,& laudes,quæ vulgò officium dicuntur, à laicis recitari cœptæ?

RESP. Anno 1095. eiuſmodi officium à S. Synodo Claramontenſi indictum, & à Clericis ſuſceptum, ad laicos quoque fuit tam viros,quàm mulieres propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, vt experti ſunt omnes, iugiterque experiuntur.Ita ſcribit Baron. tom. 11. Annal. Eccleſ. pag. 667.in princ. iuxta eius primam impreſſionem Romæ.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Num poſſem arbitrio meo hoc nouum officium reformatum recitare, dimiſſo antiquo, cui eram aſtrictus?

RESP. Non, cùm expreſſus ad hoc requiratur conſenſus Epiſcopi, & Capituli, de quo in §.4.in fin.vt in ſpecie inquit Nauar. in conſ. 5. lib. 3. de celebrat. Miſſ. in.fin. incip. An Italus, iuxta impreſſionem Venetiis 1610.

CXXIII.

Edita Anno 1571. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 334. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Trinitatis de Vrbe. §.1. Dat facultatem eius Protectori, & Iudici, cognoſcendi, & decidendi quaſcumque lites illius, eiuſque Officialium tam actiuè, quàm paſſiuè, tam ſecundariò, quàm principaliter, & in quacumque inſtantia intereſſe concernentes,& ab aliis Iudicibus reaſſumendi. §. 2. Summariè, &c.in illis procedendi.§. 3. In Curia quoque, & extra citandi, & inhibendi. §. 4. Singuliſque diebus, & horis præterquàm in honorem Dei feriatis, procedendi. §. 5. Notarios etiam deputandi. §. 6. Præcipit Mandatariis cuiuſcumque Curiæ, vt huic Iudici inſeruiant. §. 7. Idémque iubet executoribus omnibus. §. 8. Sententias aliorum Iudicum nullas eſſe decernit.§. 9. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit. §. 10. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 11. Derogatoriáſque. §. 12. Eiuſdem indulti exemplis fidem adhiberi iubet. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Hoc indultum forſitan locum habet etiam in cauſis, quæ extra Romanam Curiam verrentur?

RESP. Ita ſanè, ſiquidem ex illa clauſula citandi, & inhibendi in Curia, & extra, de qua in §. 4. inducitur certa ſcientia, quòd voluit ad hanc Romam Curiam, iſtúmque Iudicem illas auocare, prout ita tenuiſſe Rotam in deciſ. 3. de appellat. in nou. ſcripſit Marta de clauſul. part. 1. clauſ. 27. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vigore dictæ facultatis citandi vtrinc valet etiam is, qui contra Archiconfraternitatem agere velit?

RESP. Proculdubio ſic dicendum eſt, iuxta deciſ. Putei 385. lib. 3. in penult. vice impreſſis.

CXXIV.

DEbitum Paſtoralis officij, & infra pag. 336. Bullarij. *Edita Anno 1571.*

COMPENDIVM.

Dat facultatem Miniſtro Generali, Vicariis,& Prouincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, Religioſos eiuſdem Ordinis, qui tamen ſint de Obſeruantia, creandi in Notarios, eóſque deputandi pro executione mandatorum, & reſcriptorum Apoſtolicorum, publicam, vel priuatam dicti Ordinis vtilitatem concernentium.§ 1.& 2. Ipſóſque Notarios nullo pacto deſuper impediri decernit. §. 3. Huius indulti præſeruationem edicit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contraria remouet. §. 6. Tranſumptis eiuſdem credi mandat.§.7.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid hoc indultum locum habet etiam quoad mandata Apoſtolica particularia pro aliquibus Fratribus?

RESP. Affirmatiuam ſententiam veram eſſe colligitur ex contextumet huius Bullæ; & in ſpecie hoc idem tenet Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt.

quæſt. 10. artic. 1. in fin. pag. mihi 18.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliine Ordines hoc eodem indulto vti poterunt ?

R E S P. Mendicantes poſſunt, & alij quoque priuilegiorum communicationem ab Apoſtolica Sede habentes, vt Rod. vbi ſupra adnotauit.

C X X V.

Edita Anno 1571. Religionis zelus, & infra pag. 337. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confirmat omnes gratias, & priuilegia Congregationi Fratrum Eremitarum B. Petri de Piſis, hactenus elargita, quatenus Concilio Tridentino, & regulari obſeruantiæ non contrarientur. §. 1. Concedit perpetuam Indulgentiam plenariam ob profeſſionem Regulæ S. Auguſtini ab iſta Congregatione emiſſam Romæ die 18. Martij 1569. communicátque omnes gratias, & indulta ab ipſo Fratribus Mendicantibus conceſſa. §. 4. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 5. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 6. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 7. Contrarijs omnibus derogat. §. 8.

Scholion primum

Quæro. Cur iſti Fratres nuncupantur Eremitæ Sancti Hieronymi, cùm à B. Petro de Piſis fuerint inſtituti ?

R E S P. Nuncupantur principaliter Eremitæ B. Petri de Piſis eorum inſtitutoris, & pariter S. Hieronymi, tum ob incredibilem B. Petri deuotionem erga hunc Sanctum Eccleſiæ Doctorem, tum etiam, vt illius nomine inſigniori, eius veſtigia ſectarentur, vt ſcribit Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 3. artic. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eremitarum inſtitutio quæ erat antiquitus ?

R E S P. Profuſo ſermone opus eſſet, ideo perlege Boër. in ſuo tract. de ſtatu, & vita Eremitarum, & Petrum Greg. in Syntagm. Iuris lib. 15. cap. 14.

C X X V I.

Edita Anno 1571. Ad hoc nos Deus militanti Eccleſiæ, & infra pag. 338. *Item*; Tanta eſt præſentis ſæculi, & infra pag. 339. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus I V. Leo X. & Pius I V. ediderunt Conſtitutiones ſuper ædificiis conſtruendis ad ornatum Vrbis. §. 1. & ſeqq. Quas hic Pont. ad tollendum litium occaſiones, ad terminos iuris reducit. §. 5. Præterquàm quoad publica, vel ſacra ædificia conſtruenda, vel amplianda, ſoluta tamen quarta pluris vltra æſtimationem. §. 6. Et hanc Bullam vim perpetuæ Conſtitutionis, & legis habere, & inter ſuas extrauagantes regiſtrari iubet. §. 8. Et in alia Bulla præcedenti annexa, ampliat hanc eius reductionem, vt quoad domorum venditiones comprehendat etiam decretum Cameræ Apoſtolicæ editum ad fauorem inquilinorum Vrbis. §. 3. Contrariis derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hæc Bulla reductionis eſtne localis, vel vniuerſalis ?

R E S P. Ponderando nonnulla eius verba, & materiam ornatus Vrbis, localis videtur. Sed tamen probis rationibus, authoritatibúſque contrarium conſulendo firmauit Honded. conſ. 52. lib. 1. num. 55. & ſeqq. vbi egregiè loquitur, & concludit hinc inde in quadam lite fuiſſe obtentas ſententias, & tandem cauſam concordatam Peruſij anno 1583. ita quòd articulus eſt ſatis ambiguus. Sed ego primam opinionem amplector, inhærendo verbis Bullæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſtitutiones Pontt. de quibus loquitur hic Pius in §. 1. etántne fauorabiles, vel odioſæ ?

R E S P. Dum illæ compellebant dominos ad vendendum eorum domus, exorbitantes videbantur, ideóque ſtrictè intelligendæ: ſecus autem, dum diſponebant de iis, qui rem communem alienare volunt, prout ſic firmauit Rota in deciſ. Seraphin. 734. in ſuis impreſſis num. 3.

C X X V I I.

Edita Anno 1571. Cvm aliàs nos, & infra pag. 340. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Priuilegium præcedentiæ Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis, Ordinis S. Auguſtini, in ſua

Conſt. 116. de qua ſup. ante omnes Regulares poſt Clerum ſæcularem conceſſerat, & modò Canonicos ſæculares Congregationis S. Georgij in Alga, declarat præcedere ante dictos Canonicos Lateranenſes. §. 1. & ſeqq. Quæcumque contraria non obſtare decernit. §. 3. & 4.

Scholion primum.

Quæro. Num iſta Conſtitutio nouum ius inducit quoad eiuſmodi præcedētiā?

RESP. Non, cùm hic idem Pius iſtud præcedentiæ indultum his Canonicis ſæcularibus in Conſtit. 92. de qua ſuprà, iam conceſſiſſet; ita quòd ſolummodo illud hodie declarauit. Qui verò declarat, nihil de nouo facit, ſed iam factum aperit. latè Gabr. de Regular. Iur. concluſ. 3. num. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæſtio de eiuſmodi præcedentiis num cenſetur grauis?

RESP. Grauem eſſe, & magni præiudicij, ita vt concordia deſuper fieri nequeat, abſque Superioris auctoritate. Ita cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 22. in ſuis vltimò impreſſis, ea ratione, quòd eſt perpetui præiudicij.

CXXVIII.

Edita Anno 1571. PAſtoralis officij, & infra pag. 340. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prælatos Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruātia, eos eligi iubet, qui ipſius Regulā obſeruant. §. 1. Eorūmque ac Diffinitorum, Cuſtodū, & Diſcretorum electiones per vota ſecreta, iuxta decreta Concilij Tridentini, fieri iubet. d. §. 1. Miniſtrum Generalem, Commiſſariūmque & Procuratorem Generales, & Prouinciales, in eo Capitulo, quo abſolui debent, Diffinitores non eſſe, neque vocem habere, ſed facta ſucceſſoris electione, diſcedere decernit. §. 2. Miniſtrorum Prouincialium electiones fieri iubet per vota ſecreta, & ſi Commiſſarius, vel qui electioni præſidet, hanc formam tranſgreditur, ſeu electores, quominus liberè eligant, impediat, officio priuatus ſit. Quique in electionibus omnibus per ſex menſes pro ſe, vel alio ſubornauerit, excommunicationem ipſo facto incurrat, ac voce actiua, & paſſiua perpetuò careat. Et qui ſubornatus, vel alius etiam, pro quo ſubornatio fiet, qui ſubornantem non detulerit, eamdem pœnam incurrat. §. 3. & 4. Qui ad officium obtinendum extra Religionem procurauerit, vltra dictas pœnas per menſem carceri mancipetur. §. 5. Miniſtri Generalis officium octo annis, Commiſſarij, & Procuratoris Generalium quatuor durent, & ſemel officio functi, ad idem, vel alterius eorum officium, niſi poſt ſexdecim annos eligi non poſſint. §. 6. Miniſter Generalis Diſcretos duos habeat, vnum ex qualibet familia, quorum conſilio in grauioribus vtatur, ac in Generali, & Prouincialibus Capitulis, vocem habeant, & omnes præcedant, exceptis his, qui Miniſtri Generalis munus obierint. §. 7. Duos Secretarios habeat, alterum, ſcilicet ex altera familia, cum quo eius familiæ negotia expediat, ſuoque vtatur arbitrio. §. 8. Theologiæ Lector qui quatuor curſus abſoluet, vtraque voce in Capitulo Prouinciali vtatur. §. 9. Miniſter Generalis, Commiſſarius, Prouinciales, & alij Viſitatores in expenſis modeſtè ſe gerant. §. 10. Nouitij recipiendi examinentur iuxta Regulam B. Franciſci, & recipiendi ſunt, etiamſi ex Mahometicis, Iudæis, vel Hæreticis deſcendant. §. 11. & 12.

Scholion primum.

Quæro. Duràtne etiam temporibus iſtis octo annis Miniſter Generalis, Commiſſariùſque & Procurator quatuor, vt in §. 6.

RESP. Sixti V. iuſſu officium dicti Miniſtri ſex annorum ſpatio completur; Commiſſarij verò, & Procuratoris quatuor, teſte Rod. de quæſt. Reg. tom. 1. quæſt. 52. artic. 2. verſ. Nunc autem, pag. mihi 149. & hoc etiam Leo X. in Conſt. ſua 23. de qua ſup. in §. 7. & ſeq. pari modo ſtatuerat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur deſcendens ex Iudæis aliquando ad Religionem admittitur?

RESP. Primò, quia ſalus ex Iudæis eſt. Secundò, quia daretur occaſio Iudæis, ne ad fidem conuerterentur, dum intelligunt Conuerſorum filios repulſos à Religione. Tertiò, quia Religionis ſtatus eſt talis, vt ipſi potiùs, ſi in aliquo dubitant, ſolidari in fide, quàm alios inficere poſſint,

poſſint, vt aduertit Collector Priuil. Ord. Fratr. Min. S. Franciſci de Paula, notab. 29. pag. mihi 195.

CXXIX.

Edita Anno 1571. DVm ad Congregationem, & infra pag. 342. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prælatis Congregationis Caſſinenſis, aliàs S. Iuſtinæ, Monachorum Ordinis S. Benedicti dat poteſtatem, perſonas dictæ Congregationis quaſcumque abſoluendi à quibuſcumque reatibus, tam ante, quàm poſt profeſſionem commiſſis. §. 1. Ampliat ad caſus etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatos. ibid. Et ad homicidium voluntarium in foro conſcientiæ tantùm. ibidem. Abſolutóſque ad gradus, & Prælaturas Ordinis habilitandi. ibid. & §. 2. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Homicidiũ voluntarium quod eſſe dicitur?

RESP. In hac materia, homicidium voluntarium eſt illud, quod prouenit ex delicto culpabiliter contra iuris ordinem, & iuſtitiam patratum, non autem omnis hominis occiſio. Caietan. in Sum. in §. irregularitas, & Nauar. in ſuo Manual. Confeſſ. cap. 27. num. 240.

Scholion ſecundum.

Quæro. Facultas habilitandi homicidas ad prælaturas Ordinis, nónne ſupponit inhabilitatem ad eas?

RESP. Supponit proculdubio, & iure quidem. Quia cùm Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de reformat. illos inhabilitaſſet ad beneficia Eccleſiaſtica, etiam non habentia curam animarum, videtur inhabilitaſſe etiam ad eiuſmodi Prælaturas, vt tenet Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 24. artic. 9. in fine.

CXXX.

Edita Anno 1571. DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 343. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confraternitatem Sanctiſſimi nominis Dei, ſiue Iuramentorum, ab Ordine Fratrum Prædicatorum originem refert habuiſſe, eo quod ab eiuſdem profeſſoribus fuit inſtituta, & aucta. §. 1. Eam ergo in Eccleſiis dictorum Fratrum, ſi extat, in aliis autem de licentia Prioris Conuentualis, in cuius diſtrictu ſita fuerit Eccleſia, inſtitui mandat. §. 2. Quod ſi ſecus fiat, Confratres indulgentias non conſequi decernit. §. 3. Contradictoréſque iubet coërceri à Conſeruatoribus dicti Ordinis. §. 4. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit. §. 5. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 6. Derogatoriáſque contrariorum. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Si quis ex Confratribus illicitè iuraret, quo pacto eſſet corrigendus?

RESP. Statuto eius Confraternitatis cauetur, vt ſtatim orationem Dominicalem, & ſalutationem Angelicam perorarет, ſeu aliquam piam erogaret eleemoſynam, teſte Camillo Phanuc. in tractat. de piis Vrbis oper. lib. 3. cap. 32.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi blaſphemaret?

RESP. Itidem cauetur, quòd ſtatim in Eccleſia genuflexus ter ſimili modo prædicto orare debeat, & eleemoſynam erogare in capſula ad hoc in Capella Confraternitatis defixa, vt ſubdit Phanuc. in loco præcit.

CXXXI.

Edita Anno 1571. DVm indefeſſæ conſiderationis, & infra pag. 343. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Religionem Clericorum Societatis IESV, eámque inter Ordines Mendicantes adnumerat. §. 1. & 2. Illorum Ordinum priuilegiis, & gratiis tam conceſſis, quàm concedendis, eandem Religionem, & eius perſonas donat. §. 3. Hoc indultum præſeruari decernit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Obſtantia tollit. §. 6. Tranſumptiſque credi mandat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Num Mendicantes cenſentur etiam Scholares huius Societatis, degentes in Collegiis, qui bona immobilia, & annuos redditus poſſident?

RESP. Verè Mendicantes ipſi quoque ſunt, quia ordinantur ad profitendum Ordinem profeſſorum Mendicantium, vltra quòd ipſi Scholares nihil poſſident

poſſident in communi, neque in particulari. Nam Præpoſitus Generalis eſt gubernator Collegiorum, & annuotum redditùum diſtributor, quos pro eorum ſuſtentatione expendit, vt enarrat Rod. de quæſt. Reg. tom. 1. quæſt. 2. artic. 9. verſ. Secunda conclusio. Quod quidem dubium expreſsè reiicit hæc Bulla, dum in §. 1. inter Mendicantes ponit hanc Societatem, licèt Collegia habeat ſecum adiuncta.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *& eius perſonas*, de quibus in §. 3. cuius ſunt effectus?

R E S P. Vt tollatur illa quæſtio, an priuilegia corpori conceſſa, ad ſingulas partes protrahantur, de qua ad huiuſmodi Religionis propoſitum latè differit Quintilian. Mandoſ. de priuileg. ad inſtar. glof. 7. num. 5. & ſeqq.

Edita Anno 1571.

C X X X I I.

Romani Pontificis circumſpectæ, & infra pag. 345. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit Fratres Prædicatores Ordinis Sancti Dominici vti minimè poſſe Cruciata ſancta, aliiſque indultis, ad effectum eligendi Confeſſarios idoneos ab Ordinario approbatos, & abſoluendi à caſibus reſeruatis Fratres, & Sorores dicti Ordinis, ſed eas, & eos, quantùm ad confeſſionis adminiſtrationem, ſuis Prælatis ſubiectos eſſe. §. 1. Quos Prælatos illa facultate vti poſſe declarat, quoad perſonas dicti Ordinis, qua Epiſcopi cũ Clericis, & laicis eis ſubiectis, vti poſſunt, vigore Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. §. 3. Præſeruatiuas clauſulas huic indulto addit. §. 4. Et contrariorum derogatorias. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Qui Peruſij exiſtens confiteri vult, num poterit eligere vigore Cruciatæ, de qua in §. 1. Confeſſarium approbatum ab Ordinario alterius diœceſis?

R E S P. Controuerſum nimis eſſe fatetur Io. Gutier. de Regular. quæſt. lib. 1. cap. 27. per tot. ſed nu. 6. & ſeqq. negatiuam ſententiam multis rationibus probat, & contrariis reſpondet, eámque ſequitur Emanuel Rod. ſuper explicatione Bullæ dictæ Cruciatæ. §. 9. ſub num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Alia quamplura ſunt à me circa intelligentiam eiuſdem Bullæ Cruciatæ dubia perſcrutanda, vnde ergo illorum ſolutionem habere potero?

R E S P. Ab Emanuele præcitato, & etiã Sebaſtiano à Coſta in ſuo, quod edidit ſuper eadẽ Bulla commentatio, apud quos omnia fusè pertractata repeties.

C X X X I I I.

Romani Pontificis prouidentia, & infra pag. 345. Bullarij. Edita Anno 1571.

C O M P E N D I V M.

Decreuit Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 15. quòd nemo etiam Regularis ſæcularium, etiam Sacerdotum confeſſiones audiat, niſi præuio Epiſcoporum examine, & tamen vigore quarumdam huius Pij declarationum ad fauorem Ordinum Mendicantium promulgatarum, ſola Miniſtri Generalis, aut Prouincialium approbatione ad audiendas eiuſmodi confeſſiones admittuntur. Idem ergo Pius declarat, dicti Concilij decretũ omnes prædictos comprehẽdere, etiamſi illi ſub regulari diſciplina viuant, ſintque Lectores, aut in Theologia etiam de ſuorum Superiorum licentia graduati, vel promoti, vel à Miniſtris Generalibus, vel Prouincialibus ſæcularium confeſſionibus expoſiti. §. 1. & 2. Declarat etiam, ſemel ab Epiſcopo approbatos, non ab eodem, ſed ab Epiſcopo ſucceſſore examinari poſſe. d. §. 2. Inhibet Regularibus quibuſcumque abſque Ordinariorum approbatione, eas confeſſiones audire, etiam quòd ab Ordinariis hucuſque tolerati fuerint. §. 3. Et quæcumque obſtantia remouet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hoc priuilegium, quod Regularis ad confeſſiones audiendas per Ordinarium ſemel approbatus, ab eodem non ſit examinandus, eſtne reuocatum ex Bulla 9. Greg. XIII. reducentis priuilegia Regularium ad terminos Concilij Tridentini?

R E S P. Non fuiſſe reuocatum cenſuit Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium ſuper interpretatione dicti Concilij die 10. Octobris 1586. teſte Stephano Quaranta in ſua Summa, in verb. Confeſſor. pag. mihi 195.

Et

Et ita ſeruatur, quicquid aliter dixerit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 59. art. 4. Hoc autem intellige, ſi licentia ſit libera, ſimpliciter, & non ad tempus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num approbatus ad audiendas confeſſiones ab Ordinario vnius diœceſis, poterit eas audire in alio Epiſcopatu?

R E S P. Negatiuam ſententiam probat poſt alios Rod. vbi ſup. art. 5. vbi plenè;& ita ab eadem S. Concilij Congregatione deciſum fuiſſe adnotauit Quaranta in d. verb. Confeſ. pag. mihi 195.

C X X X I V.

Edita Anno 7511. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 346. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Reuocat regreſſus, & coadiutorias ad beneficia Eccleſiaſtica conceſſas, ſuper quibus literæ Apoſtolicæ integraliter expeditæ non fuerunt. §. 1. Mandat Cancellariæ, & Cameræ Apoſtolicæ Officialibus, vt eas literas minimè expediant. §. 2. Et ita, & non aliter fieri decernit. §. 3. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Coadiutoriarum origo num antiqua cenſetur?

R E S P. Antiquam eſſe colligitur ex lib. 11. Hiſtor. Eccleſ. Ruffini cap. 3. vbi fertur, Anaſtaſium iam ſenio confectum delegiſſe coadiutorem, & ſucceſſorem. Et ob eamdem rationé idem fecit Narciſſus Epiſcopus, teſte Euſebio lib. 6. cap. 9. ac etiam Greg. Nazianz. vt habetur in d. cap. 3. Hiſtor. Eccleſ. Et Auguſtinus fuit datus Coepiſcopus Valerio Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopo. c. Non autem. 12. cauſ. 7. quæſt. 1. Sed poſtea id vetitum fuiſſe patet ex cap. 3. cum ſeqq. cauſ. 8. quæſt. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. His autem temporibus quid ſeruatur?

R E S P. Ex decreto Concil. Trid.ſeſſ. 25. cap. 7. de reformat. diffinitum eſt, quòd dentur ob vrgentem tantummodo neceſſitatem, & vtilitatem Eccleſiæ, examinandam & approbandam à Summo Pont. & ideo ſeruatur hodie à Sede Apoſtolica, quòd ad id porrigantur literæ commendatitię Epiſcoporum, vel Capitulorum, atteſtantes de eiuſmodi Eccleſiæ vtilitate, vt ſcribit Hieronym. Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ. 5. §. 9. num. 49. pag. 188.

C X X X V.

EX proximo, & infra pag. 347. Bullarij. *Edita Anno 1571.*

C O M P E N D I V M.

Refert, Leonem X. in ſua Conſt. 7. de qua ſup. tom.1. cenſuiſſe, vt quiſque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quàm illud obtinuit, diuinum officium, ceſſante legitimo impedimento, non dixerit, pro rata omiſſionis, & temporis, fructus beneficij ſuos non faciat, ſed in fabricas ipſius beneficij, vel pauperum eleemoſynas erogare debeat, in princ. Hic modò Pont. eam ratam ſic declarat, videlicet. Horas Canonicas vno, vel pluribus diebus intermittens, omnes diei illius fructus, qui verò Matutinum, dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui earum ſingulas, ſextam partem illius diei dimittat. §. 1. Subdit, quòd qui primis ſex menſibus officium non dixerit, graue peccatum intelliget admiſiſſe. ibid. Quódque penſionem,fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt Clericus percipiés, eſt ad dicendum paruum officium B. M A R I Æ Virginis obligatus, penſionúmque, fructuum, ac rerum ipſarum amiſſioni obnoxius. d. §. 1. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi Clericus obtinuit beneficium, ſed re ipſa non poſſidet?

R E S P. Non tenetur recitare officium, niſi priùs habuerit ius in re quæſitum in ipſo beneficio. Probat Nauar. in conſ. 17. de celebr. miſſar. lib. 3. num. 2. iuxta impreſſionem Venetiis anno 1610.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Epiſcopus, vel Papa, poſſet aliquem ab Horarum recitatione diſpenſare?

R e s p. Papam poſſe, non autem Epiſcopum, probant Ioan. Lignan. ac Bonif. Vitalin. in clem. 1. de celebr. Miſſar. & Syluest. in Sum. in verb. Hora. quæſt. 8. Turrecrem. in cap. 1. diſt. 91. num. 8. & 10. & Albert. Ferrar. in Tract. de Hor. Canon. num. 9. quos refert, & ſequitur Menoch. caſu 419. num. 19. Et huius concluſionis ea eſt ratio, quòd determinatio, vel taxatio Horarum Canonicarum pendet à iure poſitiuo.

CXXXVI.

Edita Anno 1571. Expoſcit Paſtoralis officij debitum, & infra pag. 347. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, Epiſcopos, & alios Superiores, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos, parochiales Eccleſias, cæteráque beneficia Eccleſiaſtica ſuarum diœceſum, quibus imminet crua animarum, ad Religionem S. Ioannis Hieroſolymitani, eiúſque Milites, Capellanos, Miniſtros, & Rectores pertinentia, etiamſi Epiſcopalem, & temporalem iuriſdictionem Religio, & Milites ipſi habeant, in his tantùm, quæ animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt, viſitare poſſe, & debere. §. 1. & ſeqq. Miniſtróſque minùs idoneos repertos amouere, vel ſuſpendere, & Superiores, vt alios ſubrogent, monere, ac interim arbitrio ſuo prouidere. §. 3. Et hoc, aliáque ſpiritualitatem concernentia, gratis facere, ac neminem admittere, qui Concilij Tridentini requiſita non habeat. §. 4. & 5. Et ſi Epiſcopi, aliíque Superiores litem habeant cum dicta Religione, & Militibus, in locis viſitandis, niſi ipſi in quaſi poſſeſſione antiqua exercitij iuriſdictionis eiuſmodi exiſtât, alij Epiſcopi, & alij Superiores viciniores aliquod ius, vel intereſſe deſuper nō habentes, aut prætendentes, dicta facultate vtantur. §. 6. Declarat, nullum afferri per præſentes præiudicium dicto iuri viſitandi, quod antea dictæ Religioni, & Militibus competebat. §. 7. Inhibet dictis Epiſcopis, & Superioribus, ne hac viſitandi facultate alio vtantur modo, quàm præſcripto. §. 8. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 9. Contrariis derogat. §. 10. Tranſumptis credi mandat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Nónne ex Concilio Tridentino hoc ius Eccleſias curatas viſitandi, Epiſcopis competebat?

R e s p. Competere etiam Eccleſias exemptas, cenſuit ſeſſ. 7. de reform. c. 7. & 8. & ſeſſ. 24. de reform. cap. 10. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Viſitationum quis præcipuus finis?

R e s p. Sanam, orthodoxámque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiámque accendere, & alia ſalubria, prout locus, tempus, & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fideliū fructum conſtituere, ex Conc. Trid. cap. 4. ſeſſ. 24. de reformat. in verſ. Viſitationē.

CXXXVII.

Ex debito officij Paſtoralis, & inf. pag. 348. Bullarij. *Edita Anno 1571.*

COMPENDIVM.

Commendat opus docendi doctrinam Chriſtianam. §. 1. Iubet inſtitui Confraternitates doctrinæ Chriſtianæ ab Ordinariis in eorum diœceſibus. §. 2. Concedit Indulgentias Confratribus, & inſtruentibus pueros. §. 3. Mandat fidem dari tranſumptis huius Bullæ. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hoc opus diebus feſtiuis exerceri poterit?

R e s p. Ita ſanè, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 122. art. 4. & Panormit. poſt alios in cap. 1. de fer. num. 5. Quinimò ſic expreſsè præcipit Concil. Trid. in loco per Genitorem meum citato in Bullario, in rubrica huiuſmet Bullæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc pueros in fidei rudimentis edocendi munus quibus olim in Eccleſia demandatum fuit?

R e s p. Diaconis, vt apparet ex B. Dionyſio Areopagita cap. 5. Eccleſ. Hierarch. & Dionyſio Carthuſ. in elucidat. d. cap. 5. articulo 9. pag. mihi 155. litera B.

CXXXVIII.

Licèt iuri maximè conſentaneū, & infra pag. 349. Bullarij. *Edita Anno 1571.*

COM

COMPENDIVM.

Ne delicta multa remaneant, & multi rei fatalia appellationum in longum protrahere non valeant. §. 1. Eorum curſum ad ſex menſes à die appellationis computandos reſtringit. §. 2. Ita vt ſi condemnati in pœnam pecuniariam Fiſco Reu. Cameræ perſoluendam, appellationis cauſam in dicto termino non expediunt, Iudex à quo contra eos ſuam ſententiam exequi teneatur. d. §. 1. & §. 2. Acta tamen appellanti dare non recuſet. §. 3. Et Iudex ad quem ad cauſæ expeditionem procedere non remoretur. §. 4. Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Si Iudex appellationis ſit excommunicatus, curret forſitan tempus, de quo in §. 2.

RESP. Non, durante eo tempore excommunicationis, quæ affert impedimentum iuris, vt non currat ſic impedito. l. 1. cum ibi not. Cod. de ann. except. & tradit Franc. poſt Hoſtienſ. & alios in cap. Super eo. 12. de appellat. num. 23. & Saccia in ſuo Tract. de appellat. cap. 2. quæſt. 15. num. 130.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Fiſcus ſuccumbat, & appellationis cauſam infra huiuſmodi ſex menſes non expediat, vt in §. 1.

RESP. Pro affirmatiua, quod Fiſcus etiam ligatur hac fatalium reſtrictione, ea mihi vrgere videntur, quæ Magon. deducit in deciſ. Lucen. 58. per tot. Beninc. deciſ. 76. num. 12. Bertazzol. conſ. crim. 195. lib. 1. num. 10. & in noſtris terminis Baiard. quæſt. 94. num. 26. Verumtamen quia cauſa, quæ eſt expreſſa in hac ipſa Bulla, ſolum percutit reos, negatiua de facili præualet in foro, ex doct. Alber. in l. 1. Cod. de petit. hæred. num. 2. quem ſequitur Lucan. de priuileg. Fiſci num. 133.

CXXXIX.

Edita Anno 1571.

ETſi omnibus vniuerſi orbis, & infra pag. 349. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inſtituit vndecim Vicarias perpetuas in vndecim Eccleſiis Vrbis, videlicet, in Baſilica Sancti Ioannis Lateranenſis, Baſilica S. Petri, Eccleſiis S. Mariæ in Via Lata, S. Mariæ trans Tyberim, S. Laurentij in Damaſo, Sancti Marci, S. Angeli in foro Piſcium, S. Quirici, S. Nicolai in carcere, Collegiatis, ac S. Baſilij, & S. Catehrinæ de Rota, vnitis menſæ Capitulari Baſilicæ S. Petri, & Sancti Pantaleonis, vnita menſæ Capitulari Sancti Euſtachij, ad nominationem filiorum cuiuſuis Capituli ex eiſdem Eccleſiis; ita tamen quòd nominatio ſit ex numero approbatorum à Vicario Papæ. §. 1. & 2. Aſſignátque portiones, & obuentiones pro ſingulis ipſarum Vicariarum. §. 3. Executorem deputat Vicarium Papæ. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Quæro. Iſtæ Vicariæ perpetuæ ſúntne verè beneficia Eccleſiaſtica?

RESP. Affirmatiua opinio probatur in cap. Poſtulaſti. 27. de reſcript. cum ſimilibus. Rebuff. in prax. benefic. in tit. de Vicaria perpet. numero 14. & Gomez. in Reg. de idiomate quæſt. 11. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hi Vicarij perpetui forſan ſunt honorandi in loco, & alibi, ſicut illi, qui vices gerunt?

RESP. Sunt profectò, vt per tex. in clem. vnic. de offic. Vicar. ſic tenet ibi Cardin. num. 2. verſ. Sextò oppono. & poſt alios Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancellar. de menſib. & alternat. gloſ. 5. num. 29. §. 3. pag. mihi 142.

CXL.

Edita Anno 1571. & 1572.

ETſi Romani, & infra pag. 350. *Item*; Cùm nuper, & infra pag. 351. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iure ciuili cauetur, Iudices, & alios Iuſtitiæ adminiſtratores, ſine quoquam ſuffragio eligendos eſſe. §. 1. Ab iſto autem Pontifice tam leges, quàm canones in tranſgreſſores innouantur. §. 2. Statuitur etiam, ne liceat mediante pecunia, vel ſolutione, aut promiſſione aliarum rerum aliqua etiam per interpoſitas perſonas, dignitates, & officia, exercitium, & adminiſtrationem iuriſdictionis habentia procurare, vel habita manutenere, ſub diuerſis etiá capitalibus pœnis. §. 3. & ſeqq. Declarat, hác ſanctionem comprehendere recipientes

Digitized by Google

pecunias, vel promiſſiones huiuſmodi, ac mediatores, & interpoſitas perſonas. §. 1. ſubſeq. Conſtit. Clauſulas eius præſeruatiuas ſubdit. §. 2. Decretum quoque irritans addit. §. 3. Contrariorum etiam derogationem. §. 4. Eámque publicari mandat. §. 5. Quæ publicatio in fine ſubſequitur.

Scholion primum.

Quæro. Si amicus Ruberti quicquam pro obtinendo eiuſmodi officio perſolueret, nunquid ab eo repetere poſſet?

R E S P. Non, quia cùm iniuſtè perſoluerit, nulla ſibi exinde orta eſt actio. l. ſi verò remunerandi. 12. §. ſi adoleſcens. ff. mandat. gloſ. notab. in l. quæ vtiliter. 47. ff. de neg. geſt. quam citat Corſet. in ſuo ſingulari 300. in verb. Simonia.

Scholion ſecundum.

Quæro. Habitâ autem huiuſmodi ſolutionis notitia, quid agere debet ipſe Rubertus?

R E S P. Officium in manu Superioris renunciare tenetur, vt illud ei confirmet, ſi ſibi videbitur: dicitur namque eſſe in dolo, niſi abſtinet ab eo, quod dolo factum eſt. Cyn. poſt gloſ. in L. 1. Cod. ad leg. Iul. de ambit. in fine.

C X L I.

Edita Anno 1572.

INter cæteras Paſtoralis, & infra pag. 342. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad reformationem Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris, Ordinis S. Auguſtini, nouum Priorem, nouóſque Viſitatores, ac Procuratorem Generalem deputat. §. 1. & 2. Vocales qui ſint, declarat. §. 3. & 4. Ad eligendum Priorem Generalem duas ex tribus partibus ſufficere decernit. §. 5. Aliorum verò maiorem partem. §. 6. Prior, & Procurator Generalis, ac Viſitatores, eorumque ſubſtituti, vt in Capitulo ſint eligendi. §. 7. Eorum qualitates quæ. §. 8. Priorum electio à quibus fiat. §. 9. & ſeq. Capitulum Generale quolibet triennio celebretur. §. 11. Dieta autem quolibet anno. §. 12. Generalis, Viſitatorũ, & Procuratoris officia triennio, aliorum verò biennio terminẽtur. §. 13. Et ſi interim vacãt, certo modo, iuxta Ordinis inſtituta prouideatur. §. 14. Adminiſtrationis bonorum temporalium forma præſcribitur. §. 15. Contrariiſque derogatur. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Iſtius Congregationis qui dicuntur fuiſſe promotores?

R E S P. Stephanus, & Iacobus viri Senenſes, ſanctitate illuſtres, vt ſcribit Polydor. Virgilius de Inuent. rerum lib. 7. cap. 3. pag. mihi 421. qui ſubdit, à Gregor. X I. eam approbatam fuiſſe. Quod tamen errori Impreſſorum tribuendum credo, cum Greg. X I I. illam approbauerit in eius Conſt. 2. de qua ſup. tom. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur S. Saluatoris nũcupatur?

R E S P. Quia in domo Prioratus S. Saluatoris de Sylua lacus Senenſis diœceſis, primùm inſtituta fuit à Gregor. XII. in ſupradicta Conſtit. 2. Et deinde ad S. Saluatoris Bononienſis domum tranſlata, iuxta facti ſeriem relatam poſt alios à M. I. Baptiſta Signio Bononienſi, eiuſdem Congregationis Canonico, in ſuo, quem edidit, tractatu de ordine, & ſtatu Canonicor. lib. 4. cap. 1.

C X L I I.

Edita Anno 1572.

POſtquam nuper, & infra pag. 354. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Turcas in bello à Chriſtianis captiuos effectos parta mox victoria à Chriſtianis, iubet non dimitti, neque diſtrahi, eo bello durante. §. 1. & 2. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 3. Eáſque ab Officialibus exequi mandat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quot Turcæ in poteſtatem Chriſtianorum tunc deuenerunt?

R E S P. Viui in partitione prædæ, tria millia quadringenti & octoginta ſex inuenti ſunt: ſed multo plures priuatim occultati, qui in communem ſortem non venerunt, vt ſcribit Io. Anton. Gab. de vita, & geſt. huius Pij lib. 5. cap. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fertur, Pio V. ea die, & hora, qua pugnatum fuit, nuncium de victoria diuinitus allatum, quid dicendum?

R E S P. Id certò eueniſſe tradit Gabut. iam citatus d. cap. 5. vbi luculenter facti ſeriem enarrat, quam vti ſcitu dignam,

dignam, & valde admirabilem, integram legere ne pigeat.

CXLIII.

Edita Anno 1572. LIcèt ex debito, & infra pag. 353. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hoſpitalia quædam in Hiſpaniis erecta ſunt ſub inuocatione Ioannis Dei, pro infirmis curandis, & Fratribus in collectione eleemoſynarum dabatur impedimentum. §. 1. Illis hic Pont. dat Regulam S. Auguſtini obſeruandam, habitum panni Layal nuncupati cum ſcapulari vſque ad genua concedit, cum facultate colligendi eiuſmodi eleemoſynas pro ſubuentione infirmorum in eiuſmodi Hoſpitalibus. §. 2. & 3. Ordinariorum correctioni ſupponit. §. 4. Habitum dimittere prohibet. §. 5. Ordinariis de adminiſtratione Hoſpitalium rationem reddendam eſſe præcipit. §. 6. Clauſulas huius Bullæ preſeruatiuas apponit. §. 7. Executores deputat. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quale captiuum hi Fratres deferre debent?

RESP. Rotundum, non autem acutum, vt decreuit Sacra Congregatio ſuper conſultationibus Regularium anno 1588. teſte Capuccino in ſuis adnot. ad Compend. Priuileg. Fratr. Minor. in §. Habitus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur dicta Congregatio ita decreuit?

RESP. Vt eorum habitus à Capuccinorum habitu diſtingueretur, teſte Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. q. 76. a. 4.

CXLIV.

Edita Anno 1572. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 356. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confraternitatem Annunciationis B. MARIÆ Virginis de Vrbe, enarrat piiſſima charitatis opera exercere, tam in maritandis pauperibus puellis, annuatim dotes elargiendo, quam alios egenos ſubleuando, & alia faciendo. §. 1. Ne ergo vagentur eius Officiales per diuerſa Vrbis Tribunalia, occaſione litium, & aliorum negotiorum, dat facultatem Cardinali eius Protectori ſpecialem Iudicem in eorum cauſis deputandi. §. 2. Cum facultate in Curia, & extra citandi. §. 3. Inobedientes coërcendi. §. 4. Sententias ſuas exequendi. §. 5. Singulis diebus, & horis procedendi. §. 6. Notarium deputandi. §. 7. Et hæc omnia, priuatiuè quoad alios Iudices, faciendi. §. 9. Contrariis omnibus derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quis promotor huius Confraternitatis fuit?

RESP. Ioannes de Turrecremata Hiſpanus Cardinalis, Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici profeſſor, Theologus, ac Magiſter Sacri Palatij, Confraternitatem prædictam in dicta Eccleſia B. MARIÆ ſupra Mineruam inſtituit, de qua Confraternitate, & dicto eius inſtitutore, nonnulla, & præclara quidem ſcribit Ciacon. in vita Eugen. IV. à quo Ioannes ad Cardinalatum euectus fuit, & nouiſſimè Camill. Phanuc. de piis operibus Vrbis lib. 3. cap. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quot puellis, & quod dotis ſubſidium, de quo in §. 1. annuatim præſtat hæc Sodalitas?

RESP. Puellis 93. vſque ad eius tempora dotem elargitam fuiſſe inquit Nauar. de orat. miſcell. num. 30. in fin. Ciacon. autem vbi ſup. affirmat de 150. Camill. verò Phanuc. mox citandus ſcribit de 200. ſubiungens, ſubſidium dotis ſubminiſtrari ſuis temporibus in ſcutis 80. ſingulis honeſtis, & pauperibus puellis, quæ viris ſe matrimonio coniungere: 100. verò quæ Deo ſe deſponſare volunt annis ſingulis in die feſtiuitatis Annunciationis in dicta Eccleſia B. MARIÆ ſuper Mineruam, quò Pont. cum abundanti eleemoſyna, & magna Cardinalium, omniúmque Curialium comitatiua, & pompa accedit, celebrátque, & ipſis Virginibus dotes conſignat.

CXLV.

Edita Anno 1572. CVm vices eius, & infra pag. 358. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in ſua Conſt. 49. de qua ſup.

prohibuit delationem, aut retentionem archibuſettorũ breuioris menſuræ duorum palmorum, in toto Statu Eccleſiaſtico, ſub grauiſſimis pœnis, etiam ſub pœna criminis læſæ maieſtatis à iure inflicta. §. 1. Hic Pont. Miniſtris Militiæ, & Iuſtitiæ prohibet deferre pugiones, cultellos, & cuiuſcumque generis arma breuioris menſuræ trium palmorum, exceptis cultellis ad incidendum panem aptis, qui non poſſint eſſe maioris longitudinis quàm vnius palmi, & ſine cuſpide. §. 2. Omnibus Officialibus inhibet dare licentias arma huiuſmodi deferendi, aut retinendi. §. 3. Datas, & dandas irritat, & illis vtentes ſupradictis pœnis afficit. §. 4. Huius Conſtitutionis publicationem in Vrbe demandat. §. 5. Eius tranſumptis fidem adhibet. §. 6. Contrariiſque derogat. §. 7. Eiuſmodi publicatio ſubſequitur in fine.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quod fertur, nonnulla extare bannimenta circa confirmationem, & declarationem huius Conſtitutionis?

RESP. Perlege Edictum Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Ludouici Ludouiſij S.R.E. Preſbyteri Cardinalis, Tit. S. Mariæ Tranſpontinæ, totius Status Eccleſiaſtici Superintẽdentis Generalis; & aliud Reuerẽdiſſ. D. Berlingerij Gypſij Epiſcopi Ariminenſis, Almæ Vrbis, eiúſque diſtrictus Gubernatoris, quæ hic intexere opportunũ mihi viſum eſt.

22. *Ricorda parimente Sua Signoria Illuſtriſſima la probibitione di portare, ò tenere in caſa Archibugetti probibiti, ſotto pena della vita, cõfiſcatione de beni, & altre pene contenute nel Motu proprio di Pio IV. & V. San. mem. che ordina, che ſi proceda anco per inquiſitionem, & in ogni miglior modo. Et medemamente la probibitione ſotto le medeme pene di portare Pugnali, Cortelli, & altre armi compreſe in detta Bolla di Pio V. delle quali pene ſaranno eſenti li Artigiani, che veramente per vſo del loro eſſercitio portaſſero cortelli, ò inſtrumenti così fatti, & li Contadini poueri, che portaranno cortelli ſpuntati, & minori del palmo col manico, &c. Dato in Roma li 23. d'Aprile 1621.*

IL CARD. LVDOVISIO.

GIO. ANDREA CASTELLANI Secr.

Die 24. Aprilis 1621. ſupradictum Bannimentum affixum fuit in acie Campi Floræ, ac aliis locis conſuetis Vrbis, per me Auguſtinum Braccherium Apoſt. Curſorem.

DOMINICVS DE RVBEIS
pro D. Mag. Curſ.

3. *Si probibiſſe expreſſamente la delatione d'ogni ſorte d'armi, tanto offenſiue, quanto difenſiue, ſenza licenza di Sua Signoria Reuerendiſſ. ſotto la pena della perdita dell' armi, d'applicarſi alli Eſſecutori, & di tre tratti di corda, & di venticinque ſcudi d'oro, ſe ſarà di giorno, & ſe ſarà di notte, ſcudi cinquanta d'oro. Dechiarando intenderſi probibito il portar Storte, Piſtoleſi, mezze Spade, Raſoi di qualſiuoglia qualità, Cortelli aguzzi, tanto dentro, quãto fuori di Roma, ſotto pena oltra la perdita de dett, armi, di tre tratti di corda, della Galera per cinque anni ad arbitrio di Sua Signoria Reuerendiſſ. ne ſcuſar à alcuno il preteſto di Priuilegio di Militia, ò d'altro ſeruitio di Giuſtitia, ò del Prẽcipe, nõ s'intẽdino però riuocate le Licenze ſtampate cõceſſe da Sua Signoria circa le Storte, ò Piſtoleſi, liquali doueranno eſſere non meno di tre palmi, & nell' andare per la Città ligati.*

4. *Dichiarãdo in oltre, che quelli, à quali per vſo di lor bottega, & eſſercitio, ſi tolleraranno Cortelli pontuti anco maggiori di vn palmo non poſſino portarli fuora di lor Bottega, & banchi, oltre cinque canne, ſotto le medeme pene, &c. Datum Romæ in Ædibus præfati Reuerendiſſ. D. Gubernatoris, die 6. Martij 1621.*

BERLING. GYPSIVS
EPISC. ARIM.
Gub. & V. Cam.

Die 6. Martij 1621. affixa fuit vt ſupra per Vrbem in locis publicis, & conſuetis, per me Alexandrum Criſcinum Decanum Curiæ Illuſtriſſ. D. Gubernat. Mandatariorum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi bannimenta expirabunt forſan finito officio?

RESP. Expirarent, ſi non emanaſſent de mandato Papæ, ex his quæ tradit Vrſill. ad Afflict. deciſ. 290. num. 3. quem ſequitur Farinac. in fragment. in verb. Bannimenta, num. 6. pag. mihi 22. vbi ſub num. 7. inquit ſic fuiſſe obtentum, & iudicatum: ſi quidem quod factum eſt de mandato Papæ, ab ipſo Papa dicitur factum. Matheſilan. ſing. 189. n. 4.

Et

Et ea decreta fuiſſe de mandato Papæ, expreſsè in eis dicunt ipſi bannientes, quibus omnino credendum eſt, quia hoc habent in eorum facultatibus, alioquin eis non crederetur. Gemin. conſ. 61. num. 8. verſ. Sed ſi legati.

C X L V I.

Edita Anno 1572. CVm nos pro Paſtoralis officij, & infra pag. 358. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad feliciorem initi belli contra Turcas proſecutionem, omnium peccatorum culpam elargitur cunctis, qui bonis, vel perſonis illud adiuuabunt. §. 1. In eorum litibus, bello durante, ſuperſederi mandat. §. 2. Et ab vſurarum ſolutione liberat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Num eiuſmodi Indulgentiam in ipſo bello pugnantibus iteratò conceſſit?

R E S P. Culparum Indulgentiā vniuerſis depugnantibus iubet promulgari, pugnæ ſignum extolli, & omnes ſe ad dimicandum componere: ideóque Sacerdotes à Pontifice miſſi, triremes omnes obibant, militum crimina breuem per confeſſionem expiantes, Chriſtique de cruce pendentis effigiem per naues circumferentes, præclarè hortabantur omnes, vti bono eſſent animo, nec dubitarent, Chriſtum Deum, pro cuius ſāctiſſimo nomine dimicaturi eſſent, è Cælo ipſis opem allaturum. Hæc habet Io. Ant. Gabut. in ſuo, quem de vita, & geſt. huius Pij edidit libello, lib. 5. cap. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Felix fortaſſe de Turcis victoria tunc fuit obtenta?

R E S P. Feliciſſima, & omnium ſæculorum maximè memorabilis, quam per extenſum legere apud ipſum Gabut. in præcit. loco tibi iucundiſſimum fore arbitror.

C X L V I I.

Edita Anno 1572. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 359. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quamuis per ſacras leges, & canonicas ſanctiones, ſub grauiſſimis pœnis prohibitum fuerit, ne quis libellum famoſum componeret, ſed quiſque eum repertum corrumperet, priuſquàm alter inueniret, & nemini fateretur inuentum, nihilominus audent aliqui diuerſas perſonas variis iniuriis afficere, & earum honori detrahere, ſub ficto colore quarumdam literarum incerto authore ſcriptarum. §. 1. Hic ideo Pont. huius perpetuæ Conſtitutionis edicto, pœnas in prædictos per ſacras leges, aut canonicas ſanctiones impoſitas approbat, & innouat, & ad illos, ſi in eis comprehenſę non eſſent, extendit. §. 2. Et ſtatuit, quòd nemo famoſos libellos, & literas nuncupatas *d'auiſi*, continentes conuicia, & famæ, & honoris alicuius læſionem, nec aliquam ſcripturam, in qua de futuris ſucceſſibus diſſeratur, vel ea, quæ coram ipſo, vel aliis ad Eccleſiæ vniuerſalis regimen deputatis ſecretò tractantur, reuelet, componat, dictet, ſcribat, exemplet, retineat, nec ad aliquem tranſmittat, ſed ſtatim, antequam vim earum manifeſtauerit, corrumpat, vel Cardinali Ruſticucio conſignet, ſub prædictis pœnis, & aliis grauioribus, etiam vltimi ſupplicij, & confiſcationis bonorum, iuxta qualitatem facti, perſonarúmque arbitrio ipſius Papæ irremiſſibiliter infligendis. d. §. 2. Eiſdémque pœnis eos ligari decernit, qui in eiſdem libellis, literis ſeu ſcripturis, de aliquo locuti fuerint, & aliorum famæ, honoríque, vera etiam exprimentes, detraxerint, ac ea, quæ coram nobis ſecretò tractantur, reuelauerint. d. §. 2. Háncque Bullam perpetuis futuris temporibus durare, nullo defectu notari, & ſub aliquibus reuocationibus non comprehendi decernit. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Formámque & effectum publicationis ſubiungit. §. 6. Quæ quidem publicatio ſubſequitur in fine.

Scholion primum.

Quæro. Diceretúrne libellum, vel ſcripturam inuentam manifeſtare, qui vni tantùm perlegit?

R E S P. Negatiuam ſententiā tenet Burſat. conſ. 94. lib. 1. num. 17. Cephal. conſ. 341. lib. 3. num. 28. & Claud. ad Bertazzol. conſ. 237. in verſ. penul. ea adducti ratione, quòd manifeſtum dicitur, quod pluribus innoteſcit, vt voluit

voluit Bart. in l. hæredes palàm. 21. ff. de teſtam. num. 2. Sed contrarium mihi verius videtur: nam cùm ſuprà præſupponit Papa, quòd inueniens libellum corrumpat, & nulli fateatur inuentum, dum ſubdit (nec eius vim manifeſtet) ſenſus eſt, quòd nulli manifeſtet; & huiuſmodi dicto eſt vniuerſalis negatiua, vt ſciunt omnes. Vltra quod Bart. dum affirmat manifeſtum dici, quod pluribus innoteſcit, non negat manifeſtum quoque dici poſſe, quod vni ſoli manifeſtatur ab altero; ad ea quæ Panorm. ſcribit in c. 1. de Cleric. non reſid. num. 3. Vnde fur manifeſtus dicitur, qui ſolùm ab vno furati deprehenditur, ad tex. in §. 1. Inſtit. tit. de oblig. quæ ex delict. naſcuntur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num iſta Conſtitutio eſt temporalis, attendendo illa verba, *arbitrio noſtro*, & illa, *Cardinali Ruſticucio*, de quibus in §. 2.

R E S P. Non, attentis illis verbis, *perpetuæ Conſtitutionis edicto*, de quibus in princ. d. §. 2. & illis verbis in §. 3. *perpetuis futuris temporibus durare.* Sed ex ſuperabundanti ſcias, quòd pro Statu Eccleſiaſtico proclama deſuper edidit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Ludouicus Ludouiſius S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tit. S. Mariæ Transpontinæ, totius Status Eccleſiaſtici Generalis Superintendens, & pro Roma, eiúſque diſtrictu aliud edidit Reuerēdiſſimus Berlingerius Gypſius Epiſcopus Ariminenſis, Almę Vrbis, eiúſque diſtrictus Gubernator; quę tui cauſa hic cēſui imprimēda.

31. *Et perche è coſa chiara, è manifeſta à tutti, quanto ſiano gl'inconuenienti, che ſogliono auuenire per la publicatione de libelli famoſi, deſiderando Sua Signoria Illuſtriſſima ouuiare à quelli, con ogni opportuno rimedio, ordina, & comanda, che neſſuna perſona ardiſchi fare, attaccare, ò far attacare in qualſiuoglia luogo, ò tempo Libelli famoſi, ò Paſquinate di qualſiuoglia ſorte, ò maniera, ancorche in detti Libelli, ò Paſquinate ſi eſponeſſe la verità, ſcriuere, ò dar lettere, ò memoriali ſenza nome, che contenghino ingiuria, ò diffamatione d'altri, ne ſcriuer, ò far ſcriuere ſcrittura in proſa, ò in verſi, ò altra ſorte, che contenghino alcuna ſorte di maledicenze, ò detrattione, ò calunnia di Prencipi, ò di perſone graduate, Eccleſiaſtiche, ò Secolari, ò d'altre perſone priuate, etiam con ciſre, ò figure, ne quelli attaccarli, ò darli ad altri, accioche vadino per mano di molti, ad effetto che ſi publichino, ò deuulghino, & quelli che eſſēplaranno, ò riterranno ſimili Libelli, ò Paſquinate, incorrino in tutti li ſudetti caſi in pena della vita, confiſcatione de beni, & perpetua infamia, ſecondo la qualità della perſona, ò almeno della Galera ad arbitrio di Sua Signoria Illuſtriſſima, &c. Dat. in Roma li 23. d'Aprile 1621.*

IL CARD. LVDOVISIO.

GIO. ANDREA CASTELLANI Secr.

Die 24. Aprilis 1621. ſupradictum Bannimentū affixum fuit in acie Campi Floræ, ac aliis locis conſuetis Vrbis, per me Auguſtinum Braccherium Apoſt. Curſorem.

DOMINICVS DE RVBEIS pro D. Mag. Curſ.

SE bene per le Conſtitutioni de Sommi Ponteſici, & per varij Bandi particolari ſi è in diuerſi tempi prouiſto all'inconuenienti, che prouengono da Libelli famoſi, Paſquinate, ò altre ſcritture infamatorie, intendendoſi però, che non oſtante queſte buone prouiſioni, vanno per mano di molti ſcritture ſimili. Perciò per ouuiare alli molti ſcandali, che ne ſeguono, & prouedere ad altri mali, odij, & nemicitie inteſtine, che da ciò poſſono ſuccedere. Il. multo illuſtre. & Reuuerendiſſimo Monſignor Berlingerio Geſſi Veſcouo di Rimini, & di Roma, & ſuo diſtretto General Gouernatore, & Vice Camerlingo, d'ordine expreſſamente à bocca datoli dalla Santità di N. Sig. PAPA GREGORIO XV. confirmando, & innouando ſodette prohibitioni, & Bandi di nuouo prohibiſce, ordina, & comanda, che niuna perſona de qualſiuoglia grado, ſtato, conditione, ò dignita che ſia, preſuma, ò ardiſca componere, fare, dittare, ſcriuere, copiare, ritenere, dare, ò mandare ad altri, publicare, attaccare, è fare attaccare in qualſiuoglia luogo, ò tempo Libelli famoſi, Paſquinate, Lettere, ò Memoriali, ò altre ſcritture di qualſiuoglia ſorte, ò qualità, che contenghino maledicenze, detrattioni, ingiurie, diffamationi, ò calunnie de Prencipi, perſone graduate, Eccleſiaſtiche, ò Secolari, ò di

di qualſiuoglia priuata altra perſona, huomo, ò donna viuenti, ò che gia ſino morti, in qualſiuoglia lingua, ò idioma, in ſtampa, ò manoſcritte, così in proſa, come in verſi, etiam con cifre, ò figure, & ancorche li foſſero venute da altre Prouincie, Città, Terre, & luoghi, ò che foſſero compoſte, & ſcritte come facetie, ò ſotto altro preteſto, ò colore, ſe bene anco ſi pretendeſſe, che conteneſſero la verità, ò cō effetto la cōteneſſero, ſotto le pene cōtenute nella Bolla di Pio V. di fel. me. & nelli Bādi in tal materia publicati; nelle quali pene incorreranno ancor quelli, che legerāno, cātarānno, ò in alcun modo reciteranno alcune delle ſodette ſcritture.

Et ſimilmente ordina, & comanda, che ciaſcuna perſona d'ogni qualità, come di ſopra, alla quale capitaſſe in qualſiuoglia modo alcuna delle ſcritture di ſopra probibite, ſenza manifeſtarla, ò moſtrarla ad alcuno, la debba portare, & con effetto conſegnare al medeſimo Monſig. Gouernatore, ò al ſuo Caponotaro, & chi non haurà in mano alcuna di eſſe ſcritture, ma hauerà notitia, che alcun' altra perſona le habbia, & tenga, ò le habbia cōpoſte, ò ſcritte, ò habbia cōſeſſo, alcuno delli altri atti di ſopra probibiti, debbia ſubito riuelarlo ad eſſo Mōſig ſotto l'iſteſſe pene.

Et oltre di ciò d'ordine di Sua Santità ſi promette à chi riuelarà alcuno di quelli, che haueranno commeſſa alcuna delle coſe, di ſopra prohibite, il terzo delli beni, che ſi confiſcoranno, & quando non ſi venga à confiſcatione, di cento, & cinquanta ſcudi di donatiuo da pargaſeli ſubito, che con effetto ſi faranno trouate le ſudette ſcritture, ò che il denunciante hauerà ſomminiſtrati tali inditij, che ſi poſſa contra il delinquente venire in luce della verità, promettendo ſi anco di tenere ſecreto il detto denunciante.

Dourà ciaſcuno auuertire di non contrauenire alli ſodetti ordini rendendoſi certo, che all'eſſecutione d'eſſi, & alle pene comminate ſi procederà etiam ex officio & per via d'inquiſitione con ogni ſeuerità, & rigore ſenza alcuna remiſſione. In quorū fidem, &c. Dat. Romæ in Aedibus præfati Reuerendiſſ. D. Gubernatoris, die 2. Septembris 1621.

BERLING. GYPSIVS, Epiſc. Arim. Gub. & V. Cam.

CXLVIII.

CVm ſicut non ſine graui dolore, & infra pag. 360. Bullarij. *Edita Anno 1572.*

COMPENDIVM.

Prohibet quibuſcumque Officialibus Status Eccleſiaſtici milites armatos quauis cauſa in Monaſteriis, aliiſque piis locis aſſignare. §. 1. & 2. Et neque in illis hoſpitari. d. §. 2. Et minùs id permittere. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Num etiam ante hanc Conſtitutionem extabat hæc eadem hoſpitandi prohibitio?

RESP. Ita quidem, vt argumento tex. l. 1. Cod. de Epiſc. & Cleric. tenet ibid. Odofred. num. 3. & Bald. num. 2. & Salyc. ibid. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. In compendio Conſtitutionis 11. exemit hic Pont. quoſcumque Regulares ab iſto onere hoſpitandi milites, cur ergo hæc iterum exemptio concedit ur?

RESP. Latior eſt iſta gratia, quia ſuffragatur omnibus locis piis Status Eccleſiaſtici; & latior eſt etiam prohibitio contra eiuſdem Status Officiales, qui eam impedirent, vt ſatis liquet ex vtriuſque Conſtitutionis lectura.

CXLIX.

LIcèt omnibus notiſſimum ſit, & infra pag. 361 Bullarij. *Edita Anno 1572.*

COMPENDIVM.

Chriſtianos apud Turcas ſclauos, & parta pro Chriſtianis victoria repertos, liberè cum bonis ſuis dimitti præcipit. §. 1. Contrauenientes pœnis afficit. §. 2. Solā huius indulti ſignaturam ſufficere decernit. §. 3. Eiúſque exemplis fidem adhiberi. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quot fuerunt ex Chriſtianis à Turcarum captiuitate liberati?

RESP. Quindecim millia Chriſtianorum, quos ſuperioribus annis barbari captiuos fecerant, in libertatem vindicati fuêre. Sic ſcribit Ciacon. in vita huius Pontificis pag. mihi 1205. & poſtremò Io. Anton. Gabur. in eius itidem vita lib. 5. cap. 5.

ſ *Scholion*

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi victoria qua die parta?

R E S P. In Conſt. 11. Greg. XIII. huius Pij ſucceſſoris, die 7. Octobris 1571. victoriam ceſſiſſe Chriſtianis habetur, & ſcribunt ſupradicti Ciacon. & Gabut. in locis prææallegatis.

GREGORIVS XIII.

Italus creatus anno 1572.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1572. Æquum reputamus, & infra pag. 361. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Pium V. Religioſis Societatis IESV, eorúmque familiaribus, clericali charactere inſignitis, priuilegium dediſſe, in omnibus eorum cauſis ciuilibus, criminalibus, & mixtis, in quibus actores, vel rei conuenti forent, in Conſeruatores, & Iudices ordinarios quamcumque perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam, vel Epiſcoporum Vicarios in ſpiritualibus, vel Officiales generales eligendi. §. 1. & 2. Conſeruatoribúſque ampliſſimam iuriſdictionem conceſſiſſe. §. 3. Et huic priuilegio non cenſeri derogatum ſtatuit per quaſuis literas Apoſtolicas, quibuſcumque ſuffultas clauſulis derogatoriis, niſi illius tenor de verbo ad verbum eſſet inſertus, & derogatio eiuſmodi Societati intimata foret. §. 4. Et quemlibet ex Cōſeruatoribus poſſe proſequi articulum per alium inchoatum, quamuis minimè eſſet impeditus, quibuſcumque non obſtantibus. §. 5. & 6. Tranſumptíſque fidem adhiberi decreuit. §. 7. Et quoniam literæ, eius ſuperueniente obitu, non fuerunt expeditæ, hic Pont. de eius validitate non dubitari mandat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Si hic non ſpecificè eſſet dictum de Vicariis Epiſcoporum, nónne de iure in Cōſeruatores eligi potuiſſét?

R E S P. Controuerſa admodum quæſtio eſt, licèt affirmatiua videatur verior ex his, quæ plenè poſt alios deducit Iacobus Sbroz. in ſuo Tract. de Vicar. Epiſc. libro 2. quæſt. 27. num. 2. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi Societatis indulto eligendi in ſuis cauſis Conſeruatores & Iudices, eritne derogatum à Sixto Quinto, qui Rotæ Maceraten. cauſarum Eccleſiaſticarum cognitionem infra in ſua Conſt. 94. conceſſit, aliorum priuilegiis pleniſſimè derogando?

R E S P. Rotamet Maceraten. in cauſa in ea promota à Ieſuitis, cenſuit non fuiſſe derogatum, multiplici ratione, & præſertim quòd eorum priuilegio nulla præiudicat derogatio eiſdem non intimata, vt videre eſt in deciſionibus Prouinciæ Marchię collectis à M.Anton. Amato, deciſ. 17. per totam.

II.

Omni certè ſtudio, & infra pag. 363. Bullarij. *Edita Anno 1572.*

COMPENDIVM.

Prohibet, Agnus Dei per Romanum Pontificem benedictos, depingi, miniari, aut venales proponi, vel teneri, ſed eos albos, & mundos decenter deferri, ac retineri mandat. §. 1. Præcipit Ordinariis, vt in ſuis diœceſibus hanc Conſtitutionem publicent. §. 2. Vltra excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam, alias etiam pœnas arbitrio Ordinariorum imponi iubet. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Venditio, de qua hic in §. 1. intelligetur interdicta de Agnus Dei depictis, an verò de puris?

R E S P. De depictis, quia de eis venditio fieri ſolebat; & ita communiter hanc legem intellectam, & conſuetudine interpretatam eſſe, ſcribit Suarez de Relig. libro 4. de ſimon. cap. 14. pag. mihi 451.

Scholion ſecundum.

Quæro. Agnus Dei quæ eſt materia, & quæ eſt virtus?

R E S P. Accipe ex Octaſtico illo Vrbani V. cum tribus Agnus Dei ad Græcorum Imperatorem miſſo, & ex Cæremonialis libro deſumpto.

Balſamus, & mūda cera cū Chriſmatis vnda
Conficiūt Agnū, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per myſtica ſanctificatū:
Peccatum frāgit, vt Chriſti ſāguis, & angit,
Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur:
Mane

Munera fert dignis, virtutem deſtruit ignis,
Portatus mundi de fluctibus eripit vnda,
Morte repentina ſeruat, Satanaque ruina,
Si quis honoret eum, retinet ſuper hoſte trophaum
Párſque minor tantum, tota valet integra quantum.

III.

Edita Anno 1572. INter cætera, & infra pag. 363. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. prohibuit in ſua Conſt. 35. de qua ſup. Ciuitates, & loca S.R.E. alienari, & infeudari, & bona quomodolibet deuoluta, & deuoluenda, Cameræ eo ipſo incorporata cenſeri decreuit, abſq; alia declaratione. §. 1. Iſte Pont confirmat, innouat, & perpetuò obſeruari mãdat. § 3. Sanctionem pœnalem addit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Illud verbum, *quomodolibet,* quid operatur?

RESP. Comprehendit omne genus deuolutionis, ratione directi dominij, ex capite felloniæ, lineæ finitæ, dilationis, aut non ſolutionis canonis, & huiuſmodi, quia eſt vniuerſale. c. 1. qu:b. mod. feudum am. t. & cap. 1. quæ fuit cauſ. benefic. amit. cum ibi à DD. notatis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cuius effectus ſunt illa verba, *eo ipſo incorporata?*

RESP. Vltra quod non requiritur declaratio, neque executio, vt hic dicitur, ceſſabit omnis prætenſio præſcribẽdi ius incorporandi, cùm pro incorporatis habeantur ipſa bona. Præſcriptio autem requireretur centum annorum contra Cameram Apoſtolicam, vt ſciunt omnes, licèt regulariter hoc ius, quoad Fiſcum, præſcribatur 20. annis, vt per Caſſan. ſuper conſuetud. Burgund. rub. 2. num. 10.

IV.

Edita Anno 1572. EA eſt rerum humanarum, & infra pag. 364. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cùm in Vrbe curioſorum (qui Menãtes vocantur) quædam emerſerit ſecta, qui quęcumque de publicis, priuatiſque negotiis, domi, foriſq; facta, infecta, vera, & falſa, nullo diſcrimine proponunt, recipiunt, & ſcriptitant, ita vt iam artem quamdam inſtituerint, & quidam eorum harum rerum commentariolos huc, & illuc miſerint. §. 1. Iuſtis de cauſis hic Pont. prohibet, ne quis tales commentariolos conficere, neque ab aliis confectos recipere, deſcribere, ſpargere, aut ad alios mittere audeat. §. 2. Et qui contrafecerit, perpetua ignominiæ nota affectus, ſine vlla ſpe veniæ, ad triremes, aut perpetuò, aut ad tempus, prò admiſſi qualitate damnetur. d. §. 2. Qui verò illos receperit, & Vrbis Gubernatori quamprimùm non ſignificauerit, & conſignauerit, pœnis eiſdem ſubiicitur. d. §. 2. Antiqua autem iura, contra ſcribentes, aut mittentes libellos famoſos edita, in ſuo robore durent. d. §. 2. Exemplíſque huius Conſtitutionis fides detur. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Num contra eiuſmodi famigeratores quicquam poſt eiuſmodi Cõſtitutionem ſeuerius editum fuit?

RESP. Sixti V. tempore Gubernator Vrbis, eiúſq; diſtrictus, die 12. Octobris 1586. dum Genitor meus illius erat Locumtenens, promclama edixit, quorum pars eſt, quæ ſequitur, videlicet.

Ordina, e comanda, che neſſuna perſona di qualſiuoglia grado, ſtato, ò conditione ardiſca, ò preſuma ſcriuere, ò farſcriuere con lettere d'auuiſi, ò altre ſorti di ſcritture, à neſſuna ſorte di perſona di qualſiuoglia grado, ò conditione, ſotto qualſiuoglia preteſto, ò queſito colore, infamie, detrattioni, calunnie di neſſuno, & maſſime de Prencipi, & perſone graduate, Eccleſiaſtiche, ò ſecolari, ne quelle offendere con titoli inconuenienti, ne in altro modo mordere, ſotto preteſto di facetie, & motti expreſſamẽte, ò con colorate figure, ne inſcriuere in qualſiuoglia ſorte di lingua ſceſamente, ne con cifre, & figure, ne con occaſione di diſcordi biaſmar l'attioni publiche, ò ſecrete di altrui, che come fondati nelli loro capricci, ſenze ſaper ragione, ò principio de negotij, s'auuiluppano (li miſeri) nelle maledicenze, & detrattioni, con ſcandolo, & nauſea anco di chi le legge; ſotto pena della vita, & confiſcatione de beni, & di perpetua infamia.

Ordina anco Sua Signoria Reuerẽdiſſima, che neſſuno ardiſca riceuer da qualſiuoglia perſona ſimil auuiſi, lettere, ò ſcritture, che

ſ 2 con

contengono ſimil maledicenze, & detrattioni, & chi li riceuerà, ſe ſubito non le riuelarà alli Gouernatori, & ſuperiori de luoghi, oue li riceuerà, incorra nelle medeſime pene ſopradette.

Prout ſedente S. D. N. GREGORIO XV. Gubernator die 6. Martij 1621. aliud bannum promulgauit, vbi ſub num. 28. id continetur.

Che neſſuno ardiſca, ò preſuma ſcriuere, ò far ſcriuere lettere d'auuiſi, ò gazette à qualſiuoglia perſona ſotto, alcun preteſto ſenza licenza in ſcriptis di Sua Signoria Reuerendiſſima, ò ſuo Caponotaro, ſotto pena di tre tratti di corda, & cento ſcudi, & anco della galera per cinque anni, ſecõdo la qualità de caſi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Antiqua autem iura, de quibus in §. 5. quid circa libellos famoſos diſponunt?

RESP. Multa ſunt eiuſmodi iura, & quamplurimę interpretum expoſitiones, de quibus latè poſt alios ſcripſit Farinac. in conſ. 30. vbi nonnulla aliorum Aduocatorum conſilia cumulauit, & etiam in conſ. 123. & in conſ. 145. per totum, & vberiùs in quæſt. 105. num. 321. & ſeqq.

V.

Edita Anno 1572.

DVm ad vberes, & infra pag. 364. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat facultatem Ordini Fratrum, & Monialium Eremitarum S. Auguſtini, quæcumque quorumcumque Monaſteriorum bona immobilia, ſeu quaſi, cuiuſcumque valoris, alienandi, vendendi, permutandi, in emphyteuſim ſeu liuellum etiam ad longum tempus concedendi, pro pretio, affictu, pacto, modis, & formis hinc inde conueniendis. §. 2. Dummodo id faciant pro commodo, vel vtilitate eorum, & conſenſus duarum partium ex tribus Fratrum, vel Monialium illius loci, cuius bona erunt, accedat; & quoad conceſſionem in emphyteuſim illa non fiat vltra duas generationes, vel nominationes, & locò conſenſus Sedis Apoſtolicæ Prior generalis ipſius Ordinis, re diligẽter examinata, pro euidenter vtili comprobata, comprobet. d. §. 2. Executores deputat. §. 3. Contrariáque omnia aufert. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Alienationis eiuſmodi prohibitio comprehendítne etiam conceſſionem iurium, & actionum ad bona immobilia?

RESP. Comprehendere mihi probat tex. in l. Bonorum. 49. ff. de verbor. & rer. ſignific. & ita tenet Summ. Armill. in §. Alienatio. num. 16. & Panorm. in cap. nulli. 5 de reb. Eccleſ. non alien. num. 9. in fin. & in cap. 1. depoſit. num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vtilitatis ratio, de qua in §. 2. de quo tempore habenda eſt?

RESP. De tempore contractus, vt cenſuit Bald. conſ. 334. lib. 1. in fin. Vitalin. in clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien. num. 58. eóſque ſecuta eſt Rota in deciſ. Seraph. 366. num. 1.

VI.

Edita Anno 1572.

CHriſtiani populi corpus, & infra pag. 365. Bullarij.

COMPENDIVM.

Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux inſtat pro licentia inſtituendi Militiam ſub inuocatione Sancti Mauritij, ſui, ſuorúmque anteceſſorum Protectoris. §. 1. Pontifex eius propoſitum collaudat, & dictam licentiam impartitur. §. 2. Dictámque Militiam inſtituit ſub denominatione ſupradicta, & ſub perpetua protectione Ducis Sabaudiæ, eius Magni Magiſtri, & cum menſa Magiſtrali, inſignibus, & Officialibus conſuetis. §. 3. Militibus cum vnica tantùm virgine matrimonium contrahere indulget. d. §. 3. Et dictæ Militiæ dotem quindecim millium ſcutorum applicat. d. §. 3. Magno Magiſtro dat authoritatem, optimos viros ex omnibus nationibus ad habitum, & regularem profeſſionem admittendi. §. 4. Et vbique Præceptorias, & alia beneficia dictæ Militiæ erigendi. §. 5. Eis quoque erectis bona patrimonialia, & laicalia eorum, qui relinquere voluerint, dotis nomine aſſignandi. §. 6. Ius etiam patronatus fundatoribus, & dotatoribus reſeruandi. §. 7. Dat inſuper eidem Magno Magiſtro poteſtatem Prouincias, & nationes ſeparandi,

Digitized by Google

Præceptorias, & beneficia conſtituendi, & eorum ſingula quos fructus, & quæ onera habere, quibuſue legibus ſub iacere debeant, ſtatuendi, ac cætera ad vſum huius Militiæ neceſſaria decernendi. §. 8. Et ſtatuta condendi. §. 9. Decretum irritans apponit. §. 10. Et contrariis derogat. §. 11. Formam profeſſionis fidei à Militibus emittendæ ſubiungit. §. 12. Sanctionémque pœnalem ſubnectit. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Hi Milites ſi poſt factas probationes obtinuerunt gratiam ſuſcipiendi habitum, & ſoluerunt viaticum, habitum tamen non aſſumpſerunt, ſi delinquunt, exemptíne ſunt à iuriſdictione Iudicum ſæcularium, aut ab eorum Magno Magiſtro iudicantur?

R E S P. Fori priuilegio Magni Magiſtri non gaudent, quia non ſufficit deſtinario, quæ multis accidentibus non ſortitur quandoque effectum ſuum, vt egregiè probat Vincent. Franc. deciſ. 449. num. 2. vbi ſic iudicatum fuiſſe teſtatur, & reſpondet contrariis, & pariter Caball. caſu 65. num. 6. & ſeqq.

Scholion ſecundum

Quæro. Habitu autem ſuſcepto, poſſent eiuſmodi eorum priuilegio renunciare?

R E S P. Verius puto non poſſe, cùm videatur huic Ordini Militari datum, cui ipſe præiudicare non valet, vt aliàs de aliis huiuſmodi Militibus tibi dixi ex Caball. caſu 225. num. 17. & ſeq. & caſu 294. num. 255.

V I I.

Edita Anno 1572. PRo commiſſa nobis, & infra pag. 367. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat inſtitutionem Militiæ S. Mauritij, de qua in præced. Conſt. & maximos exinde ſperare fructus, ſi huic nouæ antiquam vniat Militiam S. Lazari Hieroſolymitani, temporum iniuria valdè deiectam. §. 1. & 2. Præſerrim ſi Dux Sabaudiæ vtriuſque Militiæ Magnus Magiſter conſtituatur, iſque duas triremes pro Sede Apoſtolica dictis Militibus inſtructas teneat. §. 3. Vnit ergo eas ſub denominatione SS. Mauritij, & Lazari, earúmque magnum Magiſtrum Ducem Sabaudiæ conſtituit. §. 4. & 5. Eique dat facultatem, Militibus S. Lazari habitum nouum ab eo deſignandum, dimiſſo antiquo, ſi illum habeant, tradendi, & non habentes ad illũ ſuſcipiendum cogendi. §. 6. Eundem dictas duas triremes vt ſupra inſtructas tenere decernit. §. 7. Principes, vt illi faueant, hortatur. §. 8. Contrarium attentari vetat. §. 9. Executores deputat. §. 10. Contraria repellit. §. 11. Sanctionem pœnalem ſubiicit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Sperati fructus, de quibus in §. 1. euenerúntne cum effectu ex hac vnione?

R E S P. Eueniſſe inquit Clemen. VIII. infrà in ſua Conſtit. 102. §. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hi Milites delicto patrato, dum ſunt Milites, ſi poſtmodum Militia priuantur, à quo de eo crimine iudicandi?

R E S P. A ſuo iudice, de tempore delicti, vt firmat Vincent. de Franc. in deciſ. 417. num. 3. & ſeqq. & hanc opinionem veriorem fatetur Caball. caſu 147. num. 12. vbi tamen contrarium ſeruari ſubiungit.

V I I I.

DEo ſacris Virginibus, & infra pag. 368. Bullarij. *Edita Anno 1572.*

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 5. de reformat. præcipit omnibus Epiſcopis, vt in omnibus Monaſteriis ſibi ſubiectis ordinaria, in aliis verò authoritate Apoſtolica clauſuram, vbi violata eſſet, reſtitui, & vbi inuiolata, conſeruari maximè procurarent, prout etiam Bonif. V I I I. in cap. 1. de ſtat. Monachor. iam decreuerat. §. 1. Pius V. in ſua Conſt. 8. de qua ſup. prædicta approbauit, & declarauit, eleemoſynáſque pro dictis Monialibus colligi decreuit. §. 1. Et hic Pont. Monialibus clauſuram ſeruantibus applicat medietatem eleemoſynarum pro Chriſti pauperum victu, & veſtitu deſtinatarum, & deſtinandarum. §. 2. & 3. Ordinarios locorum ad earum exactionem, applicationem, & diſtributionem deputat. §. 4. Et eiſdem vt conſanguineos

Monialium, alióſque ad eis charitatiuè ſubueniendum hortentur, iniungit. §. 5. Quódque in Monaſteriis, quibus de ſufficienti ſubuentione prouiſum extiterit, Cõuerſas profeſſas ad clauſuram cũ aliis Monialibus reducant, & non profeſſas, nec profiteri volentes dimiſſo habitu domum remittant, neque alias, niſi profeſſionem emiſſuras, & ſub clauſura perpetua manſuras, recipi permittan. §. 6. Conuerſas profeſſas, quas Pius V. de cætero recipi vetuit, declarat non eſſe illas, quæ extra Monaſteria in domibus contiguis degcrent. d. §. 6. Eleemoſynarũ prædictarum contributionem durare decernit, quouſque Monaſteriis ſit de commoda ſuſtentatione conſultũ. d. §. 6. Monialibus etiam Tertiariis interdicit oſtiũ, per quod ex Monaſterio poſſit ingredi Eccleſia exterior, vbi ſæcularibus datur acceſſus. d. §. 6. Et eiſdem vetat egreſſum a ianua clauſuræ Monaſterij, ad claudendum aliam vlteriorem ianuã, per quam ſæculares accedunt ad parlatoria, vel pulſandum ianuam clauſuræ. d. §. 6. Dominos temporales hortatur, vt locorum Ordinariis faueant in præmiſſis. §. 7. Ordinariis verò publicationẽ, & executionem eorumdem committit. §. 8. Contrariíſque omnibus derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Si Conuerſæ non ſunt recipiendæ, niſi neceſſariæ ad eleemoſynas colligendas, & illæ cũ Monialibus intra Monaſteria degere non valerent, vt in §. 6. vnde eſt, quòd in Monaſteriis paſſim recipiuntur ad profeſſionem Conuerſæ, quæ ſeruitiales nuncupantur?

R E S P. Conuerſæ ſeruitiales ſunt in duplici ſpecie. Aliquæ enim recipiuntur ad ſeruitium colligendi eleemoſynas, ſi illis Monaſteria indigent, quæ duo vota caſtitatis, & paupertatis, ſed non aliud de ſeruanda clauſura emittunt, & de iſtis non recipiuntur niſi neceſſariæ ad ſeruitium, & vti tales extra Monaſteria in domibus contiguis degunt. Aliæ autem ſunt Conuerſæ ſeruitiales, quæ recipiuntur ad omnia ſeruitia Monialium intra Monaſteria, quæ vltra ſubſtantialia vota, emittunt etiam aliud de perpetuò ſeruanda clauſura. Et iſtæ licèt albo velo ſignentur, aliæ verò Moniales ad Chorum deſtinatæ nigro vtantur, ſunt tamen verè Moniales, & de iſtis Conuerſis non intelligitur hæc Bulla, vt latè declarat Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 84. verſ. Secunda aſſertio.

Scholion ſecundum.

Quæro. Monialium, vel Conuerſarum appellatione, de quibus hic, comprehendunturne etiam Oblatæ, ita vt clauſuram ipſæ pariter ſeruare teneantur?

R E S P. Non, quia eſt alia ſpecies, cũ Moniales propriè ſint, quæ ſuſcipiunt habitum, & profitentur regulam emiſſis tribus votis ſubſtantialibus, vt ſeruiant in Choro. Conuerſæ eadem faciunt, vt ſeruiant extra Chorum. Oblatæ verò, quæ ſe, & ſua perpetuò donant alicui Monaſterio abſque dictorum votorum emiſſione, vt latiſſimè explicat Nauar. in conſ. 81. de Regular. lib. 7. per totum, & etiam in conſ. ſeqq.

I X.

IN tanta rerum, & negotiorum mole, & infra pag. 370. Bullarij. *Edita Anno* 1573.

C O M P E N D I V M.

Multa priuilegia Ordinibus Mendicantium Pius V. in ſua Conſt. 41. de qua ſup. elargitus eſt. §. 1. Illáque ad alios Ordines extendit. §. 2. Et deinde ſuper deputatione Fratrum ad exercitium curæ animarum in parochialib. Eccleſiis, quæ illis vnitæ ſunt, in ſua Conſt. 47. de qua ſup. alia decreuit. §. 3. Poſtremò dicta priuilegia quoad Ordines non Mendicantes reſtrinxit, indultáque Mendicantium magna ex parte moderatus eſt, & alia ſtatuit in ſuis literis nuſquam publicatis. §. 4. Et poſtremò Regulares etiam Mendicantes Lectores, & in Theologia graduatos, non poſſe ſæcularium audire confeſſiones, ab Ordinariis locorum non examinatos, & approbatos, in alia eius Conſtit. 133. de qua ſup. ſtatuit. §. 5. Hic modò Pont. prædictas, & alias quaſlibet Pij V. circa ſtatum Regularium Conſtitutiones eiſdem de rebus editas, ad eam diſpoſitionem reducit, quæ pro ſubiecta materia, ſiue ex iure veteri, ſiue ex Concilij Tridentini decretis, legitima erat ante dictarum Bullarum editionem. §. 6. Litéſque deſuper ortas ſecundùm hanc Conſtitutionem de-

cidi

Digitized by Google

cidi mandat.§.7.Futurorũ dubiorum deciſionem Sedi Apoſtolicæ reſeruat. §. 8. Decretum irritans apponit. §. 9. Obſeruantiam prædictorum omnibus iniungit. §. 10. Contraria remouet. §. 11. Tranſumptiſque credi indulget.§. 12.

Scholion primum.

Quæro. Hæc reductio priuilegiorum à Pio V. Regularibus conceſſorum, num comprehendit indultum exemptionis à gabellis, contributionibus, oneréque hoſpitandi Milites, de quo ſuprà in eiuſdem Pij Conſt. 11.

R E S P. Non, quia licèt reductio ſit de omnibus Pij Conſtitutionibus ſtatum Regularium concernentibus, reſtringitur tamen per illa verba, *de eiſdem rebus editas*, ita vt non poſſit extendi ad dictum indultum, de quo Pius non egit in ſuis Conſtitutionibus hic indicatis, vt Steph. Quarant. aduertit in ſuis adnot. ad hanc Bullam pag. mihi 416.in fin. & clarè patet ex lectura textus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ eſt legitima diſpoſitio, de qua in §. 6.

R E S P. Quæ continebatur in antiquis priuilegiis, vſque ad dictas Bullas Pij V. non reuocatis, vt exemptio à decimis,& ſimilibus.Ita in puncto ſcripſit Rod. de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 74. art. 16. in fine.

X.

Edita Anno 1573. CVm interdum contingat,& inf. pag. 371. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit, omnibus licere in quacumcumque die infra Octauam feſtiuitatis ſanctiſſimi Corporis C H R I S T I. proceſſionem celebrare, literis Pij V. & cæteris contrariis non obſtantibus. §. 1. 2. & 3. Obſeruantiam huius decreti omnibus præcipit. §. 4. Clauſulas præſeruatiuas addit. §. 5. Et decretum irritans. §. 6. Executores deputat. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8. Ac tranſumptis fidem dari mandat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Circumſcriptis eiuſmodi Pij V. & Gregorij X I I I. Conſtitutionibus, potuiſſéntne omnes, id eſt, laici publicas facere proceſſiones?

R E S P. De iure ciuili hoc eis erat abſque conſenſu Epiſcoporum interdictum, ad tex. in §. omnibus, in auth. de ſanctiſſ. Epiſcop. & notat Io. Franciſc. Leon. in ſuo Theſaur. For. Eccleſ. par. 4. cap. 2. de Confrater. num. 145. vltimò Romæ impreſſo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi Sacramenti Euchariſtiæ ſolemnis veneratio etiam per Octauam, nónne illud cæteris Sacramentis præſtantius eſſe demonſtrat?

R E S P. Ita quidem decreuit Alexan. I I I. in cap. 8. de conſecrat. diſt. 2. vbi Turrecrem. multa,& doctè quidem more ſuo de hoc Sacramento proſequitur, & cur cæteris præcellit, optimè demonſtrat.

X I.

MOnet Apoſtolus, & infra pag. 373. Bullarij. *Edita Anno 1573.*

C O M P E N D I V M.

Quia die 7. Octobris anni præteriti, omnipotentis dei clementia, Turcarum claſſis numero longè ſuperior à Chriſtianorum claſſe, in illius virtute decertante, non longè à Corinthiaco ſinu victa, & quaſſata fuit, eiuſmodi ingentis beneficij anniuerſariam memoriam haberi hic Pontifex decernit. §. 1. Et cùm preces Deo oblatæ, eo gratiores ad eum aſcendant, quo dignioribus interceſſoribus, & pio aliquo orandi modo offeruntur: cúmque dicta die 7. quæ tunc fuit dies Dominica, qua Confraternitates Roſarij proceſſionaliter incedentes, pias ad Deum preces effudiſſe, eáſque per interceſſionem Beatæ M A R I Æ Virginis ad dictam victoriam conſequendam plurimum profuiſſe piè credendum ſit; propterea ſolemne feſtum ſub nuncupatione Roſarij prima Dominica dicti menſis ſingulis annis ſub duplici maiori officio in perpetuum in omnibus locis, in quibus Capella, vel Altare Roſarij ſuerit, celebrari mandat. §. 2. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. In hoc prælio qui hinc inde virorum numerus occubuit?

R E S P. Hac de re in vita Pij V. ita ſcribit Ciacon. Triginta millia Turcarum

rũ, multi, Duces, Prouinciarũmque Præſides occubuerunt: ex noſtris autem ſupra ſexcentos & quinquaginta homines ſeptem millia deſiderata ſunt. & idem ferè recenſet Io. Anton. Gabut. de vita, & geſt. Pij V. lib. 5. cap. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis eiuſmodi contra Turcas bellum, & de quo tempore promouit?

R E S P. Pius V. cum Hiſpaniæ Rege, & Veneto Senatu fœdere aduerſus Turcas anno 1571. peracto, & promulgato, antea tamen per eumdem promoto, hanc naualem expeditionem, cui Marcum Antonium Columnam præfecerat, ſolemni ritu nauibus & militibus luſtratis, ſanctis benedictionibus eſt proſecutus; quæ omnia, aliáque multa recenſet Ciacon, nunc præcitatus.

X I I.

Edita Anno 1573. ET ipſa ratio, & vſus docet, & inf. pag. 373. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iulius I I I. ſanctionem edixit contra franchiſias in Vrbe tenentes, & Curiam in executione impedientes: & Pius I V. illã ampliauit. §. 1. Eas ſanctiones exactè ab omnibus ſeruari hic Pont. decernit. §. 2. Et ad pœnarum executionem procedi iuber Officialibus, ſi ſuam, & Sedis Apoſtolicæ vltionem voluerint euitare. §. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta comminatio vltionis quam pœnam indicat?

R E S P. Arbitrariam puto, cùm non ſit expreſſa, iuxta perſonarum, ac facti qualitatem. Bald. in auth. Statuimus. Cod. de Epiſcop. & Cleric. num. 2. Grammat. deciſ. 40. num. 20. & latiùs Menoch. caſu 365. per totum.

Scholion primum.

Quæro. Cur Papa vſus eſt illis verbis, *Sedis Apoſtolicæ*?

R E S P. Ad tollendum dubium, quod poſſet excitari circa verbum, *noſtram*, an ſcilicet per obitum Papæ expiraret iſta Conſtitutio, ad cap. ſi gratioſæ. 5. de reſcipt. in 6. Quamuis fuiſſet leuis, vel potiùs inanis hæc dubitatio, cùm huiuſmodi legis promulgatio pro perpetua ſubditorum quiete, potiùs dignitati quàm voluntati Papæ conueniat, vt egregiè poſt alios explicat Couar. var. reſol. lib. 3. cap. 15. num. 2. & ſeq. & Aym. conſ. 732. num. 2.

X I I I.

Edita Anno 1572. *&* 1579. CONſueuit Romanus Pontifex, & infra pag. 374. *Item*; Conſueuit Romanus, & infra pag. 375. Bull.

C O M P E N D I V M.

Pius V. in ſua Conſt. 128. de qua ſup. multa ſtatuit circa Ordinem Fratrum Minorum de obſeruantia, & inter alia de Miniſtri generalis, & aliorum Prælatorum electione, munere, & tempore, quo durare debeant, ac de aliis. §. 1. & ſeqq. Hic Pont. circa electionem multa reformat. §. 2. & ſeqq. & etiam in Conſt. ſubſeq. Et circa tempus, quo officia, durẽt. §. 7. & in alia Cõſt. ſubſeq. Et circa vocẽ actiuã & paſſiuam. §. 10. & ead. Conſt. ſeq. Et circa Nouitios recipiendos, ſeruãdáque Bullam Pauli I V. quoad deſcendentes à Mahometanis, Iudæis, & Hæreticis. §. 11. Et circa procurationem fauorum extra Religionem. §. 3. ſubſeq. Conſt.

Scholion primum.

Quæro. Conſtitutionis Pauli I V. enunciatæ in §. 11. tenorem vnde habere poſſem?

R E S P. Nuper eam Pauli IV. Conſtitutionem inſertam vidi in Bulla 3. Pij I V. qui eam confirmauit, à Rod. inter nonnullas Bullas pro Regularibus collectas, impreſſam, pag. mihi 398. ex qua tamen corrigendus eſt ille verſ. inſertæ Conſtit. Pauli I V. incip. Cùm itaque fel. recor. Pius Papa I I I. qui falsò Impreſſorum vitio ei aſcriptus videtur, cùm in Genitoris mei Codice manuſcripto, loco Pij Papæ I I I. legatur Clem. Papa V I I.

Scholion ſecundum.

Quæro. Veritas huius erroris vnde dignoſcitur?

R E S P. Ex tempore datæ eiuſdemmet Bullæ impreſſæ ab eod. Rod. vbi legitur annus 1525. quo tempore Clem. V I I. non autem Pius I I I. Apoſtolicæ Sedis regimini præerat. Ipſius autem Clementis Bullæ, in d. Pauli Conſtit. relatæ,

relatæ, atque ex eodem Codice deſumptæ, tenor hic eſt.

CLEMENS PAPA SEPTIMVS
Ad futuram rei memoriam.

Officij noſtri debitum exigit, vt Religioni deditis, præſertim Fratrum de Obſeruantia nuncupatorum, quos in viſceribus gerimus charitatis, ſic noſtræ ſolicitudinis ſtudium impendamus, quod ex Miniſtrorum ſuorum, ſeu aliorum quorumcumque culpa, aut indecentia grauamina, & diſpendia non patiantur.

§. 1. *Cùm itaque ſicut accepimus, Miniſtri Prouinciales Fratrum Ordinis de Obſeruantia prædictorum in ſuis Prouinciis ſpeciali priuilegio, tanquam Inquiſitores hæreticæ prauitatis ſuorum ſubditorum exiſtant, vt in ipſos ſubditos officium Inquiſitionis exerceant; Nos quorum eſt, quæ à perſonis Religioſis, præſertim alùs præſidentibus, contraria fidei, honeſtati, & Ordini exiſtunt, ad Dei laudem, & Religionis decentiam, ac animarum ſalutem ſubmouere, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero aliqui Fratres Minores Ordinis Obſeruantiæ huiuſmodi à Iudæis, ſeu hæreticis, quorum parentes, & progenitores paterni, ſeu materni viuentes, ſeu defuncti, vſque ad quartam generationem incluſiuè hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi ſeu eorum corpora, & oſſa, vel ſtatuæ igni tradita fuerint, originem trahentes, ſeu deſcendentes, etiam ad quaſcùque dignitates, & officia Eccleſiaſtica obtinenda, & exercenda præmiſſis non obſtantibus ſufficienti diſpenſatione, ſeu indulto ſuffulti, in Miniſtros Prouinciales, ſeu Guardianos, nec etiã ſæculares, ſimili modo à Iudæis, ſeu hæreticis originẽ trahentes, & deſcendẽtes, in Fratres Ordinis, & Obſeruatiæ huiuſmodi recipi, nec Prouincialatus, aut alia officia quæcumque gerere, & exercere quoquomodo poſſint.*

§. 2. *Diſtrictiùs inhibentes Generali, & Prouincialibus Miniſtris, ac Guardianis, & Fratribus eiuſdem Ordinis, & Obſeruantiæ in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo ſi cõtra fecerint incurrẽda, ne aliquos ex dictis Iudæis, ſeu hæreticis, vſq; ad quartam generationem originẽ trahentes, ſeu deſcendẽtes, vt præfertur, in Miniſtros Prouinciales, ſeu ad alia officia, nec de cætero ſæculares in Fratres in dicto Ordine eligere, aſſumere, recipere vel admittere, ſeu electos confirmare, & inſtituere quomodolibet præſumãt. Ac decernentes irritũ & inane quicquid ſecus attentari cõtigerit. Nõ obſtantibus, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrũ ſub Annulo Piſcatoris die xix. Martij M. DXXV.*

XIV.

Poſtquam Deo, & infra pag. 375. *Item*; Vt cæteri de Rep. & infra pag. 377. Bullarij. *Edita Anno* 1573. & 1574.

COMPENDIVM

Videns ſuperioribus ſæculis Prouinciam Germaniæ in Religionis cultu eminentem, variis excitatis de Religione diſſidiis, deformatam eſſe, opportunum adhibere volens remedium, Collegium Germanicum in Alma Vrbe erexit Iul. III. pro adoleſcentibus Germanicæ nationis liberalibus artibus, ſacra Theologia, & piis moribus inſtituendis, vt boni & docti euaderent, & ad patriam remeantes habendis concionibus, & diſputationibus, repellendiſque hæreſibus, fideique orthodoxæ veritati dilucidandæ, animarum curæ exercendæ, aliiſque piis operibus apti eſſent & idonei: ſed dictum Collegium tam ipſius Iulij III. obitu, quàm aliis difficultatibus ceſſauit, vt in proœm. & §. 1. Hic ideo Pont. iteratò illud erigit. §. 2. Annuos redditus aſſignat. §. 3. Eius gubernium Societati IESV concedit. §. 3. Exemptionem ab omni aliorum ſuperioritate, correctione, iuriſdictione, & viſitatione tribuit. §. 3. Et à gabellis, & decimis. §. 5. Priuilegia Studij Vrbis communicat. §. 6. Neminem illi moleſtiam dare præcipit. §. 7. Alumnos ad gradus per Superiores promoueri indulget. §. 8. Duos Cardinales eius Protectores deputat. §. 9. Contrariis derogat. §. 10. Indulgentias Scholaribus elargitur. §. 11. Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 11. Exemptionem ſupradictam vberiùs quibuſcumque non obſtantibus concedit in ſubſeq. Conſt. §. 1. & 2.

Scholion primum.

Quæro. Iulij III. Conſtitutionem, de qua

qua in §. 1. quo pacto videre poſſem?

Resp. Perlege eiuſdem Iulij Conſtitutionem, quam forſan non inutilem putabis, eámque propterea hic tibi imprimendam duxi.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CVm ſollicita conſiderationis indagine perſcrutamur, quàm ſit pretioſam ſapientiæ, & ſcientiæ bonum, cum probitate vitæ coniunctum, & quòd per illud, illo largiente, à quo procedit omnè datum optimum, omnéque donum perfectum deriuatur, ignorantiæ & vitiorum tenebræ profligantur, errores tolluntur, & mortalium actus in lumine veritatis diſponuntur, ſolliciti reddimur, & ſolertes, vt literarum ſimul, & Chriſtianæ pietatis ſtudia, ex quibus diuina cooperante gratia, acquiritur ſciētiæ cùm charitate coniuncta margarita, vbilibet, in illis præſertim locis, quæ ad ſerenda, irriganda, & multiplicanda ſtudia huiuſmodi, idonea & accommodata eſſe dignoſcuntur, ſalubria incrementa ſuſcipiant.

§. 1. Hinc eſt, quòd nos attendentes quāta ſit fidelium, & ſtrenuorum operariorum penuria, præcipuè in illis regionibus, vbi cultus veræ Religionis per varias hæreſes maximè imminutus, & Catholicæ, ac ſanæ doctrinæ, necnon vitæ lumen multis errorū tenebris obſcuratum eſt, quatámq; Chriſtianæ Reipublicæ, & fidei orthodoxæ conducat, vt militans Dei Eccleſia vbique, & præſertim in Germania viris exemplari vita, & literarum ſcientia præditis, quorum opera veritatis lumen protendi, & illud obumbrare nitentes diſſipari valeant, in dies abundet, Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & certa ſcientia noſtra, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac ipſius militantis Eccleſiæ exaltationem, & Germaniæ ſpirituale auxilium, in Alma Vrbe noſtra, & loco ad id conuenienti & apto, per infraſcriptos Protectores aſſignando, vnum Collegium Scholarium, Germanicum nuncupandū, cum dote, Eccleſia, vel Capella, in qua Miſſæ, & alia diuina officia iuxta prouidam ordinationem eorum, qui Collegij gubernationem ſuſcipient, celebrentur, necnō ſtructuris, ædificiis, cameris, & locis, ac dote ſimili Collegio conuenientibus, & neceſſariis, in quo aliquot nationis Germanicæ iuuenes dociles, & bonæ indolis, & ſi fieri poſſit, iam aliqua bonarum artium, & ſinceræ doctrinæ principia habentes, Deum timentes, & Religionem zelantes, ex regionibus, prouinciis, & locis Germaniæ educendi inſtituantur, & alantur, & bonis ac ſanctis moribus imbuantur, necnon literarū, & piæ vitæ ſtudio continuò vacent, ſub Magiſtris ſiue Præceptoribus eis per dilectos filios Societatis Iesv *nūcupatos conſtituendis, qui literas humaniores triū linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, ac Logicam, Phyſicam, & alias liberales diſciplinas, & demum ſacram Theologiam publicè legant, & doceant, & aliàs ipſorum Scholarium curam, regimen, & adminiſtrationem, in his, quæ ad morum integritatem, & verbi Dei prædicationem, ac explicationem, ac ad officium Chriſtiani Paſtoris, necnon bene, beatéque viuendum pertinent & ſpectant, ſuſcipiant, & nullis parcendo laboribus, quantum in eis fuerit, ædificent, & diuina præcepta eorum animis infigere conētur, & tales ſe erga eoſdem Scholares exhibeant, vt ipſi tandem diuinæ legis capaces, necnon ætate, doctrina, & probitate maturi, poſtquā de beneficiis Eccleſiaſticis competenter prouiſi fuerint, tanquā intrepidi fidei athletæ, in ſuas regiones ad alios exemplo vitæ ſuæ ad Chriſtum trahendos, & qui id talentum acceperint, ad verbum Dei docendum, & prædicandum, curam animarum ſibi commiſſam, ad Dei laudem & gloriam, ac ſpiritualem fidelium profectum exercendam, & adminiſtrandum, necnon hæreſum latens venenum deprehendendum, & errores apertos conuincendum, & reſecandum, ac denique fidem ipſam totis viribus defendendū, ac verbo, & exemplo ampliandum, & vbi extirpata fuit, denuò plantandum, cum animarum ſalute, remitti, & deſtinari poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium erigimus, & inſtituimus.*

§. 2. Necnon dilectos filios noſtros Rudulphum S. Mariæ trans Tyberim de Carpo, & Ioannem S. Pancratij Compoſtellan. ac Marcellum S. Crucis Ceruinum, & Ioannem S. Stephani in Celio Monte Moronum, necnō Ottonem S. Sabinæ de Auguſta, & Iacobum S. Simeonis Titulorum de Puteo nuncupatos S. R. E. presbyteros Cardinales, ipſorum

Colle

Collegij, & Scholarium Protectores, & defenſores, ad quos, vel aliquem Societas huiuſmodi poſſit pro conſilio, & auxilio in iis, quæ ad commiſſam ſibi curam pertinent, recurrere, quique adducendorum huiuſmodi Scholarium, & poſt ſtudia remittendorum, & quandiu in Collegio manebunt, ſuſtentãdorum, curam habeant, auctoritate, & tenore prædictis conſtituimus, & deputamus.

§. 3. Necnon Collegium præfatum, & illius Scholares, Magiſtros, ſeu Præceptores, Rectores, & Gubernatores pro tempore exiſtentes, eorúmque bona mobilia, & immobilia, cuiuſcumque qualitatis, & quantitatis exiſtentia, & in dicta Vrbe, & aliàs vbilibet conſiſtentia, ab omni iuriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium Senatoris, Conſulum, & Conſeruatorum, ac Reformatorũ dictæ Vrbis, necnon Rectoris Studij generalis eiuſdem Vrbis, ac aliorum quorumcumque Iudicum, Officialium, & perſonarum in dicta Vrbe, & aliàs vbilibet conſtitutorum, illáque, ac in propriis eorum rebus, & bonis, cũ eis contrahentes, à ſolutione, & exactione quorumcumque pedagij, gabellæ, bollettini, decimarum, & cuiuſuis ulterius, tum ordinarij, quam extraordinarij oneris in dicta Vrbe, & aliàs vbique locorum, & ex quacumque cauſa impoſitorum, & imponendorum, eximimus, & totaliter liberamus, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobíſque & dictæ Sedi immediatè ſubiicimus, ac liberos, immunes, exemptos, ſuſceptos, & ſubiectos, immuniáque & exempta fore, & eſſe.

§. 4. Et ita per quoſcumque Iudices, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere. Necnon quicquid ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, & declaramus.

§. 5. Ipſique Collegia, Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, vt omnibus, & ſingulis priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus Studium generale Vrbis huiuſmodi, & illius Rector præfatus, necnon Doctores, & Legentes in eo, quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè, & pariformiter vti, potiri, & gaudere poſſint, in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, & illa eis communicamus.

§. 6. Necnon Senatori, Conſulibus, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Rectori, & aliis Iudicibus, Officialibus, & perſonis prædictis, ac moderno, & pro tempore exiſtenti S. R. E. Camerario, Præſidentibus, & Clericis Cam. Apoſt. ac quibuſuis Commiſſariis ſuper exactione decimarum, & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis, ſub indignationis noſtræ pœna, ne prætextu quarumcumque literarum eis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis pro tempore conceſſarum, Collegium, Scholares, Rectores, & Gubernatores præfatos, ſeu eorum aliquẽ, ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtent, ſeu moleſtari permittant, diſtrictiùs inhibemus.

§. 7. Et inſuper Regentibus, & Superioribus dicti Collegij pro tempore exiſtentibus, aſſiſtentibus præfatis Protectoribus, ſeu aliquibus ex eis, aut de eorũ conſilio, & expreſſo conſenſu, illos, quos in dicto Collegio, & alibi per tempus debitum ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererint in prædictis facultatibus, ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, & Doctoratus, ac Magiſterij gradus, ſeruata aliàs forma Concilij Vienneñ. iuxta Vniuerſitatis eiuſdem Vrbis conſuetudinem, ſeu aliàs promouendi, & ipſorum graduũ ſolita inſignia eis exhibendi. Quódque in facultatibus ſupradictis ſic promoti illas legere, & interpretari, ac in eis diſputare, & quoſcumque gradui ſeu gradibus huiuſmodi conuenientes actus exercere, & aliàs omnibus, & ſingulis priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis, & indultis, quibus alij in prædicta, ſeu aliis Vniuerſitatibus, & alibi, iuxta illius, vel aliarum Vniuerſitatum huiuſmodi conſtitutiones, & mores ad gradus prædictos promoti, de iure, vel conſuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant in omnibus, & per omnia, ac ſi gradus prædictos in ipſa Vniuerſitate iuxta conſuetudines, & mores prædictos ſuſcepiſſent, concedendi, & indulgendi, necnon pro felici implemento, & ſalubri directione, & conſeruatione dicti Collegij, illiúſque bonorum, & rerũ, ac iuriũ, tam temporalium, quã ſpiritualium quæcũque ſtatuta, & ordinationes rationabilia, & ſacris Canonibus non contraria faciendi,

& edendi, ac reuocandi, immutandi, corrigendi, & ſuper illorum obſeruatione quaſcumque pœnas imponendi, quæ poſtquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta fuerint, eo ipſo auctoritate prædicta approbata, & confirmata ſint, & eſſe cenſeãtur, & iuxta eorum diſpoſitionem, ſublata quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernẽdi, omniáque, & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi plenã, & liberã auctoritate prædicta, tenore præſentiũ facultatẽ, & poteſtatem concedimus. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Vrbis, & iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Senatori, Conſulibus, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Camerario, Vniuerſitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, Scholaribus, & perſonis, & aliis præfatis, necnon præfatæ Vrbi, & populo Romano ſub quibuſcũque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides ſit in iudicio & extra, ac aliàs vbilibet opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M.DLII. pridie Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno tertio.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo potiſſimùm tempore Chriſtianæ Religionis in eo Regno infelix euenit perturbatio, hic in proœmio indicata?

RESP. Anno Chriſti 888. & Stephani Papæ VI. anno 4. Imperatoris autem Leonis VI. anno 3. infeliciſſimum Eccleſiarum Germaniæ ſtatum in præfatione Synodi Moguntinæ relatum, eueniſſe ſcripſit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 10. pag. mihi 620. ſecundùm primam eius impreſſionem.

X V.

EX noſtri Paſtoralis officij debito, & infra pag. 377. Bullarij. *Edita Anno* 1574.

COMPENDIVM.

Si in eligendis Abbatiſſis Monialium Congregationis Caſſinenſis, Ordinis S. Benedicti, Moniales Monaſteriorum per duo ſcrutinia non conuenerint, dictę Congregationis Viſitatores, ac Abbates, ſeu Prælati, eiſdem Monialibus duas, vel tres ex eis, quas ad gubernium aptiores iudicauerint, proponere debeant, & illa ex eis ſic propoſitis, quæ plura Monialium vota in ſui fauorem habuerit, canonicè electa cenſeatur. §. 1. 2. & 3. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas ſubdit. §. 4. Et etiam contrariorum derogatorias. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Cuius ætatis eſt Abbatiſſa eligenda?

RESP. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de regularib. cap. 7. hæc habet; *Abbatiſſa eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperiatur in eadem Monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente eligatur.* Et circa eiuſmodi Concilij decretum tres refert declarationes Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 16. artic. 1.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid Abbatiſſa illegitima eſſe poterit, vel corrupta?

RESP. Illegitimam eligi, vel corruptam, vetitum eſt, vt tradit gloſ. in cap. indemnitatibus. 43. §. 1. in verb. Canonicam, de elect. in 6. & tradit Felyn. in cap. meminimus. 13. de accuſat. num. 4. Zabar. in clem. 2. §. ſtatuimus.

mus. quæſt. 10. & ſeq. de ſtatu Monachorum.

XVI.

Edita Anno 1574. Nihil in vnaquaque, & infra pag. 378. Bullarij.

COMPENDIM.

Eugenius IV. iuſſit, in Capitulo Generali Congregationis Caſſinenſis Monachorum Ordinis S. Benedicti, nouem eligi Diffinitores, eorúmque ordinationibus ſtari, eoſdémque de monaſterijs, & locis, ac eorum bonis diſponere, vt in eius Conſt. 5. ſup. tom. 1. §. 2. Idem Eugenius hoc ſeruari voluit etiã de Abbatijs, quæ vacarent apud Sedem Apoſtolicam. §. 3. Hic Pont. prædicta iteratò decernit. §. 5. Appellationem quamcumque à mandatis Capituli, ſiue Præſidentis, aut Viſitatorum, vel Rectorum Congregationis, vetuit abſque ſpeciali mandato Papæ. §. 6. Iudicia contra Monachos ſummariè agi iubet. d. §. 6. Appellationes non recipi, appellantéſque coërceri mandat. §. 7. Ambientibus dignitates extra Religionem, vel indirectis viis, pœnas imponit. §. 8. Promotiones canonicè fieri iubet. §. 9. Contrariis derogat. §. 10. Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *quamcumque appellationem*, de quibus in §. 6. comprehendunt forſan appellationem, ſi de notoria conſtaret iniuſtitia?

RESP. Non, quia nulla, quamuis verborum ampliſſima ſignificatione, iniuſtitia eiuſmodi permitti cenſetur. Rota in deciſ. 87. Caputaq. in manuſcript. & in vna Romana de Mathæis coram Orano, 21. Maij 1562.

Scholion ſecundum.

Quæro. Clauſula, *appellatione remota*, operatúrne, vt Iudex recuſari non poſſit?

RESP. Poteſt recuſari, quia cùm duo ſunt ſeparata, remoto vno, non remouetur aliud. Bart. in l. fin. Cod. de ſent. num. 6. de communi teſtatur.

XVII.

Edita Anno 1574. Pro noſtri muneris officio, & infra pag. 380. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Monachorum S. Hieronymi de Obſeruantia, ex eius conſtitutionib. habet Priores annales. §. 1. Ex qua aſſidua mutatione ambitus inſurrexit. §. 2. Præſentes ideo Priores hic Pont. remouet, alióſque eligi, & eis in Capitulo mandat aſſignari Prioratus. §. 3. Diffinitores dicti Capituli aliquot ex dictis Prioribus conſtituit, quos perpetuò durare decernit. §. 5. Sed in eodem Monaſterio ſolùm triennio manere iubet. §. 6. Capitulum tamen ſingulis annis eos de vno ad aliud Monaſterium transferre. §. 7. Capitulum proximum alios loco dictorum Priorum vacantium ſubroget. §. 8. Præpoſitum generalem, Viſitatores, Conſultores, & Diffinitores, ex numero Priorum eligi iubet. §. 9. Procuratoréſque Monaſteriorum miſſos ad Capitulum generale voce actiua, & paſſiua, in electione Præpoſiti generalis, & Diffinitorum, vti poſſe. §. 10. Electio Prioris vacantis ad Capitulum differenda eſt. §. 11. Priores ex Vicariis eligantur. §. 12. Vicariorum electio vt fienda. §. 13. In monaſteriis lectiones audiri permittit. §. 14. Acceſſum ad Vrbem abſque Protectoris, vel Præpoſiti licentia vetat. §. 15. Procuratores certos Monaſteriorum conſtitui prohibet. §. 16. Præpoſitum generalem ex Prioribus, & ad annum eligi iubet. d. §. 16. Et ita, ac non aliter fieri mandat. §. 17. Prædictáque ſtrictè obſeruari præcipit. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Congregatio Monachorum S. Hieronymi, ſub qua Regula degit?

RESP. Sub Regula S. Auguſtini, vt legitur in pleriſque aliis Bullis Summorum Pontificum, & præſertim Martini V. quæ mox peruulgatæ fuerunt in libro priuilegiorum huius Congregationis nuper impreſſo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Martini V. forſan temporibus eiuſmodi Congregatio promota fuit?

RESP. Iam antea in Hiſpaniis extabat Ordo S. Hieronymi, vnde iſta Congregatio ad arctiorem obſeruantiam inſtituta fuit, vt legitur in quadam dicti Martini Conſtit. die 7. Auguſti, expedita anno 1424. quæ in dicto libro priuilegio-

rum nuper impreſſa legitur, & à meo Genitore non edita in ſuo opere, cùm opportuno tempore haberi non potuiſſet. Et hinc verum dignoſcitur, quod de hac Congregatione ſcripſit Rod. tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 3. artic. 10. in princ. & non quod poſtea ibid. ſubdit.

XVII.

Edita Anno 1574. SVperna diſpoſitione, & infra pag. 381. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. priuilegia, & antiqua ſtatuta Ordinis Ciſtercienſis confirmauit, & innouauit, & nonnulla alia in ſua Conſt. 70. de qua ſup. ſtatuit. §. 1. Pius V. comprobauit, & alia pro eiuſdem Ordinis reformatione decreuit. §. 2. Hic Pont. omnia comprobat. §. 3. Abbatémque, & Superiores perſonas, & loca Ordinis corrigere iubet. §. 4. Indulta Epiſcopis conceſſa huiuſmodi correctionem non impedire decernit. §. 5. Impedimentúmque huius correctionis omnibus interdicit. §. 6. Monachos omnes eam recipere debere ſtatuit. §. 7. Priuilegia Ordinis confirmat. §. 8. In Monaſteriis, aliis perſonis extra Ordinem commendatis, menſam conuentualem pro Monachis ſufficientem inſtitui mandat. §. 9. Alios aliorum Ordinum Religioſos intruſos in dictis Monaſteriis, Ordinis profeſſionem emittere iubet. §. 10. Moniales alterius Ordinis, quando in Abbatiſſas Monaſteriorum huius Ordinis recipi poſſint, declarat. §. 11. Monaſteria omnia ad contributiones Abbati, & Capitulo teneri decernit. §. 12. Monaſteria etiam commendata, & de iure patronatus laicorum refici, & ad clauſuram reduci mandat. §. 13. Neceſſaria ad vſum Monachorum, & cultum diuinum, prouideri iubet. §. 14. Duóſque Nouitiatus in omni Prouincia inſtitui. §. 15. Conuentus muris claudi præcipit. §. 16. Eos mulieres ingredi vetat. §. 17. Inuentarium bonorũ in omnibus Monaſteriis haberi mandat. §. 18. Monaſteria non tuta ad loca vicina transferri decernit. §. 19. Viſitationes ſolicitè fieri iubet. §. 20. Et à Commenditariis hoſpitari mandat. §. 21. Commendatariis, ne quid detrahant de neceſſariis Monachorum, aut ob delicta eos coërceant, ſed Superioribus Ordinis deferant, præcipit. §. 22. Ciſtercij fieri Archiuiũ cum indice omnium Monaſteriorum, & bonorum iubet. §. 23. Indulta proprium habendi reuocat. §. 24. Eleemoſynas à Commendatariis ſubminiſtrari mandat. §. 25. Appellationem ad Nuncios, & legatos Monachis vetat. §. 26. Clauſulas præſeruatiuas huic Conſtit. apponit. §. 27. Decretum irritans ſubdit. §. 28. Executores deputat. §. 29. Contrariis derogat. §. 30. Tranſumptis credi iubet. §. 31.

Scholion primum.

Quæro. Intruſos, de quibus in §. 10. numquid longa temporis detētio tuetur?

RESP. Non, quia inhabilitas temporis diuturnitate præſcribi non poteſt. c. cùm cauſam. 27. vbi Ancharanus num. 4. de elect.

Scholion ſecundum.

Quæro. Alternatiua, de qua in eod. §. 10. cui competit?

RESP. Intruſis, eo quòd vel tenentur Monaſteriis ſe abdicare, aut huius Ordinis profeſſionem vouere: veriſſima namque eſt regula, quòd in alternatiuis electio eſt debitoris. l. plerumque. 11. ff. de iur. dot. cum ſimilibus, Caſtrenſ. conſ. 120. lib. 2. per tot.

XIX.

AD Romani Pontificis prouidentiam, & infra pag. 385. Bull. *Edita Anno 1574.*

COMPENDIVM.

Romanus Pontifex quandoque ſolet præcipere, vt poſſeſſio, & fructus beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, nomine eiuſdem Sedis apprehendantur, donec literæ Apoſtolicæ deſuper expediantur, & quandoque etiam mandat in poſſeſſionem beneficiorum induci. §. 1. Sed quidam ad impediendum eiuſmodi Papæ mandata, allegant primas inſtantias ad Ordinarios ſpectare. §. 2. Hic ideo Pont. declarat, eiuſmodi executionem impediri non poſſe. §. 3. Contrauenientibúſque pœnas imponit. §. 6. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quid inter ſe differunt Breue Apo

Apoſtolicum, & literæ,ſeu Bullæ Apoſtolicæ?

R E S P. Ad noſtrum propoſitum nomine differunt,& appellatione literarum Apoſtolicarum venit etiam Breue,& Bulla. Illæ namque literæ dicuntur Breuia Apoſtolica, quia breuioribus verbis, quã Bullæ ſcribuntur, ſummámque rei continent, vt poſt Bald. in cap .1. de controuer. inueſt. num 3. ſcribit Staphil. in tract. de lit. grat. & iuſt. in rubr. de reſcript. in forma Breu. num. 4.ac Rebuffus in Praxi benefic. in tit. de Breui Apoſtol.Aliæ autem literæ,plenam rei ſeriem continentes, vocantur Bullæ, quia non ſignantur Annulo Piſcatoris in cera rubra, vt Breuia, ſed ſigillo plumbeo, cum effigie SS. Petri & Pauli, de quo meminerunt Archid. in cap. vlt.diſt. 11. num. 8. & Geminianus num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur potiùs hoc ſignum, vel ſigillum habetur in plumbo,quàm in argento, vel auro?

R E S P. Quia ob pretioſitatem metalli eſſet de ſubtractione Bullæ periculum, vt inquiunt gloſ. & ſcribb. in clem. vnic. de iureiur. in 6. & refert Iacobus Graff. poſt ſuas deciſ. in comment. Bullæ Cœnæ Domini, cap. 18. num. 3.

X X.

Edita Anno 1574. PRo noſtri muneris officio æquũ, & infra pag. 386. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Collegium Germanicum narrat cum annuo redditu decem millium aureorum in Vrbe ab eo fuiſſe inſtitutum, & in eo non minùs,quàm centum pueros ex vniuerſa Germania, Septentrionalibuſque illi adiacentibus regionibus colligendos, & piè erudiendos, in ſua Conſtit. 14. de qua ſup. Cardinalibus modò eiuſdem Collegij Protectoribus dat iuriſdictionem, cauſas ciueles, criminales, & mixtas, tam actiuè,quàm paſſiuè, ſummariè, & de plano, manu regia,& ſola facti veritate inſpecta, omni,& quacumque appellatione remota, cognoſcendi. §. 1. Iudices quoque ad eas delegandi, ac citandi, & inhibendi, & alia in præmiſſis neceſſaria faciendi, & exequendi, quibuſcumque non obſtantibus. d. §. 1. & 2. Transſumptis quoque fidem dari iubet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Procedens manu regia, num teſti non reddenti rationem dicti ſui credere debet?

R E S P. Non facilè credendum ſentit Alex. conſ. 80.lib. 4.in fin. & Oſaſch. deciſ. Pedem. 1. num. 30. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. De origine manus, ſiue brachij regij, quid habes?

R E S P.Tu ipſe videas tractatum Caualcani de brachio regio nuper editum, & ſignanter in part. princ. ſub num. 37. Et aliquid ſcripſit Matt. de clauſul. part. 1.clauſ. 71. Et quòd operetur, vt Iudex poſſit procedere executiuè, imò etiam de facto, & ſine iuris ordine, dixit Rota in deciſ. Coccini 446. par. 2. in nouiſſimis num. 1.

X X I.

OFficij noſtri partes,& inf. pag. 387. Bullarij. *Edita Anno 1574.*

C O M P E N D I V M.

Quia dubium erat,an contra eos, qui in preſbyteratus ordine non conſtituti Miſſas celebrare, confeſſiones audire, & abſolutionem impartiri auſi fuerint,poſſit per Officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis hæreticæ prauitatis in Regnis Hiſpaniarum inſtitutum procedi,& per eorum Inquiſitores, quorum diuerſa feruntur in huiuſmodi cauſa ſuffragia, puniri debeant. §. 1. Hoc dubium affirmatiuè hic Pontifex reſoluit. §. 2. Et ita ab omnibus iudicari præcipit. §. 3.Legibus prædictorum Regnorum & ſtatutis Ciuitatum eorumdem,ac cæteris contrariis derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quæ fuit ratio deciſionis, de qua in §. 2. & quæ pœna de iure infligenda?

R E S P. Ratio fuit, quòd preſbyteratus ordine non inſigniti, illa Sacramenta adminiſtrando, facto impugnant Catholicam fidem, quæ ſolos presbyteros eorumdem Sacramentorum miniſtros conſtituit, vt expreſsè legitur in ipſo tex. in §. 2. Pœna autem eſt depoſitionis, & falſitatis, iuxta tex. in cap. 2. de Cleric. non ordin. min. & ibi Butr. & Panor

& Panormitanus ſub numero 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta Conſt. Inquiſitoribus in Regnis Hiſpaniarum directa, numquid ab aliis quoque Inquiſitoribus erit obſeruanda?

RESP. Obſeruanda quidem, tum reſpectu fauoris fidei, tum etiam reſpectu perſonæ Romani Pontificis, generalem habentis iuriſdictionem ſuper hæreticam prauitatem, fideique negotia, vt bene probat in caſibus his non abſimilibus Gomez.ſuper Regul. Cancell.quæſt. 2. & eruditè Pegna in Director. Inquiſ. in ſua diſput. de authorit. extrauag. in fine operis impreſſa ſub num. 14.

XXII.

Edita Anno 1574. QVæ publicè vtilia, & decora, & infra pag. 387. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vtilitati publicæ, ornatuíque Almæ Vrbis hic Pontifex intentus narrat,Pium V. Conſtitutiones ad ornatum dictæ Vrbis editas à Sixto IV. Leone X. & Pio IV. tamquam correctorias iuris communis, ad eius viam reduxiſſe; & proinde S. P. Q. R. pro dictæ reductionis antiquatione ornatui Vrbis admodum neceſſaria inſtitiſſe. §. 1. Hic ideò Pont. omnibus Conſtitutionibus antedictis abrogatis, circa ea, quæ reſpiciunt hanc ſuam ſanctionem, ſtatuit,Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Camerarium,& Magiſtros Viarum cogere poſſe dominos domorum ad vias & loca publica aptanda. §. 2. Loca vacua claudenda. §. 3. Ædificantibus propinquum murum concedendum. §. 4. Viculos contiguis domibus adiungendos. §. 5. Vicinos ad vendendum ædificantibus, domos locari ſolitas, aucto pretio ad 12. pro 100. vel à dominis inhabitatas, aucto pretio ad 20.§.6. Et etiam vicinis, quorum domus pro Vrbis ornatu dirutæ ſunt. §. 7 Statuit quoque, volentes ſponte domos vendere, vicinis, & inquilinis intimare debere. §. 8. Vicinos autem ædificare volentes cæteris præferri. §. 9. Simulantes autem huiuſmodi venditiones, coërceri. §. 10. Inquilinos poſt dictos vicinos ad retractum admitti. §. 11. Declarat inſuper, quis vicinus in concurſu præferatur. §. 12. Et ædificantes in re emphyteotica quid agere debeant. §. 13. Extendit hanc Bullam etiam ad prædia ruſtica infra tria ab Vrbe milliaria. §. 14. Decernit, quod prædiola aliis vicinis vendantur. §. 15. Extendit hanc ſanctionem etiam ad bona locorum piorum,aut fideicommiſſo ſubiectorum. §. 16. Formam dat Camerario, & Magiſtris procedendi contra vendere recuſantes in caſibus prædictis. §. 17. Et quando quis non recuſat. §. 18. Et præſcribendi modum, & terminum ad ædificandum. §. 19. & 20.Pœnarum applicatio locis piis. §. 21.Summaria datur iuriſdictio in prædictis. §. 22.

Scholion primum.

Quæro. Domus ſemel locata, dicitúrne locari ſolita, vt dicitur in §. 6.

RESP.Affirmatiuam ſentétiam probat Bard. de iure Prothom. §. 3. in 4. notab. verſ. ſuper qua. latè Gabr. in tit. de locat. concluſ. 1. vbi hanc opinionem veriorem num. 4. & in ſeqq. communiter teneri probat.

Scholion ſecundum.

Quæro. An hæc Bulla retractus locum habeat in locatione, vel potiùs venditione domus ad vitam, qui contractus in Vrbe frequens eſt?

RESP. Affirmatiua ſententia veriſſima eſt,quia venditio temporalis eſt vera, & propria venditio, vt tenuit Rota coram Millino in vna Romana retractus Palatij, 19. Nouembris 1504. vbi dicitur, hoc idem Rotam prius tenuiſſe coram Seraphino in vna Romana retractus, 26. Februarij 1590.

XXIII.

CVpientes vniuerſos, & inf. pag. 391. Bullarij. *Edita Anno* 1574.

COMPENDIVM.

Doctores Romanos ex patre, & auo Romæ natis, maiores annis 22. in publico Studio Almæ Vrbis, in quacumque facultate publicè legere volentes, ſtatim præuio examine vnius Lectoris cum ſalario ſcutorum 25.pro quolibet anno admitti decernit. §. 1. Et ita ſeruari præcipit. §.2.Quibuſcúmque non obſtātibus.§.3.

Scholion primum.

Quæro. Horum filiorum appellatione, de qua in §. 1.veniunt adoptiui?

RESP.

R e s p. Venire arbitror, eo quòd agitur de materia fauorabili, nempe de bonarum artium cognitione, & honorifico calcari ad virtutem, vt in l. Adoptiuum. §. patronum, notat per illum tex. Bald. num. 1. Caſtr. num. 2. Aſcan. Clement. de patr. poteſt. cap. 5. ſub num. 10. vbi hanc limitationem ad regulam, quòd filij adoptiui propriè filij non dicuntur, affert.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nati in ſuburbiis, & continentibus, ſumne propriè nati in Vrbe, de quibus in §. 1.

R e s p. Ita quidem, ad tex. in d. l. Ædificia. 139. & meliùs in l. qui in continentibus. 147. ff. de verbor. ſignific. Panormit. conſ. 52. lib. 2. num. 5. verſ. quoad ſecundum.

X X I V.

Edita Anno 1574.

Cum ab ipſo Pontificatus noſtri principio, & infra pag. 391. Bul.

C O M P E N D I V M.

Bonifacius VIII. in ſua Conſt. 1. ſup. tom. 1. excommunicauit dantes, aut promittentes quicquam magnum, vel paruum pro gratia, vel iuſtitia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam. §. 1. Eam Conſtitutionem iſte Pont. confirmat, & ad fautores extendit. §. 2. Additque pœnam priuationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitationis, & perpetuæ infamiæ, necnon aliarius pœnæ pro rei qualitate exigendæ. §. 3. Reuelantibus autem impunitatem promittit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Eam pœnam pro rei qualitate exigendam, vt in §. 3. in fin. an quis ſub pœna peccati mortalis pati teneatur, nullo Iudicis præcedente præcepto, vel monitione?

R e s p. Non, ex recepta per omnes ſententia, quòd nemo teneatur in foro conſcientiæ ſubire pœnam à Iudice imponendam, donec imponatur, vt ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 61. artic. 23. ſic tenet Nauar. in comment. huius Bullæ, ſub numero 44.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dans aliquid, vel promittens Iudici, vt faciat aliquid arbitrarium, vt puta dare maiorem, vel minorem dilationem, vel quid ſimile, an incidat in pœnas huius Conſtitutionis?

R e s p. Incidit, quia licèt fortaſſis negari poſſet id dari pro iuſtitia facienda, non tamen negari poteſt quin detur pro iuſtitia, vel gratia. Nauar. vbi ſupra num. 17. & comprobat num. 26. in fine.

X X V.

Edita Anno 1575.

Cupientes pro noſtri officij cura, & infra pag. 392. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Subcollectoribus, & Commiſſariis in locis Regni Neapolis à Sedis Apoſtolicæ illic Nuncio deputatis, dat priuilegium, quòd cauſæ delictorum, & exceſſuum ab eis commiſſorum, ab ipſo Nuncio ſolùm, non autem ab aliis Iudicibus, etiam locorum Ordinariis, cognoſcantur, & decidantur, donec ipſi vixerint, etiam poſt dimiſſum officium. §. 1. Et ita, & non aliter iudicari debet. §. 2. Eidem Nuncio dat facultatem, vt contradictores omnes, quamuis Epiſcopali, & Archiepiſcopali dignitate fulgentes, etiam appellatione poſtpoſita compeſcat. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Subcollectorum facultas, ſi non ſit expreſsè data ad confitendum debitum Cameræ Apoſtolicæ; poterúntne ipſi confiteri, & quietare de his, de quibus non apparet eis facta ſolutio?

R e s p. Poterunt, quia non præſumitur de pretio pro Camera habuiſſe fidem, quam habere non poſſunt. argum. tex. in l. ſi procurator. 5. ff. de iure fiſci. Bald. in l. in contractibus. 14. §. ſed quoniam. Cod. non numer. pec. num. 3. & 4. Bellenc. de charit. ſubſid. quæſt. 104. numero 2. vbi ex eod. Bald. limitat, quando Subcollector non eſſet ſoluendo, aliàs non præiudicaret Cameræ, & debuit curare debitor, quòd ille non habebat auctoritatem habendi fidem de pretio.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num cogitur Subcollector facere inſtrumenta liberationis de parte decimæ exactæ?

R e s p. Cogitur, Bald. in l. ſicut datã.

26. Cod. de liberal. cauſ. num. 1. & 2. vltra Speculat. Bart. & alios, quos citat antedictus Bellenc. quæſt. 103. num. 1.

XXVI.

Edita Anno 1575. DVm rectè adminiſtrandæ vbique Iuſtitiæ, & inf. p. 392. Bull.

COMPENDIVM.

Vt in Curia de Sabellis, in Vrbe (cuius Bernardino de Sabellis Mareſcallatum Sedes Apoſtolica commiſit) ad iuſti, rectique formam directa, ſine ſorde cauſæ peragantur, & nonnulla, quorum aliqua pridem à Iulio II. & Pio IV. prudenter conſtituta, in vſu non erant, deinceps obſeruentur, decernit, Iudicem gratuitò à Mareſcallo dictæ Curiæ deputari, ita vt neque Iudici quicquam dare, neque Mareſcallo accipere liceat. §. 1. & 2. Et deputationem ad annum fieri, & ex cauſa ad alium annum poſſe prorogari. §. 3. Syndicatiui præuia cautione Iudicem ſtare iubet. §. 4. Commentarienſiſque Capitanei, & executoris dictæ Curiæ officia gratis dari. §. 5. Duos tantùm Notarios eſſe declarat. §. 6. Cauſas, in quibus ſtatuta eſt pœna corporis afflictiua, Mareſcallus, & Iudex non cognoſcant. §. 7. Sed de aliis minoribus delictis poſſint, niſi alibi ſit præuentum. §. 8. Saluumconductum, aut ſignificationē reis (præterquam ſub cautione relaxatis) non concedat. §. 9. Fiſcus in cauſis criminalibus dictæ Curiæ ſemper citetur. §. 10. Sententiæ omnes, & pœnarum ſolutiones, in libro adnotentur. §. 11. Appellatio ad Aud. Cam. in cauſis ciuilibus conceditur. §. 12. Tributum à mulieribus inhoneſtis exigi interdicit. §. 13. Contrariiſque derogat. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quòd etiam ad Gubernatorem Vrbis hodie datur appellatio, licèt hic in §. 12. ad Aud. Cameræ ſit conceſſa?

RESP. Quia ſic ante hanc Bullam vetuſta aderat conſuetudo, de qua teſtatur Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 2. num. 3. & Scaccia de Iudic. lib. 1. cap. 28. & proinde adhuc ſeruatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore hoc tributum, de quo in §. 13. à meretricibus exigi cœptum fuit?

RESP. A tanto tempore citra, vt nullo apparente titulo, iure iamdiu præſcripto etiam ab inuitis exigeretur, ex ea forſan taxa, quam pro qualitate meretricis Iudex ille arbitrabatur, vt inquit Veſtr. in loco cit. quod iniquum certè videbatur.

XXVII.

QVoniam noſtro, & infra pag. 393. Bullarij. *Edita Anno 1575.*

COMPENDIVM.

Prohibet Religioſis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia, ab eius Prælatis ad ſæcularia tribunalia appellare, vel illa quoquomodo adire, ſed ad eius Generalem, & Protectorem, aut Papam recurrere, ſicut antiquitus conſuetum fuit, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis perpetuæ officiorum, inhabilitatis ad illa, & alia eiuſdem Ordinis officia, vociſque tam actiuæ, quam paſſiuæ. §. 1. & 2. Fautores, & conſultores eiſdem pœnis alligat. §. 3. Et ſub eiſdem pœnis prohibet omnibus quoquomodo reſiſtere Commiſſariis à Generali miſſis, pro viſitandis Ordinis prouinciis. §. 3. Quorum Commiſſariorum deſtinationem abſolutè Generali committit. §. 5. Statutáque ab illis Miniſtros Prouinciales abſque licentia Generalis immutare interdicit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba. §. 1. *ſicut antiquitus conſuetum fuit*, importántue conditionem, ſi ita fuerit obſeruatum; vel exponuntur cauſatiuè, id eſt, quia ſic fuit antiquitus obſeruatum?

RESP. Cauſatiuè exponuntur, quia in legibus, in quibus certum aliquid diſponitur, non eſt credendum per verbum *ſicut*, &c. poſtea conditionem diſpoſitioni appoſuiſſe, ſed eius cauſam. Bart. in extrauag. ad reprimend. in verb. prout. Dec. in l. edita. 3. Cod. de eden. num. 6. plenè Felyn. in cap. 2. de reſcript. num. 10. Rota in deciſ. Bubali in vna Calagurritana iuriſdictionis, 13. Febr. 1587.

Scholion ſecundum.

Quæro. Recurrere in §. 6. quid propriè ſignificat?

RESP. Hæc habet Vgolin. in ſuis comment. ad Bullam Cœnæ Domini, ſiue

ſiue de cenſur. par. 2. cap. 12. num. 6. Recurrere nihil aliud ſignificat, quàm confugere, & ire, quod verbum ob id vſurpatur, celeritatem ſignificans eorum, qui lites habent, quamprimùm eas expediendi. Et hoc recurrere contingere poteſt tam appellando, quam lites inchoando.

XXVIII.

Edita Anno 1575. & 1581. VBi gratiæ, & infra pag. 393. *Item*; Dubiis quæ, & infra pag. 394. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quibuſcumque mulieribus indulta ingrediendi Monaſteria Monialium, & virorum cuiuſcumque Ordinis conceſſa, & licentias quibuſcumque viris ingrediendi Monaſteria Monialiũ, ex quibuſuis cauſis datas. §. 1. Illa ingredientibus prætextu licentiarum pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & Papæ reſeruatæ imponit. §. 2. Abbatiſſis, Abbatibus, Conuentibus, & aliis Monaſteriorum vtriuſque ſexus Superioribus, vltra dictam pœnam excommunicationis, infligit etiam pœnam priuationis beneficiorum, & officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia, ſi quemquam prætextu huiuſmodi licentiarum, & facultatum illa ingredi faciant. §. 3. Omnibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, & Regularibus prohibet, ne prætextu licentiarum ab his, quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantùm ex decreto Concilij Tridentini facultas tribuitur, Monaſteria Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales ſub eiſdem pœnis illos admittere præſumanr. §. 4. Prælatis omnibus, quibus incumbit cura Monaſteriorum Monialium, præcipit, vt facultate ex officio ſibi illa ingrediendi tributa, ita demum vti poſſint, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis, iiſque ſenioribus, & Religioſis perſonis comitati. §. 1. Conſt. ſubſeq. His qui contrafecerint, nonnullas pœnas imponit. §. 2. Contrariiſque omnibus derogat. §. 3. Tranſumptiſque credi decernit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Cùm in §. 2. pœnæ imponantur mulieribus quæ vigore licentiarum ingrediuntur Monaſteria, num idem dicendum de ingredientibus ſine tali facultate?

RESP. Negatiuam ſententiam tenet Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 47. art. 1. eo quòd excommunicationes non extenduntur de caſu ad caſum etiam ex maioritate rationis, & ad hoc nonulla allegat: ſed contrarium affirmat Nauar. de Regular. comm. 4. ſub num. 62. verſ. Adde his primò, eo vtens validiſſimo argumento, quòd Pius V. eamdem excommunicationem contra dictas mulieres, prætextu induiti ingredientes, emanatam in ſua Conſtit. 20. de qua ſup. ſtatim in adiuncta ei Conſtit. §. 2. declarauit, eadem ligare pœna Mulieres ingredientes abſque tali facultate. Et ideo Genitor meus cautè loquutus eſt, dum firmauit rubricam illarum Conſtitutionum contra mulieres etiam prætextu licentiæ ingredientes, ſentiens, caſum ingrediendi abſque licentia magis eſſe dubitabilem. Et ita Nauar. ibid. in ſacra Pœnitentiaria ſeruari ſubdit, idémque ex Catechiſ. Neapolit. inquit Quarant. in ſua Summa quarumdam Bullarum, in verb. Monaſteria. pag. mihi 306. in fin. & latiùs pag. 345. vbi Rod. & Franc. Suar. refellit ex vi obſeruantiæ Pœnitentiariæ, quæ interpretationem ſupradictam ſufficienter operatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc ergo obſeruantia Pœnitentiariæ, de qua mox verba feciſti, id operatur?

RESP. Proculdubio, quinimò pro lege ſeruatur, vt de ſtylo Cancellariæ loquens tenuit Rota deciſ. 55. de conceſ. præbend. in antiq. num. 2. & Curia Romana tanquam aliarum Mater, & Magiſtra eſt ab omnibus ſequenda. Gonzal. ſup. 8. Reg. Cancel. de menſib. & alternat. gl. 6. num. 211. maximè cùm agatur de interpretatione ſanctionis Apoſtolicæ, vt ſic Rota in deciſ. Lancellot. 196. num. 2. in recentior. par. 1. tenuit.

XXIX.

CVm officio Paſtorali incumbat, infra pag. 395. Bullarij. *Edita Anno 1575.*

COMPENDIVM.

Collegium Medicorum, & Collegium Aromatariorum Vrbis cõcorduer

ſtatuerunt, quòd abſque approbatione Protomedici, eiúſque Conſiliariorum, atque Conſulum Aromatariorum, non exerceatur ars Aromataria ſub pœna ducat.25.Et de ea re Protomedicus cum Conſiliariis in ſuo tribunali, cum conſilio Conſulum Aromatariorum inquirant. §. 3. Approbationéſque patentes iuxta ſolitum fiant. §. 4. Compoſita ex ſimplicibus medicamenta Aromatarij non conficiant abſque iuſſu Protomedici, præſente vno ex Medicis Collegij, & contra tranſgreſſores inquiratur, vt ſuprà.§.5. Protomedicus vt viſitet Aromatarias. §. 6. Aromatarij quas res venenatas, aut medicamenta vendere, aut dare poſſint. §. 7. & 8. Librum habeant Receptarum. §. 9. Quæ ad medicinam pertinent, aſſeruare debeant. §. 10. Res medicinales à Medicis præſcriptas,vt ad pondus appendere teneantur. §. 11. Rerum Aromatariæ pretium quotannis Protomedicus cum Conſiliariis, & Conſules Aromatariorum, coram Cameræ Apoſtolicæ Præſidentibus conſtituant.§.12. Inter Medicos, Chirurgos,& Aromatarios ſocietas prohibetur ſub pœna ducat.25.§.13.Pretium rerum Aromatariæ vt taxandum.§.14.Medicinæ ſolùm ab Aromatariis adminiſtrentur ſub eadem pœna.§.15.Aromatariæ vt à Protomedico viſitandæ. §. 16. Libris Aromatariorum quæ fides danda. §. 17. Iuriſdictio Conſulum Aromatariorum ſit contra omnes, etiam Eccleſiaſticos, quoad artem Aromatariæ ſpectantia. §. 18. Dilationes contra eos non dentur eorum debitoribus. §. 19. Aromatariæ extra Vrbem vt viſitandæ, & pœnæ applicandæ. §. 20. & ſeqq. Quæ in tranſgreſſionibus prædictorum Capitulorum coërcitio ſit. §. 25. Aromatarij cum Medicis vt conuenire poſſint ſuper conſilio adhibendo. §. 27. Collegia hæc Papæ ſupplicant pro prædictorum approbatione. §. 28. Qui ſucceſſiuè approbat. §. 29. Et ita, & non aliter iudicari, vel immutari præcipit. §. 30. & ſeq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 32.

Scholion primum.

Quæro. Quis omnium primus Medicinam inuenit?

RESP. Non liquidò conſtat, ſed quiſquis is fuit, ipſius certè initium fuit obſeruantia: homines enim cùm viderent alia ſalubria, & alia inſalubria, ex obſeruatione eorum artem Medicinæ effecerunt, vt ex Ariſtot. in proœm. Metaphyſ. dixit Bald. in conſ. 237.lib. 2. num. 1. in fine, & poſt alios Tiraq. de nobilit. cap. 31. num. 37.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aromatarij, dum ex ſimplicibus compoſita conficiunt, vt in §. 5. num aliquid corruptum cum incorrupto valent commiſcere?

RESP. Contrarietas videtur inter l.1.Cod. de condit.in public. horr.lib.10. & l. 2. Cod. de Murilegul. eod. lib. & Bart. & alios ibi ſcribb. de quib. agit Hieron. Preuidell. in tract. de peſte, verſ. Dum diximus. Sed ex lectura dd. ll. clara eſt earum conciliatio, vt negatiua ſententia vera ſit, ſi commixtio eſt damnoſa, & ſecus è contrà.

X X X.

ROmani Pontificis prouidentiæ, & infra pag. 396. Bullarij. *Edita Anno* 1575.

COMPENDIVM.

Pius V. facultatem teſtandi Militum S. Iacobi de Spatha, de Calatraua, & Alcantara reuocauit in Conſtit. 73. ſup. Et hic Pontifex Philippi Hiſpaniarum Regis precibus, dictam facultatem reintegrat. §. 2. & 3. Eorúmque teſtamenta, quorum cauſa integra eſt, plenarium effectum ſottiri decernit. §. 4. Decretum irritans apponit. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Iſti Milites de Calatraua, & Alcantara tenentúrne ad tria vota, ſicut alij Religioſi?

RESP. Tenentur, vt dixit Rota in deciſ. Blanch.266.par.2. diuerſ. in princ. & Put. deciſ. 217. lib. 3. num. 1. in ſuis vltimò impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Militia S. Iacobi quando, & quare inſtituta?

RESP. Tempore Regis Ramyri primi huius nominis Hiſpaniarum Regis, qui vicit manu exigua ingentes Saracenorum copias, ope Dei, & auxilio B. Iacobi, qui in eo prælio viſus eſt, equo

equo candido, vexillo niueo, & in eo Cruce rubea conſpicuus pugnans, vt poſt alios ita ſcribit Rod. tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 6. artic. 5. & Petrus Greg. Tholoſ. in Syntagm. Iur. par. 2. lib. 15. cap. 35. num. 8.

XXXI.

Edita Anno 1575. EXpoſcit Paſtoralis officij cura, & infra pag. 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vicariis generalibus, Prouincialibus, & Miniſtris Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, ad diuinum officium peragendum neceſſariam facultatem benedicendi vaſa, veſtimenta, & ornamenta Eccleſiaſtica (quibus tamen ſacrum Chriſma non applicatur) dediſſe refert. §. 1. Et eamdem facultatem eiſdem Prælatis dicti Ordinis Regni Galliarum communicat. §. 2. Contrariíſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quo ritu benedictio eiuſmodi fieri debet?

RESP. Habes in Rituali Romano pag. 259. & ſeqq. iuſſu fel. record. Pauli V. anno 1614. edito, vt infra in eius Conſtit. 85. quod inuiolatè ibidem ſtatuit obſeruari.

Scholion ſecundum.

Quæro. Circumſcripto eiuſmodi indulto, hæc benedictio de iure ad quem ſpectabat?

RESP. Ad Epiſcopum, iuxta communem DD. ſententiam, de qua poſt alios teſtatur Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 19. artic. 1. Meminit propterea, multis Ordinibus Regularibus diuerſa ad hoc priuilegia elargita fuiſſe, & ante eum Collector Compendij priuileg. Fratr. Minor. in verb. Benedictio, pag. 93. & Capuccin. ibid. in adnot.

XXXII.

Edita Anno 1575. EX Apoſtolicæ Sedis, in qua meritis, & infra pag. 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Militiæ S. Iacobi de Spatha, & de Auis Regni Portugalliæ gaudent omnibus priuilegiis Militiarum eiuſdem S. Iacobi, & de Calatraua, & Alcantara, in Regnis Caſtellæ, & Legionis inſtitutarum. §. 1. Dubitatum fuit, an è conuerſo priuilegia à Pio V. iſtis Militiis conceſſa, illis quoque ſuffragentur. §. 2. Hic ideo Pont. eiſdem ea communicat. §. 5. Contrariis derogat. §. 9. Tranſumptis credi iubet. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore, & in quo loco Militia de Auis inſtituta eſt?

RESP. Anno 1147. hæc Militia exordium habuit in Regno Portugalliæ, tempore Alphonſi Henrici primi Luſitaniæ Regis. Sic ſcribit Rod. Luſitan. tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 6. artic. 6. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quam Regulam hi Milites de Auis profitentur?

RESP. Regulam S. Benedicti, iuſſu Innocen. III. qui anno 4. ſui Pontificatus ipſum Ordinem confirmauit, teſte Rod. vbi ſuprà, vbi enunciat communicationem priuilegiorum Greg. XIV. anno Domini 1580. & ſui Pontificatus 4. Qui tamen corrigendus eſt ex hac Bulla, quæ illa eſt, quæ hanc habet communicationem, & eſt Geg. XIII. ſub anno ſui Pontificatus 4. Sed de hac Militia de Auis, vide quemdam tractatum plenè omnia complectentem F. Franciſci de Aueral. impreſſum in fine dicti primi tomi quæſt. Regul. præcit. Rod.

XXXIII.

SAnctiſſimus D. N. D. Gregorius, & infra pag. 400. Bullarij. *Edita Anno 1575.*

COMPENDIVM.

Profeſſionem fidei à Græcis emittendam ſtatuit ſuper Symbolo, *Credo in vnũ Deum*. §. 1. Explicatione proceſſionis à Patre & Filio. §. 2. Confectione corporis CHRISTI in fermentato pane triticeo. §. 3. Animarum beatitudine, vel damnatione. §. 3. Purgatorio, ſuffragiiſque pro earum liberatione. §. 4. Primatu Papæ. §. 5. Receptione Canonum, & decretorum Concilij Tridentini. §. 6. Traditionũmque Apoſtolicarum, & Eccleſiaſticarum, obſeruationumque & cõſtitutionum. §. 7. Senſus Matris Eccleſiæ circa ſenſum ſacræ Scripturæ. §. 8. Septemque Sacramentorum nouæ legis. §. 9. Et rituum approbatorum Eccleſiæ

Digitized by Google

in eorumdem Sacramentorum ſolemni adminiſtratione. §. 10. Super omnibus, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt. §. 11. Sacrificio propitiatorio pro viuis, atque defunctis, & conuerſione reali in corpus, & ſanguinem CHRISTI. §. 12. Et ſub altera ſpecie totum, atque integrum CHRISTVM ſumi, verúmque Sacramentum. §. 13. Purgatorium verum eſſe, animáſque ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari, Sanctóſque vnà cum CHRISTO regnantes venerandos eſſe, atque inuocandos. §. 14. Imagines CHRISTI, Beatæ MARIÆ, & aliorum Sanctorum haberi, atque venerari. §. 15. Indulgentiarum poteſtatem à CHRISTO in Eccleſia fuiſſe relictam, illarúmque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe. § 16. Sanctam Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſci, Romanóque Pontifici B.Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, & CHRISTI Vicario veram obedientiam prom itti, ac iurari. §. 17. Et cætera etiam à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, & præcipue à Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipi, atque profiteri, & contraria omnia, & ſchiſmata, atque hæreſes reiectas, & anathematizatas reiici, damnari, & abiurari. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Circumſcripto tex. §. 3. peccétne Græcus celebrando in azymo in eius terra?

RESP. Peccare ex S. Tho. & Panorm. ſcribit Nauar. conſ. 1. lib. 1. de conſtit. quæſt. 31. idem dicens de Latino celebrante in ſua terra in pane fermentato.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sanctorum Imagines, quæ venerari dicuntur in §. 15. quo pacto depingendæ?

RESP. Conc. Trid. ſeſſ. 25. poſt decretum de Purgator. multa ſtatuit deſuper aduertenda, & luculenter quamplura explicat Paleott. in tract. de Imaginib. lib. 4. quæ hoc vno Scholio nec comprehendi, neque indicari poſſunt.

XXXIV.

EX incumbenti nobis, & infra pag. 401. Bullarij. *Edita Anno 1576.*

COMPENDIVM.

Fratribus, & Monialibus Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo, dat facultatem Monaſteriorum, & locorum dicti Ordinis bona etiam ſtabilia alienandi, vendendi, & permutandi, pro pactis, modis, pretiis, & formis inter partes conueniendis, dummodo hæc omnia fiant pro commoditate, vel vtilitate ipſorum Monaſteriorum, & Domorum, & accedat conſenſus duarum partium ex tribus partibus Fratrum, & Monialium illius Monaſterij, & Domus, cuius dicta bona erunt. §. 1. & 2. Ita tamen quòd loco conſenſus Sedis Apoſtolicæ, Prior Generalis dicti Ordinis, re diligenter examinata, & euidenter vtili comprobata, prædicta ratificet. §. 3. Et aliter facti contractus nulli ſint, & donec Prior ipſe non ratificauerit, poſſeſſio remaneat penes alienantes. §. 3. Et quoad vtilitatem, & commoditatem prædictam, aſſertione duarum partium ex tribus, vt ſuprà, poſtquam à dicto Priore tunc approbata, vel deinde ratificata fuerit, à Papa confirmata cenſetur. § 4. Executores deputat. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Et in caſu alienationis ſtabilium ex cauſa maioris vtilitatis, aut alterius ſuadentis rationis, decernit quòd alienationes bonorum ad Monaſteria, & Domos ſpectantium non antea fiant, quàm cùm reperta fuerint illis vtiliora, in quibus pretium rerum alienatarum vnico conſenſu realiter, & cum effectu inueſtiatur, & conuertatur. §. 7. Tranſumptiſque fides detur. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Vt duæ ex tribus partibus conſenſiſſe dicantur, vt in §. 2. quo pacto conſtabit?

RESP. Ex eorum numero, quos omnes conuocatos fuiſſe præſumitur in Conuentu, ſi de contrario non appareт. Rota in deciſ. Seraphin. 1080. num. 5. in poſtremò impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſt Papæ confirmationem de euidenti vtilitate, de qua in §. 4. num contrarium probari poterit?

RESP.

Resp. Ita ſentit Rota in alia Seraphin. deciſ. 443. in fine.

XXXV.

Edita Anno 1576. Inter cæteras Paſtoralis, & infra pag. 402. Bullarij.

COMPENDIUM.

Præfecto Annonæ Vrbis, & locorum Status Eccleſiaſtici mediatè, & immediatè ſubiectorum, dat authoritatem, frumenta, & legumina cuiuſcumque generis, & ſpeciei deſcribendi, & quaſcumque perſonas, etiam Ducalis, & Cardinalatus, aut maioris gradus honore fulgentes, cogendi ad illam, quam tempore publicandorum Edictorum ipſos habere contigerit, quantitatem etiam medio iuramento denunciandam, & Cardinali S. R. E. Camerario conſignandam. §. 1. & 2. Dátque eidem facultatem coërcenſi prohibentes abſque eius licentia, de loco ad locum, etiam Status Eccleſiaſtici, illa tranſportari. §. 3 Fraudes in prædictis committentes, vel aliàs delinquentes, quibuſuis, etiam vltimi ſupplicij pœnis puniendi, vel deſuper concordandi, & pœnas remittendi. §. 4. Quaſcumque frumentorum & leguminum quantitates cogendi, & emendi, & quaſcumque deſuper conuentiones faciendi. §. 5. Commiſſarios quoſcumque ad eiuſmodi negotium deputandi, deputatos reuocandi, ſalaria declarandi, & omnes pecuniarum quantitates perſolui mandandi, miniſtros ad rationes, & computa reddendum, & reliqua reſtituendum compellendi. §. 6. Omniáque ad eiuſmodi negotium quomodolibet pertinentia, gerendi, edicta, & proclama faciendi, quæque omnes Clerici Reu. Cameræ Apoſtolicæ, dum ſimul congregati eamdem Cameram repræſentant, facere poſſunt, gerendi. Vnum quoque, vel plures loco ſui cum ſimili, vel limitata poteſtate ſubſtituendi, ac eius arbitrio remouendi. §. 7. Decernit, quòd omnes Officiales, ad quos ſpectabit, ipſi Præfecto faueant, aſſiſtant, & eius mandata exequi curent. §. 8. Contrariis omnibus derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. De loco ad locum tranſportatio frumentorum, de qua in §. 3. cur conſiderata?

Resp. Vna ex multis mihi occurrit ratio, nempe vt priùs incolis fœcunditas frumentorum propria ſeruiat; quam peregrinis commerciis ſtudioſa cupiditas exhauriat: neque frumento priùs peregrina naues decet onerari ad aliena litora tranſituras, quàm expenſæ publicæ ad optatam copiam poſſint pertinere. Hæc Caſſiodor. lib. 4 variar. epiſtol. 34. & conſimile dictum ſcribit etiam lib. 2. epiſtol. 12. & de his meminit Petrus Gregor. lib. 36. Syntagm. Iur. cap. 30. num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si tempore penuriæ eſſet imponenda collecta pro emendo frumento, num diuites ad eam tenerentur, etiamſi frumento non indigeant?

Resp. Teneri probat tex. in l. vnica. Cod. Vt nemini lic. in empt. lib 10. & Barr. ibid. num. 3. & 4. inquit eiuſmodi collectæ onus eſſe patrimoniale, non autem perſonale, ideóque diuites etiam ad hoc compelli. Et ille qui plus habet, plus ſoluat. Sicut à contrario, ſi imponeretur onus emendi frumentum, quod Camera, vel Communitas conſeruare non poteſt, pari modo qui plus habet, plus ſoluere compellitur.

XXXVI.

Quæcumque ſacrarum Religionum, & infra pag. 404. Bullarij. *Edita Anno 1576.*

COMPENDIUM.

Religioſos Societatis Iesu vbique locorum exiſtentes, eximit ab intereſſentia publicarum ſupplicationum, ſeu precum, aut proceſſionum, niſi vbi propter hæreticorum, & Gentilium conuerſionem, aut aliàs expediens eſſe generalis illius Præpoſitus iudicaret. §. 1. & ſeqq. Inhibétque Prælatis, aliíſque omnibus, ne illos deſuper audeant moleſtare. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Tranſumptíſque fidem dari præcipit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Proceſſiones eiuſmodi cur, & quando fiunt, & ad quas Eccleſias dirigendæ?

Resp. Arbitrio Ordinarij remittitur, nempe ſi indicerentur pro bono publico,

publico, vel aliàs ſint ſolitæ, vt in Feſto Sanctiſſimi Corporis CHRISTI, in Litaniis maioribus, in Iubileis, in Rogationibus, in aduentu noui Legati, vel Epiſcopi, aut imminente peſte, vel alio flagello. Panormit. in cap. nimis. 17. de exceſſ. Prælator. num. 3. & 5. & Prax. Curiæ Neapol. cap. 64. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Multa, quæ in huiuſmodi proceſſionibus præcaueri frequenter deſideratur, quis me opportunè edocebit?

RESP. Luculenter quidem tradit Nauar. de Orat. & Hor. Canon. cap. 5. num. 26. & ſeqq.

XXXVII.

Edita Anno 1576. OFficij noſtri partes, & inf. pag. 405. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia fertur, nonnullos in vim priuilegiorum Cruciatæ Sanctæ, à Sede Apoſtolica conceſſorum, eligendi Confeſſores, qui à nonnullis exceſſibus, & criminibus abſoluere poſſunt, à lapſu & incurſu in hæreſim abſoluendi authoritatem ſaltem in foro conſcientiæ habere, hic Pont. declarat, eiuſmodi facultatem nequaquam conceſſam fuiſſe, vel eſſe cenſeri, aut dictis Confeſſoribus abſolutionem impartiri licuiſſe, neque in poſterum licere, & abſolutiones iam fortaſſe impenſas nemini ſuffragari potuiſſe. §. 1. & 2. Et vt Chriſti fideles commodiùs huius declarationis notitiam habere poſſint, Commiſſario generali dictæ Cruciatæ licentiam tribuit, illam de Latino ſermone in vulgarem iuxta linguam Prouinciæ reducendi, vbi publicatio dictæ Cruciatæ facienda erit, vnà cum facultatibus dictæ Cruciatæ, & per modum exceptionis in ſuo loco, ſiue ad partem imprimi poſſe, quibuſcumque non obſtantibus. §. 3. Tranſumptis fidem dari decernit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. In Bulla Cruciatæ, quam impreſſam vidi in opere Sebaſtiani à Coſta ſuper explicatione dictæ Bullæ, expreſsè eſt excepta facultas abſoluendi ab hæreſi. Vnde ergo ortum eſt dubium, de quo in §. 1.

RESP. Fortaſſe hoc tempore Greg. XIII. in Bulla Cruciatæ eiuſmodi exceptio de hæreſi non continebatur, quia dicta Bulla Cruciatæ impreſſa in dicto opere, poſtmodum edita fuit per Greg. XIV. anno 1591. die 6. Aprilis, vt innuit Guttier. Canon. quæſt. lib. 1. cap. 13. num. 28. dicens, quòd Bulla modernæ Cruciatæ, abſolutionis ab hæreſi prohibitionem continet. Quinimò alios excipit caſus, nempe conſpirationis in perſonam, & Statum Summi Pontificis, ac falſificationis literarum Apoſtolicarum, ac ſupplicationum, cæteróſque alios caſus, qui vndecimo, incip. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, necnon duodecimo, decimotertio, & quartodecimo capitulis, ſiue articulis literarum Cœnæ Domini ſcripti ſunt, & per te videri poterunt hic infrà in huius Greg. Conſtit. 81.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc prohibitio abſoluendi à lapſu & incurſu hæreſis (quatenus etiam hoc tempore adeſſet) intelligeretúrne etiam de hæreſi purè mentali?

RESP. Non, quia purè mentalis hæreſis non eſt punibilis ab Eccleſia in foro exteriori, & non eget abſolutione in dicto foro, nec ſubiacet iudicio fori exterioris Eccleſiæ, iuxta conſtantem, receptámque Theologorum ſententiam, de qua relatis aliis teſtatur Ioan. Simanc. de Cathol. Inſtit. cap. 42. num. 3. & ſeqq. & meminit Guttier. vbi ſup.

XXXVIII.

PAſtoris æterni, qui non vult mortem, & infra pag. 405. Bull. *Edita Anno 1576.*

COMPENDIVM.

Enarrat, anno 1264. in Vrbe inſtitutam fuiſſe à Patritiis Romanis Societatem Recommendatorum B. MARIÆ Virginis primò, & deinde Confalonis nuncupatam, à diuerſiſque Romanis Pontificibus præclaris priuilegiis, & indulgentiis decoratam. §. 1. Et S. Bonauenturam certam orandi formam, ſeu Coronam præſcriptam ad honorem eiuſdem B. MARIÆ ſtatuiſſe. §. 2. Fratribuſque ſic orantibus plures conceſſas Indulgentias. §. 3. Elargitur eiſdem nonnullas Indulgentias, vt ardentiùs recitationi dictæ Coronæ, aliiſque piis operibus ſtudeant. §. 4.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Quis Pontifex hanc Societatem primò approbauit?

RESP. Eius approbationem ante Clem. IV. non inueni, ſed ipſe Clemens die 25. Nouembris 1267. in Ciuitate Viterbij quaſdam edidit literas Apoſtolicas, in quibus piam quorumdam Romanorum ter in anno Sacerdotibus eorum peccata confitendi, & communicandi ordinationem commendauit, & centum dies de iniunctis ſibi pœnitentiis pro qualibet vice relaxauit, vt in vetuſto Codice manuſcripto vidi, in authentico eiuſdem Societatis. Inde intelligimus, quòd antea ſub Pontificatu Vrbani IV. ad Pontificatum euecti anno 1261. & anno 1264. in hac Bulla enunciato vita functi, inſtituta fuerat hæc Societas, non autem ſub Pontificatu Clem. IV. qui ad Pontificatum aſcendit anno ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quando hæc Societas primò Recommendatorum, & deinde Confalonis nuncupari cœpit?

RESP. Ex authenticis ſcripturis in Archiuio huius Archiconfraternitatis habetur, ab ipſo Societatis exordio Cōfratres Recommendatos B. MARIÆ ſemper nuncupatos fuiſſe vſque ad diē 13. Auguſti 1404. Et inde ad annum 1550. nihil certum inueni: ſed hoc anno Iul. III. in quodam priuilegio his Confratribus dato, liberandi vnum carceratum annis ſingulis in feſto Aſſumptionis B. MARIÆ, eos Confratres B. MARIÆ appellauit, prout cæteri Pontt. poſtea ſemper denominarunt.

XXXIX.

Edita Anno 1576. SAluatoris D. N. IESV CHRISTI, qui charitas eſt, & infra pag. 406. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert vberes fructus Societatis IESV. §. 1. Confirmatámque eam fuiſſe à Paulo III. & Iulio III. §. 2. & ſeq. Priuilegium à Pio IV. datum Societati, de ædificandis locis intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicantium. §. 4. Et ab iſto Pont. confirmatum. §. 5. Et moleſtias deſuper Societati fuiſſe illatas. §. 6. Reuocat ideo dictum priuilegiū Mendicantium, quoad Societatem. §. 8. Liberam noua loca vbique conſtruendi facultatem ei tribuit. §. 9. Gratias, & priuilegia omnia Societatis confirmat. §. 10. Clauſulas Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 11. Executores deputat. §. 12. Contrariis omnibus derogat. §. 13. Tranſumptis credi iubet. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Requiritur ſaltem licentia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij?

RESP. Requiri videtur, quia ſic decreuit Bonif. VIII. in cap. 1. de exceſſ. Prælat. de quo hæc Bulla non loquitur, vt ibi Bonif. requirit. Sed tollitur omnis hæſitatio à Clemen. VIII. qui poſt Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. in fin. in Conſtit. 99. licentiam Ordinariorum neceſſariam eſſe duxit in conſtruendis nouis Conuentibus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Priuilegium Pij IV. de quo in §. 4. vbi perlegam?

RESP. In libro priuilegiorum Societatis, Romæ impreſſo anno 1587. pag. 73. quod priuilegium dedit ipſe Pius die 13. Aprilis 1561. & Genitor illud omiſit, cùm hoc præſtantius illo ſit.

XL.

IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, & infra pag. 408. Bullarij. *Edita Anno 1576.*

COMPENDIVM.

Protomedico, & Collegio Phyſicorum Almæ Vrbis, dat iuriſdictionem cogendi omnes etiam Medicos, & in publicis Vniuerſitatibus doctoratos (illis exceptis, qui in ſtationibus Medicorum, ſiue Collegiis, vel aliàs in exercitio Medicinæ probi & periti communiter exiſtimantur) ad ſe per Protomedicum, & duos alios de Collegio examinandum, non repertóſque idoneos ab exercitio ſuſpendendi, aut eis, ne dictam artem, niſi cum præſentia, vel conſilio alterius, vel aliorum Medicorum idoneorum, & à dicto Protomedico, & duobus de Collegio huiuſmodi approbatorum, vllatenus exercere audeant, nec debeant, prohibendi. §. 2. Contrauenientibúſq; aut contradicētibus quaſuis pœnas ipſi Collegio beneuiſis, & arbitrio eiuſdem Collegij piis vſibus applicandas, infligendi. d. §. 2. Protomedicum,

Collegium, eorúmque deputatos, vel deputandos ſuper præmiſſis à quibuſcumque moleſtari non poſſe, & Medicos non repertos, vt ſuprà, idoneos, eiſdem parere ſub pœnis per eos imponendis decernit. §. 3. Officialibus omnibus præcipit, quatenus Protomedico, & Collegio prædicto in præmiſſis faueant. §. 4. Contrariis omnibus derogat. §. 5. Tranſumptis credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Arbitrium Collegij circa pœnas, de quibus in §. 2. quo pacto intelligendum?

R E S P. Quod iuri & legibus conſonat. Bart. in extrauag. Ad reprimendũ, in verb. videbitur, num. 8. Rota in deciſ. Seraphin. 1017. num. 1. in nouis, & in deciſ. Graff. 348. par. 1. diuerſ. num. 4. & in caſu, quo æquitas ſuadet, rigor à Iudice relaxandus eſt. Rota in deciſ. Creſc. 4. de teſtibus, num. 3. & in alia Seraphin. 1154. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Æquitas autem, vel rigor quomodo Iudicibus ſuadere dicuntur?

R E S P. Attendendo qualitates, & circumſtantias factorũ, perſonarum, locorum, & temporum, quæ longa verborum ſerie explicare neceſſe eſſet, & ideo videas Luc. de Penna in l. 1. Cod. de Collin. Illyric. num. 3. & 4. Clar. q. 60. & Tiraquel. de pœn. temper. per totum eius tractatum, & Farinac. quæſt. 18. num. 61. & ſeqq. & quæſt. 87. vſque ad quæſt. 98.

X L I.

Edita Anno 1577. QVæ in Eccleſiam Dei, & infra pag. 409. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Nicolaus V. in ſua Conſt. 1. de qua ſup. tom. 1. ſuper Concordatis Germaniæ, ſtatuit, Ordinarios, & alios beneficiorum collatores non poſſe diſponere de beneficiis vacantibus, in menſibus, Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſi non apparuerit nõ fuiſſe à Sede prędicta prouiſũ intra tres menſes à die notæ vacationis, in loco beneficij. §. 1. Hic Pont. declarat, quòd diſpoſitio intra dictos tres menſes ab Ordinariis, & beneficiorum collatoribus minimè fiat, ſed à Sede Apoſtolica à die notæ vacationis Sedi Apoſtolicæ. §. 2. Collationes aliter factas irritat. §. 3. Collatoribúſque inobedientibus pœnas infligit. §. 4. Et tranſumptis huius Bullæ credi permittit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Concordata eiuſmodi cur ſic appellata?

R E S P. Quia ſunt leges communi concordia Papæ, & Principũ Germaniæ firmatæ, ſuper forma conferendi beneficia, vt de iſtis ſic in ſpecie loquitur Gonzal. ſup. 8. Reg. Cancell. de menſib. & alternat. gloſ. 25. num. 2. & 3. & Rebuff. ſup. Concord. Franciæ in præfat. gloſ. ſeq. num. 5. rubr. de collationib.

Scholion ſecundum.

Quæro. Concordatorum obſeruantia num præſumenda, vel probanda?

R E S P. Præſumitur, & contrarium allegranti probatio incumbit. Rota in deciſ. Cottæ 56. par. 1. diuerſ. numero 4. & in deciſ. Robuſter. 97. numero 2. ibid. cum aliis in puncto allegatis à Gonzal. vbi ſup. gloſ. 27. in fin. vbi ad idem ſuper his Germaniæ Concordatis allegat Gregor Brandenſ. in quæſt. 2. & 4.

X L I I.

IN Apoſtolicæ Sedis ſpecula, & infra pag. 410. Bullarij. *Edita Anno 1577.*

C O M P E N D I V M.

Græci aliàs imperio, & ſcientia ſublimes, iam ſunt ad maximam calamitatem, ignorantiam, ac hæreſum errores redacti; vt ad ſalutis viam reuocentur, in Alma Vrbe Collegium pro adoleſcentibus Græcis liberalibus artibus, ſcientiis, Theologia, & Eccleſiaſticis ritibus inſtituendis, & vt poſtquam profecerint, nationis ſuæ populo prodeſſe, & præeſſe, & curam animarum exercere, verbum Dei prædicare, & ad orthodoxam fidem reducere poſſint, erigit. §. 1. & 2. Exemptionémque à iuriſdictione Ordinariorum concedit. §. 3. Priuilegia Studij Vrbis, & Doctorum elargitur. §. 4. Collegium, eiúſque perſonas à nemine moleſtari iubet. §. 5. Scholares ad gradus promoueri permittit. §. 6. Cardinalem Collegij Protectorem deputat. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Collegia eiuſmodi iſte Gregorius quot extruxit?

RESP. Tria & viginti in diuerſis Orbis partibus, teſte Ciacon.in eius vita, ex quibus Romæ, vltra Græcorum iſtud,Germanicum alterum, vt ſuprà in eius Conſtit.14. Anglicum quoque infrà in Conſtitut. 53. & aliud Maronitarum in Conſt. 91. Genitor meus colligere potuit. Verùm in noua eius(Deo dante) impreſſione aliud Neophytorum, & omnium primum, Romanum, imprimendum curabit.

Scholion ſecundum.

Quæro. In aliis autem regionibus, eiuſdem Gregorij Collegiorum diplomata, ſuper eorum inſtitutionibus edita, quo pacto habere poſſem?

RESP. In Lotharingia vnius Collegij inſtitutionem vide in Append. Bullar. fol. 30. Aliud in Regno Poloniæ in ead. Appendice fol. 35. & ea iam Compendium hic infra loco ſuo videbis. Alias verò inſtitutiones aliorum Collegiorum in Codicibus manuſcriptis,quos in Archiuio Domus profeſſæ Societatis IESV in Vrbe aſſeruari compertum habui.

XLIII.

Edita Anno 1577. OFficij noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, & infra pag. 411. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus IV. in ſua Conſt. 14. de qua ſup. tom. 1. applicauit bona Apoſtatarum regularium extra Clauſtra degentium acquiſita, Monaſteriis, in quibus primò profeſſi fuerant. §. 1. Pius IV. illam Conſtitutionem reduxit ad terminos iuris,& ſacrarum Conſtitutionum,in tertia eius Bulla, de qua hic ſuprà. d.§. 1. Vnde intrat eiuſdem Pauli Conſt. 29. de qua ſup.tom. 1. in qua hæc ſpolia ad Cameram Apoſtolicam ſpectare decreuit. §. 2. Quia tamen aliqui contrarium prætendunt. d. §. 2. Hic Pont. ad dictam Cameram ſpectare declarat, ſi deceſſerint abſque facultate teſtandi. §. 3. Et ita iudicari mandat. §. 4. Theſaurarium generalem huius Bullæ executorem deputat. §. 5. Contraria omnia tollit. §. 6.Tranſumptis huius Conſtitutionis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi aliquis Monachus vagatus eſt extra Clauſtra, & poſtea rediit ad Monaſterium, ibique decedit, habebit fortaſſe locum hæc Bulla?

RESP. Non, quia loquitur de vagantibus, & morantibus extra Clauſtra, vt colligitur ex illis verbis §. 3. *ſi deceſſerit ſine facultate teſtandi.* Hæc enim facultas non poteſt conſiderari in Monacho, Auth. ingreſſi. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. vbi omnes, & tradit Lap. allegat. 129. num. 18. & colligitur etiam ex aliis verbis Conſtitutionis, *extra Clauſtra degentium*, & paulò infrà, *poſt eorum obitum.* Si quidem verbum, *eorum*, eſt repetitiuum præcedentium cum omnibus eius qualitatibus.Bart. in l.ſi quis ſeruum. 8 §. fin. ff. de legat. 2.num. 5.& in l. 1. ff. de receptator. necnon Patiſ. conſ. 18. lib. 2. num. 32.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquis Regularis apoſtata tranſiuit ab vno Ordine ad alium, & ab illo rediit ad ſtatum ſæcularem, in quo multa bona acquiſiuit?

RESP. Ad Cameram Apoſtolicam ſpectant, attendendo iſtam Gregorij Conſt. quæ de per ſe clara eſt, & breuibus reſpondet Nauar. in conſ.80.lib.3.de Regular. incip. Regularis apoſtata.

XLIV.

SI inter præcipuas virtutes, & infra pag. 412 Bullarij. *Edita Anno 1577.*

COMPENDIVM.

Innocentius III. in ſua Conſtit. 7. de qua ſup. tom. 1. erexit in Vrbe Archihoſpitale S. Spiritus in Saxia, vbi cuiuſuis generis languentes, vulnerati, & infirmi curentur, infantes expoſiti alantur, & puellæ nubiles matrimonio collocentur. §. 1. Et Sixtus IV. in ſua Conſt.22. de qua ſup. tom. 1. illud ampliauit, & plurimas ei gratias, & priuilegia ipſe, & alij conceſſerunt. d. §. 1. Pro quorum firmiori ſubſiſtentia, hic Pont. ea confirmat, quatenus ſint in vſu, vel ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino non aduerſentur. §. 2. Loca iſque omnibus, etiam particularibus conceſſa,cōmunicat.§.3.Clauſulas huius

X 2 con-

conceſſionis præſeruatiuas apponit. §. 4. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 5. Executores deputat. §. 6. Contraríaque omnia remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Hoſpitali eiuſmodi expoſiti, cenſentúrne filij legitimi, vel non?

R E S P. Eiuſmodi expoſitio valdè repugnat legitimæ filiationi, vt dixit Rota de hoc Hoſpitali loquens in deciſ. Seraphin. 1081. num. 3. Sed non ex ea ſolùm illegitimi dicuntur, verùm potiùs reputantur legitimi, vbi eorum origo ignora eſt, vt arg. tex. in l. fin. C. de infan. expoſit. vbi in dubio eos præſumit eſſe liberos, & non ſeruos, vt tenet Paleot. de noth. & ſpur. c. 63. n. 3. & de communi Ignat. Lop. ad Diaz in pract. canon. in verb. Illegitimi, iuxta impreſſionem Moguntiæ; & propterea ad ordines, & alios legitimos actus promoueri poſſe, docet Anan. in cap. 1. eod. tit. num. 11. & ſeq. & Felyn. in c. cùm deputati. 16. de Iudic. num. 10. necnon Bermon. de public. concub. in tit. Qui etiam filios, &c. num. 50.

Scholion ſecundum.

Quæro. Expoſitorum nutritio num magnum pietatis eſt opus?

R E S P. Imò maximum, quia omnia ferè miſericordiæ opera continet: ſi quidem eſurientes paſcit, ſitientibus potum præbet, nudos operit, infirmos curat, viſitátque, ignorantes docet, & eis conſulit, malè agentes corrigit, & mœſtos conſolatur, vt perbellè recenſet Illephonſ. Perez in ſuo tract. de Anniuerſar. lib. 1. cap. 21. ſub num. 68. & ſeq. vbi ſubdit, quod inter eiuſmodi expoſitos ſurgunt etiam multi inſignes viri, inter quos meminit de Bartolo, qui in loco Pietatis Venetiarum expoſitus, & educatus fuit, quemadmodum ex alacritate, & cum lacrymis ſcripſit ipſemet Bart. in l. Quidam cùm filium. 132. de verb. oblig. num. 8. quod repetitur in vita eiuſdem Bartoli in princ. Digeſtorum.

X L V.

Edita Anno 1577. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 414. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Auocat ad ſe quaſcumque cauſas tangentes Eccleſiam, & Capitulum S. Ioannis in Laterano de Vrbe, à quocumque Iudice. §. 1. Earúmque cognitionem illius Archipreſbytero committit. §. 2. Cum facultate quoſcumque citandi, & inhibendi in Curia, & extra. §. 3. Canonicos, & alias dictæ Eccleſiæ perſonas ab excommunicatione, aliiſque cenſuris, & pœnis, ſimpliciter & ad cautelam abſoluendi. §. 4. Aduerſus lapſum fatalium in integrum reſtituendi, & quatenus lapſa non ſint, prorogandi. §. 5. Attentata quoque reuocandi, cæteráque in præmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi. §. 6. Cauſas appellationum non obſtantibus feriis expediendi. §. 7. Decernítque, cauſas eiuſmodi ab Archipreſbytero ex reſcripto Sanctiſſimi eius manu ſignato dumtaxat auocari poſſe. §. 8. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 9. Quibuſcumque contrariis non obſtantibus. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Citatio decernenda ab Archipreſbytero, vt in §. 3. ſi eſſet executa contra Capitulum, & ſingulares perſonas, nunquid intelligeretur ſolùm quoad rem ſpectantem ad dictum Capitulum?

R E S P. Ita firmatum fuit à Rota coram Biſigneto in deciſ. 1. de dolo, & contumac. & in deciſ. Putei 10. iuxta penult. impreſſionem lib. 1. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si verò decernenda eſſet per citationem affigendam in aliquo loco in partibus, ſufficítne affixio illius copiæ?

R E S P. Non, quia citatus non debuit credere dictæ copiæ, dum pro forma Iudex mandat ipſam citationem affigi Rota deciſ. 8. de dolo, & contum. per totam, vbi propterea firmat, affigendum eſſe prius originale in loco, & appendi, & poſt eam appenſam, & euulſam ſigillatam, illius loco relinqui copiam in eodem loco; & ad hoc alias quoque deciſ. allegat Marcheſ. de commiſſ. p. 3. §. 5. num. 4. iuxta vltimam impreſſionem pag. 167.

X L V I.

COgit muneris Apoſtolici ratio, & infra pag. 415. Bullarij. *Edita Anno 1577.*

C O M

COMPENDIVM.

Matthæus della Fuente circa annum Domini 1056. in Eremo del Tardon vnà cum duobus, vel tribus ſociis proprio labore victum parans, pauperem vitam ducere cœpit, & plerique eamdem viuendi rationem ſecuti ſunt. §. 1. Sed habita notitia Conſtitutionis 76. Pij V. de qua ſup. Regulam S. Baſilij delegerunt, & Matthæus in manibus vnius ſocij, quē elegit, tria vota ſubſtantialia iuxta dictam Regulam profeſſus eſt, & cæteri Eremitæ deinde in manibus dicti Matthęi profeſſionem emiſerunt, & ad Monaſteria eorum manibus conſtructa migrarunt, & ibi Horas Canonicas in Choro, & Miſſas conuentualiter celebrant, neceſſaria eorum manibus dumtaxat parando. §. 2. & 3. Matthæus Abbatis munere functus eſt, quoad eos Monachos, dum vixit, & poſtea alium eius loco ipſi elegerunt. §. 4. Sed quia Eremitæ in manibus eius, qui illa recipiendi facultatem non habebat, vota emiſerunt, & Monaſteria prædicta canonicè inſtituta non fuerunt, ideo hic Pont. illa canonicè erigit, & dignitatem Abbatialem, aliáque officia. §. 5. & 6. Facultatem orandi, & celebrādi iuxta Miſſale, & Breuiariū Romanum tribuit. §. 7. Monaſteria omnia ſubiicit Ordini Sancti Baſilij, & ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipit. §. 8. Decernit, illa vnam Prouinciam Hiſpanicam conſtituere, & ibi quolibet triennio Capitulum generale celebrari. §. 9. Habitus nigri delationem, & formam præſcribit. §. 10. Priuilegia Ordinis S. Baſilij, & Congregationis Caſſinenſis concedit. §. 11. Et quantocitiùs dictum Capitulum generale peragi iubet. §. 12. Viſitatorémque ad triennium eligi, qui viſitet, & corrigat. §. 13. & 14. Et illum, & alios Abbati, ſeu Vicario generali ſubiectos declarat. §. 15. & ſeqq. In dicto Capitulo ordinationes Concilio Tridentino, Ordini, ac ſacris Canonibus non contrarias fieri permittit. §. 18. Degentes in dictis Monaſteriis, ad Ordinem recipi, & ad profeſſionem poſt annum admitti decernit. §. 19. & 20. Exemptionem à decimis concedit. §. 21. Decretum irritans apponit. §. 22. Executores deputat. §. 23. Contraria remouet. §. 24. Fidem tranſumptis dari iubet. §. 25.

Scholion primum.

Quæro. Si Matthæus in Abbatem fuerat electus, cur aliorum profeſſio in eius manibus facta dicitur inualida?

RESP. Quia non fuit confirmatus, neque benedictus, & conſequenter non habuit poteſtatem incorporādi Religioni profitentes in eius manibus. cap. 2. de ſupp. neglig. Præl. & in puncto ſic reſpondet Nauar. conſ. 4. lib. 3. de Regular. num. 5. & 8. iuxta impreſſionem Venetiis. 1610.

Scholion ſecundum.

Quæro. In d. Conſt. 76. Pij V. §. 1. habetur, ab his, qui in Congregationibus ſub obedientia voluntaria viuerent, quorum habitus à presbyteris ſæcularibus eſſet diſtinctus, profeſſionem eſſe emittendam, quo ſtante, cur Matthæo prædicto non videtur data facultas recipiendi eiuſmodi profeſſionem, vt hic dicitur in §. 5.

RESP. Huic difficultati circa hanc Bullam olim propoſitæ, Nauar. vbi ſuprà num. 1. & 6. reſpondet, quod ex literis Pij V. non colligitur ſufficienter, quòd electi à Congregationibus poſſent adminiſtratione ſua vti, antequam confirmarentur.

XLVII.

Spectatus, qui in caſtitatis, & infra pag. 417. Bullarij. *Edita Anno* 1577.

COMPENDIVM.

Martinus V. in ſua Conſtit. 11. de qua ſup. tom. 1. approbauit Congregationem Fratrum Ieſuatorum. §. 1. Alij ſucceſſores pleraque priuilegia concesſerūt. §. 2. Pius V. in Conſt. 50. de qua ſup. omnes gratias Ordinum Mendicantium illi communicauit. §. 3. Hic Pontifex omnes illas gratias, & indulgentias (citra tamen clauſulam porrigendi manus adiutrices) confirmat, quatenus ſint in vſu, & ſacris Canonibus non contrariæ, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. §. 4. Decretum irritans addit. §. 5. Executores deputat. §. 6. Contrariorum derogationes adiungit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Illa clauſula, *ſupplendo*, &c. de qua in §. 4. de quibus defectibus intelligitur?

Digitized by Google

Resp. De defectibus iuris poſitiui, non autem iuris naturalis. Ferret. conſ. 38. lib. 1. num. 4. Iaſ. conſ. 86. num. 39. cum alijs, quos cumulat Marta de clauſ. in clauſ. 181. par. 2. iuxta vltimam impreſſionem, vbi alios quoque recenſet defectus.

Quæro. Hoc mane ad Eccleſiam SS. Ioannis & Pauli de Vrbe, feria 6. poſt Cineres, Stationum gratiâ acceſſi, vbi Procurator Conuentus horum Fratrum Ieſuatorum ibi degentium hoc idem, quod à te quæro, ſolicitè poſtulauit; nempe quo tempore, & à quo cōſtet ſupradictam Eccleſiam ſui Ordinis Fratribus fuiſſe conceſſam?

Resp. Nicolaus V. die 1. Ianuarij anno Domini 1544. & ſui Pontificatus 8. ad preces Latini Viſini Preſbyteri Cardinalis Tit. SS. Ioannis & Pauli, eam Eccleſiam, cui priùs Canonici ſæculares præerant, huic Ordini conceſſit, vt ex diplomate in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruato, apparet. Tu autem huiuſmodi hiſtoriam pleniùs explicatam ab Vgonio in ſuo, quem de Stationibus Vrbis edidit, libello, pag. mihi 31. videre poteris.

XLVIII.

Edita Anno 1577. In ſpecula ſupremæ dignitatis, & infra pag. 418 Bullarij.

COMPENDIVM.

Clericos Regulares Congregationis S. Pauli Decollati, abſque licentia eius Præpoſiti generalis, ad quemuis alium Ordinem, præter Carthuſianum, cuiuſcumque indulti vigore, tranſire prohibet. §. 1. & 2. Ad Carthuſianos infra tres menſes à die receſſus ab iſta Congregatione tranſire præcipit. §. 3. Ad alios autem Ordines infra terminum à Præpoſito præfigendum. d. § 3. Non tranſeuntibus pœnas imponit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contraria refellit. §. 6. Conſtitutionis huius tranſumptis fidem dari indulget. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Si vigore indulti Papæ (quod hic adeſſe ſupponitur) ad aliam Religionem tranſitus permittitur, cur etiam Præpoſiti generalis licentia adhuc neceſſaria eſt?

Resp. Quia dum Papa ex aliqua cauſa diſpenſare conſueuit, circa eam cauſam Præpoſitus multa ex facto pendentia aduertere valet, ad ea quæ poſt alios ſcribit Rod. de quæſt. Regularib. tom. 3. quæſt. 52. art. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Indultum tranſeundi ab Ordine Mendicantium, ad Ordinem etiam non Mendicantium, ſiue arctiorem, ſiue laxiorem, nunquid etiam ad Militarem, ſiue Hoſpitalarium intelligitur?

Resp. Affirmatiuè tenet Nauar. conſ. 58. de Regular. lib. 3. num. 1. Sed contrarium determinauit Sacra Cardinalium Congregatio ſuper negotiis Regularium, nolens à Clauſtralibus ad non Clauſtrales tranſitum fieri, vt notatum eſt in fine dicti conſilij ipſius iuxta impreſſionem Venetiis 1610. pag. 561. & inquit Rod. vbi ſupra, artic. 12.

XLIX.

Edita Anno 1577. & 1582. Ex incumbenti nobis, & infra pag. 419. *Item*; Aliàs emanarunt, & infra ead. pag. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet ſal exterum in Statu Eccleſiaſtico mercari. §. 2. Declarat intelligi in locis Sedi Apoſtolicæ mediatè, & immediatè ſubiectis. §. 6. Contrariiſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Sal ergo non exterum licet mercari, cùm hic non ſit prohibitum?

Resp. Nequaquam licet, quia de iure communi prohibitum reperitur l. ſi quis. 11. Cod. de vectigalib. & comm. ſ. & ibi Salyc. ac cæteri communiter, & poſt alios ſcribit Stracch. in ſuo tract. de mercat. par. 4. num. 30. Sunt enim ſalinæ, & earum prouentus, de regalibus Principis. cap. 1. quæ ſint regal. & l. inter publica. 17. ff. de verb. ſignific. & ſic non niſi à Principe, vel eius Officialibus ſal mercari poteſt, vt ſubdit eo loco Stracch. vbi num. 31. recenſet in hac prohibitione non contineri mercaturam ſalamoræ.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi in alio Statu, quàm Papæ, ſal mercatus ſum, & transfero per Statum Eccleſiaſticum ad alterum Statum?

R E S P. Ceſſat ratio huius prohibitionis, quæ eſt, ne vendatur ſal exterum, in præiudicium Cameræ Papæ, & ne ceſſetur ab opere conficiendi ſal in hoc Statu, ſi aliud hic mercaretur, prout in huiuſmodi prohibitionibus ſic declarāt ſcribb. in l. cæteræ. 43. §. ſed & ſi quis. ff. de legat. 1. vbi Iaſ. num. 23. & Alex. conſ. 86. lib. 4. num. 3.

L.

Edita Anno 1577. & 1578. VOlentes pro noſtra, & infra pag. 420. *Item*; Inter multiplices, & infra ead. pag. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad Annonæ abundantiam in Statu Eccleſiaſtico præſeruandam, omnibus cuiuſcumque gradus, & dignitatis perſonis prohibet ſub grauiſſimis pœnis, à Terris dicti Status extrahere triticum, hordeum, legumina, & omnis generis frumenta, & fruges, etiam ex bonis Eccleſiaſticis collecta. §. 1. & in ſubſeqq. Bulla etiam §. 1. Prohibet etiam à quoquam impediri vaſſallos ad Vrbem ea afferre, etiam prætextu molituræ, aut cuiuſcumque alterius oneris ſolutionis. §. 2. Bullæ ſeq. Neminique licere decernit, ea vltra vſum vnius anni pro ſe, & ſuis familiis emere. §. 3. Camerarium, & Annonæ Præfectum, executores deputat. §. 4. Licentias etiam ex cauſa oneroſa conceſſas reuocat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Si quis emit granum pro vſu ſuo, deinde mutato propoſito illud vendit, incidit in hanc prohibitionem?

R E S P. Non, quia emendo ea mente, non contrauenit, vt poſt antiquiores ſic ſcribit Ripa in tract. de remed. ad conſeruand. vbertat. ſub num. 11. & Clar. quæſt. crimin. 82. ſtatut. 7. num. 5. vbi de communi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sed quis, & quomodo probabit mutationem propoſiti?

R E S P. Emptor tenetur id probare, aliàs ex actu venditionis ſubſecutæ præſumeretur quis eo animo emiſiſſe, vt poſt Bart. & Bald. quos allegat, ita cenſuit Ripa in loco præcit. quem ſequitur Baiard. quæſt. 82. ſtat. 7. num. 68. Probabit autem ſuo propterea iuramento, vel per congruas coniecturas, ſecundum Alberic. de ſtatut. lib. 2. quæſt. 106. ad finem.

L I.

PAſtoralis officij cura, & infra pag. 421. Bullarij. *Edita Anno 1578.*

C O M P E N D I V M.

Paulus III. in ſua Conſt. 48. §. 22. de qua ſup. tom. 1. exemptionem a decimis Religioni Societatis I E S V elargitus eſt. §. 1. Pius IV. eam ampliauit. §. 2. Sed dubitat Præpoſitus dictæ Societatis moleſtari, cùm non fuerit derogatum cap. Nuper, de decim. §. 3. Hic ideo Pont. eamdem exemptionem iteratò concedit, & ampliat. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Cur dubitatum fuiſſe credis, neceſſariam eſſe derogationem d. cap. Nuper?

R E S P. Quia verba exceptionis pro bonis acquiſitis, & acquirendis poſſunt intelligi de acquiſitis alio titulo, quam emptionis, & in taliter acquiſitis ſtat diſpoſitio dicti cap. Nuper. quòd decimæ de eis perſoluantur. Ita ſingulariter cenſuit Rota in ſimili dubio excitato contra Fratres Ordinis Præmonſtratenſis, qui exemptionis huiuſmodi priuilegium à Ioanne X X I I. obtentum allegabant in deciſ. Seraphin. 1380. num. 3. in ſuis poſtremò impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. de quibus decimis huiuſmodi Societatis exemptiones intelliguntur?

R E S P. De illis, quæ Parochis, vel aliis perſonis, aut Collegiis, ex iuris communis diſpoſitione debentur, & non de his, quæ iure ſpeciali, ex aliqua particulari conceſſione, & priuilegio debentur, maximè ſi ex cauſa oneroſa, & ex quaſi contractu Principis, vt cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 1293. per totam in vna Valentina decimarum, die 1. Iulij 1598. quæ inter hos RR. PP. & Archiepiſcopum, & Capitulum Eccleſiæ

Eccleſiæ Valentinæ ſuper intelligentia huius priuilegij vertebatur.

L I I.

Edita Anno 1578.

CVpientes Domum Piam, & infra pag. 422. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. Domum Piam erexit, pro piè ibi recipiendis, & educandis mulieribus pœnitentibus, ad deliberandum an nubere, vel Moniales ibi effici vellent, in princ. Ne ergo per Vrbis tribunalia eius lites agi contingat, deputat Cardinales eius Protectores, in Iudices cauſarum ciuilium, & criminalium, & mixtarum, ſpectantium ad dictam Domum, eiúſque Congregationem, Moniales, & alias perſonas inde egreſſas, cum facultate etiam per alium eas cognoſcendi. §. 2. & 3. Citandique & inhibendi in Curia, & extra §. 4. Et ſingulis diebus, & horis (prçterquã in honorẽ Dei feriatis) procedendi, etiam tempore feriarum ob neceſſitatem hominum indicendarum. §. 5. Notarium quoque ad dictas cauſas deputandi. §. 6. Citandi etiam per quoſcumque Mandatarios, & exequendi per quoſcumque executores. §. 7. Decernit ſuper præmiſſis à nemine perturbari. §. 8. Clauſulas huius conceſſionis præſeruatiuas apponit. §. 9. Et decretum irritans. §. 10. Clauſuláſque derogatorias. §. 11. Et fidem tranſumptorum permittit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Num maxima eſt harum pœnitentium mulierum fortitudo?

R E S P. Audi Lactantium in lib. Inſtit. *Mens inquinata contagine impudico corporis, non poteſt, niſi longo tempore, & multis bonis operibus à colluuione, quæ inhæſerit, purgari.* Audi quoque B. Hieronymum ad Furiam ſic ſcribentem: *Grandis virtutis eſt, & ſollicitæ diligentiæ, ſuperare quòd natus ſis in carne, non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem Argum (vt fabulæ ferunt) centum oculis.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Papa derogaſſet feriis ſimpliciter abſque verbo, *indicendis*, nunquid etiam de indicendis intellexiſſet?

R E S P. Non, ex authoritate Bart. in l. 1. ff. de fer. num. 3. Alex. conſ. 188. l. 2. n. 11.

L I I I.

Edita Anno 1579.

QVoniam diuinæ bonitati, & infra pag. 423. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad Angliæ Regnum hæreſis labe deuaſtatum, multóſque iuuenes ex illo miſerrimo Regno huc profugientes, & ad Catholicæ Religionis, in qua nati ſunt, inſtitutionem ſuſcipiendam ſe offerentes, pietatis oculis reſpexit. §. 1. & 2. Ad imitationémque Gregorij Primi, qui Anglorum nationem ad fidem Catholicã induxit, iſte Pontifex Gregorius XIII. pro Anglorum ab hæreſi reuocatione, Collegium Anglorum pro Scholaſticis eius Regni in Philoſophia, ac Theologia ſe exercentibus, Græciſque, ac Hebraicis literis operam dantibus, erigit. §. 3. Annuos redditus aſſignat. §. 4. Locum pro inſtitutione Collegij concedit. §. 5. Exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum, & aliorum quorumcumque tribuit. §. 7. Et à ſolutione pedagiorum, & gabellarum. §. 8. Indulta Studij Vrbis elargitur. §. 9. Collegium ab Officialibus moleſtari prohibet. §. 10. Superioribus dicti Collegij dat facultatem Studentes ad gradus promouendi. §. 11. Ac ad ordines, etiam extra tempora, & abſque Ordinariorum literis dimiſſoriis, & ſine aliquo beneficij, vel patrimonij titulo, & non obſtante quocumque natalium defectu. §. 12. Cardinalem Collegij Protectorem deputat. §. 14. Alumnos recipiendos examinari iubet. §. 15. Admiſſos autem decernit iurare debere, vitam Eccleſiaſticam perducturos, ſéque omni tempore ad iuſſu Superiorum in patriam reuertendum, & ad animas adiuuandas paratos. §. 16. Alumnos à Confeſſariis à quibuſcumque exceſſibus abſolui indulget. §. 17. Et ita ſeruari præcipit. §. 18. Contrariis derogat. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Multum ideo pro Anglis profeciſſe cenſetur iſte Gregorius Primus, de quo in §. 3.

R E S P. Adeò, vt Apoſtolus Anglorum appellatus, multíſque aliis virtutibus à Ciacon. in ipſius Sancti Pontificis

vita

Digitized by Google

vita fuerit illuſtratus, in ſuo opere de vitis Summorum Pontificum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui iuuandæ fidei Catholicæ cauſa Angliam ire iurauerit, vt in §. 16. poteritne Religionem intrare antequam illam adeat?

R E S P. Non, quia poſtquam Religionem quis ingreditur, Angliam non poteſt adire, & iuramentum ſic adeundi præfertur voto intrandi priùs Religionẽ, vt fusè in terminis huius Bullæ firmauit Nauar. conſ. 4. de Regular. lib. 3. iuxta impreſſionem de anno 1610. Venetiis.

L I V.

Edita Anno 1379. ROmanus Pontifex, & infra pag. 426. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregationem Monachorum S. Bernardi in Italia, Ordinis Ciſtercienſis Regularis Obſeruantiæ, quolibet triennio Capitulum generale cogere iubet. §. 1. & 2. Viſitatoréſque ſingulis annis deſtinari. §. 3. Formam eligendi Diſcretum ponit. §. 4. Præſidentem totius Congregationis caput conſtituit, & ad triennium durare ſtatuit. §. 5. Et ipſo interim decedente, alium eius loco eligi mandat. §. 6. Scrutatoréſque duos deputari. §. 7. Diffinitores ſeptem pro qualibet Prouincia. §. 8. Ab his Præſidentem Capituli eligendum eſſe cenſet. §. 9. Quoad Prælaturas, & Sacerdotes alia ſtatuit. §. 10. & ſeqq. Vota in eligendis Prælatis per modum conſilij communicare liceat. §. 18. Viſitatores quatuor, nẽpe duos ex qualibet Prouincia eligi, & maiores profeſſione, vocem capitularem habere decernit. §. 19. Et horum maiorum poteſtatem deſignat. d. §. 19. Acta viſitationis ad Capitulum referri. §. 20. Prælato aliquo priuato, Vicarius deputetur vſque ad nouam electionem. §. 21. Electiones minores vt fiant à Viſitatoribus. §. 22. Prælati quando poſſint à Viſitatoribus, vel Diffinitoribus priuari. §. 24. Et quanto tempore Monaſteriis præeſſe poſſint. §. 25. & ſeq. Regimen vtriuſque Prouinciæ in quibus Prælatis de Capitulo ad Capitulum conſiſtat. §. 27. Et eorum acta fideliter in libro deputato notentur. §. 28. Monaſteria reformáda cui Prouinciæ aſſignentur. §. 29. Prælati Ciſtelli, & Boniſolarij, ſint propriè Abbates cum ſolita iuriſdictione. §. 30. Prior Morimundi titulo Abbatis vtatur. §. 31. Conſtitutiones Alex. VI. Iulij II. Leonis X. & Pauli III. approbantur. §. 32. & ſeqq. Diffinitores quot titulos Abbatiales creare poſſint. §. 35. Quæſtiones in futuro Capitulo non deregendas perpetuò ſileant. §. 36. Executores deputat. §. 37. Contrariis derogat. §. 38.

Scholion primum.

R E S P. Ciſtercienſis Ordo num arctior eſt cæteris aliis Ordinibus?

R E S P. Non inueniri Ordinem arctiorem dixit gloſ. in cap. non eſt. 7. de Regular. num. 1. Sed Hoſtienſ. Zabar. & Panorm. dicunt Carthuſianum eſſe ſtrictiorem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Idem Ordo Ciſtercienſis eſt ſub Regula Sancti Benedicti?

R E S P. Certum eſſe liquet ex dictis à Syluestro in ſua Summa, in verb. Religio. §. 1. num. 7. & Rota in deciſ. Blanchet. 266. par. 2. diuerſ. in fine.

L V.

CVm illius vicem, & infra pag. 429. Bullarij. *Edita Anno 1379.*

C O M P E N D I V M.

Clemens VII. in ſua Conſt. 35. de qua ſup. tom. 1. approbauit Congregationem Fratrum Minorum Sancti Franciſci de ſtrictiori obſeruantia, & nonnullas deſuper conſtituit ordinationes, ſuper quibus poſtea moleſtati ſunt. §. 1. & 2. Hic ideo Pont. aliqua illis addit. §. 3. Præſertim circa profeſſionem præſentium Nouitiorum Fratrum Reformatorum, necnon Fratrum de Obſeruantia Profeſſorum, ad Reformatos ſe transferentium. §. 4. Eorúmque receſſum à profeſſione, vel incorrigibilitatem, & expulſionem. §. 5. Cuſtodis munus in recipiendis Nouitiis, & Fratribus de Obſeruantia. §. 6. Præcipit certa loca his Reformatis aſſignari. §. 7. Miniſtri generalis de Obſeruantia poteſtatem declarat circa hos Reformatos. §. 8. Et qui ex non Reformatis, inter Reformatos morari poſſint. §. 9. & 10. Capitula Cuſtodialia quolibet anno in locis Cuſtodię ad electionẽ

Cuſtodis fieri permittit. §. 11. Ipſiſque Capitulis ſolus Cuſtos præſideat, & eo decedente Commiſſarius Cuſtodiæ, vel ipſe Miniſter generalis, ſi perſonaliter tantùm intereſſe velit. §. 12. Cuſtodes ad triennium eligantur, & confirmationem petant à Miniſtro generali d. §. 12. Cuſtode decedente, eligatur Commiſſarius vſque ad capitulum Cuſtodiale. §. 13. Cuſtodum authoritas quæ. §. 14. Ordinationes in Capitulis generalib. futuræ, huic Bullæ, & ſtrictiori obſeruantiæ contrariæ, nullæ ſint. §. 15. Reformatorum veſtes ſint de vilioribus indumentis, & deſpecto colore. §. 16. Ordinationes Clementis VII. his non aduerſæ confirmantur. §. 17. Clauſulæ præſeruatiuæ huius Bullæ ſubduntur. §. 18. Et decretum irritans. §. 19. Executorúmque deputatio. §. 20. Contrariorum derogatio. §. 21. Et tranſumptorum fides. §. 22.

Scholion primum.

Quæro. Incorrigibilis, de quo in §. 5. quis eſt, vt à Religione expelli poſſit?

R E S P. Qui nulla ſpes eſt quòd corrigatur, cùm admonitus à Superiore obſtinatus eſt, & illum non vult audire. cap. cùm non ab homine. 10. vbi Panormit. & alij de iudic. Farinac. quæſt. 11. num. 49. verſ. Licèt generaliter. Graff. in ſuis deciſ. par. 1. lib. 2. cap. 24. ſub num. 19. Et in Ordine Minorum Regularis obſeruantiæ extant Conſtitutiones particulares de eiuſmodi incorrigibilitate, de quibus agit Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 30. art. 14. prope finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Prælatus incorrigibilem expellendo, vt in d. §. 5. poſſit ei iubere, vt aliam ſtrictiorem ingrediatur Religionem?

R E S P. Non, quia Prælatus habet iuriſdictionem in ſuum Religioſum, quanto tempore ei ſubditur, & non vltrà: at ſimul ac ille priuatur habitu, deſinit ei eſſe ſubditus; ergo non poteſt illo tempore eum obligare. Nauar. conſ. 77. num. 2. verſ. ad tertium, iuxta impreſſionem Venet. Idémque, ſed alia ratione tenet Rod. mox citatus articulo 23.

L V I.

Pij Patris Altiſſimi, & infra pag. 432. Bullarij. *Edita Anno 1579.*

C O M P E N D I V M.

Quidam Chriſti fideles Archiconfraternitatem Pietatis carceratorum in Vrbe, ad pia erga eos opera exercendum, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus neceſſitatibus ſubueniendum inſtituere propoſuerunt, huius Pont. obtẽta licentia. §. 1. Is autem modò eam erigit. §. 2. Statutáque condendi Cõfraternitati facultatem concedit. §. 3. Carceréſq; non ſecretos intrandi, & cum carceratis tractãdi. § 4. Confratribus Indulgentias pia quædam opera exercentibus, elargitur. §. 5. Alias Confraternitates aggregandi, & indulgentias eis cõmunicandi, authoritatem impartitur. §. 6. Clauſulã. *Sublata*, &c. addit. §. 8. Derogatoriaſque. §. 9. Sanctionémque pœnalem. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Quis, quóue tempore, ante omnes inſtitutionem, de qua in §. 1. promouit?

R E S P. Hóc eodem anno 1579. R. P. Ioãnes Salier preſbyter Societatis IESV, natione Gallus, bonitate, & ſpiritus feruore eximius, teſte Camillo Phanuc. in ſuo libello, quem vulgari idiomate conſcripſit, de piis Vrbis operib. lib. 4. cap. 44. pag. mihi 304.

Scholion ſecundum.

Quæro. Carceratus ſi in exilium ad tempus ſit condemnatus, nunquid ſi poſt condemnationem in carceribus retinetur, hac tempus carceris computetur in exilium?

R E S P. Poterit quidem, ad tex. in l. omnes. 23. Cod. de pœn. quem tamen tex. Confratres huius Societatis, vt congruè valeant pro carceratis allegare, caueant locum non habere, quando facto eiuſdem carcerati, vel aliàs iure retinetur; ad Franc. in deciſ. 317. & Caball. caſu 242. per tot. vbi plura referunt exempla.

L V I I.

VSum Altaris viatici, & infra pag. 433. Bullarij *Edita Anno 1579.*

C O M P E N D I V M.

Paulus III. Altaris portatilis, ſeu viatici vſum

vſu Societati IESV conceſſit,ſed Concilium Tridentinum vniuerſaliter ſuſtulit. §. 1. Hic Pont. illum reſtituit, vt inter miſſiones, quæ à Superioribus fiunt, ſuper dicto Altari Miſſæ ſacrificium valeant celebrare, etiam in caſtris militum, & modò loca, etſi communia, & profana, tuta tamen ſint, & honeſta, quibuſcumque non obſtantibus.d. §.1.& 2. Et fidem huius indulti tranſumptis dari indulget. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Altare portatile, vel viaticum num inter ſe differunt?

RESP. Non, ſed pro ſynonymis poſuit Panormitan. in cap. 1. de conſecrat. Eccleſ. vel Alt. ſub num. 3. verſ. & credo. Et ideo iure merito, dum in textu dicitur Altare viaticũ, Genitor meus in eius rubrica portatile appellauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur portatile, & viaticum nuncupatur?

RESP. Portatile dicitur à portando de loco ad locum; viaticum verò à vehendo,vt notiſſimum eſt,& ſcribũt omnes Canon.in cap. In his.30.de priuileg. & in cap. fin. eod. tit. in 6.ac poſt alios Cæſar. Lambertin. de iure patronat.lib. 1. art. 9. quæſt. 11. princ. par. 1. num. 1.

L V I I I.

Edita Anno 1579. Benedictus Dominus, & infra pag. 453. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Baſilius cognomento Magnus Monachorum Ordinem inſtituit,in proœm. Qui in ſanctitate, & doctrina olim floruerunt. §. 1. Pro cuius reformatione Capitulum generale fieri, & Abbatem, aliόſque Officiales eligi hic Pontifex voluit. §. 2. Et electi fuerunt. §. 3. Capituli celebrationem, & ibi factam Prælatorum electionem comprobat. §. 4. Et Generali electo curam totius Ordinis delegat. §. 5. Omnéſque ei Monachos ſubijcit. §. 6. Habitum ex panno nigri coloris cum caputio, ſiue cuculla monachali, eos deferre iubet. §. 7. Profeſſionémque regularem per omnes emitti. §. 8. Capitulum quoque generale celebrari quolibet triennio. §. 9. Officia triennio expleri decernit. §. 10. Capitulo mandat præſidere eligendum à Cardinale. §. 11. Et in eo locum futuri Capituli deſignari, §. 12. Electionéſque per ſuffragia fieri.§. 13. In Monaſteriis commendatis menſam conuentualem inſtitui præcipit, diſtinctam ab Abbatiali, cui aſſignent Commendatarij bona neceſſaria, & Monaſteria reparent,& ad cultum diuinum neceſſaria aſſignent. §. 14 & ſeq. Et Monachi eorum poſſeſſionem capiant. §. 16. Monaſteria etiam commendata Ordini aggregat. §. 17. Priuilegia eidem Congregationis Caſſinenſis concedit. §. 18. Eximitque à iuriſdictione Ordinariorum, & aliorum. §. 19. Abbati, & Viſitatoribus dat facultatem viſitandi, & reformandi. §. 20. Ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 21. Executores deputat. §.22. Contrariíſque derogat. §. 23.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quòd Papa in §. 8. iubet emitti profeſſionem regularem?

RESP. Quia in hac Religione S. Baſilij in ſui initio fiebat expreſſa profeſſio. A tempore autem eius initij non eſt memoria, regulari obſeruantia in ea collabente, eius Monaſteria commendata fuerunt, deſiſtque emitti conſueta profeſſio. Hæc ſcribit Nauar. de Regular. conſ. 15. lib. 3. in princ. in impreſſis Venetiis anno 1610.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad hanc profeſſionem poſſétne his temporibus Abbas electus, antequam ſit confirmatus, Monachum admittere?

RESP. Non, quia ante confirmationem non eſt Abbas, nec quidquam vt Abbas facere poteſt. cap. Nihil. 44. cum ibi not. de elect. & tradit Nauar. vbi ſup. in conſ. 40. num.5. Et id locum habet, etiam antequam Abbas ſit benedictus, vt bene oſtendit Rod. tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 18. artic. 2.

L I X.

Quæ inter Religioſorum cœtus, & infra pag. 456. Bullarij. *Edita Anno 1579.*

COMPENDIVM.

Pius V. in Conſtitutione 41. de qua ſup. decreuit, Canonicos Regulares S. Saluatoris, Ordinis S. Auguſtini, quolibet triennio in Capitulo generali

Priorem generalem, Viſitatores, cæteróſque Prælatos, & Procuratorem generalem eligere debere, & iſte Pont. circa hanc electionem triennalem confirmauit, in princ. & §. 1. Et quia nonnulli de dictarum Conſtitutionum validitate dubitabant, ideo eas iteratò promulgat, & de cætero nihil deſuper innouari præcipit. §. 2.& ſeqq. Non obſtátibus quibuſcumque. §. 5. Tranſumptis fidem præſtari mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, electionem fieri in Capitulo, vt hic dicitur in principio?

RESP. Non intelligas fieri in loco Capituli, quia ille locus non dicitur Capitulum, ſed locus capitularis. Intelligas ergo in Capitulo, id eſt, in Congregatione Prælatorum vocalium, & aliorum, qui in dicto loco Capituli tenétur intereſſe. Rota in deciſ. Mohed. 1. de foro comp. num. 6. & in deciſ. Seraphin. 1247. n. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid Canonicus Regularis de beneficio curato ſæculari poſſit prouideri?

RESP. Cum licentia Superioris ſui poteſt. cap. quod Dei. 5. vbi Panormit. & alij de ſtatu Monachor. Rota in deciſ. Bellam. 751. prope finem, & in deciſ. Seraphin. 1269. per totam.

L X.

Edita Anno 1580. QVo magis, ac firmiùs, & infra pag. 436. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Clementem VII. ſtatuiſſe, quòd Religioſi Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani, habentes beneficium, vel penſionem, habitum ſuſcipere, & profeſſionem infra ſex menſes emittere debeant. §. 1. Et Paulus III. cenſuit Magiſtrum, &c. prouidere poſſe de Eccleſiis huius Ordinis. §. 2. Pius IV. in eius Conſtit. 9. de qua ſup. prædicta confirmauit, & Priores Eccleſiæ intra limites ſuarum adminiſtrationum Ordinarios declarauit, beneficiáque certo modo conferre ſtatuit. §. 3. Et ad hoc quædam decreuit Paul. III. & quædam alia Magiſter Generalis. §. 4. Sed deſuper aliqua dubia exorta fuerunt. §. 5. Hic ideo Pont. inhærendo Concilio Tridentino, ſupradictorum Pontt. gratias confirmat. §. 6. Prouiſóſque à Sede Apoſtolica, habitum ſuſcipere teneri declarat. §. 7. Et illum non ſuſcipientes infra ſex menſes, nonnullis pœnis alligat. §. 8. Suſcipientes verò, ſpolia conſequi poſſe indulget. §. 9. Exemptionem à decimis, & aliis oneribus à Pio V. elargitam, approbat. §. 10. Executores deputat. §. 11. Contraria remouet. §. 12. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 13. Et tranſumptis fidem tribuit. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Profeſſio, de qua in §. 1. num fieri poterit à Milite minore annis 16.

RESP. Non, quia Concilium Trid. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 15. de Religioſis id ſtatuens, locum habet etiam in Militibus, quia verè Religioſi ſunt, præſertim huius Militiæ, licèt quandoque dictum Concilium loquens de Religioſis, particulariter expreſſerit etiam de militaribus, vt ſcribit Nauar. conſ. 21. de Regular. lib. 3. iuxta impreſſionem Brixianam de anno 1597. vbi de communi teſtatur, Rota in deciſ. Cæſ. de Graff. 47. num. 13. & 15. & in deciſ. Mohed. 10. de cauſ. poſſ. & propriet. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod fertur, huic Religioni à Carolo V. Romanorum Imperatore Meliuetanam Inſulam donatam fuiſſe?

RESP. Ex authentico diplomate Bibliothecæ Genitoris mei, Carolum V. Romanorum Imperatorem, & Siciliæ Regem, Inſulas Melineti, Tripolis, Gaudiſij, die 23. Martij anno Domini 1536. dictæ Militiæ, loco Inſulæ Rhodi à Turcis expugnatæ, in feudum perpetuò donaſſe, tempore Pontificatus Leonis X. liquet.

L X I.

VRbem Romam, & infra pag. 439. *Item*; Almam Vrbem, & infra pag. 440. *Item*; Nuper præinſertas, & infra pag. 441. Bullarij. *Edita Anno 1580.*

COMPENDIVM.

Romanus populus inſtituit reformare antiqua ſtatuta Vrbis, & noua condere. §. 1. Lucas Pætus vnà cum aliis deputatus, in tres libros hæc noua redegit, & huic Pontifici exhibuit. §. 2. Qui Cardina

Cardinalem S. Seuerinæ, & alios ad illa examinandum delegit. §. 3. Qui deinde ea examinarunt, & correxerunt. d. § 3. Hic modò Pont. antiqua illa ſtatuta abrogat. §. 4. Nouáque bene digeſta approbat. §. 5. Obſeruari præcipit in Curia Capitolij etiam quoad cauſarum proceſſum, & quoad alia, vbique in ipſa Vrbe, eiúſque diſtrictu, vbi particularia ſtatuta de eiſdem cauſis, & caſibus non habentur. §. 6. Illiſque per ſolam Signaturam Gratiæ derogari indulget. §. 7. Contrariis derogat. §. 8. Tranſumptis credi permittit. § 9. Declarat in ſubſequen. Bulla, ſtatuta prædicta non præiudicare Conſulibus artium de Vrbe. §. 1. & ſeqq. A quorum ſententiis ad Conſeruatores Vrbis tantùm appellari decernit. §. 6. Sed hoc vltimum in ſubſeq. Bulla declarat, eiuſmodi appellationum reſtrictionem non præiudicare Gubernatori Vrbis, & Capitaneo appellationum. §. 1. Et decretum irritans apponit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt ſtatuta ordinatoria, & deciſoria, de quibus in §. 6.

R E S P. Ordinatoria ſunt, quæ telam iudiciariam, ſiue ordinem in agendis litibus reſpiciunt, vt putà, quomodo quis citetur, vel teſtes examinentur. Oſaſch. deciſ. 22. num. 16. & ſeq. Vel quomodo dentur mandata. Magon. deciſ. Lucenſ. 87. num. 18. in fine. Vel circa recognitionem ſcripturæ. Rota Genuæ deciſ. 206. num. 2. Deciſoria verò, quòd quis citetur, vel non citetur. Rota in deciſ. Creſc. 9. Iulij 1604. in vna Aretina ſpolij. Quòd lapſo certo termino, inſtantia pereat. Rota in deciſ. Put. 416. lib. 2. num. 1. in nouis. Vel quòd lapſo ſimili termino, de iure partis Iudices non cognoſcant. Soc. ſen. conſ. 36. lib. 4. num. 11. Vel exceptiones non admittantur. Aym. conſ. 201. num. 38. Vel an detur appellatio. Rota in deciſ. Putei 469. lib. 2. num. 2. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num hæc ſtatuta Clericos ligant?

R E S P. Ligant, quia ſunt edita à Deputatis Papæ, & ipſe approbauit: vnde dicuntur Papalia, & Clericos comprehendunt. Rota in deciſ. Robuſter. in vna Romana dotis, 21. Februarij 1567. & in deciſ. Aldobrand. poſtea Sanctiſſimi 452. lib. 1. diuerſ. num. 1. Quamuis contrarium nitatur probare Marcheſan. de commiſſionib. par. 3. §. 5. num. 67. pag. mihi 170. in poſtremò impreſſis.

L X I I.

CVm nihil magis Religioſorum, & infra pag. 441. Bullarij. *Edita Anno 1580.*

C O M P E N D I V M.

Præmittit, Religioſorum ſtatum admodum perturbari ex conquiſitione fauorum perſonarum ſæcularium, in proœm. Prohibet ideo omnibus Superioribus Ordinis Fratrum S. Dominici, ad inſtantiam perſonarum extra dictum Ordinem gratiam alicui, aut pœnarum remiſſionem concedi cuiuis eiuſdem Ordinis perſonæ. §. 1. Imponit pœnas eiuſdem Ordinis Religioſis, conquiſitis fauoribus officia procurantibus. §. 1. Et ſic, & non aliter iudicari mandat. §. 3. Remouet contraria. §. 4. Iubet credi tranſumptis. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Hæc fauorum conquiſitio, & ambitus, ipſis fortaſſe ambientibus miſeriam infert?

R E S P. Ita ſanè, teſte Cicerone lib. 1. Officior. & nouiſſimè Buſæo de remed. contra animi morb. in verb. Ambitio, vbi latè.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi miſeriam aliquiſne author bene explicat?

R E S P. Seneca ad Lucil. mirificè explicat, & quamplura ſcribit etiam ex recentioribus Thib. Decian. libro 8. ſui tractat. in tit. de Ambit. c. 21.

L X I I I.

AD Romani Pontificis, & infra pag. 442. Bullarij. *Edita Anno 1580.*

C O M P E N D I V M.

Plerique Pontifices aduerſus quoſcuque S.R.E. & Cameræ Apoſtolicæ feudatarios, & alios dictæ Cameræ debitores, debitas ſolutiones certis die & loco ſtatutis non facientes, pactáque, & conuentiones in eorum inueſtituris, & conceſſionibus nō obſeruantes, pœnas inflixerunt. §. 1. Fiſcus quotannis in Vigilia, & Feſto Sanctorum Petri & Pauli caducitates acceptauit, & non ſoluentes, con-

tumaces à Cameralibus declarari obtinuit. §. 2. Paulus I V. in eius Conſt. 11. de qua ſup.tom.1.cõprobauit.§.3.Poſtea annis ſingulis debitores prædicti ſic citati, priuati fuerunt. §. 4. Multi autem adhuc bona Sedis Apoſtolicæ detinent, & pœnas prædictas non incurriſſe prætendunt. §. 5. Hic ideo Pont. prædictas prædeceſſorum Conſtitutiones, ſententias, & decreta comprobat, & innouat. §. 6. Et quoſcumque comprehenſos in eis, ad realem locorum deuolutorum poſſeſſionem deuenire debere decernit. §. 7. Feudatarióſque,& alios in Camera Apoſtolica in Sanctorum Petri & Pauli Vigilia,& Feſtiuitate debita iura Cameræ Apoſtolicæ ſoluere debere. §. 8. Et ſolutiones ſemper intelligi receptas, ſine præiudicio iurium Cameræ. §. 9. Et poſt dictam Feſtiuitatem recipi vetat. §. 10. Contentáque in prædictis Bullis obſeruari mandat. §. 11. Et ita, & non aliter iudicari. §. 12. Contrariis derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Cameræ Apoſtolicæ appellatione quid venit?

R E S P. Accipitur quandoque pro loco,in quo ius redditur à Cameralibus, vel pro eo, quod vergit ad commodum, & vtilitatem Cameræ: vel pro Clericis, & aliis, qui adminiſtrant Cameram, aut eius iuriſdictionem. Bart. in rubr. Cod. de iur. fiſc.lib. 10.num.7.Paul. de Caſtro conſ. 105. lib. 1. num. 4. Dec.conſ. 404. num. 1. & ſeq. & Peregr. de iure fiſc. in princ. num. 3. Et omnibus his modis accipitur Camera in textu huius Bullæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid feudatarius debitor cenſus Cameræ,vti poteſt beneficio compenſationis cum ſimili credito,quod habet cum Camera?

R E S P. Non, quia ſpeciale eſt in tributis. l. 3. Cod. de compenſat. Afflict. deciſ. 19. num. 4. Sebaſtianus Medic. de compenſ. quæſt. 38. vbi alios cumulat.

L X I V.

Edita Anno 1580. PIa conſideratione, & infra pag. 444. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Innocentiũ I V. in ſua Conſt. 8. de qua ſup. tom. 1. Regulam mitigatam Fratrum B. M A R I Æ de Monte Carmelo confirmaſſe. §. 1. Et Eugenium I V. in ſua Conſt. 3. de qua ſup. tom. 1. iterum mitigaſſe. §. 2. Sed de anno 1565. in Regnis Hiſpaniarum dictam Regulam ab Innoc. I V. firmatam, & nonnulla alia ſtatuta à nonnullis obſeruari cœptum fuiſſe, Diſcalceatóſque nuncupari. §. 3. & 4. Qui propterea à Carmelitis profitentibus Regulam ab Eug. I V. declaratam, ſeparari apud hunc Pont.inſtiterant. §. 5. Hic Pont. dictos Diſcalceatos in Regnis Hiſpaniarũ ab ipſis Mitigatis ſeparat. §. 6. Monaſteriáque eorum in vnam reducit Prouinciam Diſcalceatorum nuncupandam, & regendam à Priore dictæ Prouinciæ, ſub obedientia Prouincialis generalis Ordinis.§.7.Prioris Prouincialis munus præſcribit. §. 8. Priuilegia totius Ordinis his Diſcalceatis communicat. §. 9. Ad Carthuſianos tantùm tranſire concedit. §. 10. Officiales aliorum Carmelitanorum ſuper præmiſſis non moleſtare Diſcalceatos decernit. §. 11. Diſcalceatis ad Ordinis Protectorem,vel ad Sedem Apoſtolicam recurſum permittit. §.12.Carmelitanis Mitigatis facultatem viſitandi Diſcalceatos aufert. §. 13. Clauſulas præſeruatiuas huius Bullæ ſubdit. §. 14. Et clauſulam, *Sublata*, &c.§. 15.Executorúmque deputationem. §.16.Et contrariorum derogationes. §.17.Et fidem tranſumptorũ. §.18.

Scholion primum.

Quæro. Huius Reformationis quis dicitur fuiſſe promotor?

R E S P. Eximiæ ſanctitatis Virgo Tereſia à I E S V, cæleſti ſpiritu afflata, priſtinam Alberti Regulam, de qua ſuprà in Conſt. 8. Honor. I I I. tom. 1. primùm ſibi, mox Virginum cœtibus, poſtremò duobus ex Carmelitis, quos Mitigatos vocant, popoſuit ſtrenuè recolendam. Horúmque Patrum alter Antonius à I E S V, Ioannes aliter à Cruce, vterque ſanctitate illuſtris, vltimus miraculis etiam clarus, anno 1568. in natali Hiſpaniæ ſolo prope Albulam antiquiori Carmelo nouiſſima fundamenta dedêre. Hæc perlegi in præfatione libelli priuilegiorum dictorum Diſcalceatorum, Romæ hoc anno 1617. typis cuſi.

Scholion.

Scbolion ſecundum.

Quæro. Num Tereſia Sanctorum catalogo à Sede Apoſtolica adſcripta fuit?

RESP. Deſideratur eius Canonizatio, & interim Paulus Papa V. die 29. Aprilis 1614. facultatem celebrandi Officium, & Miſſa de dicta Tereſia, in eius feſto conceſſit, vt ex hoc, quod ſequitur, apparet diplomate.

PAVLVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Regis æternæ gloriæ, qui fideles ſeruos ſuos corona vitæ coronat, vices quãquã immeriti gerentes in Terris, ex iniuncto nobis Paſtoralis officij debito, Chriſti fidelium, ac præſertim Catholicorum Regum, & Principum, necnon Religioſarum perſonarum votis, quæ peculiarem erga eoſdem Chriſti ſeruos honorem, & venerationem reſpiciunt, libenter annuimus, eáque fauoribus proſequimur opportunis, prout conſpicimus ſalubriter in Domino expedire.

§. 1. Sanè dilectorum filiorum omnium Religioſorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Beatæ MARIAE de Monte Carmelo, nomine nobis nuper expoſitum fuit, quòd bon. mem. Tereſia de IESV, dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Fundatrix, tam multis, & eximiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtrata fuit, vt magna ideirco erga eius nomen, & memoriam Chriſti fidelium deuotio vigeat. Quapropter non ſolùm vniuerſus Ordo prædictus, ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarũ Rex Catholicus, ac omnium ferè Hiſpaniarum Regnorum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Principes, necnon Communitates, Vniuerſitates, & homines, nobis iteratis precibus humiliter ſupplicari fecerũt, vt donec Canonizationis honor ab Apoſtolica Sede dictæ Tereſiæ habeatur, quod ob eius excellentia merita, aliquando diuina inſpirante gratia futurum ſperant, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & Officium ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis vtriuſque ſexus Religioſis perſonis de dicta Tereſia, tanquam de vna Beata Virgine, & aliàs, vt infrà, agi & recitari reſpectiuè poſſet.

Petitio pro habenda Tereſiæ Beatificatione.

§. 2. Quare nos re priùs per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, ſacris ritibus præfectos, quibus eam examinandam mandauimus, maturè diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vt deinceps in futurum ſingulis annis in die depoſitionis dictæ Beatæ Tereſiæ, videlicet die quinta menſis Octobris, in omnibus Monaſteriis, & Eccleſiis dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, ab omnibus eiuſdem Ordinis Religioſis vtriuſque ſexus, Officium, & Miſſa de Beata Tereſia prædicta, tanquam de vna Virgine, necnon in oppido Albæ Salamantin. diœceſ. in Monaſterio, & Eccleſia, in qua corpus dictæ Beatæ Tereſiæ aſſeruari aſſeritur, ab omnibus presbyteris, tam ſæcularibus, quàm Regularibus cuiuſcumque Ordinis, in dicta die quinta Octobris tantùm Miſſa in honorem eiuſdem B. Tereſiæ, pro eorum deuotione iuxta regulas Breuiarij, & Miſſalis Romani recitari, & celebrari reſpectiuè poſſit, & valeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus,

Conceſſio pertinens Beatificationi.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Volumus autem, quòd præſentium transſumptis, etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Fides transſumpti.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xxiiij. Aprilis M. DCXIIII. Pontificatus noſtri anno nono.

Dat. Romæ Pont. anno 9. die 24. Aprilis.

PAVLVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Domini N. IESV CHRISTI, &c.

Omittitur reſiduum narratiuæ, quia tota Bulla eſt quæ præcedit.

§. 1. Cùm autem ſicut nomine eorumdem Religioſorum iterum nobis nuper expoſitum fuit, non ſolum vniuerſus Ordo prædictus, ſed etiam Philippus Rex, ac Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac Principes prædicti, pro eo, quem erga dictam Beatam Tereſiam

Petitio pro celebrãda Miſſa, & Officio B. Tereſiæ.

gerunt

gerunt deuotionis affectu, Miſſam, & Officium de eadem Beata Tereſia ab omnibus vtriuſque ſexus perſonis Eccleſiaſticis, in Eccleſiis Regni Caſtellæ veteris celebrari, & recitari reſpectiuè poſſe ſummopere deſiderent.

Papa concesſio. §. 2. *Nos ſupplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum conſilio, vt deinceps in futurum in omnibus Eccleſiis quarumcumque Ciuitatum, & diœceſ. Regni Caſtellæ veteris tantùm, Miſſa, & Officium de eadem Beata Tereſia in die eius depoſitionis præfata dumtaxat, iuxta Rubricas Breuiarij Romani, à quibuſcumque vtriuſque ſexus perſonis Eccleſiaſticis, ſeruata aliàs in omnibus, & per omnia literarum prædictarum forma, & tenore, celebrari, & recitari reſpectiuè, liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.*

Contrariorum derogatio. §. 3. *Non obſtantibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Tranſumptis fides. §. 4. *Volumus autem, quòd præſentium tanſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſæ.*

Dat. Pont. anno 12 die 27. Septẽb. *Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die xxvij. Septembris 1616. Pontificatus noſtri anno duodecimo.*

Hac ipſa diè, qua eiuſmodi Apoſtolicæ imprimuntur literæ, S. D. N. Gregorius X V. in publico Conſiſtorio, eamdem B. Tereſiam (Deo id concedente) ſub die 12. futuri menſis Martij canonizandam fore decreuit.

L X X V.

Edita Anno 1580. TAnta, támque horrenda quotidie ſuccreſcunt, & infra pag. 446. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sanguinariorum, & ſceleratorum hominum maleficia eò vſque excreuiſſe refert, vt noua remedia ad eos remouendos, & auxiliandi facultatem tollendam, adhibenda ſint, in princip. Comprobat ergo Conſtitutiones omnes contra eos hactenus editas. §. 1. Quoſcumque Duces, feudatarios, & cæteros S. R. E. temporali ditioni ſubiectos, qui quamcumque pro capitali crimine banitum, vel diffamatum, in ſuis locis intra, vel extra Statum Eccleſiaſticum receptauerint, aut receptari permiſerint, aut quoquomodo fauorem præſtiterint, vel Iuſtitiæ miniſtros in eorum captura impediuerint, aut perterrefecerint, maioris excommunicationis ſententia innodat. §. 2. & ſeqq. Reóſque criminis læſæ maieſtatis, ac rebelles pronunciat. §. 6. Omnibus bonis, dignitatibus, gratiis, & feudis priuat. §. 7. Indignos eos, ac eorum filios, ad illa, vel alia obtinenda, & ad actus legitimos exercendos efficit. §. 8. Vaſſallos à fidelitate, omníque alio iure abſoluit. §. 9. Eorum ædificia deiici, & Cameræ adſcribi decernit. §. 10. Ducatus, & bona omnia dictæ Cameræ applicat, & liberæ diſpoſitioni Pontificis reſeruat. §. 11. Priuilegia omnia reuocat. §. 12. Dominia, & alia bona prædicta non comprehendi ſub Conſtit. Pij V. de non infeudandis Terris, & iuriſdictionibus S. R. E. declarat. §. 13. Communitates prædictis bannitis fauentes pœnis prædictis ſupponit. §. 14. Executores huius Bullæ deputat. §. 15. Contrariis derogat.

Scholion primum.

Quæro. Diffamatus, de quo in §. 1. quis dicitur?

R E S P. Is tantummodo, contra quem militat adeò grauis diffamatio, quòd æquipolleat banno, vt de hac Bulla loquens tenet Nauar. conſ. 59. incip. Quidam iuuenis. lib. 5. de ſent. excomm. per tot. & Rota loquens de Bullis Pij I V. & V. in deciſ. 523. par. 1. diuerſor. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquem bannitum receptem, vt eum à graſſatura, aliiſque malis retraham?

R E S P. Non te ligat iſta Bulla, vt conſulendo oſtendit, de hac Bulla loquens, Nauar. in conſ. 57. de ſent. excomm. in nouis, ſub. n. 7. & conſ. ſeq. eod. n. 7.

L X V I.

IN Eccleſiis præſertim inſignibus, & infra pag. 448. Bullarij. *Edita Anno 1580.*

CO M.

COMPENDIVM.

Irritat quaſcumque tam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitiones, quàm aliorum, de beneficiis in perſonas propter genus, aut hæreſim, & à fide apoſtaſiam, ſiue proprio, ſiue ſtirpis ſuæ agnatorum vitio cōtaminatas, per canonicas ſanctiones, aut ſtatuta à Sede Apoſtolica cōfirmata, aut priuilegia ab eadem data, prohibitas. §. 1. Illáque ad Papæ diſpoſitionem pertinere decernit. §. 1. & 2. Modum quoque ea impetrandi præſcribit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Hæreſis, & à fide apoſtaſia, de quibus in §. 1. differunt fortaſſe?

RESP. Apoſtata à fide, hæreticus non ſolùm, ſed pluſquàm hæreticus eſt, ſecundùm Azo. in rubr. Cod. de Apoſt. in princ. Rebuff. in Praxi benefic. n. 47. quos citat, & de hac Bulla meminit Gonzal. de menſib. & alternat. gloſſ. 15. n. 66. Is namque à fide, & Religione Chriſtiana tranſit ad Iudaiſmum, ſeu aliam ſectam Infidelium. Clar. q. 78. n. 4. poſt Alciat. cōſ. 458.

Scholion ſecundum.

RESP. Iſta beneficia ob hæreſim vacantia, quæ (vt pro certo habetur) à die commiſſi criminis vacant, ſi reſignentur, quid reſignatariis acquiritur?

RESP. Nihil prorſus, quia extunc omne ius ſuum amiſerunt, & extunc ſunt Sedi Apoſtolicæ reſeruata, vt ſic alias decretum fuiſſe teſtatur Locat. in fine ſui Oper. Iudiciar. quem refert, & approbat Pegna in Director. Inquiſ. par. 3. comment. 162. verſ. huc quoque. pag. mihi 667.

LXVII.

Edita Anno 1580. Circumſpecta in omnibus, & infra pag. 448. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Clerici ſæculares, & laici, abutentes priuilegiis à Sede Apoſtolica Hoſpitali S. Ioannis Hieroſolymitani conceſſis, & ſignanter à Pio V. poſt Concilium Tridentinum confirmatis, ſe exemptos à iuriſdictione Ordinariorum in criminibus, & exceſſibus eſſe prætendunt, eo quod Eccleſiis dicti Hoſpitalis ſint adſcripti, vel coloni, aut procuratores, & familiares eius Militum exiſtant. §. 1. Hic Pont. iuriſdictionem Ordinariorum reintegrat contra prædictos, exceptis iis, qui in Eccleſiis, & locis Militum actu ſeruiunt, & intra eorum ſepta, & domos reſident, ac ſub obedientia eorum viuunt, quæ omnia ſimul debere concurrere intelligantur. §. 2. Ac exceptis iis, qui legitimè, & ſecundùm regulam dictæ Religionis profeſſionem fecerint, de qua loci Ordinario conſtare debeat. d. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari decernit. d. §. 2. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas ſubdit. §. 3. Et derogatorias. §. 4. Pij V. Conſtitutionem prædictam quoad alia, & ſignanter in eo, quod voluit dictorum Militum priuilegia non comprehendere, neque Eccleſias, neque perſonas, in his quæ ad curam animarum pertinent, ſed in his dicti Concilij Tridentini decreta omnia ſeruari, comprobat. §. 5. Et fidem tranſumptis dari mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quæ ſunt decreta Concilij Tridentini, de quibus in §. 1.

RESP. Eſt in cap. 3. ſeſſ. 6. de reform. & cap. 4. ſeſſ. 14. de reform. eiſque conſonat aliud decretum in cap. 18. ſeſſ. 23.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ante dictam Bullam Pij V. illa duo ſupradicta decreta derogabántne priuilegiis huius Religionis, de quibus in d. §. 1.

RESP. Greg. Tholoſ. de Syntagm. Iur. par. 2. lib. 15. cap. 34. num. 10. negatiuā ſententiam Curiæ ſupremæ placuiſſe ſcribit: ſed Nauar. in conſ. 12. incip. An Milites, libro 3. de Regularibus, ſecundùm impreſſionem Venetiis de anno 1610. valde de hoc dubitauit. Et ideo declarationem Pontificis deſiderare ſubdit num. 6.

LXVIII.

Aliàs piæ memoriæ Paulus, & infra pag. 449. Bullarij. *Edita Anno 1581.*

COMPENDIVM.

Paulus IV. in ſua Conſt. 3. de qua ſup. tom. 1. Hebræis vetuit in Statu Eccleſiaſtico medicare Chriſtianos. §. 1. Pius V. in Conſtit. 3. de qua ſup. approbauit, & vbique locorum id ſeruari iuſſit. §. 2. Innocentius III. & Pius V. in d. Conſtit. 3. Medicos iuſſit monere debere infirmos in lecto iacentes, vt peccata

peccata ſua Confeſſori confiteantur, & niſi tertiò id efficerent, eoſdem amplius non viſitarent. §. 2. Hic Pont. hæc approbat. §. 3. Additque ne Chriſtiani infirmi Iudæos, vel alios infideles ad eorum curam admittant. d. §. 3. Et quolibet anno iſtam Conſtitutionem initio Quadrageſimæ ab Ordinariis publicari iubet. §. 4. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Tranſumptiſque credi mandat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Num etiam iure veteri Chriſtianis interdictum eſt, Medicis vti Hebræis?

RESP. Ex decreto VI. Oecumenici Concilij Conſtantinopolitani ſancitum eſt, Chriſtianorum neminem in infirmitatibus ſuis Iudæum vocare, vt refertur in cap. Nullus. 13. cauſ. 28. quæſt. 1. & id Innoc. III. in Concilio generali latiùs edixit in cap. Cùm infirmitas. 13. de pœnit. & remiſſ. & tradit Ripa in tract. de remed. ad euit. peſt. num. 51. & ſeq. vbi acriter reprehendit illos, qui in ſuis morbis ad Iudæos Medicos confugiunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Chriſtianus moriatur, niſi iuuetur à Iudæo, vel infideli Medico, & alius inueniri non poſſit?

RESP. In tanta neceſſitate licere illum vocare, ſcribit Archidiac. poſt Hu. in ſupradicto cap. Nullus. numero 2. & in ſimili caſu, de comedendo azymum à lege vetitum, tenet Turrecrema ibid. num. 1.

LXIX.

Edita Anno 1581.

CHriſtianæ nobiſcum Religionis, & infra pag. 450. *Item*; Cùm alias, & infrà pag. 451. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deplorat Chriſtianorum S. R. E. ditioni ſubiectorum apud Infideles captiuorum afflictiones, in princ. Ideóque ad eorum liberationem, & redemptionem Archiconfraternitatem B. Virginis Confalonis de Vrbe deputat. §. 1. & ſeqq. Et ad hoc ſtatuta condendi facultatem præſtat. §. 5. Executores huius Bullæ deputat. §. 7. Contrariis omnibus derogat. §. 8. Tranſumptis credi iubet. §. 9. Iulium II. priuilegium liberandi vnum incarceratum ſingulis annis in feſto Aſſumptionis B. MARIÆ dediſſe refert. §. 10. Piúmque IV. illud comprobaſſe. §. 11. Ipſe Pont. ad duos carceratos extendit. §. 12. & ſeqq. Non obſtantibus quibuſcumque. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Hoc pium opus extendit ſe etiam ad redemptionem captiuorum apud Infideles pro delictis carceratos?

RESP. Affirmatiuam ſententiam tenet Felyn. in cap. ſignificauit. 11. de Iudæis. num. 4. & Tiraquell. de priuil. piæ cauſæ, in præfat. in verſ. Item relictum pro redemptione, & ante eos gloſ. in cap. Sacrorum. 15. cauſ. 12. quæſt. 2. in verb. repetitionis. Et certè maior ratio charitatis iſto caſu militare videtur, maiórque timor deſperationis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Sodalitas poterit impenſam pecuniam à redemptis repetere?

RESP. Semper mihi placuit opinio negatiua, quoniam Eccleſia eſt mater omnium fidelium, & ideo tenetur ad hanc redemptionem, & propterea nihil repetit. l. alimenta. 11. Cod. de negot. geſt. Intelligo tamen, niſi iſta Confraternitas habeat ſtatutum vigore huius Bullæ, vt in §. 5. conditum, quo poſſet à redemptis diuitibus repetere, vt in aliorum pauperum redemptionem pecuniam refunderet, prout in Ciuitate Neapolis ſic ſeruari vidiſſe ſcribit Redoan. de reb. Eccleſ. non alienand. rubr. 20. num. 54. de cauſ. piet.

LXX.

Edita Anno 1581.

ANtiqua Iudæorum improbitas, & infra pag. 452. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis Iudæi pro eorum conuerſione in gremio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ recipiantur, audent nihilominus in Religionem Chriſtianam quamplura nefanda committere, ideóque Pont. Inquiſitores hæreticæ prauitatis in ſeqq. caſibus liberè cõtra eos procedere poſſe indulget, in exordio, & §. 1. Si negauerint, quæ circa fidem communia ſunt cum Chriſtianis. §. 2. Si Dæmones inuocauerint, aut eis immolauerint. §. 3. Si quem Chriſtianum hæc docuerint, vel ad ea perduxerint. §. 4. Si hæreticas

bla

blaſphemias dixerint. §. 5. Si Chriſtianum à fide deuiauerint. §. 6. Si Infideles ad fidem Chriſti tranſire impediuerint. §. 7. Si Hæreticum ſcienter receptauerint, vel ei auxilium dederint. §. 8. Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos tenuerint. §. 9. Si Hoſtiam ſalutarem, aut Crucem, & ſimilia, vel Chriſtianos deriſerint. §. 10. Si nutrices Chriſtianas retinuerint, vel eaſdem ab hac die, qua Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, lac in latrinas effundere coëgerint. §. 11. Contra Iudæos, & Infideles quoſcumque hic Pont. in ſuis locis Inquiſitores delegat Iudices, qui in prædictis acriter illos puniant. §. 12. Huiuſque leg:s publicatio in locis cuique ſubiectis fiat. §. 13. Et ita, & non aliter iudicetur. §. 14. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Num etiam iure veteri in prædictis procedere poterant Inquiſitores?

R E S P. Potuiſſe egregiè quidem poſt antiquiores probat Eymeric. in Director. Inquiſ. par. 2. quæſt. 46. num. 1. & ſeqq. & ſequitur Pegna in comment. 71. verſ. Si ergo. & comment. 69. verſ. Tertium eſt. pag. mihi 358.

Scholion ſecundum.

Quæro. Contra hos Iudæos, & Infideles admittuntúrne per Inquiſitores, teſtes Iudæi pariter, & Infideles?

R E S P. Admitti etiam aduerſus Chriſtianos, ne hæreſis crimen remaneat impunitum, & ſic multo magis aduerſus Iudæos, & Infideles, ſcribit Pegna in d. Director. Inquiſ. parte 2. comment. 13. verſ. Neque hoc ſolùm, & ſeqq. pag. mihi 108. vbi in ſpecie de hac Gregorij Conſtit. meminit, in verſ. Veruntamen.

L X X I.

Edita Anno 1581.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 453. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Furnarios Vrbis pro pretio panis, in cauſis diſcuſſionum cæteris creditoribus præferri decernit. §. 1. Omnéſque Iudices in dictis eorum cauſis manu regia procedere poſſe. §. 2. Obſtantia omnia remouet. §. 3. Fidem tranſumptis huius indulti dari iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Panis appellatione, de quo in princ. num furnarij intelligent etiam de frumento?

R E S P. Non, quia communis vſus loquendi eſt attendendus, & latior eſt ſignificatio frumenti, quàm panis. Bart. in l. 1. Cod. de frum. Vrb. Conſtantinopol. verſ. Quæro vtrùm. lib. 11. Corſet. in ſing. 123. in verb. Frumentum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Manus regia, de qua loquitur in §. 2. quo primùm tempore vires habuit?

R E S P. Quando Romulus I. Romanorum Rex, ſine certa lege, & ſine iure populum regebat, ipſéque manu ſua controuerſias decidebat, antequam Curiæ ab eodem Romulo introducerentur. l. 2. ff. de orig. iur. & tradit Caualc. de brach. reg. par. 1. numero 38. necnon Marta de clauſul. in clauſ. 71. Manu regia, nouiſſimè impreſſus, pag. mihi 86.

L X X I I.

Edita Anno 1582.

OMnipotens Deus, & infra pag. 454. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia ad Collegium Anglicanum, quod Rhemis eſt, ex Anglia, & finitimis locis, hæreticorũ furore diſperſi ſe recipiunt, & præſidium ad hoc ei ab iſto Pontifice comparatum, ad tantam multitudinem ſuſtentandam ſatis non eſt. §. 1. Hortatur Chriſti fideles ad ei pias eleemoſynas ſubminiſtrandum. §. 2. Prælatis, vt hæc populi promulgent, & eleemoſynarum collectioni, lucro, & fraude ceſſante, ſtudeant, præcipit. d. §. 2. Principes quoque ad hanc piam eleemoſynarum ſubuentionem hic idem Pont. hortatur. §. 3. Huiuſque diplomatis tranſumptis credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Num eleemoſynis peccata redimuntur?

R E S P. Hunc, & alios admirabiles effectus eleemoſyna operatur, quos ſacra Scriptura teſtatur in pluribus locis, quorum aliquos compendioſè recenſet ex recentioribus Leon. in Theſauro

for. Eccleſ. par. 4. cap. 2. num. 153. & Iul. Fuſc. in ſuo, quem edidit, libello de fruct. eleemoſyn.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vt in quærendis eleemoſynis fraus ceſſet, & lucrum, vt dicitur in §. 2. quid Ordinarij præcauere debent?

RESP. Attendant ſtatuta ab Innoc. III. in cap. Cùm ex eo. 14. de pœnit. & remiſſion. & Clem. V. in clem. 2. eod. tit. necnon à Concilio Triden. ſeſſ. 21. cap. 9. de reformat.

LXXIII.

Edita Anno 1582. Romani Pontificis prouidentia, & infra pag. 455. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum etſi quæſtus prohibuit, non tamen eleemoſynas colligi vetuit. §. 1. Hic modò Pont. Ordini Fratrum S. Antonij Viennenſis pro eorum Hoſp talibus petere, & aſſequi poſſe decernit. §. 2. Ordinariiſque prædicationem, & huius indulti executionem demandat. § 3. Contraria illi non obſtare decernit. §. 4. Formam colligendi eleemoſynas præſcribit. §. 5. Eam non ſeruantibus, pœnas indicit. §. 6. Tranſumptis huius Conſtitutionis fidem præſtari indulget. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Nunquid eadem die, qua iſti Fratres eleemoſynas quærunt, poſſunt etiam alij Ordines Mendicantium eleemoſynas quærere?

RESP. Nouiſſimè, inter alios tamen Mendicantium Ordines, affirmatiuè reſolutum fuit, vt ex infraſcripto decreto clarè liquet.

SACRA Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, cenſuit, Fratres Diſcalceatos non eſſe moleſtandos, neque impediri poſſe, in quæſtuatione eleemoſynarum, non obſtante quòd alij Fratres Mendicantes eadem die eleemoſynas quærere ſoleant, qua iſti quærunt. Et ita decreuit, ac ab omnibus Regularibus Mendicantibus, & præſertim à Fratribus S. Franciſci de Obſeruantia, obſeruari, & exequi mandat. Romæ 9. Ianuarij 1608.

A. M. Card. Gallus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ ſeruanda, & vitanda ſunt ab iſtis quæſtoribus?

RESP. Eleganter de quæſtoribus S. Antonij loquēs, explicat Soccin. in tract. de oblat. in vlt. libello, & Roſell. de Indulg. num. 92. necnon Panuin. de viſitat. part. 2. quæſt. 8. num. 15. & ſeqq. Et habemus iura expreſſa in c. Cùm ex eo. 14. de pœnit. & remiſſ. & in clem. 2. eod. tit. & in cap. Tuarum. 11. de priuileg.

LXXIV.

Inter grauiſſimas, & infra pag. 456. *Item*; Cupientes pro, & infra pag. 457. Bullarij. *Edita Anno* 1582.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum Papæ remiſit curam reſtituendi Breuiarium. §. 1. In eo præcipuè duo continentur. Primum pertinet ad preces, laudeſque diuinas teſtis, profeſtiſque diebus perſoluendas. Alterum ad annuos Paſchatis Feſtorumque ex eo pendentium recu ſus Solis, & Lunæ motu metiendos. §. 2. Illud primum in ſua Conſtit. 64. de qua ſup. Pius V. abſoluit. §. 3. Secundum autem non fuit vſque modò executum, ideóque hic Pontifex quodam libro per Antonium Lilium Artium, & Medicinæ Doctorem pro Calendarij emendatione habito, peritiſſimos viros e dem deputauit. §. 4. & 5 Exinde præhabito Principum aſſenſu, infraſcripta tria peragenda cognouit. §. 6. Vernum æquinoctium ad diem 21. Martij reſtituit. §. 7. Et Iudices dierum propterea ſubtractorum rationem habere decernit. §. 8. Et vt dictum æquinoctium perduret certum ordinem ſubtrahendo, decem dies incluſiuè à tertio Nonas, vſque ad pridie Idus eximantur in menſe Octobris 1582. §. 9. Cyclúmque Epactarum ſubſtituit in Cal. loco aurei numeri. §. 10. Cyclum ſolarem antiquum ad nouam, & quamcumque intercalandi rationem accommodatum. §. 11. Calendarium exinde ſic reſtitutum approbat, omnéſque eo vti præcipit. §. 12. & ſeqq. Principes hortatur, vt illud recipiant, & obſeruari faciant. §. 15. His, qui de menſe Octobris 1582. illud non ſeruare cœperunt, declarationem apponit, vt tranſitus fiat à die 10. ad

Digitized by Google

ad diem 21. Februarij 1583. & hoc pacto nulla amplius erit diſcrepantia in feſtorum tam mobilium, quàm fixorum celebratione, in Conſt. ſubſeq.

Scholion primum.

Quaero. Ante hanc Calendarij approbationem, quo tempore hic Pont. illud abſoluerat?

RESP. Hoc opus ſanè vtile, & memorabile ipſe abſoluit anno 1581. Cal. Martij. Ita ſcribit Ciacon. in vita huius Pont. verſ. Calendarium. pag. mihi 1221.

Scholion ſecundum.

Quaero. In §. 1. ſubſeq. Conſtitut. videtur poſita Calendarij correctio anno 1583. quid ergo dicendum erat, ſi correctionem fieri contingebat anno 1584.

RESP. Si quid vltra decreta in d. §. 1. deſiderandum erat, ex liberculo ſuper dicti Calendarij reſtitutionis norma, de qua in his Bullis agitur, à ſupradicto Antonio Venetiis edito, accipiendum fuiſſe arbitror, pagina mihi 5. verſ. Si verò correctio inſtituatur anno 1584.

L X X V.

Edita Anno 1582.

EXponi nobis nuper, & infra pag. 457. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit presbyteris Confeſſariis Societatis IESV, per Generalem Praepoſitum, vel ei ſubordinatos Superiores, de eius licentia deſignandis, & per locorum Ordinarios approbandis, etiamſi Magiſterij, Doctoratus, vel aliis gradibus non ſint inſigniti, facultatem literas ſacrae Poenitentiariae Apoſtolicae, etiam Magiſtris in Theologia, vel iure canonico Doctoribus directas, in foro conſcientiae aperiendi, & confeſſionibus ad eos recurrentium auditis, in illis contenta exequendi. §. 1. Derogat omnibus contrariis. §. 2. Et huius Conſtitutionis tranſumptis fidem dari mandat. §. 3.

Scholion primum.

Quaero. Si Confeſſarij praedictae Societatis eſſent idonei, & ab Ordinario approbati, non tamen à Praepoſito deſignati, poſſéntne hac vti facultate?

RESP. Non, quia à Papa illa deſignatio pro forma requiritur, vt ad tantum negotium non ſimpliciter idonei, ſed & docti à Superioribus, quibus bene cogniti ſint, deſignentur. Ita aduertit Collector Compendij priuilegiorum Societatis IESV, in tit. Confeſſarius. §. 3. & refert Rod. de quaeſt. Reg. tom. 1. quaeſt. 63. art. 8.

Scholion ſecundum.

Quaero. Pro hiſce Poenitentiariae literis quid perſoluitur?

RESP. Nihil, quia dat omnia gratis. Sarnenſ. in Reg. Canc. de non iudic. iuxta form. ſupplic. quaeſt. 14. pag. mihi 80. Pariſ. de confident. quaeſt. 60. num. 51.

L X X V I.

Edita Anno 1582.

APoſtolicae Sedis, & infra pag. 458. *Item*; Ex debito, & infra pag. 459. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, totale gubernium Collegiorum Societatis IESV, bonorúmque temporalium ad ea ſpectantium, ad ipſius Praepoſitum generalem, vel ipſam Societatem, ex Conſtitutionibus Pauli III. & Iulij III. pertinere. §. 1. Ipſámque Societatem inter Ordines Mendicantium adnumeratam, illorum priuilegiis in contractibus ineundis gaudere. §. 2. Et hunc Pont. dicto Praepoſito & Societati ſpecialiter conceſſiſſe facultatem dictis priuilegiis vtendi, contractúſque ſeruato proprio dictae Societatis modo ineundi. §. 3. Sed tamen iuſtis de cauſis hic idem Pont. eiſdem Societati, & Praepoſito liberam facultatem elargitur, omnium locorum, domorum, & Collegiorum bona quaecumque per ſe, vel per alium, vendendi, affictandi permutandi, & alienandi, cenſúſque redimibiles vendendi, necnon compromittendi, & tranſigendi, actionéſque cedendi, abſque alia Sedis Apoſtolicae, vel alterius licentia. §. 4. & 5. & in ſubſeq. Bulla §. 3. & ſeq. Additque, in Europae prouinciis contractus huiuſmodi ante dictam Praepoſito informationem fieri poſſe, ſed dominium, & poſſeſſionē bonorū penes loca bonorum alienatorum remanere, donec ipſe Praepoſitus generalis illos confirmat, vel conſenſum praeſtat. §. 5. In Indiis verò, & aliis extra Europam regionibus dictā confirmationem Prouincialibus, aut Viceprouincialibus, Viſitatoribus, ſeu Commiſſariis, ſimili per eos informatione

Z 3

tione accepta, idem Præpoſitus cõmittere poſſit. d. §. 5. Contractus aliter ineundos hic Pont. irritos declarat. d. §. 5. Ineundos autem ſeruatis prædictis, approbat. §. 6. Executores deputat. §. 7.& in ſubſeq. Bull. §.7.Contraria remouet. §. 8. Tranſumptis huius Bullæ credi permittit. §. 9. Et ita, & non aliter iudicari poſſe decernit. §. 6. ſubſeq. Conſtit.

Scholion primum.

Quæro. Num data facultate alienandi bona immobilia, comprehendebantur cenſus redimibiles, ſi expreſſa ſpecificatio, de qua hic, facta non eſſet?

R E S P. Quicquid alij dicant, veriſſimam puto ſententiam affirmatiuam, quam poſt alios firmat Benedict. Bonius in ſuo tract. de Cenſib. art. 15. per tot.& Oſaſc. in deciſ. 99. num. 49. ac Rota in deciſ. Seraph. 224. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num comprehendebatur ceſſio iurium?

R E S P. Ceſſionem, alienationis eſſe ſpeciem oſtendit Ioan. Andr. in tract. de ceſſ. action. §. 1. Socin. conſ. 37. lib. 4. num. 22.Magon. deciſ. Lucenſ.53.num. 2. pag.mihi 183.

L X X V I I.

Edita Anno 1582. PIum & vtile, & infra pag. 460. *Item*; Cùm aliàs fel. record. & infra pag. 461. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

1. Decreuit Paul. I I I. perſonas Societatis I E S V idoneas, & ab ipſa Societate approbatas, ab eius generali Præpoſito quibuſcũque Antiſtitibus præſentari,& ſic præſentatos, abſque vlla eorum promiſſione, vel obligatione, ad ordines promoueri. §. 1. Nonnulli tamen Ordinarij Concilij Triden. ſeſſ.23.obſeruantiam requirebant. §. 2. Hic ideo Pont. præcipit Epiſcopis,aliiſq; Antiſtitibus,ne ad hos promouendos, qui à Præpoſito ipſo, vel ab eo deligendis licentiam habuerint, quicquam prædictorum requirant, ſed ipſos abſque aliqua functione in ordinibus ipſis, interſtitiorúmque ad illos ſuſcipiendos obſeruatione, aut inquiſitione de cantu, officiis, ceremoniis Eccleſiaſticis, idoneitate, proprij Ordinarij licentia, & aliis requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora, tribúſque Dominicis, vel aliis diebus feſtis etiam continuis, ad ſacrum etiam preſbyteratus ordinem promoueant. § 3. Et concedit Præpoſito, quos iudicauerit ab ipſa Societate emittere poſſe, eóſque de illius licentia ad quemuis alium Ordinem paris, laxioris, aut ſtrictioris obſeruātiæ.ab eodē eis præſcribendū,de conſenſu tamē Superiorū loci, quò deſtinabuntur,demigrare,& profeſſionem emittere, habitúmque ſuſcipere. §. 2. Conſt. ſubſeq. Derogat contrariis omnibus. §. 3. Huiúſque Bullæ tranſumptis credi mandat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegium, de quo in §. 1. quod abſque Concilij Tridentini requiſitis perſonæ Societatis I E S V ad Ordines promoueantur, vtrùm reuocatum extitit?

R E S P. Aliqui à Sixto V. reuocatum dicunt, ſed contrarium verius eſſe probat Rod. de quæſt.Regular.tom.3.quæſt. 3. art. 23. vbi latè de hoc agit, dicens eam Conſtitutionem non loqui de Clericis Regularibus. Quod Rod. dictum mihi videtur clarum, eo quod ipſe Sixtus ibidem excepit caſum, quo aliquem quis ſine authoritate Apoſtolica ad ordines eo modo promoueat, & in iſta Gregorij Bulla hæc authoritas habetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vbi prædictam Sixti V.Conſtitutionem habere poterò?

R E S P. Habetur infrà inter ipſius Sixti V. Conſtitutiones in ordine 91.

L X X V I I I.

AD tollendum deteſtabilē duellorum vſum, & infra pag. 461. Bullarij. *Edita Anno 1582.*

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 19. pugnantes in duello, locum concedentes, patrinos, ſuadentes, & conſulentes,atque ſpectatores grauiſſimis pœnis innodauit. §. 1. Quam ſanctionem hic Pont. ad duella etiam priuatim ex condicto commiſſa extendit. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3. Alias Conſtitutiones in ſuo robore durare decernit. §. 4.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Concilium ergo Tridentinum non ſe extendebat ad ſingularia certamina, ſeu duella priuatim commiſſa?

RESP. Non, ſiquidem cùm Concilij ſanctio ſit pœnalis, & de duellis loquatur, intelligenda erat de illis certaminibus, in quibus duelli forma ſeruatur, nēpe loci deſtinatio, armorum præfixio, patrinorúmque & ſpectatorum conſtitutio. Ita tenet Nauar. conſ. 2. incip. Pius. lib. 5. de purg. vulg. num. 1. & 4. Diaz in Pract. Canon. crim. cap. 104. de duellum ſponte aliis offerentib. pag. mihi 360. ſecundum impreſſionem Moguntiæ, ac Farinac. conſ. 9. libro 1. num. 10. 13. 18. 19. & 21. & ſubdit num. 34. quòd cùm ita Romæ à Gubernarore illius eſſet iudicatum, ad fauorem quorumdam Piſanorum qui priuatim duellauerant, hic Pont. iſtam edidit Conſtitutionem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erant alia, quæ indicat Diaz adhiberi conſueta?

RESP. Perlege Petrum Greg. part. 3. Syntagm. Iuris, cap. 48. num. 10. vbi multa poſt alios recenſet, variáſque ſpecies, necnon & cauſas duelli refert. Aliqua etiam ſcribit Matth. in addit. ad Guid. Pap. deciſ. 117. & plura deducit Farinac. d. conſ. 9. ferè per totum.

LXXIX.

Edita Anno 1582. VNiuerſi Orbis Eccleſiis eo diſponente, & infra pag. 462. Bull.

COMPENDIVM.

Erigit in Archiepiſcopatum Eccleſiam Ciuitatis Bononiæ, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectam. §. 1. & ſeqq. Archiepiſcopo Pallij, & Crucis vſum, Archiepiſcoporum more habere, aliiſque inſigniis Archiepiſcopalibus, ac honoribus, & priuilegiis, necnon prærogatiuis aliis Archiepiſcopis debitis, & conceſſis, gaudere decernit. d. §. 3. Placentinámque, Parmenſem, Regienſem, Mutinenſem, Imolenſem, Ceruienſem, & Cremenſem Eccleſias, earúmque diœceſes cum Clero, & beneficiis, ei ſubiicit. §. 4. Earum etiā Epiſcopos huius Archiepiſcopi Suffraganeos conſtituit. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 6. Contrariis omnibus derogat. §. 7. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt quod fertur, huius Archiepiſcopatus limites fuiſſe poſtea reſtrictos?

RESP. Clemens VIII. Eccleſias Imolenſem, & Ceruienſem reſtituit Eccleſiæ Rauennatenſi infra in ſua Conſtitut. 116. quam in rubr. huius Bullæ Genitor meus indicauit. Quo verò ad Eccleſias Regij, Mutiuæ, Ferrariæ, Parmæ, ac Placentiæ, hanc Gregorij Conſtitutionem effectum non habuiſſe ſcribit in ſpecie Tuſc. in concluſ. 120. num. 103. in verb. Bononia.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quanta eſt authoritas Archiepiſcopi in Suffraganeos ſuos, vltra ea, quæ hic habentur in §. 3.

RESP. Non ſcholio, vel adnotatiuncula, ſed tractatu opus eſſet, quem cùm in adnotationibus ad hanc Gregogorij Conſtitutionem ediderit Quaranta in Summa quarumdam Bullarum anno 1609. Venetiis impreſſo, pag. mihi 42. in fin. in verb. Archiepiſcopi, illum perlege.

LXXX.

EXpoſcit debitum, & infra pag. 463. Bullarij. *Edita Anno 1583.*

COMPENDIVM.

Cùm Abbatiſſæ, vel Præfectæ perpetuæ Monialium S. Benedicti, Ciſtercienſis, Carthuſienſis, & aliorum Ordinum in Italia, & præſertim in vtriuſque Siciliæ Regnis, vacare contigerit, alias ad triennium tantùm à Conuentu cuiuſque Monaſterij, & aliàs iuxta decreta Concilij Tridentini, & regularia ſuorum Ordinum inſtituta, eligi decernit. §. 1. & 2. Superiores Monialium ſic, & non aliter eligi poſſe declarat. §. 3. & 4. Contrariis derogat. §. 5. Tranſumptiſque huius Conſtitutionis fidem adhiberi mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Num magis expediens fuiſſet electio Abbatiſſarum perpetua?

RESP. Multa ſuper hoc articulo Nauar. adducit in cap. nullam. 9. cauſ. 18. quæſt. 2. & Rod. tom. 1. quæſtionum Reg. in quæſtione 16. artic. 1. vbi in fine

ratio

rationem refert,ob quam Sedes Apoſtolica in aliquot Religionibus electionem Superiorum temporalem eſſe cenſuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Electæ autem num etiam confirmandæ, & benedicendæ?

RESP. Vtrumque verum eſſe pro certo ſupponitur in clem. 2.§.Statuimus, de ſtatu Monachor. dum ibi diſponitur, eas benedici debere infra annum ſuæ cõfirmationis. Tradunt Panorm. Felyn. & alij in cap. Meminimus. 13. in princ. de accuſat. & Zabar. in d. §. Statuimus, in princ. & quæſt. 12. in fine eas ipſo iure priuari dicunt, niſi benedicantur infra annum.

LXXXI.

Edita Anno 1583. CONſueuerunt Rom. Pont. &c. infra pag. 464. Bullarij.

COMPENDIVM.

Anathematizat (antiquum prædeceſſorum morem ſequendo) quoſcumque hæreticos, eorum fautores,libróſque legentes, ac omnes ſchiſmaticos. §. 1. Appellantéſque à Papa ad futurum Concilium. §. 2. Piratas, & latrunculos maritimos, eorúmque auxiliatores. §. 3. Naufragorum bona capientes. §. 4. Noua pedagia abſque poteſtate imponentes. §. 5. Falſificantes literas Apoſtolicas, aut falsò fabricantes. §. 6. Arma, & ſimilia ad Infideles deferentes,aut concernentia Statum Reipublicæ Chriſtianæ eiſdem nunciantes. §. 7. Victualia, & alia ad Vrbem deferentium perturbatores, eorúmque fautores. §. 8. Peregrinorum, & aliorum ad Sedem Apoſtolicam venientium offenſores. §. 9. Commorantium in Curia abſque iuriſdictione perturbatores. §. 10. Cardinalium, & aliorum Prælatorum offenſores, & eorum auxiliatores. §. 11. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt, procuratoréſque eorum. §. 12. Impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, & recurſum ad Sedem Apoſtolicam. §. 13. Auocantes cauſas Eccleſiaſticas à Iudicibus Eccleſiaſticis, & eorum fautores. §. 14. Trahentes ad ſæcularia Tribunalia, præter iuris diſpoſitionem, perſonas Eccleſiaſticas, vel Eccleſiaſticam libertatem lædentes. §. 15. Impedientes iuriſdictionem Iudicum Eccleſiaſticorum, & eorum fautores. §. 16. Vſurpantes iuriſdictiones, & prouentus ad Sedem Apoſtolicam, & perſonas Eccleſiaſticas ratione Eccleſiarum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes,vel eos ſequeſtrantes. §. 17. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, vel Eccleſiis, & earum fructibus, abſque licentia Papæ. §. 18. Iudices ſæculares ſe interponentes in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas. §. 19. Occupantes loca S. R. E. aut in illis iuriſdictionem vſurpantes, eorúmque fautores. §. 20. Raptores bonorum Cameræ Apoſtolicæ. §. 21. Hæc Bulla durat quouſque alia ſimilis publicetur. §. 22. Abſolutio Papæ reſeruatur. §. 23. Alij ſi abſoluunt, excommunicantur. §. 24. Abſolutio Papæ quos comprehendat. §. 25. Contrariis quibuſcumque derogatur. §. 26. Publicatio Romæ omnes ligat. §. 27. Publicatio ab Ordinariis fienda ſingulis annis. §. 28. Confeſſarij teneant omnes hanc Bullam. §. 29.

Scholion primum.

Quæro. Iuriſdictio,cuius vſurpatio interdicitur in §. 17. habétne locum etiam in iuriſdictione ſæculari?

RESP. Vtique, ſi iuriſdictio ſæcularis ſpectat ad perſonam Eccleſiaſticam ratione dignitatis Eccleſiaſticæ,quoniam in his terminis hæc Bulla generaliter loquitur de eiuſmodi iuriſdictione. Nauar. in conſ. 31. de ſentent. excommunic., num. 1. & ſeq. iuxta impreſſionem Brixiæ, incip. Prætor, & Magiſtratus, necnon Vgolin. (licèt de eo non faciat mentionem) de cenſur. Pontif. reſeruat. par. 2. cap. 17. §. 1. verſ. Item excommunicatio, pag. mihi 404.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vtrùm hæc Bulla, vel ſimilis excommunicationis pœnam continens, liget catechumenum?

RESP. Non ligat,quia non baptizatus non ſubeſt iuriſdictioni ſpirituali Eccleſiæ,neque ad Eccleſiæ communionem receptus. Et ideo non poteſt excommunicari,id eſt, extra Eccleſiæ communionem poni, ſecundùm D. Thomam in 3. par. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 3. Nauar. in terminis huius Bullæ ſic tenet in

Manuali

cap. 27. num. 13. & in comment. de Iubil. notab. 31. num. 48. vbi hanc doctrinam communiter receptam eſſe inquit, & pariter in comment. eiuſdem Bullæ ſequitur Vgolin. de cenſur. Pontific. reſeruat. par. 1. cap. 9. num. 3.

L X X X I I.

Edita Anno 1583. Controuerſia inter venerabilem Fratrem noſtrum, & infra pag. 466. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Epiſcopus Mileuitanus ob eius ad Epiſcopatum promotionem, & muneris conſecrationem, prætendebat quandam Præceptoriam, ſeu Prioratum, qué obtinebat Hoſpitale S. Ioannis Hieroſolymitani, non vacaſſe, ſed vti eius prædium, & non vt beneficium poſſidere poſſe. Michaël autem Palentrin. illam, ſiue illum impetrauerat, vnde lis, & cauſa deſuper orta fuit ab iſto Pont. commiſſa Aud. Cam. qui pro Michaële pronunciauit. §. 1. Hic Pont. dictam retentionem non licuiſſe Epiſcopo abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, ideóque dictam ſententiam iuſtam fuiſſe, declarat, & approbat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Vacatio ob eiuſmodi promotionem, & adeptionem pacificæ poſſeſſionis, nónne iure communi inducebatur?

R E S P. Ita diſpoſitum in cap. Cùm in cunctis. 7. §. cùm verò, de elect. Rota in deciſ. 37. Achil. & in deciſ. 110. Seraphin. num. 1. & ſeq. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Præceptoriam non reputabat ille Epiſcopus beneficium Eccleſiaſticum, ſed prædium, vt in §. 1.

R E S P. Quia beneficiorum appellatione credebat non venire Hoſpitale, ſiue eius Præceptoriam, ad gloſ. in clem. 2. in verb. beneficiis, de elect. Sed contrarium verius dici debebat, vt latè habetur apud Gonzal. ſuper Reg. 8. Cancell. gloſ. 8. num. 62. & ſeqq. pag. mihi 238.

L X X X I I I.

Edita Anno 1583. Dominicum gregem, & infra pag. 467. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Vt de cætero Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, idonei tantùm, & in decenti numero, ad Magiſterij, & Doctoratus in Theologia gradum promoueantur, & ambitus in eis promouêdis remoueatur, vetuit Priorem generalem dicti Ordinis, & ipſum Capitulum generale cuiuſcumque priuilegij vigore, illos promouere, niſi ſingulis ſex annis in Capitulis generalibus, coram Diffinitoribus, & in ipſo Diffinitorio, & non vltra duos ex ſingulis Italiæ prouinciis, & Congregationibus, certis modo & forma eligendos. §. 1. & ſeqq. Priuilegia deſuper conceſſa omnia reuocat. §. 5. Executores deputat. §. 6. Contrariiſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Cur iſti Religioſi ita intendere debent, vt Theologiæ gradum conſequantur?

R E S P. Quoniam cùm illa ſit omnium ſcientiarum ſuprema, & omnes ſcientiæ ancillentur eidem, ſui nobilitate, altitudine, & profunditate, longo tẽpore eam addiſcere opus eſt. cap. fin. §. quia verò, & ibi ſcribb. ne Cleric. vel Monach. Bald. conſ. 52. lib. 5. incip. Liberis. num. 1. & Barthol. Spin. de praemin. ſacræ Theolog. cap. 3. per tot.

Scholion ſecundum.

Quæro. Reuocatio eiuſmodi priuilegiorum, de qua in §. 5. num fauorabilis?

R E S P. Ita ſanè, quia ad bonum publicum prohibiti ambitus, & perfecti Theologorum examinis eſt inducta. Alex. conſ. 155. libro 6. num. 13. Afflict. deciſ. 392. num. 16. maximè quòd habet clauſulas derogatorias ſecundùm Alex. vbi ſup.

L X X X I V.

Exposcit, & infra pag. 469. Bullarij. *Edita Anno* 1583.

C O M P E N D I V M.

Quia nonnullæ extabant lites inter Fratres Mendicantes, & Confraternitates laicorum ſuper præcedentia, eas extinguit. §. 1. Et in proceſſionibus eos, vel eas præcedere decernit, qui, vel quæ ſunt in poſſeſſione præcedendi, & vbi de eiuſmodi poſſeſſione non conſtat, Fratres Mendicantes in loco antiquiores, & Confraternitates, quæ priùs ſaccis vſæ ſunt. §. 2. Prærogatiuas Ordinum

Digitized by Google

circa præcedentias, in aliis actibus præſeruat. §. 3. Et Fratres Capuccinos ſub Cruce Fratrum Conuentualium, aut Fratrum de Obſeruantia (vt ſolent) incedere poſſe permittit. §. 4. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Tranſumptiſque credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Si Confraternitas, quæ priùs quàm altera ſaccis vſa eſt, ad proceſſionem accederet ſine ſacco, num præcedentiæ prærogatiua gaudebit?

RESP. Non, ſiquidem præeminentiam obtinere volens habitum ſuo gradui conuenientem geſtare debet. Butr. in cap. 1. per illum tex. de auth. & vſu Pall. num. 7. quem citat ad hoc Præpoſit. in cap. Concilia. 7. §. Epiſcopos. diſtin. 17. num. 3. & alios allegat. Gratian. in diſcept. forenſ. cap. 298. ſub num. 65.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod fertur, in Regnis quibuſdam Hiſpaniarum hanc Bullam non fuiſſe vſu receptam?

RESP. Sic ſcribit Rod. tom. 1. quæſt. Reg. quæſt. 37. art. 4. in vltimis verbis. Idque verum eſſe ſuadetur ex eo, quod poſt hanc editam Conſtitutionem Gregorianam, varias controuerſias ſuper eiuſmodi præcedentia ortas fuiſſe enarrat Clem. VIII. infrà in ſua Conſt. 13. in eius exordio.

LXXXV.

Edita Anno 1584. HVmano vix iudicio, & infra pag. 469. Bullarij.

COMPENDIVM.

Omnes, & quaſcumque reſignationes beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiã ex cauſa permutationis, & commendæ, & etiam literis Apoſtolicis non confectis, & poſſeſſione non habita, necnon litis, & iurium ceſſiones, & retroceſſiones deinceps in Papæ manibus, ſiue temporales, ſiue perpetuas fiendas cum literis Apoſtolicis, publicari mandat intra ſex menſes, ſi beneficium citra montes fuerit; vltra verò, intra nouem à data cõceſſionis gratiæ. §. 1. Publicationem in Cathedrali, & in beneficij Eccleſia, ſi in pluribus illud ſit, vbique fieri, dum frequens populus ad Miſſarum ſolemnia conuenerit, & palàm omnibus literas Apoſtolicas, earũmve tranſumptum ſpecificatis omnibus qualitatibus exhiberi iubet. §. 2. Si verò beneficij Eccleſia ſit ruralis, aut populo, conuentúque careat, eo caſu in parochiali, intra cuius limites illud ſit, & in Cathedrali Eccleſia. Vel ſi locus manifeſtis periculis ſubiaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali: vel ſi aditus ad illas, aut vtramuis minimè ſit ſecurus, in alia Cathedrali, aut parochiali viciniori, periculorum immuni, publicationem fieri iubet. d. §. 2. Eum quoque, in quem diſponi contigerit, intra dictum tempus poſſeſſionem beneficij capere vigore literarum Apoſtolicarum, & in caſu impedimenti, ſaltẽ literas Apoſtolicas Iudici, ſeu executori illarum intra idem tempus præſentare debere iubet. §. 3. Et ſpecificè, & non per æquipollens hanc publicationem ſeruari iubet. §. 4. Alioquin eas reſignationes, & ceſſiones irritat. §. 5. Et declarat, quod in cauſa litigioſi procedi poſſit contra cedentem, donec ſucceſſor venerit ad cauſam. §. 6. In caſu reſignationis beneficiorum in manibus ordinariorum collatorum, vniuerſum negotium admiſſionis, vel reiectionis, reſignationis, & prouiſionis iuxta Apoſtolicas, & alias ſanctiones omnino abſolui præcipit. §. 7. Et ſic prouiſum, intra ſex menſes à die ſibi factæ prouiſionis illam publicare, & beneficij poſſeſſionem capere, aliàs illam nullam, & illud vacare decernit. d. §. 7. Ordinarióſque, & alios, ſi prædicta non perfecerint, ea vice poteſtate diſponendi de illis beneficiis priuatos, & diſpoſitionem ad Sedem Apoſtolicam deuolutam pronunciat. §. 8. Decretum irritans apponit. §. 9. Contrariis omnibus derogat. §. 10. Exempliſque credi mandat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Lex iſta comprehendit forſan beneficia etiam iuriſpatronatus?

RESP. Comprehendere cenſuit Rota in deciſ. Seraph. 1289. num. 5. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de permutatione beneficiorum?

RESP. Idem reſpondetur, cùm permutatio ſit vera reſignatio. Rota deciſ.

deciſ. 16. de rer. permutat. in antiq. Et multa ad hoc conſiderauit Gomez. in Reg. Cancellar. de public. quæſt. 3. num. 2. & ſeq. & Rebuff. in d. Regul. gloſ. 3. num. 2. & de communi. Pariſ. de reſignat. benef. lib. 12. quæſt. 15. num. 19.

LXXXVI.

Edita Anno 1584. CVm interna quies, & infra pag. 471. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Fratrum Eremitarum Eremi Camaldulenſis perſonæ deſerti loca petunt pro habenda interna eorum quiete, & illa perturbari ſolet, cùm illi ad ſuſcipiendos ſacros ordines foras exeunt, ideo hic Pont. Maiori dicti Eremi, vt quatuor eis ordines minores, necnon Cardinalibus ad illud accedentibus, ſi Epiſcopi fuerint, & ſacros etiam presbyteratus ordines, etiam extra tempora à iure ſtatuta, & non ſeruatis interſtitiis, dummodo ipſi Maiori idonei videantur, conferre valeant, facultatem tribuit. §. 1. Quibuſcumque contrariis derogat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Numquid aliquis ex antiquioribus Eremitis diu, ſtrictéque latere voluit?

RESP. Priori in Eremo Scythica Ægypti, poſt annos quinquaginta vix aſpici ſe à ſorore, idque parumper paſſus eſt. Ita ſcribit Zozomenus lib. 6. cap. 29.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de SS. Antonio & Paulo Primo Eremita circumfertur?

RESP. *S. Antonius ſumebat panem, ſalem, & paululum aquæ, pane per tectum immiſſo bis in anno, neque ab eo quidem, qui immittebat, vel alio vnquam viſus, aut vllum cum eo, aut cum aliquo alio colloquium miſcens, erátque ad ipſum aditus lapidibus obſtructus, eámque rationem per totos viginti annos tenuit.* Hæc Athanaſius in vita ipſius D. Antonij. De Paulo autem Primo Eremita hæc habet D. Hieronym. in vita illius. *Paulum* (ſcribit) *ætatis ſuæ anno 16. Eremum petentem, in eo totam vitam traduxiſſe, à nemine interim, niſi à D. Antonio ſui obitus tempore vnquam conſpectum.*

LXXXVII.

SAncta Mater Eccleſia, & infra pag. 471. Bullarij. Edita Anno 1584.

COMPENDIVM.

S. Annæ, quæ magna in humanum genus præſtitit beneficia, & ex qua MARIA ſemper Virgo nata eſt, feſtiuitatem die 26. menſis Iulij quotannis per totius Orbis Eccleſias duplici Officio coli iubet. §. 1. Hancque legem vbique publicari præcipit, & obſeruari. § 2. Eiúſque tranſumptis fidem adhiberi. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Numquid peruetuſtus fuit S. Annæ cultus?

RESP. Tam in Orientali, quàm in Occidentali Eccleſia ſic fuiſſe, ex multis conſtare cenſuit Baron. in ſuo Martyrolog. prædicta die 26. Iulij, pag. mihi 409. & ſeq. vbi multos commemorat authores, quibus accedat Petrus Dorlandus Ordinis Carthuſienſis Theuto, qui vitam D. Annæ conſcripſit, impreſſam poſt opus Landulphi Saxonis Carthuſiẽſis de vita CHRISTI. in cap. 7. circa finem, pag. mihi 763. hæc habet. *Eccleſia olim iam eius recoluit memoriam, quia ad nouum Teſtamentum idcirco pertinere viſa eſt, quæ iam præſentem CHRISTVM Saluatorem agnouit.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Annæ nomen quid ſonat?

RESP. Idem quod gratia. Vnde Damaſcenus lib. 4. de fide inquit. *Gratia* (*nam hoc ſonat Anna vocabulum*) *Dominam parit: id etenim Maria nomine ſignificatur.* Hæc habet Carthagen. Suar. Homiliar. lib. 2. Homil. 8. pag. mihi 159. col. 1.

LXXXVIII.

CVm aliàs fel. record. Paulus Papa III. & infra pag. 472. Bull. Edita Anno 1584.

COMPENDIVM.

Paulus III. in ſua Conſt. 45. de qua ſup. tom. 1. ſtatuit, libros mercatorum Ripæ Vrbis, cum libris proxenetarum eiuſdem Ripæ concordantes ad probandum eorum credita, habere eamdem executionem, quam habent obligationes in forma Cameræ Apoſtolicæ, contra omnes etiam S. R. E. Cardinales,

in procem. Hic Pont. id ampliat procedere etiam contra mulieres coniugatas tam per ſe quàm cum earum viris, & abſque illis in dictis libris deſcriptas. §. 1. Et ſic, & non aliter iudicari mandat. §. 2. Quæcumque contraria non obſtare decernit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Contra hos mercatores poterítne mulier in dicta forma Cameræ obligata excipere, non ſolùm de vera ſolutione, ſed etiam quòd illa ſolutio cedat in duriorem cauſam ſui debiti?

RESP. Poterit, quia an cedat in duriorem cauſam pendet à præſumptione iuris, quæ eſt liquidiſſima probatio, retardans omnem obligationem, etiam Cameralem. Galleſ. in ſuo tract. de oblig. Camer. par. 1. quæſt. 3. num. 4. & par. 4. quæſt. 1. num. 5. & Rota in deciſ. Robuſter. 92. par. 1. diuerſor. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Mercatores autem habentes plures minores, vel mulieres obligatas, num poterunt omiſſa executione facta, vnum ex illis conuenire?

RESP. Vtique poterunt, quia hoc patet ex lectura clauſulæ obligationis Cameralis, vt legitur in formula eiuſmodi obligationis, & in Curia id notiſſimū dixit Rota in deciſ. Seraph. 1107. num. 3.

Edita Anno 1584. LXXXIX.

AScendente Domino, & infra pag. 472. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. & Iul. III. laudabile Societatis IESV inſtitutum confirmarunt. §. 1. & 2. Idem Paulus ab Ordinariorum iuriſdictione exemit. §. 3. Pius V. inter Mendicantes adnumerauit. §. 4. Societatis finis præcipuus eſt Chriſtianæ Religionis defenſio, & propagatio. §. 5. Eius conſtitutionibus cauetur, Nouitios biennio probari, & deinde ad vota ſubſtantialia ſimplicia admitti. § 6. Poſtea veluti Scholares, vel Coadiutores temporales non formatos, cooptari in Societate, retinendos quamdiu Præpoſitus generalis voluerit. §. 7. Coadiutores iſti ad tria vota admittuntur ſimplicia, & in gradum Coadiutorum temporalium formatorum recipiſtur. §. 8. Scholares abſolutis ſtudiis alium peragunt annum probationis, & in prædicationibus, & aliis Societatis miniſteriis tandiu probantur, quamdiu Præpoſito plenè ſatisfecerint. §. 9. Ex eis, qui ad quatuor votorum profeſſionem admittendi ſint, Præfecti iudicio relinquitur. §. 10. Admiſſi ſunt incapaces hæreditariæ ſucceſſionis. §. 11. Votúmque obedientiæ erga Papam emittunt. §. 12. Et alia vota ſimplicia. §. 13. Diſcedentes poſtea à Societate, apoſtatæ cenſentur. §. 14. Omnes poſt Nouitiatum, & emiſſa vota ſimplicia, in communi viuunt. §. 15. Paupertatem ſeruant, licèt non profeſſi dominium bonorum retineant. §. 16. Veri ſunt Religioſi, & Ordinis priuilegiis gaudent. §. 17. Dubia quædam in contrarium excitata Pontifex remouet. §. 18. & 19. Tria illa vota ſimplicia eſſe verè ſubſtantialia declarat. §. 20. Eáque emittentes, veros eſſe Religioſos. §. 21. Diſcedentéſque à Religione, apoſtatas eſſe decernit. §. 22. Contradictiones excitatas, temerarias pronunciat. §. 23. Inſtitutúmque huius Societatis impugnari prohibet. §. 24. Dubiorúmque declarationem Præpoſito reſeruat. §. 25. Et ita iudicari mandat. §. 26. Obſeruantiam huius legis præcipit. §. 27. Contrariis derogat. §. 28. Communicationem harum gratiarum denegat. §. 29. Tranſumptiſque huius Bullæ credi mandat. §. 30.

Scholion primum.

Quæro. In primordiis aliarum Religionum iurgia huiuſmodi excitatáne fuerunt?

RESP. In Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum initiis id eueniſſe, accipe ex Alex. IV. Conſtit. 8. de qua ſup. tom. 1. & ab alia, quam citat Rod. de hac Bulla loquens, de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 1. art. 5. & aliis pluribus relatis in libro priuilegiorum Prædicatorum, pag. mihi 39. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si proprietas eſt contra eſſentiam ſtatus Regularis, iuxta cap. cùm ad Monaſterium. 6. de ſtat. Monach. quo pacto iſti de Societate IESV ſunt Religioſi, ſi paupertatem non profitentur quoad proprietatem, & dominium, ſed tantummodo quoad vſum, & adminiſtrationem, vt in §. 16. & ſeq.

RESP.

Resp. Ex hoc non tollitur, quin Papa potuerit ex legitima præſertim cauſa diſpenſare quoad dominium, vt multis demonſtrat Rod. vbi ſup. art. 4. per tot. de iſta Conſtitut. Gregoriana ſcribens.

X C.

Edita Anno 1584.

EA, quæ ad proſperos, & infra pag. 476. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulla hic Pont. in eius Conſt. 17. de qua ſup. ſtatuit pro Congregatione Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Obſeruantia, quæ emendatione mox indigere dignoſcuntur. §. 1. Capitulum ideo generale quolibet triennio cogi iubet. §. 2. Præpoſito generali decedente, alium eligendi formam præfinit. §. 3. Interim antiquiorem Conſultorem eius vicem gerere mandat. §. 4. Priores cum Procuratoribus ſingulorum locorum electioni Præpoſiti, & Diffinitorum intereſſe indulget. §. 5. Præpoſitum, & Diffinitores ex Prioribus eligi decernit. §. 6. Priorum aliquo decedente, Præpoſitum, & Conſultores aliquem ex Vicariis eligere iubet. §. 7. Præpoſitus electus Prioratum, quem obtinebat, non amittit. §. 8. Perfuncto Præpoſituræ officio, per ſex annos illud vacet. §. 9. Ambitus omnibus prohibetur. §. 10. Pecunia Congregationis particulari Monaſterio non applicetur. §. 11. Capitula generalia vbi celebranda. §. 12. Regularis obſeruantia in quibus locis retinenda. §. 13. Huius Conſtitutionis obſeruantia ſtrictè præcipitur. §. 14. Eiúſque publicatio Præpoſito delegatur. §. 15. Contrariíſque derogat. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Quibus temporibus, & à quo iſta Congregatio promota fuit?

Resp. Anno 1424. ob frugem melioris vitæ eam promouit Lupus de Olmeto, Frater Monaſterij B. M. de Guardalupe, Ordinis S. Hieronymi Toletanæ diœceſ. vt in quadã Bulla Martini V. habetur, quam tibi indicaui ſup. ad Schol. 2. Conſt. 17. huius Greg. XIII.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc nomen Monachorum Eremitarum competebátne antea profeſſoribus prædicti Ordinis S. Hieronymi?

Resp. Ex textu, & verbis eiuſdem Bullæ Martini V. & aliarum poſtea editarum pro dicta Congregatione dignoſcitur, profeſſores dictis Ordinis nuncupari Fratres, profeſſores verò huius Congregationis Monachos vocitari.

X C I.

HVmana ſic ferunt, & infra pag. 477. Bullarij. *Edita Anno* 1584.

COMPENDIVM.

Hic Pont. narrat, ſe in Vrbe inſtituiſſe Hoſpitale pro natione Maronitarum, ad eorum fidem Catholicam retinendam & augendam. §. 1. Annuóſque redditus aſſignaſſe. §. 2. Modò illud ſupprimit pro maiori dictæ nationis vtilitate. §. 3. Collegium eius loco erigit ad iuuenes eius nationis bonis artibus, ſanáque doctrina inſtruendos. § 4. Redditus, & domos aſſignat. §. 5. Miſſam, & alia diuina Officia Arabico, vel Chaldæo idiomate celebrandi licentiam concedit. d. §. 5. A iuriſdictione quorumcumque Ordinariorum, & Iudicum eximit. §. 6. Gabelliſque & pedagiis. §. 7. Priuilegia Studij Almæ Vrbis, & ſimilium Collegiorum in Vrbe inſtitutorum, concedit. §. 8. Collegium ſuper his perturbari prohibet. §. 9. Cardinalem eius Protectorem, & Gubernatorem deputat. §. 10. Clauſulas præſeruatiuas, & derogatorias apponit. §. 11. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore Maronitarum natio fidem Catholicam, de qua in §. 2. agnouit?

Resp. Anno 1182. tempore Alex. III. & Innoc. III. quo celebratum fuit Concilium Lateranenſe, ad quod illorum Patriarcha venit, & ibi pleniſſimè res ſpectantes ad hanc fidem, ritúſque ſacros edoctus fuit. Ita ſcribit Baron. in Annal. Eccleſ. lib. 12. pag. mihi 766. ſecundùm impreſſionem Romæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Maronitæ vnde dicti?

Resp. A Marone quodam hæreſiarcha, qui vnum intellectum, & vnam operationem in CHRISTO ponunt; hi habitant iuxta Libyam in Prouincia Phœniciæ, vt recenſet Albertin. in reper. rubr. de Hæretic. in tit. de ſeptimo errore Iudæorum. pag. mihi 373. in 6. ſub n. 14. &

Aa 3 Baron.

Digitized by Google

Baron. vbi ſup. pag. 765. in fine. Vel à Vico Syriæ Maronia, ſiue à S. Marone Abbate nomen ſumpſiſſe dici poteſt, ſecundùm Baron. ibid.

X C I I.

Edita Anno 1584. SAncta Mater Eccleſia, & infra pag. 479. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iudæis qualibet hebdomada verbum Dei prædicari curent Prælati in Terris, vbi ſunt eorum Synagogæ (non tamen in loco ſacro, vel vbi ſacra confici ſolent) per aliquẽ Magiſtrum in Theologia, aut alium idoneum virum, Hebraicæ, ſi fieri poteſt, linguæ peritum, qui Scripturas veteris Teſtamenti exponat, & de veritate fidei Chriſtianæ, de certo aduentu, & Incarnatione Filij Dei, illiúſque natiuitate, vita, paſſione, morte, ſepultura, & aliis diſſerat. §. 1. Iudæi maiores annis 12. eiuſmodi prædicationi intereſſe debeant. §. 2. Chriſtiani verò Iudæos à prædicatione ſeducentes puniantur. §. 3. Principes faueant Ordinariis in prædictis. §. 4. Fidéſque tranſumptis huius Conſtitutionis detur. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Pœna, quæ Iudæis imponitur eos eiiciendo à Synagoga, num verum eſt quòd maxima erat?

R E S P. Apud Iudæos, qui grauiter peccaſſent apoſynagogi fiebãt, id eſt, extra Synagogam eorum eiiciebantur. Sic apud D. Ioannem Euang. cap. 9. ſcriptum eſt, Iudæos decreuiſſe, vt ſi quis confiteretur Dominũ noſtrum I E S V M, eſſe C H R I S T V M, extra Synagogam fieret, quod maximè timebant Iudæi. Vnde & Dominus prædixit tanquam pœnam grauem diſcipulis infligendam, quòd abſque Synagoga eos facerent. Idem D. Ioan. cap. 10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæbræi, qui prædicationis verbo edocti, ad fidem conuerſi, Baptiſmum in Vrbe recipiunt, dicuntur forſan illius Ciues?

R E S P. Ita ſanè, cùm generatio naturalis, & regeneratio ſpiritualis æquipatentur. cap. 4. de Baptiſm. cum ibi notat. & Luc. de Penn. in l. Ciues 7. de incol. lib. 7. num. 3. verſ. Nam generatio. ac Marquard de Suſan. in ſuo tract. de Iud. par. 3. cap. 2. num. 13.

X C I I I.

INter Apoſtolicas, & alias canonicas ſanctiones, , & infra pag. 480. Bullarij. Edita Anno 1584.

C O M P E N D I V M.

Conſuetudo erat nonnullis Eccleſiis, quòd non admitterentur in eis Prælati, neque Canonici, & in Ciuitatibus, & aliis locis non admittantur Officiales, niſi iurent conſuetudines, & ſtatuta earum, quãuis clauſa, & non ſcripta, in prooem. Quia tamẽ in eis reperiuntur illicita, impoſſibilia, & Eccleſiaſticæ libertati contraria, prohibuit ſcientibus illa eſſe talia, præſtare iuramenta, & præſtita non ſeruari voluit, & ignorantibus eadem, ad licita tantùm, poſſibilia, & libertati Eccleſiaſticæ non aduerſantia teneri. Et ita in his iuramentis generaliter præſtitis, intelligi debere cenſuit Nicol. I I I. §. 1. Hic Pont. eius, & aliorum ſacras Cõſtitutiones ſuper eiuſmodi iuramentorũ reprobatione editas, etiam quoad præterita, præcipit obſeruari. §. 2. Prælatis, & aliis ea præſtantibus, & exigentibus, vel Concilio Tridentino contraria, pœnas imponit. §. 3. Iurantes eadem ſcienter, omni commodo pro quo iurauerint, priuat: ignorantes verò ad obſeruantiam non teneri. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Tranſumptis credi mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Numquid etiam iure ciuili hæc obſeruantia dicti ſtatuti prohibita cenſetur?

R E S P. Prohibitam eſſe conſtat ex l. nõ dubium. 5. Cod. de legib. & dixit gloſ. in l. non videntur. 128. §. qui iuſſu. quam communiter DD. ſequuntur. ff. de Reg. iur. & tradit Roman. conſ. 218. Præſens caſus num. 5. necnon Seraphin. de priuil. iuram. priuil. 59. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Impoſſibilia autem quæ reputantur?

R E S P. Quæ de iure, vel abſque crimine fieri non poſſunt, vel ſunt contra bonos mores, vt primum probat Bald. conſ. 112. lib. 3. num. 1. verſ. Item quòd iſta. Et ſecundum probat in conſ. 373. lib.

lib. 1. num. 1. per tex. in l. filius. 15. ff. de conditionib. inſtitut. & alias impoſſibilitatis ſpecies, vel exempla recenſet Sebaſt. Medic. de caſib. fortuit.

X C I V.

Edita Anno 1584.

INter multiplices animi noſtri curas, & infra pag. 480. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro ſubuentione Montis Pietatis de Vrbe, & ſecuritate litigantium, ſtatuit, quòd Iudices Vrbis ſummas pecuniarum occaſione litium actualiter deponendas, ſupra quantitatem ſcutorum quinque, deponi faciant in Monte Pietatis. §. 1. & 2. Cuius conſignatio ad omne Iudicis mandatum fiat ab Officialibus Montis, nulla aucta impenſa. §. 3. Vſum ſcedularum, ac pignorum tollere non intendit. §. 4. Debitores tutè in Monte hoc deponere poſſe, & debere declarat. §. 5. & 6. Iudicibus, & litigantibus, ac Notariis contrauenientibus pœnas imponit. §. 7. 8. & 12. Pro depoſitorũ aſſecuratione, nedum ipſius Montis, ſed etiam eius Depoſitarij bona obligat. §. 10. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 11. Executorem deputat Camerarium S. R. E. §. 13. Eique dat facultatem dubia in præmiſſis oriunda declarandi. §. 14. Contrariis quoque derogat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Quis me edocebit quæ præcipuè agenda ſint ad conſtituendum Montem Pietatis?

RESP. Egregiè Salon. hæc deſcribit in 2. 2. S. Thomæ, quæſt. 88. art. 2. de Monte Pietatis per totam, poſt Ioann. Bapt. de S. Seuerino in repet. l. 1. Cod. de Summa Trinit. num. 53. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis primùm in Vrbe erexit, ſiue inſtituit, vel confirmauit Montem Pietatis?

RESP. Ioannes Caluus Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruãtia profeſſor, & in Romana Curia eiuſdem Ordinis Commiſſarius, & alij nonnulli bonæ mẽtis viri inſtitutionem dicti Montis in Vrbe erexerunt, & pro recta eius gubernatione nonnulla ſtatuerunt. Quæ omnia Paulus Papa III. anno 1539. die 9. menſis Septembris approbauit, & confirmauit, quamplura priuilegia & gratias elargitus eſt, multáſque ſalubres ordinationes adiunxit, vt videre eſt in eius diplomate, quod vidi impreſſum in lib. ſtatutorum, & priuilegiorum dicti Montis edito Romæ anno 1617. parte 2. pag. mihi 25.

X C V.

Edita Anno 1584.

VIgore priuilegij, & infra pag. 481. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. conceſſit Societati IESV, vt quiſque dictæ Societatis vir idoneus, & à Præpoſito deputatus, verbum Dei publicè valeat prædicare, & quiſque presbyter omnium fidelium confeſſiones audire poſſit, & ex illo conceſſionis tempore, etiam Scholares, & alij, nondum ſacris ordinibus initiati, aliàs tamen idonei, paſſim, & vbique ad prædicandum mittuntur. Vnde fuit dubitatum, an hoc prædicandi indultum comprehendat eos qui ad ipſos ordines non aſcenderunt, in princ. Hic modò Pont. comprehendere decernit. §. 1. Et ad Clericos prima tantùm tonſura inſignitos id extendit. d. §. 1. Ordinariis, & aliis id obſeruare præcipit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Num laicus poterat olim prædicare?

RESP. Non, vt egregiè eius reſcripto cenſuit Innoc. III. in cap. Cùm ex iniuncto. 12. de Hæretic. quod impreſſit etiam Eymer. in Director. Inquiſit. par. 2. Illúdque exornat Pegna comment. 11. vbi ſubdit, laicos in propoſito noſtro cenſeri, qui non ſunt in aliquo ſacro ordine conſtituti; vnde patet bene diſpoſitum hic fuiſſe in §. 1. de prima tonſura inſignitis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Clericis huiuſmodi, vel aliis, ſi fuerint ſuſpenſi, vel interdicti, prædicare forſan licebit?

RESP. Non licebit, ſi nominatim ſint ſuſpenſi, vel interdicti; ſecus verò è contra. Nauar. conſ. 53. cùm teneantur. lib. 5. de ſent. excommunic. num. 2. verſ. 3. pag. mihi 553. ſecundùm impreſſionem Venetiis de anno 1610. & antea in Manuali Confeſſ. cap. 27. num. 176.

XCVI.

XCVI.

Edita Anno 1584. QVæ à Romanis, & infra pag. 482. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. iuſſit Clericos Reu. Cameræ Apoſtolicæ expeditiones dare ſub nomine, & ſigillo Cardinalis Camerarij. §. 1. Iulius III. in ſua Conſt. 3. de qua ſup. tom. 1. comprobauit, exceptis cauſis gubernioruum ipſis Clericis diſtribuendorum. §. 2. Hic quoque Pont. eorum Conſtitutiones innouat, & expeditiones aliter fiendas irritat. §. 3. & 4. Et non vti alia ſubſcriptione, quàm *Viſa*, &c. decernit. §. 5. Notarius ſubſcriptiones alias ſcribere vetat. §. 6. Auditoribus Clericorum, & aliis Officialibus extra Cameram exiſtentibus vetat, expeditiones ſuper rebus ad Cameram pertinentibus ſubſcribere poſſe. §. 7. Omnes Camerales expeditiones, Tractas frumentorum, & earum expeditiones, ad ſolum Camerarium ſpectare decernit. §. 8. Et ita, & non aliàs iudicari iubet. §. 9. Camerario inobedientes coercendi facultatem tribuit. §. 10. Obſtantia omnia remouet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *&c.* de quibus in §. 5. quem habent ſenſum?

RESP. Tyrones etiam id in Curia ſciunt, nomen ſcilicet, cognomen, & officium, cuiuſcumque Clerici Cameræ, qui expeditioni Cardinalis Camerarij ſe ſubſcribunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Clerici Cameræ Apoſtolicæ cur ita appellati?

RESP. Quia de ſorte Cameræ ſunt, & Cameræ partem habent. cap. 1. diſt. 21. Et idem videtur dicere de Cameræ ſorte, quod de electione, ſiue electis ad dictam Cameram Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. num. 1. Greg. Tholoſ. lib. 16. Syntagm. Iur. cap. 1. num. 5. Cameræ verò partem habere, eſt redditum eius contingenter portionem conſequi, ad gloſſam in d. cap. 1. in verb. partem, & Greg. Tholoſ. loco cit.

XCVII.

Edita Anno 1584. OMnipotentis Dei, & infra pag. 483. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pij adoleſcentes Studiis Collegij Societatis IESV de Vrbe incumbentes, ad pia quædam opera exercenda ſe conſociarunt. §. 1. Poſtea etiam alibi in aliis Collegiis externi Scholares eadem imitari cœperunt. §. 2. Primaria ergo Congregatio videtur firmanda in Eccleſia Annunciationis B. MARIÆ dicti Collegij in Vrbe. §. 3. Pontifex ibi illam erigit ſub regimine Præpoſiti generalis dictæ Societatis IESV. §. 4. Sodalibúſque quamplures indulgentias elargitur. §. 5. & ſeqq. Quibus ſodales etiam abſentes, & prædicta opera exercentes perfrui decernit. §. 15. Stationum Vrbis indulgentias concedit. §. 16. Præpoſito dat facultatem aggregandi alias Congregationes. §. 17. Eiſque Indulgentias communicandi. §. 18. Congregationes quoque viſitandi, & ſtatuta condendi authoritatem tribuit. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi Congregationi cur apud nos Partheniæ nomen ſuperadditum fuit?

RESP. Quia ſicut adoleſcentium deuotio, & Eccleſiæ nomen B. MARIÆ cultum redolebat, ita & eorum denominatio Cõgregationis idem præ ſe ſert. Nam Parthenos apud Græcos, idem quod Virgo apud Latinos ſignificat, ſecundùm Calepin. in ſuo Diction. qui nedum apud Summiſtas, ſed & Iuriſconſultos non modicæ eſt authoritatis, vt ſcribit Vinc. de Franc. deciſ. 662. n. 17.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ exinde mala vitantur ab adoleſcentibus?

RESP. Quamplura, & præſertim prauarum ſocietatum mortiferum contagium animarum, vt fusè de hac re ſcripſit Ioann. Buſæus dictæ Societatis IESV præclariſſimus Theologus, in ſuo, quem edidit, libello de ſumma remedior. contra animi morbos, in §. Societas, pag. mihi 229. & ſeqq.

XCVIII.

NOn ſine graui animi noſtri, & infra pag. 485. Bullarij. *Edita Anno 1584.*

COMPENDIVM.

Excommunicatione maiori latæ ſententiæ

tentiæ illigat, vltra alias pœnas iuris, cõſtitutionũmque & proclamatũ, quoſcumque in Italia commorãtes, animalia, & alia bona in Statu temporali Sedis Apoſtolicæ diripientes, abducentes, nec-non ea ementes, & recipientes, & cum illis contrahentes. §. 1. Epiſcopis locorum conuicinorum, huius Conſtitutionis publicationem præcipit. §. 5. Quam omnes ligare iuber. ibid. Contrariis omnibus derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Italiæ appellatione comprehenditur Roma?

R E S P. Poſſet dici non comprehendi, argum. tex. in §. 1. Inſtit. de excuſat. tutor. Sed contrarium verius puto, tum ex identitate rationis, quæ legitur in textu, tum quia iſta Conſtitutio edita eſt ad maiorem aggrauationem latronum, quos in Vrbe hac non ligari pœna, nulla ratione eſt credendum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba, *in ditione temporali,* §. 1. ſumendáne erunt in larga, vel in ſtricta ſignificatione, cùm multiplex ſit ſignificatio dictionis (*in*)?

R E S P. In ſtricta erunt ſumenda interpretatione, quia id dictat ratio ſubiectæ materiæ, cùm agatur hic de grauiſſima pœna excommunicationis incurrenda. gloſſa & ſcribb. in l. fas cauſas. 79. ff. de condit. & demonſtrat. Roman. conſ. 376. n. 7. præſertim quòd iuncta eſt ipſa dictio (*in*) caſui ablatiuo, & ſic intrinſecitatem denotat, vt Bart. inquit in l. Gallus. 29. §. Iſte caſus. ff. de liber. & poſthum. n. 3. Sed an iſta pœna excõmunicationis hodie ſit ſublata, dubitat Genitor meus, vt adnotauit hic in rubrica.

X C I X.

Edita Anno 1585. EA eſt Eremi Camaldulenſis, & infra pag. 485. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Priuilegia Ordinis, & Eremi Camaldulenſis approbat. §. 1. Priori illius, & cæteris in dicto Eremo famulantibus præcipit, ne ad alium Ordinem, & Religionem, etiam quæ Montiſcoronæ vocantur, eiuſdem Ordinis Camaldulenſis ſine expreſſo conſenſu, & licentia in ſcriptis obtenta Maioris dicti Eremi tranſire audeant. d. §. 1. Contrafacientibus pœnas irrogat. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Prior Camaldulenſis quam habet iuriſdictionem in ſuo Ordine?

R E S P. Quaſi Epiſcopalem, inquit Remig. in ſuo tractat. de charitat. ſub-ſid. quæſt. 5. num. 45. Tu autem Pontificias attende Conſtitutiones ſuo loco citatas de hoc Ordine, & eiuſdem priuilegia nuper impreſſa.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si de licentia ſimpliciter locutus eſſet hic Pont. in §. 1. an ſufficeret de iure antiquo petita, quamuis non obtenta?

R E S P. Si quis zelo ſanctioris vitæ tranſiret ad Religionem arctiorem, petita ſufficeret, ſecus ſi non ad ſtrictiorem; tex. eſt notab. in cap. licèt. 18. & ibi Canoniſtæ de Regular. & conſulendo dixit Angel. conſ. 35. incip. Albertus, numero 1.

S I X T V S V.

Italus, creatus anno 1585.

C O N S T I T. I.

VIrium noſtrarum infirmitati, & infra pag. 486. Bullarij. Edita Anno 1585.

C O M P E N D I V M.

Suarum virium infirmitatem ad regendam Sanctam Romanam Eccleſiam enarrat, in prooem. Chriſti fidelibus ergo Deum pro implorãdo diuino auxilio ad Paſtoralis officij munus ſuſtinendum, certa hic præſcripta forma orantibus, Iubileum indicit, omniũmque peccatorum indulgentiam elargitur. §. 1. & 2. Et hanc Conſtitutionem publicari mandat. §. 3. Contrariis derogat. §. 4. Eiúſque tranſumptis credi iubet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Iubileum ergo idem eſſe dicemus, quod remiſſionem peccatorum?

R E S P. Iubileus ſignificat tempus remiſſionis, non ipſam remiſſionem indicat. Nauar. in ſuo comment. de Iubil. & Indulgent. in. 1. notab. ſub num. 9. pag. mihi 4. & notab. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Solus Papa, vel alius etiam plena-

plenariam indulgentiam concedere poterit?

R e s p. Ipſe ſolus ſecundùm communem opinionem ſcribb. in cap. 4. de pœnit. & remiſſ. Non tamen excluſo Concilio Oecumenico legitimè coacto, vt poſt Abbar. & Felyn. quos allegat, inquit Nauar. vbi ſuprà in notab. 31. numero 1.

I I.

Edita Anno 1585. INter varias curas, quæ ex Paſtoralis, & infra pag. 487. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Pleniſſimè reuocat omnes, & quaſcumque exemptiones, quibuſcumque locis, & perſonis à ſolutione onerum Cameralium, præterquàm ob ſusceptionem liberorum iuxta iuris diſpoſitionē, & ob realem pecuniarum exburſationē, vel alias ob cauſas ab eo cognoſcendas, conceſſas.§.1. Reuocationémque à data præſentium afficere decernit. §. 2. Aliorum prædeceſſorum reuocationes innouat. §. 3. Lites omnes deſuper exortas extinguit. §. 4. Sic, & non aliter iudicari mandat. §. 5. Executores deputat. §. 6. Contrariiſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. S. R. E. Cardinales comprehenduntur in hac reuocatione?

R e s p. Ita quidem, quia in textu expreſsè nominantur. Verumtamen in hac parte hæc Bulla vſu minimè recepta fuit, ſed expreſsè contrarium diſpoſuit poſtea fel. record. Paulus V. in ſua Conſt. 9. §. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eritne cauſa legitima inter eas, quas ſibi Papa cognoſcendas reſeruat in §. 1. quòd priuilegium exemptionis ſit ex cauſa oneroſa obtentum in contractu?

R e s p. Crederem legitimam, tum quia exprimit vnum caſum oneroſæ exemptionis ob pecuniam obtentæ, tum etiam quia non cenſetur Papa velle derogare priuilegio obtento ex cauſa oneroſa, & ex contractu. Rota in deciſ. Mohed. 6. de priuileg. num. 1. & in deciſ. Seraph. 1082. in nouis, num. 3.

I I I.

SOlicitudo, paternúſque affectus, & infra pag. 488. Bullarij. Edita Anno 1585.

C O M P E N D I V M.

Statutis diuerſorum locorum Status Eccleſiaſtici prohibetur rerum, & bonorum ſtabilium in forenſes,& non ſubditos alienatio.§.1. Ea obſeruari hic Papa præcipit, etiamſi non ſint in vſu. §.2. Prohibet cuiuſcumque conditionis perſonæ dictorum bonorum alienationem, permutationem, pignorationem, & vltra triennium locationem. in perſonam, ſeu Collegium, aut Vniuerſitatem ratione temporalis iuriſdictionis non ſubditā Sedi Apoſtolicæ,abſque eius licentia.§.3. Caſtrorum autem, & feudorum venditio, & donatio abſolutè interdicitur abſque dicta licentia.§. 4. Dominus eorumdem bonorū non reuerſurus ad Statum Eccleſiaſticum,illa vendat alicui ex ſubditis dicti Status.§. 5. Habitatori dicti Status licebit dicta bona quocumque non venditionis, vel permutationis, aut donationis titulo, in alios de dicto Statu non exiſtentes, ſi infra triennium habitatum veniant, vel in alios, in eo habitatores, & ſubditos, transferre. §. 6. Bonorum prædictorum appellatione cenſus, portiones Montium, dotes mulierum, & Vrbem Romam cum eius ad decem paſſuum millia circuitu, non comprehendi declarat. §. 7. Hæredéſque prædictarum mulierum ſi extranei ſint, ad habitandum in Statu, vel alienandum, vt ſupra, teneantur.d. §.7. Pœnas contrauenientibus imponit. §. 8. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 9. Officialibus huius Bullæ obſeruantiam demandat. §. 10. Contrariiſque derogat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Appellatione perſonæ continebatúrne Collegium, ſi non exprimebatur, in §. 3.

R e s p. Dubium eſſe poterat, quia ſi hæc diſpoſitio eſt odioſa, non veniebat, ſecus ſi fauorabilis. Romam conſil. 400. in fin.Rota in deciſ. Seraphin.1050. num. 3. in nouis, Alexand. conſil. 216. num. 11. & 34.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cenſus, & loca Montium, de quibus

quibus in §. 7. veniebant propriè bonorum ſtabilium appellatione?

RESP. Affirmatiuam opinionem tenet Oſaſc. deciſ. Pedemont. 99. num. 49. & ſenſit Rota in deciſ. Seraphin. 224. in nouis, in fin. & bene Gabr. conſ. 141. lib. 2. per tot. ac Alex. conſ. 179. lib. 6. num. 3. Intellige tamen de locis Montium non vacabilium; & ideo emanauit fortaſſe declaratio à Clem. VIII. quæ eſt infrà in ſua Conſt. 78. vbi decreuit loca Montium hac Sixti Conſtitutione non comprehendi.

I V.

Edita Anno 1585.

Æquum reputauimus, & infra pag. 489. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. Congregationi Clericorum Regularium S. Maioli, aliàs de Somaſcha, exemptionem dedit à iuriſdictione, & ſuperioritate Ordinariorum, aliorúmque Iudicum, & ſub Sedis Apoſtolicæ obedientia immediatè ſubiecit. §. 1. Et licentiam adminiſtrandi Sacramenta omnibus etiam alienæ parochiæ ſubditis, præterquàm tempore Paſchatis. §. 2. Exemit à ſeruitiis Prælatorum miniſtrantium, & à funeralibus eorum, qui in ipſorum Eccleſiis non ſepeliuntur. ibid. Tranſitum eis prohibuit ad alios Ordines præter Capuccinorum, & Carthuſianorum, abſque Superioris dictæ Congregationis licentia. §. 3. Contrariíſque derogauit. §. 5. Sed quia deſuper literæ Apoſtolicæ ob mortem ipſius Gregorij XIII. expeditæ non fuerunt, iſte Pont. eas ſeruari mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid operatur illa clauſula, *& ſub Sedis Apoſtolicæ obedientia*, exemptioni adiecta in §. 1.

RESP. Si ea non fuiſſet appoſita, iſti Clerici potuiſſent prorogare iuriſdictionem Ordinariorum, vt cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 595. num. 7. & deciſ. 1025. num. 5. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Clerici vnius Monaſterij conſenſiſſent?

RESP. Nihil fuiſſet. Rota in deciſ. 951. Seraph. num. 2. in nouis.

V.

Edita Anno 1585.

Rationi congruit, & infra pag. 490. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. Cōgregationi Clericorum Regularium S. Pauli, ne ad proceſſiones, aliósque actus publicos ire cogerentur, indulſit. §. 1. Obſtantibúſque omnibus derogauit. §. 2. Hic Pont. literas Apoſtolicas ob mortem prædicti Gregorij nō expeditas ſeruari præcipit. §. 3. Executoréſque deputat. §. 4. Sanctionem pœnalem addit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Circumſcripto hoc indulto, ad proceſſiones accedere tenebantur?

RESP. Teneri decreuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 13. de Regularibus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si de præcedentia in proceſſionibus orta fuiſſet controuerſia ante hanc Bullam, quid agendum erat pro ea ſedanda?

RESP. Epiſcopi omni appellatione poſtpoſita huiuſmodi præcedentias ſedare debuiſſent, vigore Concilij Trid. vbi ſupra. Et quo pacto in hoc ſe gerere debuiſſent, ſcribit Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 38. art. 3.

V I.

Edita Anno 1585.

Hoc noſtri Pontificatus initio, & infra pag. 491. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendum omne diffugium, & receptaculum exulibus, bannitis, cæteríſque facinoroſis hominibus, omnium Pontificum prædeceſſorum Conſtitutiones deſuper editas confirmat. §. 1. iuncto proœm. Ducibus, Communitatibus, & aliis, vt eorum loca homicidis, ſicariis, exitioſis, incendiariis armatam facientibus, Statum Eccleſiaſticum hoſtiliter peragrantibus, pro quocumque capitali crimine, etiam in contumaciam bannitis, aliiſque notoriis delinquentibus, & facinoroſis hominibus, etiam nondum condemnatis, eorúmque fautoribus expurgata teneant, committit. §. 2. Et capere ſi potuerint, ſin minus, perſequantur. §. 3. Cauilloſas excuſationes reiicit. §. 4. Particularibus autem perſonis,

vt contra eos vocati arma capiant, & accurrant. §. 5. Executoribúſque Iuſtitiæ ſubueniant.§.6. Baronibus, & Communitatibus locorum, vbi furta, & crimina admiſſa fuerint,vltra alias pœnas, etiam pœnam refectionis damnorum, & tantumdem Cameræ perſoluendum imponit. §. 7. Ducibus, & aliis eorum fautoribus, tam in Statu Eccleſiaſtico, quàm extra,aut Iuſtitiæ miniſtros in libera ſui officij executione impedientibus,&c.grauiſſimas indicit pœnas,& ſignanter confiſcationis quorumcumque bonorum,non obſtantibus quibuſcumq; inueſtituris, & fideicommiſſis. §. 8. Sed hæc bona confiſcata non comprehendi ſub Bulla Pij V.de non infeudandis, &c. declarat, ibidem. Communitatibus autem eos tolerantibus eaſdem pœnas imponit. §. 9. Particulares perſonas ad propalationem eorum teneri decernit. §. 10. Scientéſque in præmiſſis culpabiles,reuelare debere.§.11. Iudices in prædictis procedant etiam per inquiſitionē. §. 12. Priuilegia de non conſignandis bannitis reuocat.§. 13. Receptatores, & fautores eorum nullo prætextu etiam agnitionis,& conſanguinitatis in primo capite excuſantur. §. 14. Contraria non obſtant. §. 15. Executores huius Bullæ deputantur. §. 16. Fideicommiſſa non attendantur. §. 17. Barones extra Statum Eccleſiaſticum iuriſdictionem temporalem habentes, illos non aſſecurent. §. 18. Communitates hanc Bullam publicent, & cuſtodiant in publicis Archiuijs, & quotannis in publico concilio recitent. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Banniti huiuſmodi ſi in fortiā Curiæ deuenient poſt curſum annorum triginta à die latæ ſententiæ, nunquid præſcriptione huius temporis ſe tuētur?

R e s p. Non, quia taliter banniti habentur pro mortuis,& ſic nullo tempore præſcribere valent, & ſententiæ contra eos latæ, dicuntur latæ conditionaliter, ſi, & quando ad manus Curiæ peruenerint, vt ex doctr. Bald. & aliorum tradit poſt alios Chartar. de execut. ſent. contumac. cap. vlt. num. 13. & Caball. caſu 239. num. 3. & ſeqq. qui de magis communi, & in praxi obſeruata opinione teſtantur,& concordantes cumulant.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num poſt hanc Sixti pœnalem ſanctionem aliqua alia Pontificia lex edita fuit aduerſus eiuſmodi bannitos?

R e s p. Non contra eos directè, ſed ad refrænandam eorum audaciam ſuper fideiuſſoribus præſtandis, quòd Statum Eccleſiaſticum ipſi banniti non ingrediātur, tempore Pontificatus fel. record. Pauli V.per Sacram Conſultam edita,& à Sanctitate Sua approbata fuerunt nonnulla ſtatuta,quorū authēticū in Bibliotheca Genitoris mei reperi, & ea hic imprimi non inutile eſſe putaui,eo quòd à pleriſque etiam Curialibus ignotātur.

Primo anno Pontificatus S.D.N.Papæ, Sacra Conſulta inhærendo promiſſionibus iam factis tempore fel. record. Clem. VIII. fecit infraſcriptum Decretum, videlicet.

Ad reprimendam audaciam & inſolentiam bannitorum, & ne in futurum ſaltem metu pœnæ ſuorum, ita de facili graſſari poſſent per Statum Eccleſiaſticum, Sacra Conſulta pro bono publico ſtatuit, & ordinauit, quòd per conſanguineos, ſeu affines proximiores, & magis idoneos bannitorum, & aliàs arbitrio Sacræ Conſultæ præſtarentur fideiuſſiones, quòd dicti banniti non eſſent ingreſſuri præfatum Statum, & quòd huiuſmodi fideiuſſiones fierent ſemper ad fauorem Reu. Cameræ Apoſtolicæ, & non Communitatum, ſeu Baronum, Dominorum locorum, in quibus opus eſſet præſtare prædictas fideiuſſiones pro bannitis, & quòd ſi aliter factæ, aut ſtipulatæ fuiſſent, intelligerentur nihilominus factæ ad fauorem prædictæ Reu. Cameræ Apoſtolicæ, adeò quòd ſemper in caſu contrauentionis, præfatas fideiuſſiones ipſa Camera Apoſtolica ſola exigere poſſet, & quòd tam Illuſtriſſimi Legati, quàm Gubernatores, & vniuerſi alij Officiales pro tempore tenerentur tranſmittere copiam authenticam huiuſmodi fideiuſſionum ad Sacram Conſultam, prout facere debebant de inſtrumentis pacum.

Cogñitu: fideiubere proximiores bannitorũ idonei, & aliàs arbitrio Sacræ Cõſultæ, quod Statũ Eccleſiaſticum non ingrediantur.

Et hoc decretum per Sanctiſſimum mediante perſona admodum Illuſtriis & Reuerendiſſ. D. Fuccioli tunc Sacræ Conſultæ Secretarij, fuit confirmatum, & approbatum.

Anno

Anno quinto eiuſdem Pontificatus S.D. N. fuit factum per eamdem Sacram Conſultam infraſcriptum ſecundum Decretum, quod ſimiliter per Sanctiſſimum mediante eodem Secretario fuit confirmatum.

Et in caſu cõtrauentionis contra hos fideiuſſores procedatur, prout proceditur contra fideiuſſores de non offendendo.

Qvòd in futurum in fideiuſſionibus de non ingrediendo, quando contra banni. tum, qui prætenditur ingreſſus, extent indicia ſufficientia ad tranſmittendum inquiſitionem eidem bannito contumaci, poſt declarationem dicti ingreſſus, poſſit abſque citatione fideiuſſoru procedi contra eumdem fideiuſſorem, ad executionem pœnæ promiſſa in caſu contrauentionis, eo modo, & forma, quo, & qua fit contra fideiuſſorem de non offendendo.

Hoc latiùs hîc infra explicatur.

All'Illuſtre, & molto Reuerendo Sig. come fratello, il Gouernatore di Perugia.

Officia es abſque a ſa Sacra Conſulta iuſſione gant ad ita cautiũdum promiſſores idoneos, vel illis idoneis non exiſtẽtibus remotioribus, cũ releuatione proximiorum.

Perche s'intende, che molti Officiali dello Stato Eccleſiaſtico reſtano di far dare le securtà de non ingredien. alli parenti delli Banditi, ſotto preteſto di nõ hauerne ordine della Sacra Cõſulta. Et conuenẽdo per il buon gouerno, che ſimile prouiſione ſi facci in ogni modo, ſi dice à V. S. conqueſta, che ſenza aſpettare altro ordine in auuenire voglia prouedere, che ſempre, che ſi ſaranno Banditi di coteſta giuriſdittione, per liquali non ſiano date le ſudette ſecurtà, ſi diano dalli parenti più proſſimi loro, ſe ſaranno idonei, & caſo che nò, da quelli, che ſono remoti, purche ſiano idonei, con farli rileuare poi dalli più congiunti. Tanto dunque nõ mancarà di fare eſſeguiere, facendo regiſtrare la preſente in Cancellaria, & Dio N.S. la conſerui. Di Roma li 27. Ottobre 1607.

Di V. S. come fratello

IL CARD. BORGHESE.

All'Illuſtre, & molto Reu. Sig. come fratello, il Gouernatore di Perugia.

Con queſta ſi manda à V. S. vn ordine che ſi è fatto vltimamente dalla Sacra Conſulta, in materia delle ſecurtà de non ingredien. che ſi dauno per li Baniditi, accioche, viſto che l'hauerà, voglia farlo oſſeruare conforme al contenuto di eſſo, come ella non mancarà di eſſeguire, & Dio N.S. la ſalui. Di Roma li 22. di Maggio 1610.

Di V. S. come fratello

IL. CARD. BORGHESE.

Eſſendoſi viſto per il paſſato quanto vtile apporti alle quiete, & pace publica, il tenere li Banditi, & condemnati fuora dello Stato Eccleſiaſtico, con il mezzo delle ſecurtà, che ſi ſanno dare, dalli parenti loro, che detti Banditi, & condannoti non entrino in detto Stato: Perciò la Sacra Conſulta per conſeruatione della medeſima quiete, & pace publica, & per rimouere ancora quello, che potria in qualſiuoglia modo perturbarla, mẽtre che le dette ſecurtà de non ingredien. ſi poteſſero dalli detti parenti de Banditi ponere in controuerſia, ò perche nel proceſſo fatto contra il Bandito in contumacia, non foſſero ſtati citati, & vditi detti parenti, ò perche ſi pretendeſſe, che le proue fatte ſopra l'ingreſſo non foſſero ſufficienti, nel qual caſo, come ſe haueſſe da publicare il proceſſo contumaciale alle parti, ne potria ſuccedere vn' altro maggiore inconueniente, ò che ſi faceſſero le difeſe per il cõtumace, ò ſi deſſe occaſione di diſtruggere con teſtimonij ſubornati tutte le proue del Fiſco. Per ouuiare adunque à tutti queſti inconuenienti, ha ſtatuito, & ordinato la medeſima Sacra Cõſulta, con participatione, & approbatione della Santità di N.S. che ſi come nelle ſecurtà de non offenden. & quado ſi trotta di far pagare al Padre la legitima del figliolo delinquente, non è biſogno di fare contra di quelli, che ſono tenuti per inſtromento, ò diſpoſitione di legge, ò ſtatuto, nuouo proceſſo, ma baſta per aſtringerli al pagamento il proceſſo contumaciale fatto contra li delinquenti, così ancora in queſte ſecurtà de non ingredien. che ſi fauno dare dalli Banditi, cioè dalli parenti delli Banditi, vuole, che ſi poſſano, & debbano per l'auuenire aſtringere li obligati, & fideiuſſori al pagamento di dette ſecurtà, con il ſolo proceſſo fatto contra detti Bãditi, ancora in contumacia loro ſopra l'ingreſſo d'eſſi nello Stato Eccleſiaſtico, non oſtante qualſiuoglia legge, ò conſtitutione, ò altra coſa contraria.

Contra ſupradictos fideiuſſores procedatur, ſicuti proceditur contra fideiuſſores de non offendendo, vel cogendo patrem profoluendum legitimã filij delinquẽtis.

De hoc habes Conſt. 52. Pij IV ſup.

Hæc quidem Decreta licèt noua, &

 alpera

aſpera videantur, nihilominus rationabilia, & Reip. admodum vtilia eſſe, minúſque noua, liquidò apparet ex his, quæ fusè ſcripſit Farinac. quæſt. 24. num. 150. & ſeqq. & benè Caball. caſu 149. per totum.

V I I.

Edita Anno 1585. INtemeratæ Matris Dei M A R I Æ, & infra pag. 494. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat B. M A R I Æ Virginis merita, in princ. Eiúſque Præſentationis feſtum ab antiquiſſimis vſque temporibus vbique gentium ſumma cum veneratione obſeruatum die 21. Nouembris, duplici officio quotannis agi iubet. §. 1. Prælatis eius obſeruantiæ curam, ac huius Bullæ publicationem delegat. §. 2. Illiúſque tranſumptis credi mandat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quem ætatis agebat annum B. Virgo, quando fuit in Templo præſentata?

R E S P. Annum tertium agebat, erátque perfecta diuina gratia, vt quæ eſſet prædeſtinata, & præcognita, & præelecta à Deo, & diſpenſatore vniuerſorum ante Mundi conſtitutionem. Ita habetur in Encomio S. Germani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani de B. Virgine, per Sur. de Hiſtor. Sanctor. tom. 6. hac die 21. Nouembris relato.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis eam & cui præſentauit?

R E S P. Anna Mater antea ſterilis, Zachariæ Prophetæ præſentauit, ei dicens; Accipe ô Propheta meam à Deo datam filiam, & introductam planctu in loco Sanctuarij, nihil curioſè inquirens, donec Deo, qui eam hinc euocauit, viſum fuerit, quæ ad eam attinent ad finem perducere. Hæc in d. Encomio habentur.

V I I I.

Edita Anno 1585. IN Cœli Throno qui ſedet Rex, & infra pag. 495. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Recenſet, B. Franciſcum de Paula multis virtutibus, miraculiſque claruiſſe, in princ. Ordinémque Fratrum Minimorum inſtituiſſe. §. 1. Leonem X. illum canonizaſſe. §. 2. Eius modò feſtum hic Pont. die 2. Aprilis quotannis duplici officio celebrari mandat. §. 3. Prælatis huius feſti obſeruantiam curare præcipit. §. 4 Et huius Bullæ exemplis credi decernit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quòd Romæ Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis huius Ordinis regitur ſolùm (quod ſingularè videtur) à Fratribus Gallicæ nationis?

R E S P. Luculenter recenſet Nauar. in conſ. 2. de iure patronat. lib. 3. pag. mihi 327. & in conſ. 1. lib. 2. edito poſt lib. 5. vt lit. pend. pag. 648. ſecundùm impreſſionem Brixienſem. Eum conſule, vt prolixitatem euitemus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo anno ſanctus hic vir ab humanis exceſſit?

R E S P. Anno Salutis 1507. vt habetur in 38. Leon. X. Bulla ſuæ canonizationis, de qua ſup. tom. 1. in §. 33. & idem ſcribit Baron. in Martyrolog. die 2. Aprilis, vbi impreſſorum vitio annus huius Bullæ Sixti enunciatur 1586.

I X.

MVneris noſtri debito incumbit, & infra pag. 495. Bullarij. *Edita Anno 1585.*

C O M P E N D I V M.

Narrat, Bonifacium V I I I. in Ciuitate Firmi Status Eccleſiaſtici inſtituiſſe Studium generale, ad inſtar Ciuitatis Bononiæ, vt ſuprà in eius Conſt. 8. tom. 1. §. 1. Et Calliſt. I I I. confirmaſſe. §. 2. Ciuitatémque Firmi ſibi ſupplicaſſe pro eius renouatione. §. 3. Ipſe ergo approbat Conſt. Bonif. & Calliſt §. 4. Studiúmque prædictum innouat. §. 5. Et illi, eiúſque perſonis ibi promotis, priuilegia aliorum Studiorum generalium concedit. §. 6. Doctorandi formam præſcribit. §. 7. Promotis in eo facultatem vbique legendi elargitur. §. 8. Rectori ius condendi ſtatuta pro eius regimine tribuit. §. 9. Clauſulas Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 10. Clauſulam, *Sublata*, &c. addit. §. 11. Contrariis derogat. §. 12. Tranſumptis credi iubet. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Scholaris forenſis poterit in hac

Digitized by Google

hac Ciuitate conueniri pro contractibus in eius patria initis, ſtante priuilegio aliorum Studiorum generalium, de quo in §. 6.

R E S P. Negatiuam ſentẽtiam probat Salycet. in Auth. habita. Cod. ne fil. pro patr. ſub num. 27. Quod limitandum venit, ſi Scholaris ibi domicilium contraxiſſet, vt Addition. ibidem adiunxit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si doctorandus habet aliquem Doctorem de Collegio ſuſpectum, quid agendum ſtante diſpoſitione §. 7.

R E S P. Adeat Rectorem, qui præuia probatione legitimæ cauſæ ſuſpicionis, prouidebit ne ille interueniat eius examini. Panorm. in cap. cauſam, de offic. deleg. num. 2. & Addition. ad Bart. in l. vnic. Cod. de Profeſſ. qui in Vrbe Conſtantinopol. libro 12.

X.

Edita Anno 1585. NVper pro patre dilectorum filiorum, & infra pag. 497. Bull.

C O M P E N D I V M.

Supprimit Conſtit. 54. Gregorij XIII. editam ſuper electione Prælatorum Cõgregationis S. Benedicti in Italia, Ordinis Ciſtercienſis, de qua ſup. §. 1. & ſeqq. Statuit Prælatos eligi ex vniuerſo numero Sacerdotũ, qui minora officia Cellerariatus, & Prioratus per biennium exercuerint. §. 4. Has literas à vitio ſubreptionis eximit. §. 5. Et ita iudicari mandat. §. 6. Contrariáque remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Crimina, quæ obſtant promouendis ad Prælaturas, poterunt electores detegere?

Quæro. Quòd poſſint, & qua circumſpectione, poſt D. Thomam, & D. Antonin. explicat Rod. de quæſtionib. Regular. tom. 2. quæſt. 53. artic. 3. pag. mihi 157.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si electio eſſet publicata poſt ſerutinium, & electores nollent perficepoſſéntne ad id cogi ad inſtantiam electi abſque nota ambitionis?

R E S P. Poterunt, cap. publicato. de elect. & cap. cupientes. §. 1. eod. tit. in 6. Gemin. conſ. 85. num. 13.

X I.

COpioſus in miſericordia Dominus, & infra pag. 498. Bullarij. *Edita Anno 1585.*

C O M P E N D I V M.

Alexander V I. generale Studium Valentiæ inſtituit, ſed ob redditũ tenuitatẽ profectum non habuit. §. 2. Vniuerſitas Valentiæ ſupplicat pro vnione vnius Præpoſituræ vacantis. §. 3. Hic Pont. concedit. §. 4. Eligendi Rectorem Studij formam præſcribit. § 5. Et admiſſionis Lectorum. §. 7. Eorumdem prouentus, & munus declarat. §. 8. & ſeqq. Archiepiſcopo, & quibuſdam alijs Officialibus dat facultatem deſuper condendi ſtatuta. §. 10. Clauſulas huic conceſſioni præſeruatiuas apponit. §. 11. Clauſulámque, *Sublata*, &c. §. 12. Executores deputat. §. 13. Obſtantibus derogat. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Filius accedens ad huiuſmodi Studium, poſſet patrem cogere ad ſumptus ſibi ſubminiſtrandos?

R E S P. Diſtinctione opus eſt, vt Bart. & aliorum opiniones conciliẽtur, quam accipe ab Horat. Lut. de priuileg. Scholar. priuileg. 16. per tot.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Studia generalia, ſeu Collegia Studiorum generalium, ſpecialiſne aliquo indulto à Concilio Tridentino donata fuerunt?

R E S P. Primum perlege in ſeſſ. 7. cap. 13. in fin. aliud in ſeſſ. 14 cap. 5. alterum in ſeſſ. 23. cap. 6. & aliud c. 9. ſeſſ. 25.

X I I.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 502. *Item*; Laudabilis Sedis, & infra pag. 503. Bullarij. *Edita Anno 1585. & 1586.*

C O M P E N D I V M.

Collegium Notariorum Sedis Apoſtolicæ de numero participantium, à Clemen. I. Anthero I. & Iulio I. ad res Martyrum, & quæcumque ad Eccleſiam pertinent, deſcribenda inſtitutum, quod eſt in numero ſeptem, extendit ad alios quinque. §. 1. & 2. Omnéſque iiſdem gratiis, & præeminentiis pariformiter exornat. §. 3. Anouũmque redditum aſſi

aſſignat. §. 4. Et in ſubſeq. Bulla pro dictis ſeptẽ Notariis eorum priuilegia certo modo comprobat. §. 2. Eiſdem facultatem doctorandi concedit. §. 3. Tabelliones creandi. §. 4. Spurios legitimandi. §. 5. Statuta pro regimine Collegij condendi. §. 6. Eoſdem familiares, Prælatóſque domeſticos declarat. §. 7. Panem, veſtes, & locum in caualcatis aſſignat. §. 8. Literas Apoſtolicas gratis pro eis expediri iubet. §. 9. Emolumenta eiſdem præſeruat. §. 10. Licentiam teſtandi etiam de acquiſitis ex bonis Eccleſiaſticis pro ducatis bis mille, concedit. §. 12. Eximit à iuriſdictione Ordinariorum. §. 13. Creandíque vnum Notarium, abſque ipſis competentibus, facultatem tribuit. §. 14. Locum in Signaturis, in Conſiſtoriis publicis, Canonizationibus, & Capellis aſſignat. §. 15. & ſeqq. Monetas Coronationis eis dari præcipit. §. 19. Papæ quandoque ſeruiant. §. 20. Pontificalibus, & Altari portatili quando vtantur. §. 21. & ſeq. Notarij etiam dimiſſo officio vt remaneant. §. 23. Executores huius priuilegij dantur. §. 24. Contraria tolluntur. §. 25. Exemplis huius Conſtit. fides detur. §. 26.

Scholion primum.

Quæro. Facultas doctorandi, de qua in §. 3. præiudicat ſimili priuilegio per Iulium III. in ſua Conſt. 6. de qua ſup. tom. 1. elargito Aduocatorum Conſiſtorialium Collegio?

R E S P. Non, ſed illud attenditur, & Collegium Aduocatorum tantùm in Vrbe doctorare valet vigore dictæ Bullæ Iulij III. vt in puncto ſic diffiniuit Rota in deciſ. Seraphin. 1271. per totam, vbi ſubdit, quòd omnis diſputationis ſcrupulus ceſſat ex noua huius Pont. conceſſione, eiſdem Aduocatis ab iſtomet Pont. poſtea facta infra in Conſt. 62.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Pronotarius aliunde aliam exemptionem haberet, poſſet hac etiam exemptione vti?

R E S P. Poſſet, quia ſic expreſsè decidit hic Pont. in diplomate per Genitorem meum in rubr. huius Bullæ indicato, vbi ſubdit, quòd poſſit etiam alteri in totum, vel partem donare, vendere, vel alienare.

XIII.

EX ſupernæ, & infra pag. 506. *Item*; Diuinæ charitati, & infra pag. ead. Bullarij. *Edita Anno 1585. & 1586.*

COMPENDIVM.

Refert, B. Franciſcum Ordinis Fratrum Minorum inſtitutorem, miraculis clarum, & à Gregorio IX. in eius Conſt. 2. de qua ſup. tom. 1. Sanctorum catalogo adiunctum fuiſſe. §. 1. Ad decorandum Eccleſiã Aſſiſienſem in qua illius corpus requieſcit, hic Pont. dicti Ordinis profeſſor, Chordigerorum Archiconfraternitatem erigit. §. 2. Indulgentiam pro die ingreſſus Confratribus, Chordam à Superioribus dicti Ordinis benedictam deferentibus elargitur. §. 3. Necnon alias Fratrum Conuentualium, & Archiconfraternitatis Confalonis B. MARIÆ Virginis. §. 4. Generali Miniſtro Conuentualium dat facultatem in Eccleſiis Conuentualium Capuccinorum, & de Obſeruantia, alias aggregandi Confraternitates. §. 5. Eam caput aliarum inſtituit, in §. 1. ſubſeq. Conſtitut. Indulgentias Fratrum Minorum Confratribus elargitur. §. 2. & 3. Et non Confratribus alias concedit. §. 4. Et facultatem aggregandi iteratò tribuit. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quòd etiam Fratres de Obſeruantia, de quibus hæc Bulla non loquitur, huiuſmodi Confraternitates erigunt?

R E S P. Hic idem Pont. deinde hanc facultatem Confraternitates inſtituendi dedit Miniſtro Generali de Obſeruantia in toto Ordine de Obſeruantia, & Commiſſario Generali in illa familia, cuius fuerit, vbi non ſunt Conuentualium Confraternitates erectæ, vel eorumdem Monaſteria. Et de hac conceſſione meminit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 58. artic. 1. vbi Bullam deſcripſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad conſequendas Archiconfraternitatis, aut aliarum Confraternitatum indulgentias, quæ peragere debeo?

R E S P. Chordam à Superioribus Or-

Ordinis

dinis benedictam deferre, & in Confraternitates ingredi, in librisque ipſorum deſcribi, cùm nil aliud Confratribus iniunctum videatur, præter ea, quæ requiruntur in ipſo opere, propter quod indulgentia conceditur, vt notiſſimum eſt, & inquit Rod. in loco præcit.

X I V.

Edita Anno 1585.

CVm aliàs conſiderantes artem lanæ,& infra pag. 507. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ex arte lanæ omnis generis perſonæ viuere poſſunt, quam ideo hic Pont. in Vrbe introducere,aut renouare cupiens, Cardinalem Sanctacrucium deſuper deputauit, in proœm. Qui cum dicta arte conuenit, quòd Camera Apoſtolica mutuet arti ſcuta decem millia.§.1. & 2. Aliáque bis mille donet. §. 3. Et ſtatuta artis confirmet.§.4. Præferátúrque mercatores huius artis in bonis debitorum, ſicut mercatores Ripæ.§. 5. Et Conſules huius artis ad triennium confirmentur. §. 6. Pecuniáque prædicta apud eos exiſtat. §. 7. Et Conſules artis in pœnis afflictiuis vtantur conſilio Aſſeſſoris.§.8. Et è conuerſo Conſules dent lanam omnibus huic exercitio vacantibus. §. 9. Certámque pannorum quantitatem quotannis conficiant. §. 10. Hic modò Pont. prædicta omnia comprobat. §. 11. Concedit Conſulibus dictæ artis cognitionem cauſarum eius, etiam contra Hebræos. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Si mercator lanæ decedat, & hæredes mercatorum non continuent, ſpectabitne cauſa hæredum volentium agere pro creditis hæreditariis ad iſtos Conſules artis?

R E S P. Negatiuè hanc quæſtionem reſoluit Fulgoſ. in conſ. 105. num. 1. & ſequitur Tuſc. concluſ. 219. in verb. mercator, numer. 7. loquens de ſimili priuilegio mercatorum Brixiæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis mercator agat,& reus petat eius libros exhiberi, tenebitur idem reus declarare an velit eis ſtare in totum, vel in partem?

R E S P. Teneri deciſum eſt in Senatu Delphin. vt in deciſ. 60. Franc. Marc. lib. 1. ſub num. 6. vbi ſubdit, quòd reus ſimpliciter huic interrogationi reſpondere debet, alioquin ita Conſules pronunciare poſſunt. Rota Genuæ deciſ. 49. numero 2.

X V.

Edita Anno 1585.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 508. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Romani Pontifices antiquiſſimis temporibus inſtituerunt, quòd Epiſcopi, & Primates, præſcriptis temporibus, limina Apoſtolorum Petri & Pauli de Vrbe ſe viſitaturos iureiurando promitterent. §. 1. Sed hæc Conſtitutio variis de cauſis valde refriguit. §. 2. Hic itaque Pontifex decernit, vt Epiſcopi, & Primates ordinandi, etiamſi Cardinales ſint, antequam conſecrationis munus, aut Pallium de corpore B. Petri ſumptum ſuſcipiant, vel ſi ad aliam Eccleſiam tráſferantur, antequam illius adminiſtrationi ſe immiſceant, Beatorum Petri & Pauli limina ſe viſitaturos, & de eorum Paſtorali officio, & ſtatu Eccleſiæ, & Cleri, & populi ſui rationem Romano Pontifici ſe reddituros, ac mandata Apoſtolica diligentiſſimè ſe executuros iurent. §. 3. Et legitimè impediti per Nuncium hæc adimpleant. §. 4. Hortatur Principes, vt opera ipſorum Epiſcoporum, aut aliorum à Sede Apoſtolica pro eorum ditionibus, & cum ſanctæ Religionis cauſa coniungendis ſuffragia petant. §. 5. Italos, & alios ex Inſulis adiacentibus quolibet tertio anno, cæteros autem aliis præſcriptis temporibus dicta limina viſitare præcipit. §. 6. Hanc legẽ ad Antiſtites etiam iam ordinatos extendit.§.7.Inobedićtibus pœnas imponit.§.8. Contrariiſque derogat.§.9.

Scholion primum.

Quæro. Quorum Pontificum ſunt inſtitutiones viſitandi limina Apoſtolorum, de quibus in §. 1.

R E S P. Anacleti,& Zachariæ,c.4.diſtinct. 93. & ibi Turrecrem. in princip. Baron. in Martyrolog. die 29. Iunij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Papa ab Vrbe abſente, dicentúrne limina Apoſtolorum eſſe, vbi ipſe commoratur?

Resp. Ita ſanè, vt probat tex. in cap. 4. de iureiur. in fin. vbi hoc idem tenet Innoc. & Panormit. num. 6. & ſequitur Franc. in cap. 2. de priuileg. in 6. num. 3. Et probatur hic in §. 4. dum venientes ad limina de officio Paſtorali Papæ rationem reddere tenentur.

XVI.

Edita Anno 1585. SAncta Romana vniuerſalis Eccleſia, & infra pag. 510. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Nicolai de Tolentino, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſoris, ſanctitas vſque ad Indos Occidentales diffuſa eſt. §. 1. Eius ergo Canonizatio ab Innoc. VI. & Ioan. XXII. tentata, & ab Eug. IV. perfecta fuit, vt in eius Conſtit. 27. de qua ſup. tom. 1. §. 2. Poſt eius Canonizationem, dirum Eccleſiæ ſchiſma, eius meritis, & interceſſione ſublatum fuit. §. 3. Hic Pont. eius feſtum duplici officio Confeſſorum non Pontificum celebrari iubet. §. 4. Prælatis, vt hoc faciant obſeruari præcipit. §. 5. Fidem tranſumptis huius Bullæ dari mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. S. Nicolaus oriundus eſt de Caſtro Sancti Angeli Firmanæ diœceſis, cur nihilominus de Tolentino nuncupatur?

Resp. Quia diuinæ vocis oraculo ſibi prædictum fuit; *Tolentini, Tolentini, Tolentini erit finis tuus. In ea vocatione, qua vocatus es, permaneas, in ea namque erit ſalus tua.* Vnde intelligens ſe Tolentini moriturum, eò reuerſus triginta annis illic degens aſperam vitam duxit, & in Domino obdormiuit, vt refert Sur. in vita ipſius Sancti.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vltimum Eccleſiæ ſchiſma, de quo in §. 3. quo tempore poſt Canonizationem S. Nicolai extinctum fuit?

Resp. S. Nicolaus anno Incarnationis Dominicæ 1446. aliàs 1447. canonizatus fuit: ſchiſma verò ſublatum anno 1449. Friderici Imperatoris precibus Felix V. Antipapa Pontificatu ſe abdicauit, & pax Eccleſiæ reddita fuit. Quamobrem à Nicolao V. Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Collegij Cardinalium Decanus, perpetuúſque Germaniæ Legatus creatus fuit, vt poſt alios refert Ciacon. de vit. & geſt. Pontif. in vita Eugenij IV. ad finem, & legitur in vita Nicolai in Concilijs generalibus relata.

XVII.

Edita Anno 1585. CÆli, & terræ creator Deus, & infra pag. 510. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat nefanda mala artis Magicæ, Necromantiæ, Aſtrologiæ iudiciariæ, & ſimilium. §. 1. Quibus extirpandis Ordinarij non plenè ſatisfecerunt. §. 2. Eam ergo prohibet, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, & aduerſus contrauenientes etiã id certò non affirmare afferentes, ab Ordinarijs, & Inquiſitoribus ſeueriùs canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduerti iubet. §. 3. Libróſque de his tractantes retineri vetat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Num prohibitio Aſtrologiæ iudiciariæ liget etiam in foro conſcientiæ interiori eos, qui aſſerunt, aut proteſtantur id certò non affirmare, vt in §. 3.

Resp. Controuerſa videtur iſta quæſtio, cùm pro negatiua Soar. Valent. & Martin. del Rio; pro affirmatiua verò Sanc. necnon Sola, & Graff. allegentur à Farinac. de Hæretic. quæſt. 181. §. 1. ſub num. 59. cum quibus ipſe tranſire videtur, & ego etiam, quia perlegi Soar. in loco per Farinac. citato, qui probat in hac prædictione reperiri culpam, ſaltem ratione ſcandali, & prohibitionis Eccleſiæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur illam proteſtationem, & declarationem non obſtare voluit hic Pontifex?

Resp. Ratio eſſe poteſt (vltra iam proximè dictam, vel quia etiam ille modus prænunciandi futurus eſt pernicioſus Reipublicæ, cùm eadem incommoda, & vanæ inueſtigationes ex illa ſequantur: vel quia ſemper præſumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, & diuinationem: vel certè quia eſt etiam vera diuinatio, prout inquit Soar. vbi ſuprà tom. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 11. num. 30.

XVIII.

Digitized by Google

X V I I I.

Edita Anno 1586. IMmenſa diuinæ Sapientiæ altitudo, & infra pag. 512. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Antonij de Padua laudes, & merita recenſet. §. 1. Eiúſque Canonizationem refert. §. 2. Et eiuſdem feſtum die 13. Iunij duplici minori, & proprio officio quotannis celebrari, & in Calendario inſcribi iubet. §. 3. Et vbi maior eſt eius feſti celebritas, eam retineri decernit. ibid.

Scholion primum.

Quæro. Eſt ne verum, in prædicando Dei verbo Sanctum Antonium ſui admirationem commouiſſe?

RESP. Tantam fuiſſe, vt eum Summus Pontifex aliquando concionantem audiens, Arcam Teſtamenti appellauerit, vt habetur in lectione 5. ſui proprij officij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne hæc feſtiuitatis inſtitutio nouiter ab iſto Pontifice inducta?

RESP. Non, illam ſiquidem inſtituerat Gregorius IX. in eius Bulla 4. de ipſius Canonizatione edita in §. 3. vt ſuprà, quod aduertit etiam Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 68. art. 5.

X I X.

Edita Anno 1586. SI cunctas per Orbem terrarum, & infra pag. 513. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bonifacius VIII. ſtatuit, in quibuſcumque locis ad Eccleſiam Lateranenſem de Vrbe ſpectantibus loca pia erigi poſſe, illáq; ſub mero, & mixto imperio, & diſpoſitione Capituli, & Archipreſbyteri dictæ Eccleſiæ extare. §. 1. Pius IV. in Conſt. ſua 57. de qua ſup. reuocauit. §. 2. Hic Pont. illud indultum renouat, ſi accedat licentia Ordinariorum, & quòd loca erigenda cum perſonis eorum iuriſdictioni ſubiaceant. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hoc indultum Bonifacij VIII. intelligitúrne etiam de ædificandis in fundis poſt indulti conceſſionem acquiſitis?

RESP. Non, ſecundùm opinionem Calderin. qui conſulendo in terminis huius priuilegij ſic illud, tanquam exorbitans à iure communi, reſtringit in conſ. 12. de priuileg.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tota ergo Conſtitutio iſta ſtrictè eſt intelligenda?

RESP. Non in §. 3. quia conſonat iuri communi, quo de Epiſcopi licentia Eccleſias ædificare permittitur. cap. nemo. 9. de Conſecr. diſt. 1. vbi gloſ. & Archid. adducunt concord.

X X.

PRo ea, quam præcipuam gerimus, & infra pag. 514. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Paulus III. & Iulius III. Fratribus Minoribus de Obſeruantia, ad Fratres Capuccinos trãſire vetuerunt abſq; ſuorum Generalium, vel Prouincialium licentia in ſcriptis. §. 1. Hic Pont. Capuccinis, ne illos recipiant, & illis, ne ad eos tranſeant ſub quouis habitu, vel cauſa, abſque Pontificis licentia, interdicit. §. 2. Capuccinis contrauenientibus pœnam excommunicationis, & priuationis dignitatum, & officiorum imponit. §. 3. Receptionéſque irritat. §. 4. & ſeqq. Contrariiſque omnibus derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore Paulus III. prohibitionem, de qua in §. 1. edixit?

RESP. Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 52. articulo 22. ſcribit, hunc Paulum primò id vetuiſſe anno 1537. & deinde annò 1541. Sed ego primam nuſquam perlegi: ſecundam verò, in qua illius continentia recenſetur, in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruatam vidi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iulius III. enunciatus in §. 1. quam deſuper Conſtitutionem edixit?

RESP. Rod. in loco cit. ſcribit, Iulium III. anno 1550. Pauli III. Conſtitutionem innouaſſe, declarando talem receptionem, ſeu profeſſionem ſine licentia Superiorum eſſe nullam, & Capuccinos, ſi illos recipiant, Eccleſiaſticas cenſuras incurrere; ibíque de hac Sixti V. Conſtitutione meminit.

Digitized by Google

XXI.

Edita Anno 1586. DVm ineffabilia meritorum inſignia, & infra pag.515. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. MARIÆ Virginis merita, & laudes refert, in princ. Pſalterium, ſiue Roſarium eiuſdem B. MARIÆ Virginis, antiquum orandi modum à B. Dominico inſtitutum fuiſſe. §. 1. Sodalitatibúſque dicti Roſarij quamplures Pontifices gratias multas conceſſiſſe. §. 3. Quas ipſe Pontifex confirmat. §. 4. Facultatem inſtituendi has Sodalitates Miniſtro, & Vicario generali, & deputandis per eos tribuit. §. 4. Quibus ſic erectis omnes aliarum Roſarij Confraternitatum gratias communicat. §. 5. Indulgentiáſque multas elargitur. §. 6. Contraria omnia remouet. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cur hoc Pſalterium, Roſarium quoque nuncupatur?

RESP. Quia ſicut Roſarium continet multitudinem Roſarum, & eas tractantes ſuauiter lætificant: ita iſta oratio continet orationem Dominicalem & ſalutationem Angelicam, quæ repetitæ miram, ſuauémque lætitiam pariunt illis, qui ſic orando, Virginem Matrem quaſi præſentem attenta,& deuota mente alloquuntur, ſalutant, & orant, vt ſcribit Nauarr. de Orat. miſcell. 24. ſub num. 17. vbi aliam quoque rationem ſubnectit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ordinationes à Fratribus Roſarij obſeruandas quis me edocebit?

RESP. Nauar. eruditè omnia explicat in loco proximè cit. miſcell. 25. num. 21. & ſeqq.

XXII.

Edita Anno 1586. PIa Sanctorum Patrum prouidentia, & infra pag. 516. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recenſet S. Ianuarij, & ſociorum merita, & laudes. §. 1. Eorum feſtum ſimplici officio de Communi plurimorum Martyrum die 19. Septembris quotannis agi iubet. §. 2. Prælatis omnibus huius Bullæ publicationem, & obſeruantiæ curam delegat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Horum Sanctorum Martyrum acta vbi perlegere potero?

RESP. In Lectionibus de eis diuini Officij currentis, & in lib. 5. Surij de vitis Sanctorum, ſub hac die 19. Septembris,ac in Martyrologio Baronij ſub eadem die.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod fertur, Neapolitanos (in quorum Ciuitate ſancti Ianuarij corpus his temporibus aſſeruatur, magnáque veneratione colitur) à Gilulphi Principis Beneuentani obſidione eiuſdem S. Ianuarij ope liberatos fuiſſe?

RESP. Accipe à Baronio in Annalib. Eccleſiaſt.tom.11. pag. mihi 453. ſub litera D, ſecundùm impreſſionem Romanam, quia eius verba hic referre nimis eſſet onerosum.

XXIII.

EGregia populi Romani pietas, & infra pag.517. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Enarrat, Stationum Romæ conſuetudinem antiquiſſimis temporibus introductam, in princ. Subdit, eam adhuc retineri. §. 1. Præſertim in ſeptem Eccleſiis celeberrimis. §. 2. Apud quas Pontificiæ Capellæ iam celebrari conſueuerant. §. 3. Quas hic Pont. modò innouat. §. 4. Viáſque publicas ad eas aperuit. §. 5. Et loco Eccleſiæ S. Sebaſtiani ad hoc incommodæ, Eccleſiam B. MARIÆ de Populo ſubrogat. §. 6. Quo autem tempore in qualibet earum Capella Pōtificia habenda ſit, declarat. §. 7. Alias quoque Capellas certis aliis feſtiuitatibus Sanctorum in earum Eccleſiis inſtituit. §. 8. Aliámque huiuſmodi Capellam in Eccleſia S. Sabinæ prima die Quadrageſimæ teneri, & Cineres à Pontifice benedici, ac ſpargi ſtatuit. §. 9. Chriſti fideles, vt tempore Quadrageſimæ conuertantur in lacrymis, & ieiunio ad Dominum, hortatur. §. 10. Stationaléſque Eccleſias verè pœnitentes, caſtéque, & piè viſitent. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Capellam cur ſic dictā putas?

RESP. Nonnulli credunt à capiendo populos, vel laudem, alij à cappa; quæ

quæ tegumentum ſignificat, vt ſcribit Præpoſitus in cap. Presbyter. 9. diſtinct. 23. num.6. ac Baron. in Martyrolog. Rom. ſub die 11. Iunij. Et vterque eorum meminit, Francorum Reges Cappam S. Martini deuotionis cauſâ ad prælia procedentes ſecum portare conſueuiſſe. Alij à pellibus caprinis, quibus olim Altaria tegebantur, ſecundùm Præpoſit. vbi ſup. & refert etiam Petrus Greg. in Syntagm. Iur. cap. 29. lib. 15. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. De ſeptem Vrbis ſanctioribus Eccleſiis, de quibus in §. 2. vis quæſo aliquid enarrare?

R E S P. Tractatu, & quidem copioſo opus eſſet. Conſulas igitur Onuphrium Panuinum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini profeſſorem, in ſuo, quem edidit, libello de ſeptem Vrbis Eccleſiis, vbi præclarè ſcitu digna omnia explicat.

X X I V.

Edita Anno 1586. PRo excellenti præeminentia, & infra pag. 518. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Oppidum Lauretanum in Prouincia Marchiæ, toto Orbe terrarum celeberrimum appellat, & pariter Collegiatam Eccleſiam B. M A R I Æ, in qua extat cubiculum miniſterio Angelorum illuc tranſlatum, in quo ipſa nata eſt, & ab Angelo ſalutata, Saluatorem mundi de Spiritu ſancto concepit. §. 1. Illud in Ciuitatem, & dictam Eccleſiam in Cathedralem, & Epiſcopalem erigit. §. 2. Diœceſim deſignat. §. 3. Dotem conſtituit ſcutorum duorum millium. §. 4 Dignitates dictæ Eccleſiæ diſtinguit. §. 5. & 6. Contrariiſque derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Hiſtoriam tranſlationis cubiculi B. M A R I Æ Lauretanæ, de qua in §. 1. quis mihi ad longum enarrabit?

R E S P. Diligenter de ea ſcribit Horatius Turſellinus Romanus presbyter è Societate I E S V, in eo, quem edidit, libello de Hiſtor. Lauret. Romæ cuſo anno 1597.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis primus fuit Epiſcopus huius oppidi Lauretani, Ciuitatis iure ab iſto Pontifice donati, & Epiſcopali ſede decorati?

R E S P. Franciſcus Cantuccius Ciuis Peruſinus, vnus ex Auditoribus Rotæ Romanæ, vt omnes ſciunt, & ſcribit idem Turſellin. vbi ſup. lib. 5. cap. 11.

X X V.

EX omnibus Chriſtianæ, & infra pag. 519. *Item*; Cùm nos nuper, & infra pag. 520. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

C O M P E N D I V M.

Camillus de Lelis, & alij infirmos, & in Hoſpitalibus degentes multifariam iuuare ſtudentes, & etiam tempore peſtilentiæ idem præſtare intendentes, vnâ Congregationem inierunt ſub denominatione Miniſtrantium infirmis, cuius ſpeciale inſtitutum ſit, ſpeciali charitatis feruore infirmis inſeruire. §. 1. Quam hic Pont. ab vno Maiore regendam comprobat. §. 2. Licentiam petendi eleemoſynas in huiuſmodi pium opus exponendas concedit. §. 2. Habitúmque cum Cruce ex craſſiori panno fului coloris à latere dextero. §. 1. ſubſeq. Bullæ. Contraria quæcumque remouet. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Cur in latere dextero hi Religioſi Crucis ſignum deferunt?

R E S P. Quia latus dexterum eſt alio nobilius, & ſicut dextera manu milites validiùs in prælio vtuntur enſe: ita hi Religioſi in dextero latere Crucis ſigno adiuti, validiùs dæmones ab agonizantibus infirmis fugant, vt Prælati huius Cógregationis pluries mihi ſignificarût.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur autem fului coloris?

R E S P. Accepi ab eiſdem, quòd color iſte magis quàm alij omnes colori ligni Crucis Saluatoris noſtri aſſimilatur; & de iſto colore aliqua ſcribit Caſſan. in catalog. gloriæ mundi, conſid. 93. verſ. Fullus color.

X X V I.

QVanta Apoſtolicæ, & infra pag. 520. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Pium V. in ſua Conſt. 35. de qua ſup. Ciuitates, & loca S. R. E. alie-

 nari,

Digitized by Google

nari, & infeudari interdixiſſe, eámque Gregorium XIII. approbaſſe. §. 1. Et ipſe etiam approbat, innouat, & perpetuò obſeruari præcipit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Loca, quæ exiſtunt in aliqua prouincia Status Eccleſiaſtici, dicuntúrne feudalia?

RESP. Feudalia præſumuntur, quouſque contrarium non probetur. Scribb. in clem. 1. de probat. Aym. conſil. 135. num. 42. Rota in deciſ. Putei 314. libro 2. in nouis, num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Bona, quæ ſunt in ipſis locis infeudatis, præſumentur etiam feudalia?

RESP. Non, ſed libera, niſi ex coniecturis aliud ſuadeatur. Gabr. in tit. de feud. concluſ. 3. per totam, Rota in deciſ. Seraphin. 894. in nouis, num. 1. & ſeqq.

XXVII.

Edita Anno 1586. & 1588. CVm benigna Mater Eccleſia, & infra pag. 521. *Item*; Cùm adeò, & infra pag. 524. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inſtitutionem Redemptionis Chriſtianorum captiuorum, ditioni S. R. E. ſubiectorũ, apud Infideles, Gregorius XIII. Archiconfraternitati B. MARIÆ Confalonis de Vrbe delegauit. §. 1. & 20. Illa huic pio operi ſtudere cœpit. §. 2. & 21. Hic Pontifex eam inſtitutionem approbat. §. 3. & ſeq. Facultatem ad hoc eleemoſynas in Statu Eccleſiaſtico perquirendi tribuit. §. 5. Cæteris aliis eam prohibet. §. 6. Redditus quarumdam expeditionum eidem aſſignat. §. 7. Bona emphyteotica ei relinqui indulget. §. 8. Legata ad redimendum captiuos, non tamen pro certa perſona, vel regulari loco in Statu Eccleſiaſtico facta, illi applicat. §. 9. Eccleſiaſticas perſonas tertiam partem ſuorum bonorum eidem relinquere poſſe concedit. §. 10. Ordinarios, & alios hortatur, vt huic pio operi faueát pœnáſque delinquentium in aliqua parte applicent. §. 1. & ſeq. & §. 23. Archiconfraternitati quæſtum eleemoſynarum etiam extra Statum Eccleſiaſticum concedit. §. 22. Contrariis derogat. §. 18. & 25. Tranſumptis credi iubet. §. 19. & 26.

Scholion primum.

Quæro. Hæc redemptio ſitne etiam tempore belli?

RESP. Negatiuè dicendum eſſe, quia Infideles pecuniam, vel quod ſimile ſubſidium inde reportant. Sed contrarium deciditur in cap. Significauit. 11. de Iud. vbi poſt gloſ. ſic firmat Panormitan. num. 1. Felyn. in princip. & Redoan. de rebus Eccleſ. non alienand. rubr. 6. de rer. ſacrar. mob. alien. num. 9. Et ceſſat ratio illius ſubſidij pecuniarij, cùm pro eo perſona redempti commutetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eleemoſynæ pro hoc pio redemptionis opere poſſúntne tutè recipi à minoribus, propterea bona immobilia alienantibus?

RESP. Poſſunt, quia in his alienationibus minores pro maioribus habentur, ad tex. in Auth. Si captiui, vbi Doctores communiter, Cod. de Epiſc. & Cleric. cum ſimilibus, & Bald. Nouell. in tract. de Dote. par. 6. priuileg. 63. cum aliis congeſtis à Simanc. de Decret. tit. 8. inſpect. 11. num. 75.

XXXVIII.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 525. Bullarij. *Edita Anno* 1586.

COMPENDIVM.

Pius V. in ſua Conſtit. 63. de qua ſup. edidit reformationem Fratrum Tertij Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci. §. 1. Eúmque ſuppoſuit Ordini de Obſeruantia. §. 2. Hic Pont. eum reintegrat, quoad electionem Viſitatoris generalis, ad triennium eligendi, decernens Fratres Italiæ eius regimini ſubiacere. §. 3. & ſeq. Ipſúmque Viſitatorem infra duos menſes confirmationem à Miniſtro Generali de Obſeruantia petere debere iubet. §. 5. Miniſtrum prædictum quolibet quadriennio hunc Tertium Ordinem viſitare poſſe, & tam in capite, quàm in membris corrigere indulget. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſeruandum in huiuſmodi viſitatione Regularium?

RESP. Perlege apud Federic. de Sen. conſ. 55. num. 2. & Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt 4. artic. 5. pag. mihi

14. qui

14. qui ad viſitationem hanc principaliter ſpectantia deſcribit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si in viſitatione aliquis vellet impedire Viſitatorem, poterit ab eo puniri, quamuis alias ſuæ iuriſdictioni ſuppoſitus non eſſet?

Resp. Ratione impedimenti efficiuntur ſuppoſiti,& ab eo coërcerentur. c.1.cum ibi not. de offic.Iud.deleg.tradit Feder.de Sen. conſ.145.n. 2. verſ.Ad hoc.

XXIX.

Edita Anno 1586. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 526. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Innoc. VIII. erexiſſe Collegium Secretariorum Apoſtolicorum in ſua Conſt. 12. de qua ſup. tom. 1. §. 1. Et Pium V. confirmaſſe.§. 2.Subdit,temporum ſucceſſu numerum Secretariorum domeſticorum multiplicatum pro Romanorum Pontificum arbitrio. §. 3. Et de præſenti apud eum Canobium Secretarij domeſtici munus exercere, ſed eius curam Collegio reſtituit. §. 4. Vt deputet vnum ex Collegio à Pont. approbandum. §.5. Qui in Palatio manſionem habeat. d.§.5.Vnam ex duabus portionibus ab Innoc. VIII. reſeruatis pro Secretario domeſtico, prædicto Collegio concedit. §. 6. Medietatem emolumentorum,quæ ſeorſum à Collegio percipere conſueuit,eidem Collegio tribuit. §. 7. Ille verò aliis Secretariis rationem, & computa reddat. §.9. Munus eius circa quæ verſetur. §. 10. Collegio dat facultatem deputandi tres Scriptores ad ſcribendum Breuia,& regiſtrandum Bullas ſecretas. §. 11. Emolumenta Collegio aſſignat. §. 12. & 13. Secretarios Doctores poſt annum 25. in habitu Prælatorum incedentes, vtriuſque Signaturæ Referendarios pronunciat. §. 14. Antiquiorem ſingulis Papæ Signaturis interuenire concedit. §. 15. Habitum eorum deſignat, & in Capella locum aſſignat.§. 16. Pij V. conceſſionem approbat. §. 17. Clauſulas præſeruatiuas huic ſanctioni apponit.§.18.Decretúmque irritans.§. 19. Contrariíſque derogat. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Quis erat ſtatus Secretariæ Apoſtolicæ ante dictum Innoc. VIII.

Resp.Erant ſolummodo nonnulli Secretarij domeſtici, quorum opera Summi Pontifices de rebus fidem, & Rempublicam concernentibus tantùm, ad Reges, Principes, Reſpublicas, Ciuitates, Cardinales, Epiſcopos, Prælatóſque abſentes, & alios vtraque via reſcribebant, nempe bullatica,ſub Apoſtolorum Petri & Pauli imaginibus, & alia ſub Piſcatoris ſigillo, breuiori tamen, & quaſi epiſtolari in cera, & quandoque etiam in plumbo, quas literas, vti breuiores, Breuia in diſcrimen Bullarum vſus vocauit. Sed his temporibus cera, & non plumbo Breuia ſignantur. Scribit Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 7. num. 1. & ſeqq. vbi culpa Impreſſoris loquitur de Innoc. VI.

Scholion ſecundum.

Quæro. Secretarij habénne priuilegium, quòd non teneantur ad publicationem ſuarum gratiarum?

Resp. Negatiuè cum Rota, vt habetur in deciſ. 355. Achill. de Graff. vbi habetur etiam ratio huius reſolutionis ſub num. 5.

XXX.

INuictorum Christi Militum numerus, & infra pag. 528. Bull. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

S. Petrus Martyr Ordinis Fratrũ Prædicatorum profeſſor fuit. §. 1. Inquiſitoris hæreticæ prauitatis, & hæreticorum promotor fuit. §. 2. Martyrij coronam ſuſcepit pro Christi fide defendenda. §. 3. Iubet hic Pont, eius feſtum duplici officio celebrari §. 4.

Quæro. Hiſtoriam huius martyrij quis deſcribit?

Resp.Bernardinus Cinus in Hiſtor. Mediolan. par. 2. anno 1273. luculenter enarrat multa ab iſto Martyre pro S. Inquiſitione ſtatuta, & anno 1252. proſequitur factionem hæreticorum, qui ad eum occidendum coniurarunt, cum patientia eiuſdem, & miraculis & cæteris, quæ Martyris obitum anteceſſerunt, & ſubſecuta ſunt. De quo Bernardini tractatu, & laudibus loquitur Pegna in 2. par. Director. Inquiſ. comment. 38. verſ. Illud memoria dignum.

Scholion primum.

*Quæro.*Poſt hãc forſan duplicis officij inſtitu

inſtitutionem conſueuit Romæ in Eccleſia B. MARIÆ ſupra Mineruam Fratrum Prædicatorum,ſolemnis quotannis celebrari Capella a Reuerendiſſimis DD. Cardd. Inquiſitoribus generalibus, & alus S. Inquiſitionis Officialibus?

RESP. Non, ſed antea anno 1560. ex inſtituto Pij V. Summi Pontificis, qui vnus ex Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus fuerat, teſte Pegna vbi ſuprà.

XXXI.

Edita Anno 1586. AD clauum Apoſtolicæ ſeruitutis,& infra pag. 529. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat, primo ſui Pontificatus anno abſque alicuius oneris impoſitione decies centena millia nummorum aureorum collegiſſe. §. 1. Et nunc ea reponit in Arce Sancti Angeli pro Sedis Apoſtolicæ præſidio, Deóque & Beatæ MARIÆ,ac Apoſtolis Petro & Paulo dicat, indéque promi vetat. §. 2. Vouet id ſeruaturum, & hoc iuramentum ſucceſſores etiam ligare decernit. §.3.Exemplum ſubdit de amouente pecuniam ab ærario Templi Dei. §. 4. Caſus quoſdam excipit,& ad alios extendi prohibet §.2.& 5. Pecuniam iis caſibus acceptam quamprimùm reponi iubet. §. 6. Claues ſex pro eius aſſeruatione haberi præcipit. §. 7.Præfectum dictæ Arcis iurare mandat, non permiſſurum pecuniæ amotionem, non obſeruata forma huius Bullæ. §. 8. Contrarium attentantibus pœnas imponit. §. 9. Cardinales omnes huius Bullæ obſeruantiam iurare mandat. §. 10. In Conclaui Cardinales hoc idem, & Pontificem poſt coronationem iuramento promittere decernit. §. 11. In Conclaui hanc ſanctionem legi iubet. §. 12. Eius tranſumptis credi decernit. §. 13. Contra ſucceſſorum in Pontificatu, & Cardinalium conſentientium poſteros, ad quos eorum bona deuenerint, agi mandat. §. 14. Sanctionem pœnalem apponit. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Theſaurus, de quo in §.4.fuítne perpetuò in Templo Dei?

RESP.Frequens de Gazophylacio fit mentio in ſacra Scriptura, ex quo perpetuò in Eccleſia Dei theſaurum ex pretioſis muneribus, oblationibus,veſtibus, vaſis, & pecuniis conflatum, & conſeruatum fuiſſe conſtat. Ita poſt alios ſcribit Petrus Greg. in 2. par. Syntagm. Iur. lib. 15. cap. 39. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Antiquis forſan temporibus dicabatur Deo noſtro theſaurus, vt hic. in §. 2.

RESP. Accipe ex Ioſue cap. 6. eiuſdem Ioſue, qui populum Iſraeliticum probè rexit in expugnatione Hierico decretum. *Quicquid auri, & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius.* Et alia eiuſmodi exempla deſcribit idem Petrus Greg. vbi ſuprà.

XXXII.

REligioſos viros, qui, & infra pag. 532. Bullarij. *Edita Anno 1586. & 1587.*

COMPENDIVM.

Quia in Monaſterio Monachorum S. MARIÆ Fullienſis,Ordinis Ciſterciēſis ſtrictior Regulæ obſeruantia Monachorum S. Benedicti Ordinis Ciſtercienſis introducta eſt. §. 1. Hic Pont.eam approbat. §.2.Et à nemine impediri decernit. §. 3. Cognitionem dubij circa eiuſmodi viuendi formam oriundi ſibi reſeruat. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quis huius ſtrictioris obſeruantiæ promotor fuit?

RESP. R. P. Ioannes della Barriera Abbas in dicto Monaſterio S. MARIÆ Fullienſis, Riuenſis diœceſis in Gallia, vir quidem multarum virtutum, & pietatis, atque charitatis cultor fuit,obiítque Romæ anno 1600. & eius ſepulchrum in Eccleſia Sancti Bernardi Monachorum huius Congregationis cernitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba §. 1. *in veſtro Monaſterio,* & paulò infra, *vſque Religionis,& pietatis*, obſcura ſunt, cùm in exordio Bullæ omiſerit Genitor tuus cui illa dirigitur, de quibus ergo intelliguntur?

RESP. Intelliguntur de dicto Ioanne della Barriera, Abbate commendatario Monaſterij B. MARIÆ Fullienſis, Ordinis

Ordinis Ciſtercienſis viro quidem nobili ex prouincia Vaſconiæ in Gallia, qui poſt promotam ibi per eum reformationem huius Congregationis, Ioannes de S. Benedicto vocitatus fuit, vt de his omnibus nonnulli eius alumni mihi teſtati ſunt. Sed culpa impreſſorum fuerunt prætermiſſa illa verba, *Dilecto filio Ioanni*, &c.

XXXIII.

Edita Anno 1586. CAmeræ noſtræ Apoſtolicæ, & Collegij, & infra pag. 534. Bull.

COMPENDIVM.

Approbat Conſtitutiones à Paulo II. III. & IV. & Pio V. editas ſuper ſolutione Annatarum communium, & quindenniorum de beneficiis Eccleſiaſticis debitorum Reu. Cameræ Apoſtolicæ. §. 1. Eas extendit ad quæcumque beneficia etiam per Ordinarium quomodolibet vnita, quamuis ſint Monaſteria Monialium, & Hoſpitalia, quæ tamen tempore ipſarum vnionum cura, & Conuentu, vel hoſpitalitate caruerint. §. 2. Contrariis quibuſcumque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Apud quem veram ſcientiam, & practicam videre poſſem de materia Annatarum communium, & quindenniorum?

RESP. Cæteris ſcriptoribus magis propriè, & eruditè terminos, & practicam huius materiæ docet Galleſ. in ſuo Tractat. de Annat. vir quidem doctrina, & Romanæ Curiæ negotiorum, & cauſarum experientia inſignis communi Curialium ſententia enunciatus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quod hic dicitur de Monaſteriis, & Hoſpitalibus, vt regulariter nõ ſoluant quindennia, vel annatas, habétne locum etiam quoad illos, quibus ſuper eis aliqua penſio reſeruatur?

RESP. Soluendas eſſe tradit Galleſ. vbi ſuprà ſub num. 30. verſ. Ex huius regulæ, vbi hoc ampliat procedere, etiamſi penſio reſeruaretur alicui Moniali, & deinde declarat, quæ taxa ab his de penſionibus prouiſis ſoluenda ſit.

XXXIV.

Edita Anno 1586. POntifex Romanus primarias, & infra pag. 534. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plures Romani Põtifices Ordini Monachorum Sancti Benedicti pleraque priuilegia elargiti ſunt. §. 1. Gregorius IX. ſpecialiter iuſſit in electione Abbatis nullum Epiſcopum, aut aliam perſonam ſe intromittere. §. 2. Innoc. IV. Ordinem exemit à iuriſdictione Epiſcoporum. §. 3. Sixtus IV. Commendatariis quædam vetuit. §. 4. Innoc. VIII. differentiam habitus interdixit. §. 5. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. alia Commendatariis prohibuerunt. §. 6. Alij Pontifices alias gratias Ordini dederunt. §. 7. Hæc omnia hic Sixt. V. comprobat, dummodo ſint in vſu, & Concilio Tridentino non contraria. §. 8. Clauſulas huius Conſt. præſeruatiuas apponit. §. 9. Decretum irritans addit. §. 10. Executores deputat. §. 11. Contraria non obſtare voluit. §. 12. Exemplis huius Conſtitutionis credi iubet. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Ampla forſan eſt exemptio, de qua in §. 3.

RESP. Baldus in conſ. 337. lib. 4. incip. Super puncto, inquit eſſe adeò amplam, vt conceſſa per Papam iuriſdictione in exemptos etiam Legato natiuo, non comprehendantur Ciſtercienſes, ſi non ſunt ſpecificè nominati; & cum Baldo ſtat Tuſc. in verb. Regulares, concluſ. 462. num. 5.

Quæro. Hæc ampla exemptio ab Innoc. IV. conceſſa, vt dicitur in §. 3. comprehendit etiam illos tres caſus exceptuatos in cap. 1. de priuileg. in 6.

RESP. Non comprehendit, etiam quod dicto cap. 1. ſpecificè derogaret, vt perbellè probat in puncto iſtius priuilegij Geminian. videndus in conſ. 72. num. 1. verſ. Contrarium, & num. ſeq. cui conſilio omnes DD. Bononiæ ſe ſubſcripſerunt, teſte eodem Gemin. in d. cap. 1. §. in eos. num. 9. Idémque tenet Franc. in eod. cap. 1. num. 1. & ſeq.

XXXV.

EA eſt Congregationis Eremitarum, & infra pag. 513. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Strictior eſt obſeruantia Congregationis Monachorum S. Romualdi Montis

Digitized by Google

Coronæ, Ordinis Camaldulenſis, cæteris aliis in Italia, in princ. Vnde aliqui minus fortes ad alios Ordines tranſeunt. §. 1. Papa igitur huius Congregationis indultum recipiendi alios ex aliis Ordinibus ad eum tranſeuntes, approbat. §. 2. Ipſis verò ad Eremum Camaldulenſem tranſire vetat. ibid. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 3. Maiorem eorum contra eos procedere poſſe decernit. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Tranſiens quis ad hanc Congregationem, poterit ſecum deferre habitum prioris Ordinis, vnde diſcedit?

RESP. Poterit ſecum deferre habitum, quò commodè tranſire poſſit, quia conceſſo vno, id omne cenſetur conceſſum, ſine quo fieri nequit, vt in noſtris terminis ſcribit Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 79. art. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi vellet ſecum deferre etiam ſcripta, quæ fecit in priori Religione?

RESP. In facti contingentia anno 1615. in Curia Illuſtriſſimi D. Vicarij Vrbis ab eius Viceſgerente permiſſam fuiſſe ſcio cuidam (à Fratribus Reformatis S. Franciſci in Ciuitate Tuſculana ad Capuccinos tranſlato, habito priùs verbo cum Sanctiſſimo) delationem ſcriptorum, quæ priori Religioni veriſimiliter futura erant inutilia; & tunc fuit allegatus Rod. quem perlegi vbi ſuprà.

XXXVI.

Edita Anno 1586.

CÆleſtis Pater ad hoc nos, & infra pag. 536. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vniuerſitas artis Piſtorum Vrbis, cui nonnullas gratias Leo X. & Iulius III. conceſſerunt, ſupplicarunt Papæ pro vberiori prouiſione. §. 1. & ſeqq. Qui eas primùm confirmat. §. 5. Iuriſdictionem Conſulibus dictæ artis in cauſis vſque ad ducatos triginta auri de Camera, ratione rerum ad artem ſpectantium, contra quaſcumque perſonas ſæculares concedit. §. 6. Et in aliis ab inde ſupra Præfecto Annonæ tribuit. ibid. Piſtores ratione panis creditores non venire in diſcuſſione, ſed cæteris creditoribus etiam habentibus obligationem Cameralem, anteriores eſſe decernit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Cœpta diſcuſſione, & conſignata pecunia vni ex creditoribus ſub cautione de reſtituendo potioribus creditoribus ſub obligatione Camerali, ſi ſuperuenerit Piſtor, & obtineat ſibi illam reſtitui, vti potiori, condemnatus autem appellat, poterit non obſtante obligatione Camerali appellare?

RESP. Videtur poſſe, quia an Piſtor ſit potior nō legitur in obligatione, ſed potioritas eſt poſita in conditione, quæ propterea venit verificanda per rem iudicatam, niſi in obligatione addatur clauſula (*& ad omne mandatum Domini.*) Marcheſan. de commiſſ. part. 1. cap. 16. num. 96. ſecundùm impreſſionem Romæ de anno 1604. fol. mihi 176. & ita practicatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ageret Piſtor, ſi Iudex diſcuſſionis pecuniam abſque cautione alicui ex creditoribus poſterioribus conſignaſſet?

RESP. Non poterit ab eo auocare, iuxta deciſ. Afflict. 190. quam ſecuta eſt Rota in deciſ. Seraphin. 1074. num. 3. in nouis, vbi tamen ponit duas limitationes, quæ ad tuum quæſitum minimè aptantur.

XXXVII.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 537. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Volens Sixtus Archiconfraternitatem Confalonis de Vrbe, ab expenſis litium releuare, dat facultatem Cardinali illius Protectori ſpecialem earum Iudicem deputandi. §. 1. Cui facultatem tribuit ſummariè eas cognoſcendi. ibidem. Et in Curia, & extrà citandi, & inhibendi. §. 2. Contradictores coërcendi. §. 3. Ab eius ſententiis ſemel tantùm, & deuolutiuè ad alium Iudicem per Protectorem deputandum, appellatio datur. §. 4. In cauſa diſcuſſionis Archiconfraternitas ſuum creditum cōſequatur data cautione, &c. §. 5. Iudex procedit ſingulis diebus, & horis in honorem Dei non feriatis. §. 6. Notarium deputat. §. 7. Eius citationes etiam

Digitized by Google

etiam à Mandatariis exequantur. §. 8. Eiuſdem mandata omnis Curia exequitur. §. 9. Redempti à captiuitate, & puellæ ab Archiconfraternitate dotatæ, ſunt ſub eius iuriſdictione. §. 10. Præfectus Signaturæ, Regénſque, & Referendarius non ſignent commiſſiones contra formam huius Bullæ. §. 14. Iudex Archiconfraternitatis cogat omnes Notarios ad exhibendũ inſtrumenta concernentia intereſſe Archiconfraternitatis, vel dictæ Redemptionis. §. 15. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 16. Contrariis derogat. §. 17. Tranſumptis credi iubet. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Facultas coërcendi contradictores, de qua in §. 3. quomodo intelligenda?

RESP. Vt Iudex coërceat eos qui de facto, & indebitè ſibi contradicunt, non autem de iure. Put. deciſ. 270. lib. 3. in vltimò impreſſis, num. 6. vbi ponit exemplum poſſeſſoris nolentis rem dimittere abſque cauſæ cognitione, Achil. deciſ. 4. de ſent. excom. num. 11. Pegna in vna Panormitana Archidiaconatus, 15. Iunij 1590. Pamphil. in vna Mediolanenſi Parochialis, 16. Martij 1588.

Scholion ſecundum.

Quæro. Puellæ, de quibus in §. 13. ecſintne huius Iudicis iuriſdictioni ſubiectæ, antequam nubant?

RESP. Non ſiquidem, quia antea dotem petere non poſſunt, & Bulla non ſimpliciter eas huic iuriſdictioni ſupponit, ſed dum agunt pro conſecutione dotium, & ita ſeruatum fuiſſe percepi à Genitore meo, dum Cuſtodis huius Archicõfraternitatis munere fũgeretur.

XXXVIII.

Edita Anno 1586.

IN ſuprema militantis Eccleſiæ, & infra pag. 540. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reducit numerum Cantorum Capellanorum ſuæ Capellæ ad viginti vnum. §. 1. Collegium eorum conſtituit. d. §. 1. Qualitates eorumdem deſignat. §. 2. Redditus aſſignat, & gratias elargitur. §. 3. Dat Collegio facultatem ex eius gremio eligendi Magiſtrum Capellæ. §. 4. Statutáque edendi pro ſuo bono regimine. §. 5. Eximit ab omni ſuperioritate Ordinariorum, & Iudicum in Vrbe, & extra. §. 6. Confirmat gratias hactenus elargitas. §. 7. Decernit non amoueri, niſi æquiualenti data recompenſa, ſi legitimè impediti fuerint, vel ſpatio annorum viginti quinque inſeruierint. §. 8. Priuilegia amotorum perpetua conſtituit. §. 9. Protectorem, & Rectorem dicti Collegij vnum Cardinalem deputat. §. 10. Cui iuriſdictionem quaſcumque cauſas dicti Collegij, & perſonarum eius cognoſcendi tribuit. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Probarétne quis Petrum ſuum fratrem fuiſſe Capellanum Papæ ex ſolis literis Apoſtolicis, in quibus Pius V. conferens ei quoddam Eccleſiaſticum beneficium, eum appellat ſuum Capellanum, & grata ab eo obſequia recipere?

RESP. Probaret pleneè aſſertio Papæ, quia eſt de facto ſuo, id eſt, de ſeruitiis ſibi præſtitis. Gemin. conſ. 79. poſt princ. & Æneas de Falcon. in tract. de reſeru. benefic. in 4. prælud. quæſt. 3. numero 16.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi pars aduerſa narraſſet illum fuiſſe Capellanum Papæ?

RESP. Proculdubio ſufficienter contra eam probat. Simonet. de reſeruat. benefic. quæſt. 33. in fin. vbi Paulus Granut. in Append. addit deciſ. Put. 325. libro 2. quæ in nouiſſimè impreſſis eſt 316.

XXXIX.

AFflictæ, & crudeliter vexatæ, & infra pag. 541. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Anglorum hæreticorum immanitatem execratur, in princ. Catholicorum verò conſtantiam, patientiámque commendat. §. 1. Collegium, vel Seminarium Rhemenſe à Sede Apoſtolica inſtitutum pro Anglorum refugio, maximam patitur difficultatem his temporibus. §. 2. Papa orat Deum pro Anglis. §. 3. Hortatur Chriſti fideles ad illi ſubueniendum. 4. Prælati publicent hanc Bullam, & eleemoſynas pro Collegio colligant. §. 5. Hortatur Principes Chriſtianos, vt Catholicos Anglos recipiant, eiſque faueant. §. 6.

Digitized by Google

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt quòd his temporibus Catholicorum Anglorum calamitates magis exacerbari dicuntur ex quodam, quod Rex Angliæ ab eis exigit, iuramento?

RESP. Accipe omnia de hoc iuramento adamuſſim deſcripta ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinali Bellarmino in ſua, quam edidit, Apologia pro reſponſione ad librum Iacobi Angliæ Regis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne & Summi Pontifices vſque modò de eorumdem Anglorum in fide conſtantia ſoliciti fuerunt?

RESP. Clemens VIII. ſuis literis ad Magiſtrum Georgium Archipreſbyterũ Regni Angliæ die 5. menſis Octobris 1603. & fel. record. Paulus V. aliis ad Catholicos Anglos die 22. menſis Septembris 1606. & eadem die ſubſequentis anni datis literis hac de re diligenter egerunt, vt ex eiuſdem Sanctiſſimi duplicato diplomate in dicta Apologia pag. 168. & 192. cuſo dignoſci valet.

X L.

Edita Anno 1586.

CVm ſicut nobis nuper expoſuiſti, & infra pag. 542. Bullarij.

COMPENDIVM.

Generalis Miniſter Fratrum Minorum de Obſeruantia Sancti Franciſci exponit Papæ, multa loca eos tenere, de quorum conceſſione, vel titulo docere nequeunt, in princ. Papa retentionem concedit accedente conſenſu Ordinariorum, quoad loca, quæ poſſident à decem annis citrà. §. 1. Gratiáſque his locis elargitur, quæ locis dudum iure receptis elargitæ fuerunt. §. 2. Hanc Bullam pro legitima conceſſione ſufficere decernit. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5. Tranſumptis inſuper credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quis erat Miniſter Generalis his temporibus?

RESP. Erat P. Franciſcus Gonzaga in Capitulo Generali Pariſienſi ſecundo electus anno 1579. vt liquet ex actis eiuſdem Capituli, cuius nominis expreſſio in exordio Bullæ non à Genitore meo, ſed impreſſorum incuria prætermiſſum ſcio ex authentico; quod in eius Bibliotheca aſſeruatur. Qui quidem Miniſter Generalis fuit poſtea ab iſtomet Pont. creatus Epiſcopus Ceſalodienſis, & deinde à Clemente VIII. Epiſcopus Mantuanus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne ſatius fuiſſet allegare titulum infectum quàm non titulum, vt hic in principio?

RESP. Generalis Miniſter non allegauit non titulum, ſed defectum probationis. Et nihilominus melius eſt regulariter non allegare titulum, quàm allegare titulum infectum. Rota in decis. 3. Caſſad. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. num. 7. & in decis. Seraphin. 1498. num. 14.

X L I.

Edita Anno 1586.

QVemadmodum prouidus, & infra pag. 543. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ne Referendariorum dignitas ob eorum multitudinem vileſcat, & in rebus agendis perturbationem pariat, eos vtriuſque Signaturæ ad numerum centum reduxit. §. 1. Admittendorum ad Signaturam Iuſtitiæ qualitates, & habitum deſcribit. §. 2. Et admiſſionis formam præſcribit. §. 3. Et ita in ea verſatos per triennium ad Signaturam Gratiæ admitti poſſe decernit. §. 4. Quos Referendarios Signaturæ Gratiæ aſſiſtentes declarat. §. 5. Rationem proponendi in Signatura Iuſtitiæ obſeruatam probat. §. 6. Literas Apoſtolicas infra tres menſes expediri præcipit ab admiſſis. §. 7. Familiaritatis, & veræ nobilitatis priuilegium, ac ſuorum inſignium vſum eis concedit, ac ab Ordinariorum iuriſdictione eximit. §. 8. In Monaſteriis eiſdem commendatis, & quorum Abbates mitra, &c. vſi ſunt, eoſdem illis vti poſſe indulget. §. 9. Confeſſorem ſemel in vita eligendi licentiam tribuit, qui in articulo mortis plenariam indulgentiam concedat. §. 9. Celebrandi, & celebrari faciendi circa Auroram, & in locis interdictis facultatem concedit. §. 11. Stationes Vrbis eiſdem Eccleſias ab eis eligendas viſitantibus communicat. §. 12. Carnibus ſecretò in diebus vetitis de cõſilio vtriuſque Medici veſci poſſe permittit. §. 13. Diſpo

Diſpoſitionem cap. Statut. 11. de reſcript. in 6. ad Referendarios extendit. §. 14. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubiungit. §. 15. Executores deputat. §. 16. Contrariis omnibus derogat. §. 17. Tranſumptis iſtius Bullæ credi iubet. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Referendarij abſentes à Curia gaudebunt his priuilegiis ob labores conceſſis?

R E S P. Non poſſunt abeſſe abſque Papæ licentia, qua ſtante habentur pro præſentibus, vel ſaltem ob præteritos labores illis perfrui merentur, vt cenſuit Rota in deciſ. 103. lib. 3. num. 3. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Rationem proponendi in Signatura Iuſtitiæ, de qua in §. 6. quis enarrat?

R E S P. Recenſet Marcheſan. de commiſſ. part. 1. cap. 1. num. 105. in nouiter ab eo impreſſis pag. mihi 121. vbi etiam num. præced. rationem proponendi in Signatura Gratiæ deſcribit, & alia multa de Referendariis congeſſit poſt Petr. Andr. Gambar. de author. Legat. de latere cap. 3. n. 33. & ſeqq.

X L I I.

Edita Anno 1586. INter varias, & multiplices, & infra pag. 545. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia plerumque Communitates Status Eccleſiaſtici pro aliis perperam ſe obligant, præcipit hic Pont. infra annum à iam factis obligationibus per illos liberari §. 1. & 2. Et ſi obligationes non ſint facta aliqua oblatione, vel ſolutione extinguibiles, expromiſſores indemnitatis dari iubet. §. 3. Quiſque etiam priuatus, nedum Communitas ad hoc agere poſſit, & Iudex vnica citatione præcedente mandatum executiuum relaxet. §. 4. Communitates de cætero abſque licentia Papæ, vel eius Reu. Cameræ Apoſtolicæ earum bona alienare, & alia ratione, quàm locationis, & non vltra decennium obligare nequeant. §. 5. Neque pro aliis fideiubeant. §. 6. Obligationes, & alienationes de cætero fiendæ nullæ ſint. §. 7. Communitates non mittant Oratores ſumptibus publicis abſque licentia Papæ, vel eius dictæ Reu. Cameræ. §. 8. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 9. Pij V. Conſtit. 8. de qua ſup. & ſtatutum Vrbis lib. 3. cap. 31. innouat. §. 10. Contrariiſque derogat. §. 11. Tranſumptis credi iubet. §. 12. Hanc Bullam in vulgarem ſermonem verſam in conciliis à Communitatibus publicari, & obſeruari mandat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Fideiuſſor indemnitatis, de quo in §. 3. dicitur ſimplex fideiuſſor?

R E S P. Non, ſed ſub conditione, id eſt, in caſu damni paſſi, vel moleſtiarum, de quibus antea conſtare debeat, antequam intret obligatio fideiuſſoris: Bart. in l. 1. Cod. de conueniendis Fiſci debitorib. num. 1. & ſeq. Oſaſc. deciſ. Pedemont. 2. num. 14. Rota in deciſ. Seraph. 1014. in nouis, num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid cauetur in ſtatuto Vrbis citato in §. 10.

R E S P. Traditur forma in venditionibus redditaum populi Romani ſeruanda, vt videri poteſt, & eſt in viridi obſeruantia.

X L I I I.

AEquum arbitramur, & infra pag. 547. *Item*; Cùm ſicut accepimus, & infra pag. 549. Bullarij. *Edita Anno 1585. & 1586.*

C O M P E N D I V M.

Statutis Militiæ S. Ioãnis Hieroſolymitani cauetur, quoſcumque etiam à Sede Apoſtolica prouiſos certa iura communi Religionis ærario ſoluere, certáque onera ſubire debere. §. 1. Quidam ab eadem Sede prouiſi derogationem dicti ſtatuti à Papa extorquebant. §. 2. Pius V. id vergere in damnum dicti Ordinis cognoſcens, ſtatuit omnes, etiam S. R. E. Cardinales, beneficia, & penſiones eiuſdem Ordinis obtinentes, ad illa iura, & onera teneri. §. 2. & ſeqq. Sed ipſius Pij V. Bulla expedita non fuit, ideóque hic Pontifex à die eius datæ eam validat. §. 19. Iubet omnibus Officialibus, & aliis, vt Receptoribus dictæ Militiæ, dum beneficiorum poſſeſſionem accipiunt, faueant, & aſſiſtant. §. 1. & 2. ſubſequentis Bullæ.

Scholion primum.

Quæro. Ærarium, de quo hic, poſſétne iure dici Fiſcus?

R E S P. Non, quia licèt Fiſcus, & Ærarium crebrò conuertantur; propriùs tamen hæc pecunia, quæ Reipublicæ huius Militiæ, & Religionis eſt, Ærarium dicta fuit. Ita poſt alios ſcriptum reliquit Ioann. Pirr. de Magiſtrat. Roman. par. 2. de Quæſt. Magiſtrat. num. 4. & Alciat. in tract. de Magiſtrat. num. 16.

Scholion ſecundum.

Quæro. Receptorum nomen nónne idem eſt, quod olim erat Quæſtorum Theſauro deputatorum?

R E S P. Sic ſcribit Petrus Greg. lib. 3. Syntagm. Iur. cap. 2. num. 14. per tex. iuncta gloſ. in l. 1. & 2. Cod. de offic. Quæſt.

X L I V.

Edita Anno 1586.

AD excelſum vniuerſalis, & infra pag. 550. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Erigit in officiũ vacabile officium Cõmiſſariatus Reu. Cameræ Apoſtolicæ. §. 1. & 2. Authoritatem ſolitam ei concedit. §. 3. Adminiſtrationem Archiuij ſcripturarum Reu. Cameræ annectit. §. 4. Iuriſdictionem coercendi occupantes huiuſmodi ſcripturas tribuit. §. 5. Prælatóſque & Clericos ingerentes ſe in beneficiis Eccleſiaſticis, Bullis non expeditis, puniendi. §. 6. Emolumenta, & redditus ei concedit. §. 7. Clericorum, & Cameralium priuilegiis eum donat. §. 8. Circa penſiones indultum tribuit. §. 9. Habitum, & locum in Capella, Conſiſtoriis, & aliis actibus publicis, necnon in Camera, & viſitatione carcerum aſſignat. §. 10. Facultatem officium reſignandi impartitur. §. 11. Expeditionéſque gratis pro eis fieri decernit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore hoc officium Commiſſariatus inſtitutum fuit?

R E S P. Longè ante tempora Pij I V. qui hoc nomine Commiſſariatus vſus fuit in Conſt. 84. de qua ſup. §. 47. Aderat quidam Reu. Cameræ Apoſtolicæ, vel potiùs Papæ miniſter quibuſdam negotiis eiuſdem Cameræ ad nutum ipſius Papæ aſſiſtens, in antiquis ſcripturis & contractibus Cameræ, prudentis viri nomine nuncupatus.

Scholion ſecundum.

Quæro. In quo hodie differt officium Commiſſarij ab officio Fiſci, quoad cauſas criminales?

R E S P. Annis proximè decurſis iſta controuerſia excitata fuit in Camera, & inter alia pro Fiſco allegabatur Bulla 20. Clem. V I I. §. 1. & Bulla 9. Pauli I I I. §. 1. & Bulla 58. Pij I V. §. 18. Et pro Cõmiſſario præter alia allegabatur Bulla 36. Pij I V. §. 2. & hæc Bulla in §. 3. ſed conſulto fel. record. Paulo V. determinatum fuit, quòd in cauſis criminalibus, vbi non agitur de pœna vltimi ſupplicij, eorum Camerario, & Clericis Commiſſarius interueniat, ſuáque ſint emolumenta; in cæteris verò omnibus interueniat Fiſcus; & ita hodie ſeruatur.

X L V.

DEteſtabilis auaritiæ, & infra pag. 553. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

C O M P E N D I V M.

Damnat contractus ſocietatis, quibus cauetur vt animalia, & alias res ſocietatis nomine tradentibus, ſors ſeu capitale ſaluum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, etiamſi fortuito caſu quamlibet iacturam ſequi contingat. §. 1. Vel quibus cauetur, vt de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, vel menſes durante ſocietate recipiant. d. §. 1. & 2. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 3. Decretum irritans apponit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi fiat pactum, quòd capita animalium demortuorum in ſocietatem datorum, ex fœtibus renouentur?

R E S P. Non intrat Bulla, quæ eſt reſtricta ad caſum renouationis damno ſocij recipientis. l. 4. §. docere. ff. de vi bonor. raptor. cum ſimilib. & in terminis ſic cenſuit Rota in deciſ. R. P. D. Manzanedi in vna Anagnina vſurarum, 14. Martij 1607. vbi alios conſimiles caſus adducit. Et facit alia Rotæ deciſ. coram Coccin. in vna Romana ſocietatis in fin. die 3. Iunij 1602. vbi concludit hanc Bullam comprehendere ſolùm caſus vſurarios de iure communi, additis maioribus pœnis.

Scholion

Scholion ſecundum.

Quæro. Mulier excuſaretúrne à contrauentione Bullæ,cùm ſit eius ſubtilitatum ignara?

R E S P. Non, quia dum voluit contrahere,debuit in materia vſurarum, Iuriſconſultorum quærere conſilium, præſertim in loco, vbi eorum copia haberi poteſt, vt in ſimili caſu dixit Rota in deciſ. Seraphin. 1006. num. 4. & ſeq. in nouis. Niſi forſan apponeret eam clauſulam, quòd nolit pro appoſito haberi, quicquid eſſet contra formam Bullæ, vt perpendit Rota in dicta Anagnina vſurarum in fine.

X L V I.

Edita Anno 1586. AD compeſcendum,& infra pag. 554. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Adulteria execratur. §. 1. Coniuges temerè ſe in Vrbe à communi thoro ſeparantes Iudicis arbitrio puniri iubet. §. 2. Maritum Iudicis authoritate ſeparationem obtinentem, vt luxurioſè viueret, & poſtea luxurioſam vitam ducentem, pœna vltimi ſupplicij plecti decernit. §. 3. Et ſimiliter vxorem. §. 4. Coniuges,quæ ex loco eis aſſignato aufugerint, & impudicè vixerint,eamdem pœnam incurrere declarat.§. 5. Eum qui vt virginē, vel coniugatam carnaliter cognoſceret, illius parentes, vel cuſtodes, aut curatores carcerari fecerit, poſteáque ſtuprauerit, vel adulterauerit, eidem pœnæ obnoxium decernit. §. 6. Parentes aut maritos ad quæſtum inducentes eorum coniuges, vel filias,eadem pœna mortis puniri mandat. §. 7. Contra alios adulteros, & lenones, &c. antiqua iura in ſuo robore permanere ſubdit. §. 8. Coniugatis non reſipiſcentibus incurſum pœnarum prædictarum indicit. §. 9. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 10. Iudicibus in prædictis procedendi amplam facultatem tribuit. §. 11. Contrariis derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Cauſa adulterij nónne eſt mixti fori?

R E S P. Ita ſanè,& eſt locus præuentioni inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem, quando agitur de eo puniendo.Sed ſi etiam de ſeparatione thori ſpectet ad Iudicem Eccleſiaſticum, ſufficit videre Lancell. in ſuo Templo omn.Iud. in tit. de officio Prætor. in rubric. de Adulter. num. 6. & latiùs Sanc. de Matrimon. lib. 10. de diuort. diſput.8.num. 15. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba (*in ſuo robore permanſura*) importabunt antiquarum legum præciſam obſeruantiam, quæ pœna mortis adulteria puniebant?

R E S P. Non; quia hic Papa fruſtra eam pœnam certis caſibus innouaſſet; ſed remanent in ſuo robore, quod eſt mitigatum à generali conſuetudine ad pœnam mitiorem,Clar.in §.Adulterium, num. 7. necnon à Concil. Trident. cap. 8. ſeſſ. 24. & etiam à ſtatuto Vrbis (ad quod hæc Bulla reſtricta eſt) lib. 2. cap. 50. & ita hæc verba interpretatur Angel. in l. 4. Cod. de præſcript. 30. annor. num.2.& ita obtinuit Genitor meus in facti contingentia his diebus in Curia Illuſtriſſimi D. Vicarij Papæ,non obſtante quod in contrarium allegaretur Baiard. in §. Adulterium, num. 46. aliter fortaſſe, & malè ſentiens.

X L V I I.

DIuina Dei prouidentia, & infra pag. 556. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

C O M P E N D I V M.

Pius I V. circa beneficiales confidentias Conſt. 85. de qua ſup. & alteram Pius V. Conſtit. 85. de qua ſup. ediderunt. §. 1. Hic Pont. vt diligentiùs cauſæ huiuſmodi confidentiæ diiudicentur, erigit officium Auditoratus cauſarum beneficialis confidentiæ. §. 2. Redditus ei aſſignat. §. 3. Et etiam priuilegia,quibus veri Papæ familiares, continui commenſales,& Prælati domeſtici perfruuntur. §.4. Dat iuriſdictionem ampliſſimam, cauſas confidentiæ, & ſimoniæ, & ei annexas cognoſcendi. §. Notariatum huic officio applicat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. In Bullis Pij I V. & Pij V. de quibus in §. 1. dicitur forſan prohibita confidentia etiam mentalis, nulla interueniente conuentione, vel pacto?

R E S P. Non, quia nec ante eos erat prohibi

prohibita, & ipſi Pontifices voluerunt ſolummodo tollere confidentiam antea illicitam, & ſimoniacam, vt oſtendit Nauarrus in Manuali Confeſſ. cap. 23. num. 109. & ſeq. & in conſ.27.de ſimon. lib 5. num. 1. pag. mihi 446. Pariſ. de confident. quæſtione 1.num.44.Rota coram Pamphilio in vna Imolenſi confidentiæ, die 24 Februarij 1592.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num iſte Auditor cauſarum beneficialis confidentiæ,poſſit etiam cognoſcere cauſas ſimoniæ?

RESP. Non, quia latiùs patet ſimonia, quàm confidentia, & ideo quamuis omnis confidentia beneficialis ſit ſimoniaca, non tamen reciprocatur, vt omnis ſimonia ſit confidentia, & ideo ſententiam à dicto Auditore latam ſuper ſimoniam, nullam pronunciauit Rota in deciſ. 166. par. 2. num. 1. in recentiorib. & antea in vna Calaguritana prætenſæ confidentiæ, die 5. Iunij 1592. coram Penia, impreſſa per Marcheſan. de commiſſ. par. 1. fol. mihi 130. iuxta ſecundam impreſſionem Romæ.

XLXVIII.

Edita Anno 1586. SVper vniuerſas,& infra pag. 558. Bullarij.

COMPENDIVM.

Oppidum Montis Alti in multis commendat. §. 1. Illud à diœceſi Auſculana, Firmana, & Ripana ſeparat. d. §. 1. Erigit in Ciuitatem, & Collegiatam Eccleſiam B. MARIÆ in Epiſcopatum. §. 2. Dotem aſſignat. §. 3. Decretum irritans apponit. §. 4. Clauſuláſque derogatorias. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quæ olim fuit cauſa erigendi, & diuidendi Epiſcopatus,ſeu Diœceſes?

RESP. Augmentum diuini cultus,& ſpiritualis animarum profectus; etenim difficile eſt in lata, & diffuſa Diœceſi partes boni Paſtoris quoad ſingulos implere;ad text.in extrauag. 5.de præbend. & dignitat. vbi Ioannes XXII. Epiſcopatum Tholoſanum in Metropolim erexit, & quatuor Epiſcopatus inde creatos ei ſubiecit.

Scholion primum.

Quæro. Quis omnium primus in ſingulis Ciuitatibus Epiſcopos, & in ſublimioribus Ciuitatibus Archiepiſcopos inſtitui iuſſit?

RESP. Petrus Apoſtolorũ Princeps, vt habetur in cap. 2. diſt. 80. & cap. 1. diſt. 90. vbi gloſ. inquit, quòd Dionyſius Papa poſtea Diœceſes diuiſit, vt in cap. 13. quæſt. 1.

XLIX.

SVperna diſpoſitione,& infra pag. 559. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Oppidum S. Seuerini in multis commendat. §. 1. Illud à Diœceſi Camerinenſi ſeparat. §. 2. In Ciuitatem erigit, & Epiſcopatum inſtituit. §. 3. Diœceſim deſignat. §. 4. Dotémque ſcutorum mille. §. 5. Priuilegia communicat. §. 6. Contrariáque remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Hæc ſeparatio à Diœceſi Camerinenſi præiudicabit in aliquo iuribus illis, quæ in locis obuentis Diœceſi S. Seuerini habebat?

RESP. Non, niſi in quantum Papa expreſsè ſtatueret, prout hanc quæſtionem diffiniuit Ioann. XXII. in ſua extrauag. 2.de conceſſ. præbend. & dixit Rota in deciſ. Seraphin. 1337. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ciuitatis nomine gauderẽne potuiſſet hoc Oppidum abſque Epiſcopatus inſtitutione?

RESP. Poterat, ſed in Terris Chriſtianorum, præſertim in Italia,illa ſolùm dicitur propriè Ciuitas, quæ Epiſcopum habet, ſecundùm Bart. in l. 2. ff.de verbor. ſignificat. in fine, & in l. Sodales. 4. ff. de colleg. illic. Iaſ. in l. Si hæres. 76. §.vicis. ff.de legat.1.num.4.Bald. in l. 5. ff. de Iuſtit. & iure, num.34.

L.

POſtquam verus ille, atque æternus Paſtor, & infra pag. 560. *Item*; Sanctiſſimus Dominus, & infra pag. 564.Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Præmittit, Cardinales repræſentare perſonas Apoſtolorum, dum CHRISTO ſalutis myſterium in terris operanti mini

miniſtrarent; ſunt etenim coadiutores Papæ in executione, & in dirigenda Catholica Eccleſia, ſúntque eius Cardines, in princip. Subdit, propterea optimos, lectiſſimóſque Cardinales à Papa creandos eſſe. §. 1. Præſertim quod ex Collegio Cardinalium creandus eſt Romanus Pontifex. §. 2. Eorum ergo numerum præfinit ad ſeptuaginta, ad exemplum mandati Domini ad Moyſem de aſſumẽdis ſecum ſeptuaginta viris, quos noſſet ſenes populi eſſe, & magiſtros, vt ſecum onus populi ſuſtentarent. §. 4. Et ex eis ſint Epiſcopi ſex, Preſbyteri quinquaginta, & Diaconi quatuordecim. §. 5. Qui Diaconi non ſint minores annis vigintiduobus, & infra annum ad ordinẽ Diaconatus promoueantur. §. 6. Et remaneant in Diaconatu, quouſque ſuppleatur numerus quatuordecim, quãuis ex feruore deuotionis ad Preſbyteratum promoueantur. §. 7. Diaconorum prior, aut ſequens quando ad vnam Eccleſiam ex prædictis ſex Epiſcopalibus promouendus. §. 8. In dicto numero Cardinalium ſint quatuor ſaltem Magiſtri in Theologia. §. 9. Creentur Cardinales in diebus ieiuniorum menſis Decembris tantùm. §. 10. Et ex omnibus nationibus Chriſtianitatis. §. 11. Illegitimi autem nequaquam, etiam legitimati, aut ſuper defectu natalium diſpenſati. §. 12. Et neque ij, qui ad ſacros ordines promoueri non poſſint. §. 13. Promouendi ad Cardinalatum, doctrina, probitate, aliíſque bonis qualitatibus ornati eſſe debent. §. 14. Et etiam per annum ante promotionem in quatuor minoribus ordinibus conſtituti, habitúmque & tonſuram geſtantes. §. 15. Filium, aut ex eo nepotem habentes ad Cardinalatum non promoueantur. §. 16. Nec frater alterius Cardinalis germanus viuentis, vel patruelis, conſobrinus, aut amitinus. §. 17. Neque patruus, aut auunculus nepotis ex fratre Cardinalis viuentis, & è conuerſo. §. 18. Abſentes Cardinales creandi ſunt, adiecta conditione, vt infra annum limina Apoſtolorum viſitent. §. 19. Declarat tempus quo Cardinalis Diaconus debeat perſeuerare in Diaconatu, antequam poſſit promoueri ad dictos Epiſcopatus. §. 25.

Tom. 2. Compend.

Scholion primum.

Quæro. Cur ex omni natione Cardinales ſunt ereandi, vt in §. 11. nónne conuenientius videtur aſſumi de Terris peculiaribus Sanctæ Rom. Eccleſiæ?

RESP. Licèt conuenientius videretur, quod aſſeris, eo quia Cardinales ſic liberiores eſſent in ferendis conſiliis Papæ, vt poſt Archid. Florentin. ſic ſcribit Iacobat. de Concil. lib. 1. artic. 1. ſub num. 212. veruntamen ex omni natione eligendi ſunt, vt vnuſquiſque genti ſuæ, cuius mores, & aditus notiores habet, faciliùs, & certiùs iuſtitiam miniſtrare poſſit, ſecundùm D. Bernard. & Antonin. quos refert, & ſequitur Gomez. ſuper Reg. Cancel. quæſt. 1. de idiomate.

Scholion ſecundum.

RESP. Antequam Cardinales hoc nomine appellarentur, quomodo vocabantur?

RESP. Conſiliarios à Gregorio I. vocitatos probat tex. in cap. 67. cauſ. 12. quæſt. 2. ac à Pelagio I. in cap. 31. cauſ. 16. quæſt. 1. & à Concilio Meldenſi in cap. 4. cauſ. 1. quæſt. 7. vt ſcribit Roman. in ſuo ſermone poſt eius conſilia impreſſo, ſub num. 13. & ſequitur Card. Tuſc. in verb. Cardinales, concluſ. 95.

L I.

SVper vniuerſas, & infra pag. 564. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Oppidum Tolentinum in multis cõmendat. §. 1. Illud ſeparat à Diœceſi Ciuitatis Camerinenſis. §. 2. Erigit in Ciuitatem, & Collegiatam Eccleſiam S. MARIÆ in Sedem Epiſcopalem. §. 3. Almutiarum vſum Canonicis concedit. §. 4. Epiſcopatum hunc Epiſcopatui Maceratenſi vnit, & Epiſcopus Maceratenſ. & Tolentin. ſe ſubſcribere debeat. §. 5. Vicarium conſtituat in Ciuitate Tolentini, qui ſolum Epiſcopum in Superiorem cognoſcat. §. 6. Epiſcopatui dotem aſſignat. §. 7. Diœceſimque & Clerum. §. 8. Decretum irritans apponit. §. 9. Contrariíſque derogat. §. 10.

Ee *Scholion*

Scholion primum.

Quæro. Aliæne ſunt Ciuitates, quæ vnitæ ſint quoad Epiſcopatum?

Resp. Nonnulla exempla refert Illuſtriſſimus Card. Tuſchus in verb. Epiſcopatus, concluſ. 298. Aliud autem habes in extrauag. 5. de præbend.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vicario, de quo in §. 6. ſi Papa committeret aliquam cauſam, poſſet iſte Epiſcopus cognoſcere?

Resp. Non, ſi abſolutè ei committatur, quia in illa Vicarius delegatus dicitur maior Ordinario. cap. Siuduiſti, de offic. deleg. Rota in deciſ. Seraphin. 506. num. 3.

L I I.

Edita Anno 1586.

CVm in vnaquaque bene, & infra pag. 565. Bullarij.

COMPENDIVM.

Senatus, Populúſque Romanus iuſſu iſtius Pontificis reformationem conſtituerunt circa immoderatos ſumptus veſtium, dotium, ornamentorum, & conuiuiorum. §. 1. Cardinales à Papa deputati eam abſoluerunt. §. 2. Papa comprobat. §. 3. Executoréſque deputat. §. 4. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 5. Tranſumptorúmque fidem. §. 6. Forma, & effectus publicationis Conſtit. ſubiungitur. §. 7. Decretúmque irritans. §. 8. Clauſulæ derogatoriæ. §. 9. Subnectit reformationem circa veſtes hominum: itẽ mulierum, ſponſarum, coniugatarum, & viduarum: item dotium: item donationum in nuptiis: item circa conuiuia, & lectos nuptiales. Subſequitur prohibitio munerum inter compatres, & commatres. Item circa rhedas: item circa funeralia. Contrauenientium pœnas apponit.

Scholion primum.

Quæro. Fuitne etiam antiquioribus temporibus Magiſtratus aliquis, qui veſtium reformationi præerat?

Resp. Ælianus in ſua var. Hiſtor. l. 14. ſcribit, Lacedæmoniorum Ephoros, id eſt, ſummos Magiſtratus quotidie obire ſolitos ad inſpectionem veſtium, ne quid à decenti ornatu vſurparetur. Quod recenſet Ioan. Buſæus in ſumma rememedior. contra animi morbos, in §. Veſtium luxus. pag. mihi 267. in fin. vbi latè agit de hac materia.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si iſti reformatores aliquid ſtatuiſſent, quod Papa non confirmaſſet, potuiſſéntne illud poſtea reuocare?

Resp. Non, quia conſumpta eſt illa poteſtas eis delegata per primum actum: ſecus ſi reformatores habuiſſent eam poteſtatem perpetuam ex iuriſdictione ordinaria, ex doctr. Bart. in l. 4. ff. de decret. ab Ordin. facien. num. 33. & bene Alex. conſ. 119. lib. 6. num. 30.

L I I I.

Edita Anno 1587.

SVperna diſpoſitione, & infra pag. 569. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in ſua Conſtit. 97. de qua ſup. Congregationem Annunciationis B. MARIÆ inſtituit pro externis Scholaribus Annunciationis B. MARIÆ, quædam pia opera exercentibus in Eccleſia Annunciationis B. MARIÆ Virginis Collegij Societatis IESV de Vrbe. §. 1. Sed plures in eodem Collegio, ac Domibus dictæ Societatis non ſolùm pro Scholaribus, verùm etiam pro non Scholaribus erigi opus erat. §. 2. Præpoſitus ergo Generalis dictæ Societatis IESV ſupplicat Papæ pro facultate eas inſtituendi. §. 3. Quam ei concedit. §. 4. Et etiam facultatem alias Congregationes huic primariæ Congregationi aggregandi, cum eius gratiarum, & indulgentiarum communicatione. §. 5. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 6. Et etiam derogatorias. §. 7. Tranſumptorum fides ſubiungitur. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba, *pia opera exercentibus*, quid nobis innuunt?

Resp. Quod indulgentiæ ob rationabilem cauſam ſunt concedendæ, vt ad plenum hac de re ſcribit Nauar. in ſuo comment. de Iubil. & Indulg. notab. 15. per totum, pag. mihi 53.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis faceret maiorem partem eius, quod indulgentia requirit, ſed non totum, conſequeretur indulgentiam, aut eius partem?

Resp. Nihil de rigore iuris conſequitur,

quitur, vt ſcribit Nauar. conſ. 9. de priuileg. lib. 5. n. 2. pag. 560. & in præcitato comment. de Iubil. notab. 19. num. 2.

L I V.

Edita Anno 1587. Volentes quantum in nobis eſt, & infra pag. 570. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inceſtus crimē admodum deteſtatur, in princ. Virum ſcienter matrem, & filiam, aut duas germanas inter ſe ſorores carnaliter cognoſcentem, aut cum earum altera in locis ditionis S. R. E. ſe matrimonio coniungentem, vltimo ſupplicio puniri decernit. §. 1. Mulierem peccantem cum eo, cum quo ſcit matrem, aut filiam, aut ſororem ſuam rem habuiſſe, eadem pœna l gat. §. 2. Mulieri cum patre, & filio, vel duobus fratribus ſcienter peccanti eamdem pœnam imponit. §. 3. Virum ſcientem eius patrem, aut filium, aut fratrem cum muliere peccaſſe, & cum ea peccantem, dicta pœna vltimi ſupplicij afficit. § 4. Decretum irritans apponit. §. 5. Iudicibus plenam tribuit facultatem procedendi contra prædictos, ac eorum complices, & fautores. §. 6. Contrariáque remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quod diſponitur in §. 1. de matrem, & filiam cognoſcente, erátne pariter diſpoſitum iure communi?

R E S P. Dubius erat articulus, ſed negatiua ſententia crebriori DD. calculo, & fori obſeruantia probata fuit. Clar. in §. Inceſtus, num. 2. Petr. Greg. lib. 36. Syntagm. Iur. cap. 7. num. 7. Caball. caſu 200. lib. 1. num. 52. ac Menoch. de Arbitrar. Iud. caſu 502. num. 34.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum de iure communi de carnaliter cognoſcente duas ſorores inter ſe germanas ſcienter, qui hac lege pœna mortis punitur?

R E S P. Opinionem affirmatiuam tenet Ghirland. de pœn. omnifar. coit. quæſt. 4. num. 4. Sed contrariam probauit Vinc. de Franch. in deciſ. 378. in fine, cui adhæret Caball. vbi ſuprà, quatenus inceſtus non ſit cum adulterio, num. 34.

L V.

Edita Anno 1587. Religioſa Sanctorum Pontificum, & infra pag. 571. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia ex antiquiſſima inſtitutione ſolent à Summo Pontifice Cardinalibus Presbyteris quædam Eccleſiæ Cathedrales, Vrbi finitimæ, & aliæ in ipſa Vrbe, & aliæ etiam Diaconis regendæ, & adminiſtrandæ aſſignari, in princ. Hic Pont. qui in ſua Conſt. 50. ſup. numerum Cardinalium ad ſeptuaginta præſcripſit, Eccleſias, titulos, & Diaconias pro eis nunc determinat. §. 1. Et quinquaginta Eccleſias, ſiue earum titulos, quinquaginta Cardd. Presbyteris aſſignat. §. 2. Et quatuordecim Diaconias quatuordecim Diaconis delegat. §. 3. Sex autem Epiſcopales Eccleſias pro antiquioribus Cardd. Presbyteris aſſignat. §. 4. Aliúmque ſtatuit titulum pro Vicecancellario, iuxta determinationem Clementis VII. in ſua Conſt. 7. de qua ſup. tom. 1. §. 5. Iſtáſque, & non alias à Cardd. obtineri poſſe decernit. §. 6. & 7. Licentiáſque retinendi Eccleſiam prioris tituli, vel Diaconiæ, Cardinalibus dari prohibet. §. 8. Cardinales ſubſcribentes ſe literis Apoſtolicis, nomen ſui Epiſcopatus, tituli, vel Diaconiæ exprimere iubet. §. 9. Decretum irritans apponit. §. 10. Quibuſcumque contrariis derogat. §. 11. Cardinales in adminiſtratione dictarum Eccleſiarum gerant ſe iuxta Conſt. 7. §. 10. Leonis X. de qua ſupra tom. 1. §. 12. Sanctio pœnalis apponitur. §. 14. Et hanc Bullam in quinternis Cancellariæ deſcribi mandat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. De antiquo ſtatu harum Eccleſiarum, titulorum, & Diaconiarum, quis me ex Iuriſconſultis edocebit?

R E S P. Vide apud Alber. in rubr. ff. de ſtatu homin. & Cardinal. & alios in clem. 2. §. 1. de elect. necnon Caſſan. in catalogo gloriæ mundi. par. 4. conſid. 12. ac Lancellot. Conrad. in Templo omn. Iud. lib. 2. cap. 2. de inſtitutione Cardinal.

Scholion primum.

Quæro. Optationis lex, quæ in vſu eſt apud Cardinales in optandis prædictis Eccleſiis, titulis, & Diaconiis, quo tempore initium habuit?

R E S P. Tempore Alex. VI. inquit Onuphrius de præcip. Vrbis Romæ

Ee 2 ſan-

Digitized by Google

ſanction. Sed Marſilius de Eccleſ.reddir. par. 1. cap. 17. tempore Martini V. introductam affirmat, cui adhærendum puto, quia veriſimilem ibi refert cauſam, ob quam tunc optatio huiuſmodi fuit introducta.

L V I.

Edita Anno 1587. NOn ſine maxima, & infra pag. 573. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Occupantibus, & detinentibus ſcripturas Reu.Cameræ Apoſtolicæ, & infra tres dies non reſtituentibus Commiſſario dictæ Cameræ, aut ſcientibus, & non reuelantibus, excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnas, priuationiſque omnium officiorum, & beneficiorum,& inhabilitatis ad illa imponit. §. 1. Et elapſo termino, contra eoſdem, tanquam contra fures Commiſſarium procedere, & ad pœnarum executionem deuenire iubet. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Qui Commiſſario oretenus reuelaret, ſatiſfaceret huic legi?

R E S P. Non, ſed tenetur in actis deponere, vt Reu. Camera eius teſtificatione vti poſſit pro recuperatione ſcripturarum. Sic cenſuit Nauar.in conſ. 8. lib. 5. de furt. in fine, pag. mihi 526. & ſequitur Genuenſ. in praxi Neapol. cap. 1. in fine.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi is, quem ſciebam detinere eiuſmodi ſcripturas, iam Commiſſario reuelauit?

R E S P. Non te ligat iſta lex, cùm iam Reu. Camera ex confeſſione detinentis certa ſit de occupatione, & occupante. Nauar. in Manuali Confeſſor. cap. 25. ſub num. 4. quem, & alios refert, & ſequitur Guttier. lib. 1. canonicar. quæſt. cap. 11. num. 72.

L V I I.

Edita Anno 1587. QVamuis infirma, & varia, & infra pag. 574. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Commendat pauperum ſubuentionem, pietatémque, & miſericordiam, in exord. Pluribúſque permotus cauſis Hoſpitale mendicorum in Vrbe erigit, & Miniſtros quatuor ad eius regimen, duos ſcilicet à populo Romano,& alios duos ab Archiconfraternitate Trinitatis eligi mandat. §. 1. & 2. Redditúſque & prouentus annuos aſſignat. §. 3.Hoſpitale, eiúſque perſonas à ſuperioritate Iudicum, & Officialium Vrbis eximit. §. 4. Et à ſolutione gabellæ Hoſpitale, & cum eo contrahentes liberat. §. 5. Mendicos circa ieiunia, eſúmque carnium,habito vtriuſque Medici conſilio,diſpenſat.§. 6. Preſbyteris Hoſpitalis dat facultatem eius perſonis Sacramenta adminiſtrandi.§. 7. Peregrinos etiam in dicto Hoſpitali recipi mandat. §. 8. Rationes computorum ſingulis menſibus reuideri iubet.§.9. Theſaurarium,& Commiſſarium Cameræ Apoſtolicæ Gubernatores eius deputat. §. 10. Contrariiſque derogat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Mendici nónne extra Eccleſias quęrere deberent eleemoſynas?

R E S P. Id probatur Matth. cap. 20. *Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam.* Et Marci cap. 10. prope fin. *Cæcus ſedebat ſecus viam mendicans.* Et Lucæ cap. 18.ac Act. Apoſtolorum cap. 3. in princip. *Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Specioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in Templum.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Mendicantibus validis, ſe fingentibus infirmos, quæ pœna eſt indicta?

R E S P. Eam habes in l. 1. Cod. de mendicant. valid. ſed non eſt in vſu.Vnde puniendi ſunt arbitrio Iudicis, vt notat ibi Bart. in fine, nenon Ioan.de Plat. & Angel. quos ſequitur Ripa in tractat. de remed. præſer. contra peſtem, num. 173. vbi agit de multis fraudibus, quas adinuenerunt hi mendicantes.

L V I I I.

GLorioſæ, & ſemper Virginis,& infra pag. 577. Bullarij. *Edita Anno 1587.*

C O M P E N D I V M.

Hic Pont. ab infantia Beatam Virginem in Aduocatam delegit,in princ.Eius ideo Eccleſias, & præſertim Baſilicam ad Præſepe Domini S. M A R I Æ Maio

Digitized by Google

Maioris de Vrbe admodum coluit. §. 1. Inſignem Capellam Præſepis Domini in ea Baſilica minùs decenter ornatam, dum Cardinalis erat conſtruere cœpit. §. 2. Ad Papatum euectus perfecit, & exornauit. §. 3. & ſeqq. Compertum eſt deinde eſſe ſimilem Capellæ ad Præſepe Domini in Eccleſia Bethlehem. §. 8. Sepulchrum à dextris Pio V. à ſiniſtris alterum ſibi, ac aliud in veſtibulo ſuis cõſanguineis poſuit. §. 9. In eadem Capella vnam Præpoſituram, vnam Sacriſtiam, quatuor Capellanias, & quatuor Clericatus inſtituit. §. 10. Redditus aſſignat. §. 11. Eorum onera, & munera deſcribit. §. 12. & ſeqq. Ab aliorum iuriſdictione eximit. §. 19. Priuilegia aliis ſimilibus data elargitur. §. 20. Officialibus omnibus ne eos moleſtent, præcipit. §. 21. Protectorem eiſdem deputat. §. 22. Cui iuriſdictionem eorum cauſas cognoſcendi tribuit. §. 23 Ius præſentandi Michaëli Peretto eius pronepoti, illiúſque deſcendentibus concedit. § 24. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Nónne Liberiana hæc Baſilica appellata fuit?

RESP. Liberius Papa anno Salutis 353. eam ædificauit in honorem B. MARIÆ Virginis, ex collatis impenſis Ioánis Patritij, ea de re per viſum admoniti, & miraculo confirmati, deſcendentibus è cælo niuibus Nonis Auguſti, formã Templi monſtrantibus. Et ab eo hæc Baſilica Liberiana diu vocitata fuit. Sic ſcribit Onuphr. Panuin. in ſuo, quod edidit, opuſculo de præcip. Vrbis Romæ Baſilic. pag. mihi 288. & Ciacon in vita Liberij, & latiùs de hac Baſilica agit Pompeius Vgonius in ſua Hiſt. Station. Vrbis, in ſtatione ad hanc Baſilicam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ergo iſte Pont. eam appellat Baſilicam ad Præſepe Domini, & S. MARIÆ Maioris?

RESP. Sixtus III. anno Salutis 432. eam reſtituit, & ampliauit, & ob tranſlata eò ex Bethlehem ſacra incunabula CHRISTI, Baſilica ad Præſepe Domini nuncupata fuit. Et poſtremò vocata eſt Baſilica S. MARIÆ Maioris, vt eius eminentia ſupra omnes B. Virgini dicatas Eccleſias ſignificetur, prout Authores omnes mox allegati teſtantur.

LIX.

CVm frequenter in iſtis Regionibus, & infra pag. 582. Bullarij. *Edita Anno 1587.*

COMPENDIVM.

Nuncius Papæ in Regnis Hiſpaniarum dubitans de validitate coniugiorum, quæ contrahunt eunuchi, & ſpadones vtroque teſte carentes in illis partibus, quid deſuper ſtatuendum eſſet, ab eo perquiſiuit, in princ. Cui Papa reſcribit, & eos ad contrahenda coniugia inhabiles declarat, & de cætero fieri prohibeat, eóſque qui de facto contraxerunt, ſeparari curet, & matrimonia ſic de facto contracta inualida decernat. §. 1. Et eos, qui iam contraxerunt, ſi appareat eos non vt caſtè ſimul viuant, contraxiſſe, ſed in eodem lecto cum mulieribus dormire, omnino ſeparari curet. §. 3. Et ita, & non aliter ab omnibus iudicari præcipit. §. 3. Contrariíſque derogat §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Nuncius ille Apoſtolicus quid egit in prædictis?

RESP. Cæſar Specianus in illis Regnis cum poteſtate Legati de latere Nuncius vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, quos prædicta concernunt, vel concernere poterant in futurum, has Apoſtolicas literas notificauit, decreuítque & declarauit, ac prohibuit reſpectiuè omnia in eis contenta die 17. Nouembris 1587. Matriti, vt Guttier. lib. 1. canonic. quæſt. cap. 15. affirmat, pag. mihi 93. in ſecunda editione.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erat DD. ſententia in hoc articulo ante hanc Sixti declarationem?

RESP. Communis erat Theologorum, & Iuriſperitorum opinio negatiua, & Sixtus V. nihil nouum ſtatuit, ſed ius antiquum, & naturale declarauit, vt patet ex ſcriptis à Rebel. de obligat. Iuſtit. lib. 3. quæſt. 16. num. 17. & latiùs à Sanchez de impedim. Matrim. lib. 7. diſput. 92. ſub num. 17 quorum vterque de huius Bullæ impedimentis agit.

LX.

SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ, & infra pag. 583. Bullarij. *Edita Anno 1586.*

COMPENDIVM.

Erigit in Vrbe Collegium honeſtarum virginum, & viduarum apud Monaſterium Monialium S. Bernardi de Vrbe. §. 1. & 2. Chriſti fidelium largitiones recipere poſſe indulget. §. 3. Regimen Confratribus Congregationis S. Bernardi concedit. §. 4. Eximit à iuriſdictione Vicarij Papæ, & aliorum. §. 5. Indulgentias elargitur. §. 6. Deputat Cardinalem in Protectorem, & Iudicem eius cauſarum. §. 7. Monaſterium, & Collegium quo pacto à dicta Congregatione viſitetur, decernit. §. 8. Quòd pauperes admittantur ad ſubſidia dotium, quæ à piis locis, & Confraternitatibus Vrbis diſtribuuntur, ſtatuit. §. 9. Quaſcumque perſonas quouis modo libere ad Monaſterij, & Collegij fauorem de bonis ſuis diſponere poſſe indulget. 10.

Scholion primum.

Quæro. Cur æquè honeſtarum viduarum, ac virginum pudori hac lege prouidetur?

R E S P. Quia viduitas non procul eſt à virginitate, & admiratione, & laude digni eſt Ita inquit Imperator Iuſtinian. in Auth. de non elig. ſecun. nubent. §. optimum. Qui textus intelligitur de viduitate longo tempore continuata, ſecundùm Caſſan. in catalog. glor. mundi. part. 2. conſid. 20. verſ. Et vt ait, pag. mihi 57. vbi nonnulla de laudibus viduitatis recenſet; & Petr. Greg. lib. 9. Syntagm. Iur. cap. 26. num. 41. & Valer. Max. lib. 2. cap. 1. ſcribit, eas quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honoratas apud Romanos, quod exiſtimarent eum præcipuè matronæ ſincera fide in corruptum eſſe animũ, qui poſt depoſitæ virginitatis cubile, in publicum egredi neſciret, multorum matrimoniorum experientiam, quaſi legitimæ cuiuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes. Quod refert etiam, & alia plura ſcitu digna commemorat Marquard. de ſuſ. de cælib. Sacerd. non abrog. cap. 10. & ſeqq. pag. mihi 112. tom. 14. diuerſor.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et in lege diuina, & humana nónne legitur viduas plurimi habitas fuiſſe?

R E S P. Ita quidem, ſed longum eſſet hic omnia percenſere: vide igitur apud Marquard. vbi ſuprà, & alios ab eo indicatos.

L X I.

PAſtoralis officij ſolicitudo, & infra pag. 587. Bullarij. *Edita Anno 1587.*

COMPENDIVM.

Pius I V. ſuper confidentiis beneficialibus Conſtit. 85. & Pius V. alteram 85, de quibus ſup. ediderunt. §. 1. & 2. Eas in Regno Franciæ ab Ordinariis executioni demandari iubet. §. 3. Appellationem non ſuſpenſiuam concedit. §. 4. Beneficia ex hoc crimine vacantia per Ordinarios conferri indulget. §. 5. Eorúmque fructus vſui Eccleſiarum applicari iubet. §. 6. Hortatur Regem ad harum literarum executionem. §. 7. Abſolutiorem à cenſuris Nuncio Apoſtolico apud Regem reſeruat. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt quòd Papa in tribus moderatur illas Conſtitutiones Pij I V. & Pij V.

R E S P. Vt in hoc Regno, vbi hucuſque receptæ non erant, eo faciliùs reciperentur, quòd ex his moderationibus certo certiùs oſtendebatur, nihil agi de intereſſe burſali Papæ, quod Galli cauere ſolent, teſte Pariſ. in ſuo Tractat. de Confident. quæſt. 11. num. 31. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fuerúntne cum effectu receptæ?

R E S P. Pariſ. vbi ſuprà num. 32. in d. eius Tractatu, quem edidit anno 1595. vſque ad eam diem ob temporum iniuriam, & magna (de quibus meminit) bella ciuilia, inquit audiuiſſe, executioni non fuiſſe demandatas. Ego autem poſtea executas arbitror, quia ſuper huiuſmodi cauſis habemus Rotæ Romanæ deciſiones de anno 1597. coram Orano in vna Tullenſi Simoniæ pro Abbate de Atreio, die 21. Aprilis, & de anno 1603. in vna Tulleuſi Confidẽtiæ coram Seraphino, die 9. Iunij. Hoc idem accepi à Iudice & Notario Curiæ cauſarum Confidentiæ in Vrbe, & vidi apud eius acta ad Regnum

gnum Franciæ plures datas fuiſſe expeditiones, & executas, multáſque ſententias promulgatas.

L X I I.

Edita Anno 1587. SAcri Apoſtolatus, & infra pag. 588. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Regimen Srudij generalis Almæ Vrbis, Collegio Aduocatorum Conſiſtorialium concedit. §. 1. & 2. Præcedentiam quoad alios Doctores, & Aduocatos antiquiores tribuit. §. 3. Priuilegia Doctores creandi, & alia omnia comprobat. §. 4. Clauſulas huius conceſſionis præſeruatiuas ſubdit. §. 5. Decretum irritans ſubnectit. §. 6. Executores deputat. §. 7. Contrariis derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Aduocati Conſiſtoriales cur ita nuncupantur?

R E S P. Quoniam in electionibus, quæ in Conſiſtorio Papæ olim fiebant, plerumque apparebant oppoſitores, conſtituerunt Pontifices ordinem hunc Aduocatorum, qui egregij eſſent Iuriſperiti, & non niſi ſolemni eorum periculo in hunc ordinem admiſſi, huiuſmodi munus in Conſiſtorio obirent, teſte Veſtrio in pract. Rom. Cur. libro 2. cap. 18. & Petro Gregor. lib. 49. Syntagm. Iuris c. 6. num. 10. Hodie autem in hac ſpecie otioſi ſunt, & in publicis tantùm Conſiſtoriis orant, Studiíque Vrbis regimen habent, iuxta Bullam huius Papæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Verúmne eſt quod hi Aduocati hoc officium ad filios & nepotes Iuriſperitos, & idoneos tranſmittant?

R E S P. Ex Pontificis benignitate ſic obſeruatum vidi, & Veſtrius, & Petrus Greg. vbi ſuprà de eiuſmodi priuilegio ſpecificè teſtantur.

L X I I I.

Edita Anno 1587. CIrcumſpecta Rom. Pont. & infra pag. 599. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Canonicis, ſeu Fratribus Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarũ, proprietatem ſtrictè interdixiſſe, ſolúmque victum, & veſtitum eis ſubminiſtrari decreuiſſe refert. §. 1. Pœnáſque conuenientibus impoſuiſſe. §. 2. Nunc eam prohibitionem ad terminos Concilij Tridentini, & conſtitutionum ipſius Congregationis reducit. §. 3. Superioribúſque Congregationis pœnas hactenus incurſas remittendi facultatem concedit. §. 4. Contrariáque remouet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Vbi Concilium Tridentinum prohibitionem proprietatis edixit?

R E S P. In ſeſſione 25. c. 2. de Regularib. & nihil noui iuris videtur inducere, ſed ſolùm continere declarationem c. Cùm ad Monaſterium, de ſtat. Regular. vt aduertit Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 29. artic. 10. verſ. Vnde dictum decretum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quid Canonico iſtius Congregationis detur ſub conditione, quòd illud habeat independenter à Prælato, liciténe recipitur?

R E S P. Non, quia directè contradicit Concilio, ſed peccat mortaliter qui recipit, & tenetur ſtatim danti reſtituere, vt poſt Sylueſt. quem allegat, firmat Rod. vbi ſuprà.

L X I V.

IN ſacroſancto B. Petri, & infra pag. 590. Bullarij. *Edita Anno* 1587.

C O M P E N D I V M.

Alexander VI. vniuerſale Srudium in Regno Valentiæ, vnde oriundus erat, inſtituit, & hic Pont. in ſua Conſtitut. n. de qua ſup. priuilegiis exornauit. §. 1. Nunc beneficia dicti Regni indigenis, & non alienigenis locorum Hiſpaniarum, in quibus Valétini ad beneficia non admittuntur, cõferri decernit. §. 2. Collatoribus contrauenientibus pœnas infligit. §. 3. Et etiã Notariis de adeptione poſſeſſionis eorum. §. 4. Declarat, alienigenas ad beneficia iuriſpatronatus admitti, ſi id fundationibus cautum ſit. § 5. Et etiam illos, qui ſunt alicuius Regni Hiſpaniarũ, in quo Valentini ad beneficia admittuntur. §. 6. Collationes, & prouiſiones aliter factas irritat. §. 7. Contrariis pleniſſimè derogat §. 8. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Verbum (*alienigena*) in hac Bulla, in quo ſenſu accipiendum?

R E S P.

Resp. Non pro eo, qui alterius eſt iuriſdictionis, in l. 1. Cod. de emancip. liberor. ſed magis propriè pro eo, qui in alio Regno, quàm Valentię natus, prout in contrario ſenſu accipitur hic indigena pro eo, qui in ipſo Regno genitus eſt, vt ex tex. clarè patet, & propria verborum ſignificatio indicat, ſecundùm Iſidor. lib. 10. Etymolog.

Scholion ſecundum.

Quæro. Collatio huiuſmodi beneficiorum, de quibus hic, ſi non haberet effectum, poſſetne iterum collator de eo prouidere?

Resp. Poterit, quia collator in nihilo peccauit, vt ſuo iure conferendi priuetur, ex. eſt clarus in cap. ſi electio. 26. de elect. in 6. & tradit Simon. de reſeruation. benefic. quæſt. 31. num. 2. cum aliis cumulatis à Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancellar. gloſ. 15. §. 2. num. 7.

L X V.

Edita Anno 1587. PRæclara deuotionis ſinceritas, & infra pag. 595. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat laudes Magni Ducis Hetrurię, in princip. Et petitionem eius pro licentia erigendi in Commendas Militiæ S. Stephani Hoſpitalia à laicis regi ſolita. §. 1. Quam licentiam Papa eidem concedit, quatenus non ſint illa pro recipiendis infirmis inſtituta, & de eis Sedes Apoſtolica diſponere non conſueuerit. §. 2. Conceſſionis clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 3. Et contrariorum derogatorias. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hoſpitale in dubio præſumendum eſt laicale, vel Eccleſiaſticum, vt in titulum beneficij conferri poſſit?

Resp. Laicale; gloſ. in clem. 2. in verb. Eccleſia, de præbend. Anchar. ibid. num. 10. Imola num. 16. & Panormit. n. 5. Rota in deciſ. Cantuccij 106. par. 2. diuerſ. num. 6. vbi adducit etiam quædam ſpecialia ſigna quod ſit laicale, & alia ſubnectit in deciſ. 122. num. 1. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Hoſpitale habet Eccleſiam, campanam, & ibi celebratur Miſſa?

Resp. Adhuc laicale diceretur, cùm ex prædictis non concludatur perneceſſe, quòd ſit beneficium. Rota in deciſ. Mohed. 18. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. cum aliis cumulatis à Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ. 5. §. 4. in fine.

L X V I.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 594. Bullarij. Edita Anno 1587.

C O M P E N D I V M.

Narrat, ſe pro commodiori aditu ad venerandas Vrbis Baſilicas, plures vias aperuiſſe, & ſtrauiſſe, & antiquum ritum Capellas Pontificias in illis Baſilicis celebrandi renouare, in princip. Fontémque aquæ Fælicis ad ſuperiores colles Vrbis perduxiſſe. §. 1. Concedit modò ædificantibus in Via Fęlici, & Via Pia indultum, quod ædificia ibi conſtructa, ob quodcumque delictum, prterquàm criminis læſæ maieſtatis diuinæ, & humanæ, confiſcari non poſſint. §. 2. Inhabitantibúſque per biennium priuilegia Romanorum Ciuium elargitur. §. 3. Habitatores pro debitis extra Statum Eccleſiaſticum contractis non moleſtari præcipit. §. 4. Priuilegio fori Capitolini gaudere decernit. §. 5. Artificéſque illa ædificia incolentes ab onere excubiarum, & à collectis Cōſulatus eximit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Apud quos primùm crimen læſæ maieſtatis, de quo in §. 2. ſeruatum fuit?

Resp. Apud Athenienſes, vt inquit Marcianus Iuriſconſultus in l. 3. ff. ad leg. Iul. Maieſt. & ſequitur Gyg. in ſuo tract. de crim. læſ. Maieſt. tit. 1. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Confiſcationis bonorum præſeruatio, de qua in §. 2. nónne eſt otioſa, ſi committitur crimen læſæ maieſtatis in ſecundo capite, ad tex. in l. fin. ff. ad leg. Iul. Maieſt.

Resp. Non, quia aliter videntur ſentire DD. vt in deciſ. Capic. 130. ſub num. 20. & 33. Menoch. conſ. 99. num. 86. & Odd. conſ. 27. num. 18. vbi de communi.

L X V I I.

CVm ſicut accepimus, nonnulli, & infra pag. 596. Bullarij. Edita Anno 1587.

C O M

C O M P E N D I V M.

Prohibet amotionem librorum à Bibliothecis Fratrum Minorum de Obſeruantia. §. 1. Formam eos conſeruandi, & inuentaria à Guardianis, antequam officium ſubeant, faciendi, & à Commiſſario quotannis reuidendi, præſcribit. §. 2. Contrauenientibúſque pœnam excõmunicationis, & alias grauiſſimas pœnas imponit. §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 4 Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne aliqua moderatio poſtea obtenta ſuper iſta Conſtitutione?

R e s p. Clementem Papam VIII. duas dediſſe moderationes perlege ex teſtimonio, quod huius tenoris edidit Reuerendiſſimus Pater Generalis iſtius Ordinis Franciſcus à Soſa, de quo apud Rod. tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 129. artic. vnico.

Frater Franciſcus à Soſa totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, & ſeruus.

Fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur omnibus Patribus, Miniſtris, Cuſtodibus, & Guardianis, cæteriſque Patribus, & Fratribus noſtræ curæ cõmiſſis, qualiter S. D. N. Dominus Clemens Papa Octauus, poſt priorem illam moderationem Conſtitutionis à Sixto V. ſuper Bibliothecis editæ, ad inſtantiam Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Matthæi noſtri Ordinis Protectoris viuæ vocis oraculo factam, in qua pœnam excommunicationis latæ ſententiæ appoſitam Fratribus Obſeruantibus contrauenientibus prædictæ Conſtitutioni Apoſtolicæ in totũ ſuſtulit, noſtris etiã ſupplicationibus inclinatus ſuæ vocis oraculo ſecundò moderatus eſt præfatam Conſtitutionem, remouens ab ea omnes pœnas ibidem expreſſas, quas ligare, & comprehendere Sua Sanctitas vult illas ſolũmodo perſonas, quas prædictas Bibliothecas defraudare contigerit, contra quas etiã extat Conſtitutio fel. record. Pij V. quæ nõ eſt reuocata. In cuius rei teſtimonium has noſtras tradimus litteras manu noſtra ſubſcriptas, maioriq; officij noſtri ſigillo munitas, quarũ tranſumptis etiam impreſſis, manu & ſigillo Patrum Prouincialium munitis, à Miniſtris in ſuis Prouinciis eadem fides adhibeatur, quæ his noſtris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. in noſtro Mediolanenſi B. Mariæ Pacis Conuentu, die 2. Octobris 1600.

F. F r a n c i s c v s   a   S o s a
Miniſter Generalis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Diploma Pij V. enunciatum in præfato Reuerendiſſimi Patris Generalis teſtimonio, vbi perquiram?

R e s p. Cùm illud Genitor meus prætermiſerit, & alibi non ſine difficultate reperires, hic tuo, & aliorum commodo excuſum volui.

P I V S   P A P A   V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ſicut accepimus, nonnulli conſcientiæ ſuæ prodigi, & auaritiæ morbo laborantes, libros ex Bibliothecis nõnullorum Monaſteriorum, & Domorum Ordinis S. Franciſci furto extrahere, & penes ſe pro eorum vſu retinere non verentur, in animarum ſuarum periculum, & ipſarum Bibliothecarum, ac Fratrum eiuſdem Ordinis non modicum præiudicium: Nos ſuper his, prout noſtro incumbit officio, de opportuno remedio prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra vniuerſis, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali dignitate præfulgeant, tenore præſentium mandamus, ne ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua librum aliquem, aut quaternum furto ſubtrahere quoquomodo præſumant. Nos enim quoſcumque ſubtrahentes excommunicationis ſententiæ ſubiacere volumus, & decernimus ipſo facto, à qua nullus ab alio, quàm à Rom. Pont. poſſit (niſi dumtaxat in mortis articulo) abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinum præfatorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die iiij. Nouembris M. D LXVIII. Pontificatus noſtri anno quarto.

Digitized by Google

L X V I I I.

Edita Anno 1587.

APoſtolici muneris ſolicitudo,& infra pag. 597. Bullarij.

COMPENDIVM.

Nonnulli ex Fratribus Conuentualibus Sancti Franciſci ſtrictiorem vitam agere cœperunt,& ſe reformare, & aliquos Conuentus acquiſiuerunt ſub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis Conuentualium viuentes.§.1. Supplicant Papæ conſentientibus Protectore , & Miniſtro generali Ordinis pro confirmatione. d. §. 1. Qui illam approbat. §. 2. Eorum Congregationem Superioribus Conuentualium ſubeſſe decernit. §. 3. Cuſtodem Prouinciæ habere indulget. §. 4. Et ex Reformatis eligere. §. 5. Eius officium & munus præſcribit. §. 6. Congregationi priuilegia Conuentualium communicat. §. 7. Syndicum pro ſæcularibus negotiis agẽdis permittit, habitúmque eorum deſignat. §. 8. Super præmiſſis moleſtari prohibet. §. 9. Alios Fratres cuiuſcumque Ordinis Sancti Franciſci de licentia Generalis, alios verò recipere nequaquam poſſe decernit. §. 10. Cum Conuentualibus ad Proceſſiones incedere,ab illiſque nequaquam ſe ſeparare, & non alium Protectorem, vel Prouinciales, quàm Conuentualium habere poſſe iubet. §. 11. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Paulatim ergo reformationem inducere, vt hic dicitur in §. 1. opportunum fuit?

RESP. Fuit, & erit, ſuauiter Religionum reformationes inducere, & non ex impetu, & ex abrupto,vt ex ſententia Caietani, quam refert, inquit Nauar. in commentar. de Regularibus, n.34. & latè proſequitur Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 73. art. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur adhibitus fuit conſenſus Generalis Ordinis Conuentualium, de quo in §. 2.

RESP. Sixtus vti Papa non indigebat, neque requiſiuit conſenſum Generalis, ſed Fratres eius fortaſſe conſenſum adhibuerunt, vt faciliùs Papam inducerent ad approbationem reformationis, ad ea, quę ſcribit Rod. vbi ſuprà artic. 2. poſt med. pag. mihi 227.

L X I X.

Edita Anno 1587.

ANno ſuperiore decies, & infra pag. 599. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, ſe anno ſuperiore decies centena millia in Arce S. Angeli pro Sedis Apoſtolicæ præſidio in eius Conſt. 31. de qua ſup. repoſuiſſe, in procem. Et deinde alia decies centena millia collegiſſe, quæ ibidem nunc reponit iiſdem legibus, & conditionibus in dicta 1. Conſtit. appoſitis.§.1. Declarat, hanc pecuniam ob cauſam recuperationis Regnorum à quicuſcumque Catholicę Romanæ Eccleſiæ hoſtibus occupatorum, & in expeditione contra eoſdem promi poſſe. §. 2. Formémque eam depromendi præſcribit. §. 3. Et quamprimùm reponi iubet. §. 4. Prædicta ſe ſeruaturum vouet, & à Cardinalibus præſentibus idem promiſſum fuiſſe aſſerit, & ab aliis promitti debere decernit.§.5. Cætera in 1. Conſt. contenta præcipit.§. 6.Succeſſoribus in aliquo contrauenientibus indicat contra eorum poſteros, & Cardinalium conſentientium hæredes agendum eſſe. §. 7. Sanctionem pœnalem apponit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Contra hoſtes ergo pecuniæ præſidium eſt tutiſſima defenſio?

RESP. Pecunia eſt neruus belli, timorem incutit, potentiam, & æſtimationem parit, & alia multa, de quibus vide ſcripta per Barthol. Cæpol. de Imperator. milit. diligen. in §. Diuitiis. Lancellot.in Tẽplo omn. Iudic.l.1.c.2.de Rege, num. 18. & Caſſan. in catalog. gloriæ mundi. par. 12. conſid. 54.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pro recuperatione Ciuitatis Ferrariæ potuit extrahi hæc pecunia,depromi permiſſa pro recuperatione Regni, & contra S. R. E. hoſtes in §. 2.

RESP. Bellum iuſtè fuit indictum à Clemente VIII. contra illius Ciuitatis occupatorem, & ob id Sanctæ Romanæ Eccleſiæ hoſtem, vt habetur in deciſ. Seraphin.1384.n.24.& ſeqq.in nouis. Vnde caſus reſolutio affirmatiua legitur in ipſo §. 2. & ſic eo tempore obſeruatum fuiſſe omnibus notiſſimum eſt.

LXX.

L X X.

Edita Anno 1587. SVper ſpecula militantis, & infra pag. 600. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Hic Pont. in ſua Conſtitut. 32. de qua ſup. approbauit Congregationem B. MARIÆ Fullienſis Monachorum Ciſtercienſis Ordinis, ſtrictioris obſeruantiæ in dicto Monaſterio B. MARIÆ. §. 1. Cuius propagatio ad alia loca apud Papam expetitur. §. 2. Et concedit. §. 3. Nouitióſque recipiendi licentia datur. §. 4. Et huic Congregationi gratiæ totius Ordinis Ciſtercienſis non ad inſtar, ſed æquè principaliter communicantur. §. 5. Irrita decernuntur, quæ in contrarium attentantur. §. 6. Contrariáque omnia remouentur. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegiorum communicatio, de qua in §. 5. ligáine, & effectum habet, antequam publicetur, contra regulam, de qua in Auth. Vt nouæ factæ conſtitut.

R E S P. Illa regula non procedit in lege priuilegium concedẽte.l.3.vbi Bald. & Caſtren. Cod. de legib. & Rota in deciſ. Put. 145. lib. 2. num. 1. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne idem operatur decretum irritans appoſitum in §. 6.

R E S P. Idem ad effectum, vt ſit nullus actus geſtus aduerſus priuilegium non publicatũ.Latè Gabr.de clauſul.cõcluſ. 3.n.45.& Rota in deciſ. præcit. n. 4.

L X X I.

Edita Anno 1587. *&* 1588. CVm de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, & infra pag. 601. *Item*; Ad Romanum ſpectat, & infra pag. 603. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prohibet illegitimos ex inceſtu, vel ſacrilegio ad profeſſionem regularem admitti. §. 1. & 2. Alióſque illegitimos certo modo admitti permittit; ſed non ad Ordinis dignitates. §. 3. Iubet recipiendorum reformationem in Capitulo, vel in Monaſteriis à Capitulo deputâdis haberi, & criminoſos ſuſpenſos, & ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt vel mota ſit aliqua moleſtia, vel ne inferatur timendum ſit, recipi vetat in §. 4. necnon. §. 7. ſubſeq. Conſt. Receptiones aliter factas damnat. §. 5. Recipientibus pœnas infligit. §. 6. Tranſitum abſque licentia de vna ad aliam Prouinciam vetat. §. 7. Nonnulla dubia deſuper exorta declarat in ſubſeq. Conſtitut. Facultates omnes recipiendi Nouitios extra Capitula reuocat. §. 23. Et ita iudicari præcipit. §. 24. Contrariiſque derogat. §. 25.

Scholion primum.

Quæro. Si profeſſi poſt hanc Bullam, nullo impedimento de contentis in ea detinentur, ſed peccatum eſt in inquiſitione, eorum profeſſio erit nulla?

R E S P. Nullam eſſe puto ex clara diſpoſitione §. 1. primæ Conſtitut. & §. 12. ſecundæ Conſtitut. quarum verba mihi clara videntur; & ita communiter teneri fatetur Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 54. art. 5. verſ. Sed contrà. vbi tamen ipſe ab ea ſubtilibus argumentis diſcedere voluit, ſed non reſpondet verbis d. §. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qua ratione factum eſt, vt illegitimi ſic à Religionis ingreſſu repellantur, cùm multi ex eis extiterint omni virtutum genere ornatiſſimi, quíque præcipuam ingenij, ac morum ſanctitatis laudem ita promeruerint, vt hoc nominis vitio, naturæ præſtantia, laúſque diminui non potuerit, vt de Gratiano dicitur Decretorum compilatore, Iephte inter Sanctos relato, cap. 6. diſt. 56. Albanóque inter Martyres aſcripto, & aliis indicatis à Paleotto de noth. & ſpur. cap. 55. num. 10. & ſeq.

R E S P. Ratio ea eſt, quòd frequentiùs malis moribus imbuuntur, & variis criminibus ſunt rei, & ideo lex adaptatur, & promulgatur ſuper his, quæ frequentiùs eſſe ſolent. l. nam ad ea verb. ff. de legib. cum ſimilib. & firmat Graff. par. 1. ſuarum deciſ. lib. 4. cap. 27. num. 55. vbi de expoſitione huius Bullæ luculenter agit.

L X X I I.

IN ſublimi B. Petri Sede, & infra pag. 606. Bullarij. *Edita Anno* 1587.

COMPENDIVM.

Gubernator Vrbis ſuæ Curiæ reformationem edidit. §. 1. Cardinalis Matthæius à Papa delegatus eam examinauit,& abſoluit.§.2. Quæ reformatio primo loco de facultatibus Locumtenentis ciuilis loquitur. §. 3. & ſeqq. Secundo loco de Notariis eiuſdem. §. 13. & ſeqq. Tertio loco de Mandatariis dictæ Curię. §. 29. & ſeqq. Quarto loco de Procuratoribus.§.33. Quinto loco de executoribus eiuſdem Curiæ.§. 34. & ſeqq. Papa hanc reformationem approbat. §. 38. Clauſulam, *Sublata*, &c. apponit. §. 39. Contrariiſque derogat. §. 40.

Scholion primum.

Quæro. Quis huius reformationis promotor fuit apud Papam,Cardinalémque Matthæium, & Gubernatorem?

RESP. Laërtius Cherubinus Genitor meus, tunc Reuerendiſſimi Mariani Perbenedicti Epiſcopi Maturan. Gubernatoris in cauſis ciuilibus Locumtenens, vt patet ex actis Notariorum ciuilium illius Curiæ ſub die 4. Decembris 1587. & legitur in fine huius Bullæ primùm à Genitore meo collectæ in prima parte Bullarij Conſtit. Sixti V. fol. 270.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt quòd ſportulæ ſoluuntur Locumtenenti in cauſis etiam ordinariis contra decretum in §. 11.

RESP. Pontifices ſucceſſores id permiſerunt Gubernatoribus, idem pro tempore poſtulantibus, tum quia habitationem in Palatio, de qua in d. §. 11. dare ipſis erat oneroſum, tum etiam vt Locumtenens hoc ſibi maiori ſtipendio conſtituto, procul ab omni ſorde diligentiùs ſuo muneri ſatisfaceret. Et ita etiam hodie poſt nouiſſimam fel.record. Pauli V. reformationem(in qua hæc eadem de habitatione, & ſalario cauentur) obſeruatur.

LXXIII.

Edita Anno 1587. Laudemus viros glorioſos, & infra pag. 608. Bullarij.

COMPENDIVM.

Imperatores Chriſtianos laudibus effert, in exord. Narrat, in parietibus Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ recondita quædam numiſmata ex auro puriſſimo obrizo confecta inuenta fuiſſe, in quibus ſignum Crucis ex vna parte cum aliqua imagine cernitur, & ex altera effigies Auguſtorum Imperatorum,nempe Theodoſij Senioris,Arcadij,& Honorij filiorum eius,Theodoſij Iunioris,Valentiniani Tertij, Marciani, Leonis,Iuſtini, Iuſtiniani,Tiberij,Mauritij,Phocæ, & Heraclij.§. 1. Theodoſium Seniorem, & alios prædictos, & eorum quemlibet ſingulariter collaudat. §. 2. & ſeq. Numiſmata eorumdem ad Imperatorem, & alios Reges, & Principes tranſmittit, vt ad Religionis laudem excitentur. §. 13. Imitatum ſe inquit Gregorium Papam, qui Regibus, & Principibus aureas Cruces, & claues paruulas mittere conſueuerat. d. §. 13. Alia autem de numiſmatibus prædictis aſſerit Cardinalibus, & præſtantibus viris diſtribuiſſe.d. §. 13. Multis Indulgentiis ea numiſmata inſignjuit. 14. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Numiſma quis omnium primus percuſſit?

RESP. Phædon, ſeu Argeus Græcus numiſma primus excuſit Athenienſibus, & Lyciis Erictonius, Lydis verò Xenophanes. Sic poſt alios ſcribit Petr. Greg. lib. 35. Syntagm. Iur. par.3.cap.2. num. 19. vbi alia de numiſmatibus ſcitu digna recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Numiſma cur ſic dictum?

RESP. Quia nomine Principis, & effigie ſignatur, & licèt deberet ſcribi per O, vſu tamen in V, conuerſum fuit,vt tradit Lucas de Pen.in rubr.Cod. de veter. numiſm. poteſt. lib. 11. num. 1. Scot. ſuper repetit. l. 1. ff. ſi cert. petat. numero 204.

LXXIV.

Immenſa æterni Dei, & infra pag. 611. Bullarij. *Edita Anno 1588.*

COMPENDIVM.

Inſtituit quindecim Congregationes S. R. E. Cardinalium, ſinguliſque certa negotia aſſignauit. §. 1. & 2.

Congregationem primam Sanctæ Inquiſitionis hæreticæ prauitatis iam in Vrbe inſtitutam comprobat, omnémque eius authoritatem ſuper omnes Prælatos, & Inquiſitores circa hæreſim cùm

cùm manifeſtam, tum etiam præſumptam corroborat; Miniſtrorum priuilegia confirmat, ac Principes ad ei auxilium præſtandum hortatur, ita tamen vt ipſo Papa inconſulto in officio S. Inquiſitionis in Regnis Hiſpaniarum nihil nouetur.

Congregationem ſecundam pro Signatura Gratiæ firmat, vt eius Cardinales in ea votum Papæ proferant.

Congregationem tertiam pro erectione Eccleſiarum inſtituit, vt eius Cardinales cognoſcant de legitimis cauſis erectionum nouarum Eccleſiarum Patriarchalium, &c. examinénque controuerſias incidentes inter iam erectas, necnon Eccleſiarum, & Monaſteriorum vniones, tranſlationes, coadiutorias, &c. Ac etiam circa ætatem, & qualitatem promouendorum.

Congregationem quartam pro vbertate Annonæ Status Eccleſiaſtici conſtituit, vt eius Cardinales omni ſtudio curent de copia frumenti, atque aliarum huius generis frugum, quibus ad vitam humanam ſuſtentandam egemus; necnon præſeruatione ſcutorum 2000. huic operi aſſignatorum.

Congregationem quintam pro ſacris Ritibus, & cæremoniis inſtituit, vt Cardinales ſtudeant, quòd veteres Sacri Ritus obſeruentur, cæremoniáſque ſi deprauatæ fuerint, reforment, vel ſi obſoluerint, reſtituant. Pontificale, Rituale, & Cæremoniale reforment: diuina officia de Sanctis examinent. Et ad Sanctorum canonizationem, & dierum feſtorum celebrationem curam adhibeant.

Congregationem ſexam pro Claſſe paranda, & ſeruanda ad Status Eccleſiaſtici defenſionem inſtituit, vt eius Cardinales decem triremibus parandis præſint, nautarum, & militum Chriſtianam, piámque vitam, ægrotorúmque refectionem piè curent. Subſidium quoque pecuniarium huic operi deſtinatum præſeruent.

Congregationem ſeptimam pro Indice librorum prohibitorum inſtituit, vt eius Cardinales illorum expurgationem curent; Indices, eorúmque regulas recognoſcant, reiiciendóſque reiiciant, deprauatos emendent, libros approbandi, & imprimendi ratione præſcribât, &c.

Congregationem octauam pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini comprobat, vt eius Cardinales in his quæ de morum reformatione, diſciplina, & moderatione, & Eccleſiaſticis iudiciis, aliiſque ſtatuta ſunt, in dubium venerint, interpretentur à Papa cõſulto, cui tamẽ reſeruata ſit interpretatio in his, quæ ad fidei dogmata pertinent. Curent de Synodis celebrandis. Patriarcharum, & aliorum Prælatorum ad limina Apoſtolorum venientium poſtulata audiant, vt ab eis, vel Papa prouideatur. Et cum eiſdem de ſtatu Eccleſiarum diligenter agant, reformationíque Cleri, & populi in vniuerſo orbe ſtudeant.

Congregationem nonam pro Status Eccleſiaſtici grauaminibus ſubleuandis inſtituit, vt eius Cardinales grauamina vectigalium, & tributorum, & eorum exigendi rationem, Quæſtorum, & Commiſſariorum extorſiones cognoſcant, vt ab eis, vel à Papa prouideatur.

Congregationem decimam pro Vniuerſitate Studij Romani firmat, vt eius Cardinales Lectorum, & Magiſtrorum electionem, ſtipendiíque conſtitutionem curent. Collegiorum Vrbis alumnos ad ſtudia excitent. Vniuerſitatum Studiorum negotia apud Sedem Apoſtolicam peragant.

Congregationem vndecimam pro Cõſultationibus Regularium inſtituit, vt eius Cardinales conſultationibus ſuper controuerſiis, & dubitationibus à Regularibus, Clauſtralibus, Mendicantibus, & non Mendicantibus, Hoſpitalariis, Militaribus, & aliis cuiuſcumque Ordinis propoſitis reſpondeant, licentiam tranſeundi ad arctiorẽ religionem dare poſſint. Extra Monaſteria vagantes coërceant. Iuſſa Viſitatoris Apoſtolici, & Pontificias conſtitutiones circa ipſos Regulares exequantur.

Congregationem duodecimam pro Conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum erigit, vt eius Cardinales eorum petitiones audiant, conſultationibus reſpondeant, cauſas Eccleſiarum, eorúmque iurium, & conſuetudinum, dignitatis, iuriſdictionis, & exemptionis cognoſcant, Viſitatores ad Eccleſias viſitandas vbique locorum Papæ præſentent; viſitationis formam illis

præſcribant, Vicarios Apoſtolicos ad Eccleſiarum regimen delegent, Prælatos, eorúmque & Eccleſiarum bona tueantur.

Congregationem decimamtertiam pro viis, pontibus, & aquis curandis in Vrbe, & Statu Eccleſiaſtico erigit, vt eius Cardinales de illis pro Vrbis, & Status ornamento, aëris ſalubritate, incolarum vtilitate, & peregrinorum itérque agentium commoditate diligenter curent.

Congregationem decimamquartam pro Typographia Vaticana inſtituit, vt eius Cardinales emendatiſſimam librorum, quibus fidei Catholicæ doctrina, traditionéſque Eccleſiaſticæ continentur, & explicantur, impreſſionem curent; Typographos, ac librorum recognitioni præfectos ſimili impreſſioni ſtudere moneant.

Congregationem decimamquintam pro conſultationibus negotiorum Status Eccleſiaſtici comprobat, vt eius Cardinales dubitationes oriundas ſuper litibus ad forum ſeculare ſpectantes etiam inter Fiſcum, & priuatum, & alios quoſcumque, etiam coram quibuſcumque Iudicibus indeciſas pendentes audiant, & decidant. Confiſcationes, & mulctas, pœnas etiam corporis afflictiuas, & vltimi ſupplicij conſulto Papa commutent, & moderentur. Carceratos de loco ad locum transferri mandent. Cætera pro iuſtitiæ conſeruatione, & ſubditorum quiete deliberent.

Subdit tres declarationes. Primam, quòd pro validitate expeditionum Cardinales in qualibet Congregatione non ſint pauciores tribus. §. 1. Secundam, quòd quælibet Congregatio ſuum habeat Secretarium ab eius Cardinalibus deputandum. §. 2. Tertiam, quòd in conſultationibus adhibeant viros Theologię, & Iuris peritos ab ęiſdem eligendos, grauioráque Papæ referant. §. 3. Decretum irritans huic Bullæ apponit. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Principes Chriſtianos ad fidei Catholicæ propugnationem, & erga Sedem Apoſtolicam obſeruantiam, hortatur. §. 6. Alios Eccleſiaſticos præmiſſis obedire monet. §. 7. Hanc legem inter alias Apoſtolicas Conſtitutiones adnumerari mandat. §. 8. Sanctionémque pœnalem adiicit. §. 9.

Subdit alias quinque declarationes. Primam, quòd ante inchoatum iudicium pars, ſi renuerit conſentire in Congregationem, ad Iudicem competentem remittatur. §. 2. Secundam, quòd poſt inchoatum iudicium partibus volentibus, Congregatio cauſas ad ſe auocet, & decidat. §. 3. Tertiam, quòd Congregatio etiam de emergentibus cauſarum iudicet. §. 4. Quartam, quòd in Breui expediendo ſuper cauſa per Congregationem deciſa fiat mentio de determinatione Congregationis. §. 5. Quintam, quòd Iudices exequantur mandata Cõgregationũ. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Declarationes Congregationis octauæ dicentúrne doctrinales, vel diffinitiuæ, & vti tales imponant neceſſitatem?

RESP. Diffinitiuæ, & obligatoriæ, vt exploſa cuiuſdam viri contraria opinione, oſtendit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 11. artic. 2. & eſt certiſſimum, quia conſulto Papa prodeunt, vt explicatè in textu hic habetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nunquid etiam extra Congregationem petitorum conſilia haberi poſſint?

RESP. Id non credo vetitum, & video Cardinales Congregationis conſulto Papa Rotæ Romanæ deciſionem habere circa dubia, quæ ardua reputantur, pro interpretatione Concilij Tridentini, vt patet ex deciſ. 985. & 1442. Seraphin. in nouis.

LXXV.

DVm pro communi totius gregis Dominici, & infra pag. 617. Bullarij. *Edita Anno* 1588.

COMPENDIVM.

Enunciat, in Statu Eccleſiaſtico inter alios abuſus eius tranquillitatem perturbantes, illum irrepſiſſe abuſum, quòd occaſione adipiſcendæ, recuperandæ, vel retinendæ poſſeſſionis bonorum immobilium, armatorum hominum coadunationes fiant, & tumultus commoueantur. §. 1. Ideo omnibus eas facere prohibet, ob prædictas, & alias vrgentiores, & vrgen

Digitized by Google

vrgentiſſimas, conſuetudinéque permiſſas cauſas. §. 2. Excipit caſum pro tollenda infeſtatione bannitorum, vel tuitione locorum maritimorum aduerſus Turcas, aut piratas, vel ſic iubente Rom. Pont. vel eius Officialibus, aliqua neceſſitate vrgente. d. §. 2. Coadunantibus eiuſmodi hominum copias, infligit grauiſſimas pœnas. §. 3. Contrariiſque omnibus derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid dicendum de perſonis conuocatis, cùm hic ſolùm agatur de punitione conuocantium?

RESP. In Statu Eccleſiaſtico, vbi locum habet ſanctio iſta, cuiuſque ſic conuocatorum pœna eſt trium ictuum funis, & ſcutorum auri in auro 200. vt ſic expreſsè cauetur in bannimentis Gubernatoris Vrbis editis anno 1621. num. 58. videlicet.

58. Che niuno ardiſca fare ſotto alcun queſito colore coadunationi, ò conuenticole di perſone, ſotto pena à quelli, che ſaranno capi, ò autori, della vita, & confiſcatione de beni, & à gl' altri, che ci interueniſſero di tre tratti di corda, & di ſcudi doicento d'oro, d'applicarſi per vn quarto all' accuſatore, etiam ſecreto, & gli ſarà credûto. Dichiarandoſi che ſarà tenuta conuenticola, è coadunatione ogni volta, che ſarnno più di quattro con armi, & più di ſette ſenz' armi. Riſeruando nell' arbitrio di Sua Signoria Reuerendiſſima, circa maggiore, ò minor numero, & circa la cauſa della coadunatione ſudetta il giudicarla conuenticola, ò con armi, ò ſenza, & incorrere in maggiore pena, ò minore, ſecondo la qualità de caſi. Et eſſendo il caſo de contenuti nella Bolla della felice memoria di Siſto V. fatta in ſimil materia, ſotto la data delli 16. di Febraro 1588. ſi procederà all' eſſecutione delle pene in eſſa contenute.

Et eodem tempore in aliis bannimentis generalibus Satus Eccleſiaſtici eodem anno promulgatis num. 37. & ſeq. videlicet.

37. Et in oltre Sua Signoria Illuſtriſſima eſpreſſamente ordina, & commanda, che neſſuna perſona come di ſopra ardiſca, ò preſumma ſotto alcun queſito colore far coadunationi, ò conuenticole di perſone, ſotto pena à quelli, che ſaranno capi, ò autori, della vita, & confiſcatione de beni, & gl' altri, che ci interueniſſero di tre tratti di corda in publico, & doicento ſcudi d'oro in oro per ciaſcuno, & ciaſcuna volta, d'applicarſi per vn quarto all' accuſatore, il quale ſarà tenuto ſecreto, vn quarto all' eſſecutore, & il reſto alla Reuerenda Camera Apoſtolica.

38. Dechiarando, che ſarà tenuta conuenticola, & coadunatione ogni volta che ſaranno inſieme più di ſei con armi, & più di dieci ſenz' armi, riſeruato però l'arbitrio di Sua Signoria Illuſtriſſima circa alla dechiaratione del maggiore, ò minor numero, & circa alla cauſa della coadunatione predetta, da giudicarſi conuenticola, ò nò, con armi, & ſenza, & l'incorrere maggior pena, ſecondo la qualità de caſi, & delle perſone, come di ſopra.

Et tam in iſtis, quàm in illis habetur quis hominum ſit numerus, vt conuenticula, ſeu hominum collectio, de qua agitur, reputetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num hæc Bulla eſt reſtringenda ad hominum conuocationes, quæ fiunt occaſione adipiſcendæ, recuperandæ, & retinendæ poſſeſſionis bonorum immobilium?

RESP. Nequaquam id dicendum: ſi quidem Papa voluit omnem ſpeciem tumultus in ſuo Statu remouere, & non ſolùm ob cauſas prædictas eiuſmodi coadunationes fieri vetat, ſed etiam ob vrgentiores, & permiſſas; & ſic etiam ad bonum finem, vt inquit Farin. quæſt. 113. num. 174. in fine. Sed vt de iſtius Bullæ generali caſuum omnium comprehenſione ſis omnino, certus, perlege, quæ aliàs ſuper hoc dubio conſultus excellentiſſimus D. Ioan. Baptiſta Spada hac floridiſſima tempeſtate celeberrimus Iuriſconſultus Lucenſis, Sacræ Aulæ Conſiſtorialis, ac Fiſci, & Reu. Cameræ Apoſtolicæ Aduocatus eruditiſſimè ſcripſit, eiúſque conſilium Pauli Quinti teſtimonio pluries laudabiliter comprobatum (vt Genitor meus aſſeruit) ne tanti viri doctiſſimè ſcripta ſine luce iacerent in tenebris, in lucem libenter protuliſſem, niſi in tertio vol. conſ. Farinac. conſ. 229. pag. 145. impreſſum vidiſſem. Præterea ne huiuſmodi Sixti Conſtitutio variis in poſterum interpretationibus eluderetur, idem Paulus V. ſupradictus eâ ſpecifica declaratione corrobor

roborauit, quàm à Genitore meo in ſua Bullarum collectione prætermiſſam (eo quod opportunè tunc ſine mendo habere non potuit) hic imprimere operæ pretium ipſe ſunt arbitratus.

Edita Anno Dom. 1615.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sixtus V. edidit Bullã 75. fol. 617. lib. 2. noui Bull. Cuius ſenſum quidã interpretes nõ:mis reſtringebãt.

§. 1. *ALiàs à fæl. record. Sixto Papa V. prædeceſſore noſtro, ad prohibendum armatorum tumultus, & ſeditionũ occaſiones in Statu noſtro Eccleſiaſtico, emanarũt literæ tenorũ ſubſequẽtis, videlicet.*

Omittitur tenor, cum ipſa Bulla 75. fol. 617. lib. 2. noui Bullarij.

§. 2. *Licèt autem dictæ Conſtitutionis verbis iuxta eiuſdem Sixti prædeceſſoris mentem prædictam, ſatis prouiſum ſit, tamen quoniam ſicut accepimus, nonnulli eiuſdem Conſtitutionis publicæ tranquillitatis ſaluberrimum remedium variis interpretationibus eludere tentant, vltrà quàm oportet eam reſtringentes, & cauſa incontinenti recuperãdæ, aut retinendæ poſſeſſionis congregare armatos minimè prohibere affirmantes, ſed aduerſus illius verba, ac mentem interpretantes.*

Hic ergo Pontifex eã Conſtitutionem omnes eiuſ comprehẽdere declarat, præter quàm vera ac neceſſaria cauſa defenſionis, ad vim vi repellendam, cum moderatione inculpata tutela, excipiſque caſus in d. Sixti V. Cõſtitut. conceſſos.

§. 3. *Iccirco nos, qui tumultuum, perturbatianum & ſcandalorum ex Vrbe noſtra, & vniuerſo Statu Eccleſiaſtico quaſcunque cauſas, & accaſiones euellere pro noſtri Paſtoralis officij debito ſummopere enitimur, vt illis ſublatis ſubditorum noſtrorum controuerſiæ, Iuſtitiæ miniſterio in pace, & tranquillitate terminentur, & ius ſuum vnicuique tribuatur, omnem diſputandi occaſionem huiuſmodi penitus tollere, & quantùm cum Domino poſſumus, deſuper prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatiane noſtris, dèque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione decernimus & declaramus, Conſtitutionem Sixti prædeceſſoris huiuſmodi in retinendæ poſſeſſionis, & quibuſcumque aliis caſibus locum habere, excepta tantummodo cauſa vera & non ficta, ac neceſſaria ad vim vi repellendam, cum moderamine inculpatæ tutelæ, defenſionis, non tamen violenter, aut de facto adeptæ, vel recuperatæ poſſeſſionis, cæteriſque omnibus cauſis in dicta Conſtitutione expreſſè exceptis & permiſſis.*

Et ita, ac non aliter iudicari decernit.

§. 4. *Sicque, & non aliàs in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat.

§. 5. *Non obſtantibus omnibus illis, quæ idem Sixtus prædeceſſor in ſua prædicta Conſtitutione voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Publicatio eius in Vrbe effectũ inducit.

§. 6. *Volumus autem quòd præſentes noſtræ in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac in acie Campi Floræ de Vrbe affixæ, & publicatæ, ita omnes arctent & afficiant, perinde ac ſi vnicuique intimatæ fuiſſent.*

D. P. An. 11. die 24. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die xiv. Iulij M. D C X V. Pontificatus noſtri anno 11.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI *1615. Indict. 13. die verò 30. menſis Iulij, Pontificatus S. D. N. diuina prouidentia Pauli Papæ V. anno 11. retroſcriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt iuxta ſolitum ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, in acie Campi Floræ, & Canc. Apoſtol. ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis, per Siluerium Pontirolum, & Dominicum de Rubeis, S. D. N. Papæ Curſores.*

AVGVSTINVS BRACCHERIVS Mag. Curſorum.

LXXVI.

Edita Anno 1588.

TRiumphantis Hieruſalem gloria, & infra pag. 620. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Bonauentura Balneoregienſis Ordinis S. Franciſci profeſſor à Sixto IV. in ſua Conſt. 21. de qua ſup. tom. 1. canonizatus fuit. §. 1. Et eius vita ſummatim refertur. §. 2. Præclara eius geſta enarrantur. §. 3. Generalis Miniſter in Ordine poſt S. Franciſcum ſeptimus fuit. §. 4. Archiepiſcopatúſque Eboracenſis à Clemente IV. ei oblatus, & per eum recuſatus fuit. §. 5. Ad generale Concilium Lugdunenſe à Gregorio X. vocatus, & humaniſſimè exceptus extitit. §. 6. Cardinalis, & Epiſcopus Albanẽſis ibidẽ

ab

ab ipſo Greg. X. creatus fuit. §.7. Poſt multa præclarè geſta ibidem deceſſit, & miraculis claruit.§.8. Et ideo Sixtus IV. in d. eius Conſt. 21.illum catalogo Sanctorum Confeſſorum adſcribit. §. 9. Et hic Pontifex ad eiuſdem S. Bonauenturę doctrinam illuſtrandam intentus fuit. §. 10. Collegiúmque S. Bonauenturæ iuxta Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorũ de Vrbe Fratrum Conuentualium inſtituit. §. 11. Eius opera emendatiſſima in Typographia Vaticana in lucem emitti curauit. §. 12. S. Thomæ Aquinatenſis, & S. Bonauenturæ, qui inter eos coniunctiſſimi fuerunt, feſta peragenda eſſe firmat. §. 13. Et Sanctum Bonauenturam inter Eccleſiæ egregios Doctores connumerat. §. 14. Eiúſque opera in dicta Typographia imprimenda publicè citari decernit.§. 15. Eius feſtum die 16. Iulij duplici officio celebrari iubet. §. 17. Indulgentiáſque pro ea die elargitur. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Quis tanti Doctoris præceptor fuit?

RESP. Alexander de Ales,qui illius ingenium, & vitæ ſinceritatem aliquando contemplans, dicere ſolebat,ſibi videri in Bonauentura Adamum non peccaſſe, vt ſcribit Ciacon. in vita Greg. X. pag. mihi 597.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliorum Eccleſiæ Doctorum feſta celebrantur etiam duplici officio, prout hic in §. 16. decernitur celebrari feſtum huius Sancti?

RESP. Certiſſimum ſic eſſe liquet ex diffinitione Bonifacij VIII.in cap.1.de reliq. & venerat. Sanctorum, in 6.

LXXVII.

Edita Anno 1588. Exigit incumbentis nobis, & infra pag. 614. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cauebatur in Conſtitutionibus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli,illegitimè natos, etiam per ſubſequens matrimoniũ legitimatos, æréque alieno grauatos,& qui facinoroſam vitã duxiſſent,recipi non poſſe.§.1. Hic Pont. in ſua Conſt.71.de qua ſup.decreuit hæc examinari, antequam quis recipiatur ad Ordinem in Capitulo generali, vel prouinciali. §. 2. Sed quia horum Clericorũ Congregatio non eſt adhuc in Prouincias diſtincta, & ſic prouinciale Capitulum nuſquam, generale autem ſingulo triennio dumtaxat celebrari ſolet,graue eſſet tandiu expectare.§.3.Papa ideo dat authoritatem Præpoſito Congregationis, eiúſque Aſſiſtentibus omni tempore venientes ad Ordinem, & in ipſius Papæ Conſtit. non prohibitos recipiendi. §.5. Quibuſcumque non obſtantibus.§.6.

Scholion primum.

Quæro. Reiectio illegitimè natorum, etiam per ſubſequens matrimonium poſtea legitimatorum, de qua in §. 1. comprehenditne etiam legitimatos à Papa in radice matrimonij?

RESP. Non, quia diſpenſatio in radice matrimonij, eſt remouere impedimentum iuris communis contrahendi matrimonij, & ex tunc approbare illud pro valido; & ſic filius poſtea natus dicitur legitimè natus, ſecundùm communem ſententiam Canoniſt. in cap. Per venerabilem. 13. qui filij ſint legitimi, quam latè proſequitur, adducítque concord. & bene declarat Rota in deciſ. Vbaldi 455. par. 1. in recentioribus per totam.

Scholion primum.

Quæro. Mortuo Præpoſito ante tempus, quo pacto recipientur venientes ad Ordinem, vt in §. 5.

RESP. Vicarius in eius locum ſuccedit, vſque ad alterius Præpoſiti electionem, eiúſque fungitur authoritate, vt cautum vidi in Conſtitutionibus huius Congregationis lib.4.cap. 12.verſ. Si Præpoſitus.

LXXVIII.

Abundantes diuinæ gratiæ diuitias, & infra pag.624. Bullarij. *Edita Anno* 1588.

COMPENDIVM.

Pro Annonæ vbertate in Vrbe,ducenta millia ſcuta applicat. §. 1. Pro quauis alia vrgenti neceſſitate expendi vetat. §. 2. Succeſſores hortatur, vt maiora in dies ad hoc præſidia pecuniaria præparent. §. 3. Congregationi Cardinalium ad hoc per hunc Pontificem ſuper vbertate Annonæ inſtitutæ, iunctis Theſaurario, Annonæ Præfecto, & Cameræ Commiſſario,huius pecuniæ admi-

adminiſtrationem committit. §. 4. Cardinales dictæ Cögregationis executores huius Bullæ deputat. §. 5. Legem ſibi, & ſucceſſoribus imponit, quod pro reſarcienda pecunia hinc malè depromenda, dabitur actio aduerſus contrauenientium propinquos omnes, ad quos eorum bona deuenerint. §. 6. Decretum irritans apponit. §. 7. Contraria omnia ſubmouet. §. 8.

Quæro. Hæc pecunia in aliam vrgentiorem neceſſitatem expendi prohibita, in §. 2. potéſtne Piſtoribus mutuari?

R E S P. Poteſt mutuari Piſtoribus, vt ad coquendum panem, emendum frumentum, & alia neceſſaria ſe præparent, quia Annonæ vſum, & non alium concernit, vt docet Bart. in l. 2. Cod. de frument. Vrb. Conſtantinopol. lib. 11. num. 2. Ioann. de Plat. ibid. in princ. & Angel. num. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc ſubſidium præſeruatur adhuc?

R E S P. A Miniſtris Cameræ accepi, illud fuiſſe ad euitandam Annonæ difficultatem, certis temporibus ad paupertatis ſubleuationem vrgentem conſumptum: ſed aliud deinde à Clem. VIII. ad Annonę vbertatis pręſeruationē 400000. circiter nummorum ſubſidium, & in ſimili ſumma à fel. record. Paulo V. & mox aliorum 300000. à S. D. N. Gregorio XV. ſuppeditatum fuiſſe, ita vt Annonæ præſidium etiam hodie (vltra ſummā quotannis ſupradicta de cauſa conſumptam) ampliſſimum ſit. Quorum Pontificum hac in re tam admirabilis fuit vigilantia, & munificentia, vt immortali memoriæ meritò commendanda videatur.

L X X I X.

Edita Anno 1588. SAnctiſſimus D. N. Sixtus Papa V. & infra pag. 627. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit, quòd per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & beneficia, non data retentione, in princ. Quæ retentio ſi datur, intelligitur de non requirentibus reſidentiam in loco dictæ dignitatis non conuenienti. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Hæc retentio diceretur noua prouiſio?

R E S P. In dubio remanſit iſte articulus in Rota, vt liquet ex deciſ. Putei 420. lib. 2. in nouis; ſed negatiuam opinionem poſtea à Rota probatam fuiſſe ſcribit Gonzal. de menſib. & alternat. gloſ. 15. §. 1. ſub num. 92. vbi ſubdit effectum huius diffinitionis fol. mihi 400.

Scholion ſecundum.

Quæro. Non obtenta reſeruatione, beneficia quæ vacant, dicentur vacare in Curia?

R E S P. In Curia vacare dicuntur, quia collatio Papæ vacationem inducit. Rota in deciſ. 65. de reſcript. in antiquis, vbi dicitur id etiam claré caueri in Regulis Cancellariæ.

L X X X.

ETſi nos permultis, & infra pag. 627. Bullarij. Edita Anno 1588.

C O M P E N D I V M.

Inquit, anno ſui Pontificatus primo decies centena millia aureorum, vt in ſua Conſt. 31. de qua ſup. & alia decies centena millia anno ſecundo, vt in alia ſua Conſt. 69. de qua ſup. collegiſſe, & in Arce S. Angeli pro S. R. E. præſidio repoſuiſſe, in proœm. Et in hoc tertio anno alia decies centena millia. §. 1. Quæ nunc in eadem Arce iiſdem legibus, & conditionibus in ſacro Pontificio ærario reponit. §. 2. Formámque hanc pecuniam depromendi præſcribit. §. 3. Cætera in illis Conſtitutionibus contenta repetit. §. 4. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Hoc ærariū poteritne ſacrum, vel ſanctum appellari?

R E S P. Poterit quidem, cùm etiam Imperatores eorum æraria ſacratiſſima appellaſſe liqueat ex textu l. 2. de quadrag. præſcript. & l. fin. Cod. de Pagan. Præſertim quòd Deo, B. Virgini, ac Sanctis Apoſtolis ab iſto Pontifice expreſsè dicatum legitur in ipſo tex. §. 2. huius Bullæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Verùmne eſt, pecunias publicas huiuſmodi in Æde Saturni antiquioribus temporibus repoſitas fuiſſe?

R E S P. Valerium Publicolam in Æde

Æde Saturni publicas recondidiſſe pecunias aduerſus bellorum neceſſitates, vt tutæ ſimul, & paratæ eſſent, inquit Plutarch. in vita Publicolæ, & refert Petrus Greg. Tholoſ. libro 3. Syntagm. Iur. cap. 2. ſub num. 5.

L X X X I.

Edita Anno 1588. SAcræ Religionis, & infra pag. 629. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, Io. Auguſtinum Adornum, & alios quamdam Congregationem Clericorum Regularium Minorum inſtituiſſe, qui emittunt tria vota ſubſtantialia, & ſub communi habitu Clericorum in vnum habitant, & in communi, & de communi viuunt, & continuis orationibus, & ſpiritualium operum exercitio incumbunt. §. 1. Papæ ſupplicant pro approbatione. §. 2. Qui eam approbat ſub regimine vnius Præpoſiti Generalis. §. 3. Congregationi dat facultatem ſtatuta pro ſuo gubernio condendi. §. 4. Clericiſque dicta tria vota emittendi. §. 5. Habitum humilem, & Clericorum communem & denominationem Clericorum Minorū permittit. §. 5. Aliorum receptionem ad Ordinem concedit. §. 7. Officia ſecundùm communem vſum S. R. E. recitare poſſe decernit. §. 8. Chriſti fidelium quorumcumque confeſſiones audire, eóſque abſoluere. §. 9. Et Sacramenta miniſtrare. §. 10. Domóſque regulares inſuper conſtruere. §. 11. Executores deputat. §. 12. Et contraria remouet. §. 13.

Scholion primum.

R E S P. In rubrica huius Bullæ Genitor tuus meminit de quadam Conſtit. Clem. VIII. & in ſua apoſtilla ad §. 1. notat perlegiſſe in d. Conſt. profeſſionem quarti voti horum Clericorum, quam videre exoptans, vbi perquiram?

R E S P. Verba à Clemente VIII. ibi relata hæc ſunt. *Et inter alia vota expreſsè per eos profeſſa, eadem Congregatio profitetur, neminem ipſius Congregationis profeſſum vnquam curaturum, ſeu prætenſurum Prælaturam, ſeu dignitatem aliquam extra Congregationem, nec conſenſurum in ſui electionem, niſi ad id obedientia Romani Pontificis pro tempore exiſtentis coactus exiſtat.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de dignitate intra Religionem, quidue ſi per ſe, vel per alium eam curaret?

R E S P. Verba Conſtitutionis ſineſ, quæ ex libro 1. cap. 6. conſtitutionum huius Congregationis deſumpſi, hæc ſunt, & vtrumque dubium remouent. *Ambitionis vitio, quo Regularis perfectio labefactata ſuit, aditum omnem occludentes, iure optimo cuilibet ex noſtris, qui ſtatui Clericali ſit adſcriptus, imponimus, vt quartum illud ſolemne votum in profeſſione emittat, non ſcilicet ſe prætenſurum, vel curatum, ſiue per ſe, ſiue per alium ad Prælationem aliquam, vel dignitatem extra Religionem aſſumi. Quo etiam modo iuramentum, ſed ſimplex, ab iiſdem fieri volumus, quo ſe obſtringant, non acturos, vt ſibi Præpoſiti dignitas, vel alia, quæ huic præfertur, intra Religionem expreſsè mandetur.* & paulò infra. *Cæterùm ſupra Præpoſiti dignitatem, nullam aliam intelligi volumus quàm Prouincialis, & Generalis.*

L X X X I I.

REx Regum, & infra pag. 630. Bullarij. *Edita Anno* 1588.

C O M P E N D I V M.

S. Didacus in Hiſpania natus, Religionem Fratrum Minorum de Obſeruantia profeſſus fuit, & in regnis Hiſpaniæ miraculis claruit. §. 1. & ſeqq. Humilis, & obediens admodum fuit. §. 6. Et flagellis corpus caſtigauit. §. 7. De rebus diuinis, quamuis rudis eſſet, mirificè loquebatur. §. 8. Orationi incubuit. §. 9. Pauperes amauit. §. 10. Ægrotis Fratribus ſeruiebat. §. 11. Charitate emicuit. §. 12. Infideles ex Canarienſibus multos ad fidem traxit. §. 13. Miraculis, quorum aliqua recenſentur, claruit. §. 14. In amplexu Crucis, quam maximè diligebat, & in corde, & corpore ſemper geſtauerat, obdormiuit in Domino die 12. Nouembris 1463. cantato Hymno, *Dulce lignum*, &c. §. 15. Miraculis, quorum aliqua referuntur, poſt mortem illuſtris fuit. §. 16. Rex Hiſpaniarum Philippus, vnà cum Carolo filio, totáque Hiſpania apud Piū IV. pro Canonizatione

illius inſtitit. §. 17. Qui Cardinales ad id deputauit, & res cœpta fuit. §. 18. Idem Rex apud Pium V. & Gregorium XIII. & apud hunc Pontificem inſtitit. §. 19. Qui ſeruatis ſeruandis Didacum Sanctũ pronunciauit die 2. Iulij 1588. §. 20. & ſeqq. Eiúſque feſtum die 12. Nouembris celebrari iuſſit. §. 29.

Scholion primum.

Quæro. Cur inquis die 2. Iulij fuiſſe canonizatum, ſi in textu Bullæ dicitur Nonis Iulij, & ſic die 5. Iulij?

RESP. Impreſſorum mendum eſt, qui verbum *ſexto*, ante verbum *Nonis* prætermiſerunt. Quod quidem mendum deficit in prima Genitoris mei collectione in veteri eiuſdem Bullario in 2. parte Bullar. huius Pontificis, pagina mihi 88.

Scholion ſecundum.

Quæro. S. Didaci feſtum quo ritu celebrandum, duplicine, & cum octaua?

RESP. Hic Pont. in §. 29. non explicauit, ſed poſtea die 16. Nouembris hoc eodem anno latiùs, & Clemens VIII. in eius, quod hic ſubſequitur, diplomate.

Edita An.D. 1598.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QVæ ad Sanctorum venerationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout fidelium deuotio poſtulat, ac aliàs in Domino conſpicimus expedire.

Six. V. Ordini conceſſit, vt que celebrari poſſit feſtum S. Didaci die 12. Nouẽbris, & in Hiſpan. etiam eius octauam.

§. 1. Aliàs ſiquidem fel. record. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter Motu proprio cõceſſit, & indulſit, quòd omnes, & ſinguli profeſſores Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, ac Moniales, & Sorores, tam S. Claræ, & Conceptionis, quàm Tertiariæ in Congregatione ſub obedientia eorumdẽ Fratrũ Minorum de Obſeruantia viuentes, in ſuis quiſque videlicet Eccleſiis, in quibuſcumque Mundi partibus exiſtentibus, feſtum S. Didaci Confeſſoris die 12. Nouẽbris, ſub duplici officio: in Regnis verò Hiſpaniarum, etiam illius octauam, quemadmodum feſta aliorum dicti Ordinis Sanctorum, celebrare poſſent, prout in eiuſdem Sixti prædeceſſoris in forma Breuis ſub die 16. Nouembris 1588. expeditis literis pleniùs continetur.

Ordo ſupplicauit pro conceſſione octauæ in omnibus locis.

§. 2. Cùm autem, ſicut pro parte dilecti filij Commiſſarij Generalis Curiæ eiuſdem Ordinis, nobis expoſitum fuit, Religioſi eiuſdem Ordinis etiam extra Hiſpania, vbique locorum exiſtentes, eumdem S. Didacum ſingulari deuotionis affectu proſequantur, eorumque deuotioni, ac ſpirituali conſolationi plurimum ſatisfieri poſſe, ſi eis quoque feſtum prædictum celebrandi cum octaua facultas concedatur. Quare nobis nomine dicti Commiſſarij Generalis humiliter ſupplicatũ fuit, vt in præmiſſis, ac aliis infraſcriptis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Et hic Pontifex eã concedit.

§. 3. Nos igitur eorumdem Religioſorum, ac aliorum Chriſti fidelium erga ipſum Beatum Didacum deuotioni, quantùm cum Domino poſſumus, benignè annuere volentes, ac literarum Sixti prædeceſſoris prædictarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis eiuſdem Ordinis Profeſſoribus, necnon Monialibus, & Sororibus, tam S. Claræ, & Conceptionis, quàm Tertiariis in Congregatione ſub obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Obſeruantia viuentibus, extra Regna Hiſpaniarum in quibuſcumque Mundi partibus exiſtentibus, vt eorum ſinguli feſtum prædictum Sancti Didaci, ac etiam illius octauam, quemadmodum feſta aliorum eiuſdem Ordinis Sanctorum, celebrare valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Eiúſque feſtum ſemiduplex eſſe iubet, & in Diœceſ. Hiſpalenſ. & Ciuitate Toletana duplex.

§. 4. Præterea, cùm ab eodem Sixto prædeceſſore ordinatum fuerit, vt in vniuerſis Orbis Eccleſiis feſtum eiuſdem S. Didaci celebraretur, ſed qua ſolemnitate celebrandum ſit, non fuerit declaratum: Nos earumdem tenore præſentium decernimus, & declaramus, in vniuerſis Orbis terrarum Eccleſiis, ac ab omnibus tam ſæcularibus, quàm quorumuis Ordinum, & Inſtitutorum Regularibus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis vtriuſque ſexus, feſtum prædictum S. Didaci ſub ritu ſemiduplici, in Ciuitate verò ac Diœceſi Hiſpalenſi, vnde prædictus S. Didacus ortus eſt, necnon in Ciuitate, & Diœceſi Toletana, in qua illius corpus requieſcit, ſub duplici ritu celebrandum eſſe.

Et pro ea die Indulgentiã plenariam elargitur.

§. 5. Præterea, ad eorumdem fidelium deuotionem non modò conſeruandam, ſed in dies magis augendam, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus,

qui

qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento refecti, aliquam prædicti Ordinis vtriuſque ſexus Eccleſiam die feſto prædicti S. Didaci primis Veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Quibuſcumque nō obſtantibus. §. 6. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Kalendarij, Breuiarij, & Miſſalis Romani diſpoſitionibus, & regulis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die xxvi. Martij M. D XCVIII. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

Dat. Pont. An. 7. die 26. Martij.

LXXXIII.

Edita Anno 1588.

Solicitudo Paſtoralis officij, & infra pag. 636. *Item*; Solicitudo miniſterij, & infra pag. 637. Bullarij.

COMPENDIVM.

Archiuia publica, & generalia inſtituit in quibuſcumque locis Status Eccleſiaſtici omnium ſcripturarum, tam publicarum, quam priuatarum cōtractuum iuxta capitula deſuper edenda. §. 1. & 2. Quibus Archiuiis cætera omnia locorū Archiuia incorporat. §. 3. Facultates erigendi Archiuia alteri conceſſas reuocat. §. 4. Præfectum Archiuiorum huiuſmodi deputat. §. 5. Qui omnes cogat ad portandum quaſcumque ſcripturas ad huiuſmodi Archiuia. §. 6. Clauſulas præſeruatiuas, & decretum irritans apponit. §. 7. Et cauſas omnes tam ciuiles, quàm criminales, & mixtas occaſione Archiuiorum cognoſcat. d. §. 7. & in ſubſeq. Conſt. §. 3. 4. & 9. Notarios Archiuiorum deputet. §. 6. Commiſſarios ad ea reuidendum tranſmittat. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Scripturæ Archiuij Ciuitatis Arimini fidem faciunt contra foreſes?

RESP. Diſtinguendum eſt; quòd ſi vigore ſtatuti Arimenſis eſſet credendum ſcripturis Archiuij, non probant illæ contra foreſes, quia eo ſtatuto non ligantur, vt in terminis tradit Alex. conſ. 23. lib. 5. num. 6. Secus eſt hodie vigore huius Pontificiæ Conſtitutionis, quæ omnes ligat, vt in caſu ſimili habemus apoſtillam ad conſ. Alexan. 16. lib. 5. num. 3. in verb. Extra.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Notarij non cogerentur à Præfecto Archiuiorum, vel eius Officialibus portare ſcripturas ad Archiuium, vt dicitur in §. 6. per multos annos, poterunt vmquam allegare non vſum huius Bullæ, & ſe ab iſta delatione exonerare?

RESP. Non poterunt, quia legem, cui Papa appoſuit decretum irritans, Officiales non vtendo, imò neque ex contrariis actibus poſſunt elidere ſine expreſſo Papæ conſenſu, vel ſcientia cum lapſu 40. annorum, prout in ſimili Bulla Archiuij cenſuit Rota in deciſ. Caputaque. 204. par. 3. per totam.

LXXXIV.

Edita Anno 1588.

Cum cæleſtis ille Agricola, & infra pag. 639. Bullarij.

COMPENDIVM.

Canonicatus, præbendas, & dignitates Eccleſiæ Valentinæ prohibet conferri ſpuriis, aut illegitimis, etiam legitimatis, aut natalibus reſtitutis. §. 1. Clauſulas præſeruatiuas huius legis ſubdit. §. 2. Et decretum irritans. §. 3. Contrariiſque derogat. 4.

Scholion primum.

Quæro. Lex denegans beneficia illegitimis, extendit ſe ad penſiones?

RESP. Non, quia penſio eſt quid temporale ſeparatum, formale, & per ſe diſtinctum ab ipſo beneficio. Rota in deciſ. Creſcent. 14. de re iudic. & deciſ. Cæſ. de Graſſ. 3. de præbend. num. 8. & deciſ. Robuſter. 425. part. 1. diuerſ. num. 2. latè Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancell. gloſ. 5. §. 5. num. 24.

Scholion ſecundum.

Quæro. Indigebit illegitimus fortaſſe diſpenſatione quoad penſionem ?

R E S P. Ita planè, quia de iure eſt incapax,& in his terminis loquitur Gonzal. vbi ſuprà plures deciſiones ad hoc allegans.

L X X X V.

Edita Anno 1588. DVdum fel. record. Leo, & infra pag. 640. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Hactenus Leo X. Congregationem Monachorum Montis Virginis, vniuit Hoſpitali Annunciationis B. M A R I Æ Virginis Neapolis. §. 1. Pius V. vnionem ſuſtulit, Sacriſtæ tamen dicti Hoſpitalis ſuperioritatem præſeruauit. §. 2. Hic Pont. hanc ſuperioritatem tollit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Congregatio Monachorum, vnde Beatæ M A R I Æ Virginis Montis Virginis nomen ſortita fuit ?

R E S P. Quia Gulielmus eiuſdem Congregationis inſtitutor, in Monte Virgiliano iuxta Oppidum Tripaldæ, Diœceſis Auellinæ, Monaſterium primùm piorum eleemoſynis conſtruxit, vt nouiſſimè recenſet Thom. Coſtus Neapolit. in hiſtoria huius Congregationis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Gulielmi acta, eiúſque Congregationis, quis literarum monumentis conſignauit ?

R E S P. Prædictus Thomas Coſtus, & etiam Felix Benda Prior Monaſterij Montis Virginis, de quo meminit Baron. in Martyrolog. die 25. Iunij, vbi ſubdit, Gulielmum ex hac vita migraſſe anno 1142. quod ſcripſit etiam Thomas antedictus vbi ſuprà

L X X X V I.

Edita Anno 1588. POſtulat ratio, & infra pag. 640. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert, ſe in ſua Conſtit. 57. de qua ſup. in Vrbe Hoſpitale pro pauperibus mendicis inſtituiſſe. §. 1. Et modò dat authoritatē eius Adminiſtratoribus carcerandi mendicantes per ſegnitiem. §. 2. Peregrinis refectionem ſubminiſtrandi. §. 3. Iudicem cauſarum Hoſpitalis deputandi. §. 4. Cui ampliſſimas facultates concedit. §. 5. Ab eius ſententia ſemel tantùm appellari poſſe decernit. §. 6. Et tres nullitates ſubſtantiales allegari. §. 7. Et in cauſis diſcuſſionum debitores cogi ad ſoluendum, data cautione de reſtituendo. §. 8. Singulis diebus in honorem Dei non feriatis procedere. §. 9. Adminiſtratoréſque Notarium deputare. §. 10. Executores mandata huius Iudicis exequi iubet. §. 11. Perſonas Hoſpitalis alibi conueniri non poſſe ſtatuit. §. 12. Exemptionem à ſolutione gabellarum, & aliorum onerum extendit. §. 13. Hoſpitale ſuper prædictis moleſtari prohibet. §. 14. Capellanorum redditum deſcribit. §. 15. Capellaniáſque ab Adminiſtratoribus conferri indulget. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Vltra nullitates, de quibus in §. 7. non poſſem ego allegare aliam à ſtatuto, aut diſpoſitione iuris diuini inductam ?

R E S P. Poſſes, quia Papa auferens nullitates, cenſetur auferre nullitates iuris canonici, vel ciuilis tantùm. Rota in deciſ. Put. 388. lib. 2. num. 1. & ſeqq. & in deciſ. Orani in vna Romana alimentorum, die 4. Iunij 1593.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dans cauſam alicui ex illis tribus nullitatibus, poterit eam allegare?

R E S P. Non, quia actus nullus tenet in odium facientis. Rota deciſ. 8. de teſtam. in antiq. num. 10. Ancharanus conſ. 211. num. 2. Cephal. conſ. 133. lib. 1. num. 125. Dummodo ipſa nullitas non ſit iam detecta, quia tunc quilibet eam tanquam notoriam poteſt allegare. Rota in deciſ. 356. num. 16. in nouis.

L X X X V I I.

EFfrænatam perditiſſimorum, & infra pag. 643. Bullarij. *Edita Anno* 1588.

C O M P E N D I V M.

Deteſtatur amplè crimen abortus, in princ. Abortus, ſiue fœtus immaturi, tam animati, quàm inanimati, formati, vel informis eiectionem procurantibus, ſi abortus inde ſecutus fuerit, pœnam homicidij voluntarij actu, & reipſa patrati infligit. §. 1. Clericis pœnam priuationis priuilegij Clericalis, officiorum,

rum, & beneficiorum (quæ tamquam vacatura ſuæ diſpoſitioni reſeruat) & inhabilitatis addit. §. 2. Laicis eamdem pœnam inhabilitatis addit. §. 3. Qui foro Eccleſiaſtico ſubiecti ſunt, à Iudice Eccleſiaſtico Curiæ ſæculari tradantur. §. 4. Sterilitatis potiones dantes, vel ſumentes, eorúmque conſultores iiſdem pœnis ſubiiciuntur. §. 5. Præuentio Iudicum in prædictis declaratur. §. 6. Excommunicatio in ſupradictos, & eorum complices. §. 7. Abſolutio Papæ reſeruatur. §. 8. Et ita iudicari præcipit. §. 9. Contraria ſubmouentur. §. 10. Bullam Romæ publicatam poſt quindecim dies ligare præcipitur. §. 11. Decretum irritans adiicitur. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Fœtus formatus, de quo in §. 1. quando dicetur?

R E S P. Fœtus maſculus anima rationali informatur lapſis quadraginta diebus, fœmineus verò octuaginta; in dubio an ſit maſculus, vel fœmineus, præſumitur animatus poſt quadraginta dies, quia pars ſecurior venit eligenda. Nauar. conſ. 22. de homicid. libro 5. incip. Quidam Sacerdos, ſub num. 2. pag. mihi 514. & eſt communis opinio, teſte Plaza de epitom. delict. cap. 9. & cap. 26. num. 8. & Viuio deciſ. 82. num. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Diceretur abortum facere, partum intempeſtiuum, licèt viuum, edens?

R E S P. Ita ſanè, quia idem eſt non naſci, & ita immaturè naſci, vt viuere non poſſit. Latè probat Tiraquell. in l. ſi vmquam. 8. Cod. de reuoc. donat. in verſ. Suſcepit liberos, num. 206. vbi exempla refert, & ſequitur Guttier. pract. quæſt. lib. 2. quæſt. 100. num. 5. & 6.

L X X X V I I I.

Edita Anno 1588.

DOminus omnipotens, & infra pag. 644. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sanctorum reliquiæ, & eorum paſſionum monumenta in terris relicta, Chriſtiano populo in multis proficiunt. §. 1. S. Placidus, & ſocij ſub Regula S. Benedicti, Iuſtiniani Magni Imperatoris temporibus Deo ſe dicarunt, & in Monaſterio apud Meſſanam Ciuitatem ab ipſo in paterno fundo extructo famulatum Deo exhibuerunt. §. 2. Martyrij coronam adepti fuerunt, & eorum corpora in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ Meſſanenſis ſepulta multis miraculis claruerunt. §. 3. Gratias ingentes propterea Deo hic Pont. reddidit. §. 4. Eorúmque martyrij feſtum die 5. Nouembris vbique ſingulis annis ſimplici, & in Meſſanenſi Diœceſi duplici officio, & feſtum Inuentionis eorumdem die 4. Auguſti in Eccleſia Meſſanenſi duplici pariter officio celebrari iubet. §. 5. Indulgentiam viſitantibus dictam Eccleſiam concedit. §. 6. Epiſcopiſque & Prælatis huius Bullæ publicationem, & obſeruantiam præcipit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore hi Martyres paſſi ſunt?

R E S P. Supradicti Iuſtiniani Imperatoris anno 13. Chriſti verò D X X X I X. (licèt alij dicant D X L I.) teſte Baron. in Martyrolog. hac die 5. Nouemb.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eorum acta apud quem fuſiùs perlegere poſſem?

R E S P. Apud Surium de vitis Sanctorum tom. 6. ſub hac die 5 & Leonem Oſtienſ. in Chronic. Caſſinenſ. lib. 1. ac Trithem. de vir. illuſtr. Ordinis S. Benedicti lib 3. cap. 5. quos, & alios indicat Baronius vbi ſup.

L X X X I X.

Edita Anno 1588.

INter cæteras ſolicitudines, & infra pag. 645. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Hic Pont. dum erat Cardinalis, publicum Gymnaſium in Oppido Montis Alti eius patria, ad iuuenes bonis artibus inſtruendos erexit. §. 1. Nunc ad Pontificatum euectus, Collegium Montis Alti nuncupandum in Ciuitate Bononiæ pro quinquaginta Scholaribus de Ciuitate Montis Alti, & aliis locis Prouinciæ Marchiæ inſtituit. §. 2. Annuos redditus aſſignat. §. 3. Scholares octo per Protectorē dicti Collegij, alios octo per Ciuitatē Montis Alti, & alios per alia loca dictæ Prouinciæ eligi decernit. §. 4. Alimēta, & iura Collegialia Scholaribus aſſignat. §. 5. Collegiū multis priuilegiis donat. §. 6. Ab omnium

omnium ſuperioritate eximit. §. 7. & ſeqq. Indulta Studij, & locorum piorum Bononiæ Collegio elargitur. §. 10 & ſeqq. Protectorem ei deputat. §. 12. Qui Officiales deputet. §. 13. Statuta Collegij firmet. §. 14. Lites Collegij cognoſcat. § 15 & ſeq. Dubia ſuper præmiſſis declaret. §. 17. Cæteráque neceſſaria faciat. §. 18. Clauſulas præſeruatiuas, & decretum irritans apponit. §. 18. & 19. Executores deputat. §. 20. Contraríaque remouet. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Pro debitis huius Collegij poſſent forſan conueniri Scholares?

RESP. Non, quia quod debet Vniuerſitas, ſinguli non debent, vt inquit in l. Sicut. 7. Bartolus, & alij ff. quod cuiuſque Vniuerſit. nom. vbi pariter deciditur, quòd Vniuerſitati debitum, ſingulis non debetur: datúrque actio non contra eos, ſed contra Vniuerſitatem, vt in propoſito Collegiorum aduertit Petrus Greg. lib. 15. Syntagm. Iur. cap. 32. ſub num. 19.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si temporum iniuria redditus aſſignati non ſufficerent ad alendos quinquaginta Collegiatos, de quibus in §. 3. quid agendum?

RESP. Vel de ſuo contribuere, vel loco cedere deberent, vt ſcribit Petr. Greg. vbi ſup. ſub num. 20. per tex. in l. Septitia. 7. ff. de pollicit. vbi gloſ. fin. adducit etiam tex. in l. 2. Cod. de iure immunit.

X C.

Edita Anno 1589.

CVm ſicut accepimus, variæ, & infra pag. 650. Bullarij.

COMPENDIVM.

Poſt concordiam initam inter Reu. Cameram Apoſtolicam, & Clericos beneficiatos, & alios Regni Neapolis ſuper ſpoliis eorum, prætendere cœperunt hæredes eorumdem, vel Clerus, & Capitulum fructus tempore illorum obitus pendentes, & maturatos à ſolo non ſeparatos, vel non exactos; Camera autem ad ſe ſpectare dicebat, in exord. Papa prædictos fructus declarat pertinere ad Cameram, & etiam poſt illorum obitum vſque ad diem captæ poſſeſſionis beneficiorum per ſucceſſores maturandos, & decurrendos pro rata temporis. §. 5. Lites deſuper pendentes extinguit. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Fructus beneficiorum pro tempore quo vacant, antiquo iure ad quem ſpectabant?

RESP. Ad Eccleſias beneficiorum, vel ſucceſſores. cap. quia ſæpe, vbi gloſ. & alij communiter, de elect. in 6. Rota in deciſ. Seraphin. 594. num. 5. & ſeqq. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc ius commune ſeruatúrne in aliquo caſu circa hos fructus in iſto Regno Neapolis?

RESP. In Epiſcopatibus, & beneficiis pertinentibus ad Regis nominationem, ſucceſſoribus reſeruari fructus pro tempore vacationis ſcribit Steph. Quarant. in ſua Summa Bullarum, in verb. Beneficiorum poſſeſſio, pagina mihi 97.

X C I.

SAnctum, & ſalutare, & infra pag. 651. Bullarij. *Edita Anno 1588.*

COMPENDIVM.

Epiſcopis, & aliis malè aliquem ad ordines promouentibus multas pœnas imponit. §. 2. Aliáſque ipſis malè promotis, vt putà ante legitimam ætatem, abſque literis dimiſſoriis ſui Ordinarij, &c. §. 3. Abſolutionem ſibi reſeruat. §. 4. Simoniacè autem ordinatis, & ordinantibus, vltra pœnas à ſacris Canonibus & Apoſtolicis Cõſtitutionibus inflictas, eaſdẽ pœnas prædictas infligit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vicarius Epiſcopi poteſt has literas dimiſſorias concedere?

RESP. Non poteſt; textus eſt in cap. 3. de temporib. ordinat. in 6. & diſputato articulo, hanc negatiuam ſententiam tuetur Mandoſ. de Regul. Cancell. in Reg. 24. quæſt. 6. num. 9. & ſeq. Niſi Epiſcopus ad hoc dederit ſpeciale mandatum Vicario, vel in remotis regionibus commoraretur, vel ſit Vicarius à Papa Epiſcopo datus, vel in mãdato ſint ſpecificata alia maiora, vel ſucceſſerit Vicarius prioribus Vicariis, hoc mandatum habentibus. Ita egregiè ſcribit Mandoſ. vbi ſup. Vel ſi Vicarius ſciente,

ſciente, & patiente Epiſcopo, dimiſſorias dare conſueuit. Rota coram Creſcent. in deciſ.15.de probationib.num.6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis bona fide,parentum teſtimonio ductus, ante legitimam ætatem promotus fuerit, & in ordinibus receptis miniſtrauerit?

RESP. Non incurrit pœnam appoſitam in Conſtitur. Pij II.quia in ea adeſt verbum (*præſumpſerit*) quod dolum præſupponit, qui à bona fide excluditur, vt in puncto ſic reſpondet Nauar. in cap. accepta, de reſtit. ſpol. in 8. oppoſit. & conſ. 50. de tempor. ordinat. in impreſſis Brixiæ, & ſequitur Lopez in Pract. canon. crimin. cap. 26. Prout neque incurrit pœnā huius Bullæ, quia, vt Genitor meus hic aduertit, ipſa reducta eſt à Clem. VIII. ad terminos ſacrorum Canonum, & d. Conſtit. Pij II.atque Concil.Trid.quod aduertit item Gonzal.ſuper Regul.8.Cancel.§.10.gloſ. 5. num. 34. & gloſ. 15. num. 128.Sed ſupradictæ ſententiæ Nauarri contradicit Fuſch. in Tractat. de Viſitat. lib. 2. cap. 28. num. 37. & Tolet. in ſua Sum. lib. 1. num.48.verſ.Quarta,dicentes non licere ignorare, quod communiter omnes ſui Ordinis ſciunt. Sed illa probabilis credulitas, ſeu ignorantia facti ſufficiens erit vt faciliùs diſpenſatio concedatur.

XCII.

Edita Anno 1589. CVm ſacroſanctam Dei Eccleſiam, & infra pag. 653. *Item*; Paſtoralis eſt, & infra pag. 654. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt qui Clerici nomen conſecuti ſunt, & cenſu Eccleſiaſtico viuunt, decenti vtantur habitu, circa quem Canonibus Concilij generalis,& Pontificiis Conſtitutionibus modus iam præſcriptus eſt, decernit eos etiam in minoribus ordinibus cōſtitutos, & Clericali tantùm charactere inſignitos,& beneficia, vel penſiones obtinentes,etiam coniugatos,vbique,quamuis exemptos,tonſuram,& habitum Clericalem,veſtes ſcilicet talares, & ſi Milites ſunt,ſuæ Militiæ conuenientes,deferre debere, & in futurum eis tantùm beneficia conferri poſſe præcipit. §. 1. & 2. Inobedientibus pœnam amiſſionis beneficiorū imponit, eorúmque beneficia tanquam vacantia impetrari poſſe, & penſiones extinctas eſſe declarat.§.3.Et ita iudicari mandat. §.4. Limitat hanc Bullam quoad eos Milites, & Romanæ Curiæ Officiales,qui vigore priuilegiorum à Pio V. in ſua Conſt. 73. de qua ſup. non comprehenſorum, beneficia obtineant, vel pecunias. §. 5. Et etiam quoad quoſcumque Clericos, qui penſiones, & bona Eccleſiaſtica, ſummam ducatorum ſexaginta auri de Camera inſimul non excedentia percipiunt, in §. 2. ſubſeq. Bullæ. Ac pariter quoad Papæ miniſtros in inferioribus miniſteriis actu ſeruientes.§. 3. Et etiam quoad familiares intimorum Papæ familiarium actu inſeruientium. ibid. Declarat etiam, Milites, & Officiales Romanæ Curiæ communibus veſtibus cum inſignibus Crucis, aut numiſmatis ſuæ Militiæ, vti poſſe.§.5. Militéſque & penſionarios non teneri ad delationem ſupradicti habitus, niſi poſtquam penſiones actu perceperint. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vbi cauetur de forma habitus Clericalis, vt dicitur in §. 1.

RESP. Quod debeat eſſe talaris, cauetur in cap. penult.diſt. 23. & coloris honeſti,cap.vlt.cauſ.21.quæſt.4.ac formæ honeſtæ, cap. penult. de vit. & honeſt. Cler.& talis,quod differat ab habitu ſæcularium,cap.2.& 3.cauſ. 21.quæſt. 4. Et licèt gloſ. in clem.1.de elect. dicat,quòd de iure non eſt determinatus certus habitus Clericorum, eam tamen intellige quoad formam & colorem,prout ſeruat vnaquæque Fratrum, & Monachorum Religio, vt ſcribit Io. Lup. de liber. Eccleſ. quæſt. 7. per totam, non autem quoad longitudinem, & breuitatem, de qua hic, vt per Ambroſin.de immunitat. Eccleſ. cap. 23. num. 11. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sûntne aliqui caſus, quibus Clerici ab huiuſmodi habitus Clericalis delatione excuſentur?

RESP. Si ob iuſtam cauſam timoris illum poſtponerent, cap. penulr. de vir. & honeſt. Clericorū. Si ob paupertatem illum geſtare non valerent. Imola in clem.

clem. 2. eod. tit. num. 9. Vel propter infirmitatem. Capell. Tholoſan. deciſ. 104. in fine.

X C I I I.

Edita Anno 1589. AD Romanum Pontificem pertinet,& infra pag.655. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Paulus II. Officialibus Status Eccleſiaſtici remiſſionem pœnarum vltra ſex florenos prohibuit. §. 1. Sixtus IV. approbauit. §. 2. Pœnáſque pecuniarias ſolùm ad manus Theſaurariorum ire decreuit. §. 3. Pius IV. in ſua Conſt. 43. de qua ſup. Cameræ Apoſtolicę omnes pœnas applicauit, & ab eius Officialibus exigi iuſſit. §. 4. Idque etiam in locis Communitatibus ſubiectis ſeruari voluit. §. 5. Decimam eorum partem Gubernatoribus, & quartam accuſatoribus aſſignauit. §. 6. Hic Pont. iterum Cameræ eas applicat.§. 7. Communitatibus, & aliis prætendentibus terminum ad hoc docendum præfigit. §. 8. Officialibus applicationem pœnarum alteri quàm Cameræ interdicit. §. 9. Nec aliis, quàm Depoſitariis perſolui, nec aliquam partem retineri mandat. §. 10. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 11. Delinquentibus pœnas alteri, quàm Depoſitariis ſoluere prohibet. §. 12. Supplicationes Theſaurariis conſignari, & infra decem dies pœnas ſolui præcipit. §. 13. Ante quam ſolutionem proceſſus non caſſari iubet. §. 14. Executores bona pene, carceratos reperta Theſaurariis conſignêt. §. 15. Officiales pœnas non condonent, neque reos gratiare poſſint.§. 16. Fiſcus, vel Theſaurarius citetur in cauſis pœnalibus.§.17.Statuta quæ in eis attendenda ſint. §. 18. In eiſdem primò ſeruentur Conſtitutiones Apoſtolicæ, poſtea ſtatuta, deinde conſtitutiones Marchiæ, & in reliquis bannimenta. §. 19. Gubernatores decem pro centenario ex illis habeant, vbi minor eis portio non eſt aſſignata. §. 20. Fiſcus vigeſimam, & accuſator quartam earum partem de manu Theſaurarij recipiant, præuio Gubernatoris mandato. §. 21. Theſaurarij non aliter dictas pœnas ſoluant, nec in alios expendant. §. 22. Decretum irritans apponit. §. 23. Clauſuláſque contrariorum darogatorias. §. 24.

Scholion primum.

Quæro. Pœnarum huiuſmodi appellatione venient etiam mulctæ, & bonorum confiſcationes?

R E S P. Veniunt, cùm verbum, *pœnæ*, latiſſimum ſit, & de mulcta eſt text. in l. 131. ff. de verb. ſignific. & ibi communiter ſcribb. & de confiſcatione eſt text. in l. ſi quis aliquid. 38. §. 8. ff. de pœn.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de compoſitionibus dicendum?

R E S P. Idem eſt dicendum. l. ab accuſatione. 6. ff. ad Senatuſconſ. Turpill. in cap. 2. de pœn. Quas leges ad hoc citat Parif. de Pur.de ſyndic. §. Compoſitio. num. 6. Ghirland. de relaxat. carcerator. in tit. de pœn. compoſit. num. 3. Monteleon. in Praxi Arbitror. par.1.5. partis princ. num. 8.

X C I V.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 658. *Item*; In ſuprema iuſtitiæ, & infra pag. 662. Bullarij. *Edita Anno 1589.*

C O M P E N D I V M.

Rotam inſtituit in Ciuitate Maceratenſi ad decidendas lites Prouinciæ Marchiæ. §. 1. Auditores eius quinque. §. 2. Quorum officium duret quinquennio. §. 3. Iuréntque hic contenta, & Prouinciæ ſtatuta, & iuſtitiam ſeruare. §. 4. Ex eis vnus ſingulis annis ſit Poteſtas ſorte extrahendus, qui cauſas aliis Auditoribus diſtribuat,ſitque Iudex cauſarum pupillorum, viduarum, carceratorum, & miſerabilium perſonarum. §. 5. Auditores quas cauſas in prima ac aliis inſtantiis cognoſcant. §. 6. Vota yt danda ſint. §. 7. Sententiæ vt proferendæ. §. 8. Appellationes vt interponendæ. §. 9. Auditor cauſæ appellationis quando det votum. §. 10. In cauſis infra ſummam ſcutorum centum ſolus iudicat, & ab eo ſemel appellatur. §. 11. & ſeq. In eiſdem ſummariè procedir,& in aliis à quinquaginta infra ſummariiſſimè,& ſemel appellatur.§.13.Cauſæ non appellabiles vt cognoſcendæ. §. 14. Exceptiones omnes in fine litis ſeruatæ cenſeantur.§. 15. Nullitates cum appel

appellatione cognoſcuntur. §. 16. In cauſis mercedum, ac cibi, & potus manu regia procedunt. §. 17. Cauſæ vt examinandæ. §. 18. Vota à Notariis rogentur. §. 19. Deciſiones publicentur. §. 29. In eis rationes deſcribantur. §. 21. Adiunctus extra Rotam Auditoribus non detur. §. 22. Sequeſtra vt dari poſſint. §. 23. Iudicium coram Iudice Eccleſiaſtico quando non impediat curſum cauſæ in Rota. §. 24. Auditor vltimò pronuncians expenſas taxet, & rem iudicatam exequatur. §. 25. Auditores omnes ſicut Prætor decreta voluntariæ iuriſdictionis interponant. §. 26. Ius reddere, & inſimul conuenire quando debeant. §. 27. In arbitros quando non eligendi. §. 28. Aduocare, & conſulere non valeant. §. 29. Nec ſentētiare non cōfecto regiſtro. §. 30. Inhibitiones Romanæ Curiæ poſt concluſum in cauſa reiicere poſſunt. §. 31. Impedito Auditore coram alio ſubrogato procedatur. §. 32. Cauſæ inter nouos Auditores vt diſtribuendæ. §. 33. Abeſſe nequeant abſque licentia Gubernatoris. §. 34. Singulis annis, & in fine officij ſyndicentur. §. 35. Syndicatores vt eligendi. §. 36. Condemnati quas pœnas incurrant. §. 37. Syndicatus vt recuſandi. §. 38. Salarium Prætoris, & Auditorum quod. §. 39. & ſeq. Prætor Aduocatum, & Procuratorem pauperum quolibet ſemeſtri eligit. §. 42. Cauſæ ſolùm ex reſcripto propria manu Papæ, aut de conſenſu partium à Rota auocari poſſint. §. 43. Auditores eius priuilegiis Auditorum Rotæ Bononienſis gaudeant. §. 44. Et exemptione ab omnibus oneribus. §. 45. Ordinationes iſtæ vt mutari poſſint. §. 46. Locus poſt Locumtenentes Legati, aut Gubernatoris Auditoribus aſſignatur. §. 47. Sportularum maſſa vt fiat. §. 48. Camerarius Papæ Rotæ Protector deputatur. §. 49. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 50. Et decretum irritans. §. 51. Executores omnes mandata Rotæ exequi iubet. §. 52. Priuilegiis, & aliis contrariis pleniſſimè derogat. §. 53. Eriguntur quinque officia Notariatuum pro dictis quinque Auditoribus. §. 2. Conſtit. ſubſeq. Et octo Curſorum ad citandum. §. 3. Quæ officia Papa concedit Communitati Maceratenſi. §. 4. Notariis, & Curſoribus dat omnia priuilegia Notariorum, & Curſorũ Rotæ Bononienſis. §. 5. Et per alium officium exercendi. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Iuramentum Auditoris de ſeruandis ſtatutis, vt in §. 4. intelligetur etiam de illis, quæ poſtea eſſent ſublata?

RESP. Non, quia iuramentum intelligitur de obſeruantia ſtatutorum, prout ſtant tempore iuramenti, vt poſt Panormit. tenet Dec. in cap. Cùm acceſſiſſent. 8. de conſtitut. num. 29. Seraphin. de priuileg. iuram. in priuileg. 73. num. 9. Graff. in ſuis deciſ. par. 2. lib. 2. cap. 7. num. 24.

Scholion ſecundum.

Quæro Quid de ſtatutis editis poſt iuramentum?

RESP. Controuerſa eſt DD. ſententia: ſiquidem iuramentum indefinitè præſtitum extendere ſe ad futura, tenet Card. Zabar. Anchar. & Ioan. And. in cap. Clericus. 32. de iureiur. num. 1. Sed Bald. num. 2. contrarium affirmat, & cum eo videtur ſtare Panormit. num. 2. vbi tamen declarat, & eius declaratio congrua eſt.

X C V.

VNiuerſi Orbis Eccleſiis, & infra pag. 663. Bullarij. *Edita Anno* 1589.

COMPENDIVM.

Ciuitatis Firmi Prouinciæ Marchiæ laudes recenſet. §. 1. Eius Eccleſiam Epiſcopalem, in Archiepiſcopalem erigit. §. 2. Eccleſias nonnullas ei ſupponit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quæ eſt Archiepiſcopi authoritas in Prouincia Suffraganeorum?

RESP. Ampliſſimum de hoc quaſi Tractatum mox edidit Steph: Quaran. in ſua Summa, in §. Archiepiſcopi authoritas, & M. Anton. Genuenſ. Epiſcopus Iſerniæ in praxi Curiæ Archiepiſcop. Neapolitani, cap. 88. Eorum hic dicta tranſcribere non licet, dum ſummariè loquimur in his Scholiis ad Compendium iſtud.

Scholion ſecundum.

Quæro. Explica ſaltem ad præſens, an Archiepiſcopus poſſit cogere Epiſcopum Suffraganeum, & eius ſubditos

ad ſuſcipiendam delegationem cauſæ, vel perhibendum teſtimonium veritatis?

R e s p. Apud eoſdem hoc habuiſſes, do tamen tibi Rotæ diffinitiuam in terminis ſententiam in deciſ. Seraphin. 1212. in nouis, num. 1. vbi habetur, Epiſcopum tanquam ſibi immediatè ſubiectum cogi poſſe ab Archiepiſcopo, ſed non ſubditos Epiſcopi, niſi in caſu negligentiæ Epiſcopi, vt in deciſ. 1222. & in alia 1237.

X C V I.

Edita Anno 1589. EXimium, quod in vobis elucet, & infra pag. 665. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Conceſſit hic Pont. Congregationi Fratrum, & Monialium B. M a r i æ de Monte Carmelo Diſcalceatorum in Italia, facultatem recitandi, tam communiter, quàm diuiſim Horas canonicas iuxta ritum Romanæ Eccleſiæ, & Breuiarij Romani, prætermiſſo ipſius Ordinis vſu. §. 1. Quæ dictum ritum ſeruare cœpit. §. 2. Et modò ſupplicat pro facultate ſolemniter celebrandi feſta in honorem B. M a r i æ, & quorumdam Sanctorum iuxta formam ei præſcribendam. §. 3. Et conſequitur. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Horæ canonicæ cur ita nuncupatæ?

R e s p. Horæ, quia certis horis recitandæ ſunt, & canonicæ à canone, id eſt, à regula nuncupantur, quia regulariter dicendæ ſunt, ſecundùm Zabar. & alios in clem. 1. de celebrat. Miſſ. num. 8. Imol. ibid. num. 14. & Graff. par. 1. ſuarum deciſ. lib. 2. cap. 50. num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illud indultum quoad officia Sanctorum, intelligitúrne etiam de Sanctis, qui non ſunt de hoc Ordine?

R e s p. Genitor meus intellexit de Sanctis Ordinis tantùm, vt liquet ex rubrica per eum huic Bullæ appoſita. Sed de omnibus, de quibus iſta Congregatio feſta agere conſueuit, intelligit Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 69. artic. 5. ad finem, vbi de hac Bulla, vel non abſimili loqui videtur.

X C V I I.

EX debito, & infra pag. 656. *Item*; Cùm nos, & infra pag. ead. *Item*; Dilectis filiis, & infra pag. 667. *Item*; Cùm dilecti, ead. pag. Bullarij. *Edita Anno 1585. 1586. 1587. & 1589.*

C O M P E N D I V M.

Approbat Confraternitatem Pietatis carceratorum, à Gregorio XIII. in Vrbe inſtitutam, eiúſque priuilegia. §. 1. Officium Prouiſoris carceratorum ei concedit, & alterum officium Viſitatoris carcerum. §. 2. Quæ Confraternitas dicta officia gratis exercet, vt in Conſt. ſubſeq. Priuilegium liberandi quotannis vnum carceratum ſecunda feria poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ, in alia Conſtit. ſeq. Supradicti Viſitatoris carcerum officium Præfecto dictæ Confraternitatis confertur, in altera ſubſeq. Conſtitutione.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegium liberandi carceratum, extenderéturne ad liberationem eius, qui ſemel antea liberatus fuit?

R e s p. Non, ne delinquentes hac ſpe veniæ ducti delinquere aſſueſcant, arg. l. 3. Cod. de Epiſcop. aud. vbi hoc firmat in ſpecie Bart. & Paul. de Caſtro in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cauſæ carceratorum ob delictum dicuntur piæ?

R e s p. Piæ ſunt ſecundùm gloſ. in cap. Sacrorum. 15. cauſ. 12. q. 2. Bald. in l. ſed ſi ideo. 22. ff. ſolut. matrim. num. 1. Alex. in l. quamuis. 21. eod. tit. num. 10. & ſeq. Rot. in deciſ. Cantuccij 63. par. 2. diuerſor. num. 5. Et hanc opinionem veriorem aſſerit Gratian. lib. 1. diſceptat. forenſ. cap. 108. num. 5.

X C V I I I.

EX varietate temporum, & infra pag. 668. Bullarij. *Edita Anno 1589.*

C O M P E N D I V M.

Pius V. in ſua Conſtit. 141. de qua ſup. Capitulum Generale Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris, Ordinis S. Auguſtini, quolibet triennio celebrari, & in eo Priorem generalem eligi iuſſit, in princ. Eius, & Viſitatorum officium triennio expleri

pleri voluit. ibid. Hic Pont. poſtea aliter ſtatuit. §. 1. Nunc iuſtis de cauſis Conſtit. Pij V. innouat. §. 2. Cæteróſque Abbates, Priores, Vicarios, & Præpoſitos ad triennium pariter eligi decernit. §. 3. Triennium à die electionis currere declarat. § 4. Eorum aliqno decedente, in eius locum ſuffectus vſque ad Capitulum illum teneat. §. 5. Dietam anno quolibet teneri præcipit. §. 6. Formam eligendi à Pio V. præſcriptam ſeruari iubet. §. 7. In eligendis Diſcretis conſtitutiones Ordinis ſeruari mandat. §. 8. Obſeruantiam huius Bullæ omnibus iniungit. §. 9. Contrariis derogat. §. 10. Tractare de immutatione huius legis interdicit. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Quod dicitur in §. 5. de Officiali decedente, habebítne etiam locum, ſi Officialis priuetur?

R E S P. Eadem ratio boni regiminis Ordinis militat in vtroque caſu, & propterea idem iur in vtroque militare debet. Fulg. l. adigere. 6. §. quamuis. ff. de iurepatronat. l. illud. 32. ff. ad legem Aquil. Ratio etiam vniuerſalis omnes caſuum ſpecies comprehendit ſub ſe, ſicut genus plures amplectitur ſpecies. Surd. qui alios congerit in conſ. 301. lib. 3. num. 19.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo caſu huiuſmodi pœna priuationis imponi poteſt his Prælatis, vel Officialibus Ordinis?

R E S P. Nuſquam, niſi vbi lex, vel conſtitutio aliqua eam expreſsè imponit, iuxta gloſ. communiter receptam in cap. vlt. de iurepatronat. quam ſequitur Nauarr. conſ. 5. de verbor. ſignific. lib. 5. num. 4. pag. mihi 637. Rota in deciſ. 286. Seraphin. num. 6. in nouis.

X C I X.

Edita Anno 1589. CVm ſicut ad aures noſtras, & infra pag. 669. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Fratrum Diſcalceatorum S. Franciſci inſtitutum (Sede Apoſtolica inconſulta inductum in Italia) ſupprimit. §. 1. Eorum loca Fratribus Reformatis Conuentualium Sancti Franciſci concedit. §. 2. Illis Diſcalceatis ad iſtos Reformatos tranſeundi licentiam concedit. §. 3. Et priuilegia Reformatoium communicat. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Abſque hac ſuppreſſione Congregatio iſtorum Diſcalceatorum non erat iure veteri irrita?

R E S P. Id certiſſimum eſt ex diffinitione Innoc. I I I. in Concilio generali, quæ legitur in cap. vlt. de Relig. domib. & ex alia diffinitione Gregorij X. in Concilio Lugdunenſi, quæ legitur in cap. vnic. eod. tit. in 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. A ſolius ergo Papæ confirmatione noua Religio pendet, eo quod non poſſit eam confirmando, errare?

R E S P. Ita ſanè, vt poſt alios oſtendit Rod. de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 48. artic. 4. vbi quamplures allegat, & probat, Papam in confirmando nouam religionem, errare non poſſe, in qua tamen ſit vera profeſſio cum votis ſubſtantialibus; ſicut neque errare valet in Canonizatione Sanctorum.

C.

IN conferendis, & infra pag. 670. Bullarij. *Edita Anno 1590.*

C O M P E N D I V M.

Eligit in Theſaurarium Generalem Bartholomæum Cæſium cum ſolitis conditionibus, &c. §. 1. & 2. Locum in Camera Apoſtolica, in Capella, & aliis actibus aſſignat. §. 3. Et in Signatura Gratiæ. §. 4. In Congregationibúſque rerum Cameralium. §. 5. Facultatem dat eidem cum Papa agendi de affictibus Cameræ. §. 6. Penſionem domus, ac victum aſſignat. §. 7. Prouentúſque ſpoliorum componendorum. §. 8. Bonorum etiam vacantium, & reddituum non expeditis literis Apoſtolicis perceptorum. §. 9. Illicitæ quoque negotiationis. §. 10. Spoliorũ in Italia. §. 12. Fructuúmque beneficiorum malè perceptorum. §. 13. Bonorum quoquomodo vacantium. §. 14. Relictorum illegitimis contra Bullam Pij V. §. 15. Malè acquiſitorum. §. 16. Relictorum à Religioſis extra clauſtra degentibus. §. 17. Acquiſitorum de fructibus Eccleſiaſticis, de quibus legitimè diſpoſitum non ſit. §. 18. Bonorum non reſidentium. §. 19. Fructuum beneficiorum

rum reſeruatorum pro tempore, quo vacant. §. 20. Fructuum omnium malè perceptorum. §. 21. Facultatem ei tribuit, in præmiſſis etiam ex officio, & contra exēptos procedendi. §. 22. Officiales Cameræ ad reddendum rationes cogendi. §. 23. Teſtes ad ſe examinandum conſtringendi. §. 24. Occupatores ſpoliorum coërcendi. §. 25. Illáque eius arbitrio vendendi. §. 26. Delinquentes in præmiſſis puniendi. §. 27. Componendíque ſuper prædictis. §. 28. Summariè procedendi. §. 29 Cauſas ſpoliorum, eiſque annexas ab omnibus Iudicibus auocandi. §. 30. Vicetheſaurarium, Auditores, Collectores deputandi. §. 31. Cauſas ſpoliorum, eiſque annexas, priuatiuè quoad alios, cognoſcendi. §. 32. Appellationémque à ſententiis Nunciorum, Collectorum, & aliorum. §. 33. A Theſaurario autem deuolutiuè tantùm, & non retardata executione appellare permittit. §. 34. Ceſſiones, & reſignationes locorum Montium admittere concedit. §. 35. Eorúmque introituum, & conſtructionis Ciuitatis Terracinæ tribuit. §. 36. Facultatémque ſortes, & lottos permittendi. §. 37. Et priuatiuè quoad alios prædicta omnia agendi. §. 38. Et ab aliis Iudicibus reaſſumendi. §. 39. Notarium vnum de Notariis Cameræ in ſuis cauſis deputandi. §. 40. Habentes inſtrumenta concernentia iuriſdictionem ſuam, ſibi conſignari faciendi. §. 41. Decimámque omnium prædictorum prouentuum percipiendi. 42. Bannimenta ſuper prædictis promulgandi. §. 43. Debitores Cameræ ad ſoluendum cogendi. §. 44. Sigillo proprio vtendi, eiúſque emolumenta percipiendi. §. 45. Penſiones vſque ad ſcuta 4000. transferendi. §. 46. De bonis etiam iuriſdictionalibus, & de rebus Eccleſiaſticis acquiſitis teſtandi. §. 47. Literas Apoſtolicas pro ſe, Vicetheſaurario, Locumtenente, & duobus familiaribus gratis habendi. §. 48. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 49. Et decretum irritans. §. 50. Executores deputat. §. 51. Tranſumptíſque credi iubet. §. 52.

Scholion primum.

Quæro. Si Theſaurarius cum pecunia Cameræ Apoſtolicæ aliquid acquirit, ad eum, vel ad Cameram ſpectabit?

R e s p. Acquirit Cameræ, vel ad pretium tenetur, ſi Camera voluerit, ad exemplum Eccleſiæ, militis, & minoris: quamuis nomine proprio acquiſiuiſſet. l. ſi vt proponis. 8. Cod. de rei vindic. per quem textum ſic tradit Baldus in l. ſi eum ſeruum. 23. ff. ſi cert. petat. & Peregrin. de iur. Fiſci. lib. 6. tit. 3. num. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si præſens Theſaurarius ſuper aliquibus ſpoliis inuentarium, executionem, & ſequeſtrum, & ſimilia fecerit, ſed pretium inde cum effectu redactum non fuit, habebit ipſe decimam, aut eius ſucceſſor?

R e s p. Ad ſucceſſorem ſpectat, quia de verè exactis tantùm decima debetur; & ita in facti contingentia deciſum fuit in Camera coram Reuerendiſſ. Tudertino anno 1589. in cauſa Pariſani ſubcollectoris in Regno Hiſpaniarum, & in ſimili caſu idem cenſuit eadem Camera contra D. Gynum Capponum Prouinciæ Marchiæ Theſaurarium, ad fauorem Illuſtriſſimi D. Ferdinandi Tabernæ Cardinalis, & eiuſdem Prouinciæ Legati, 23. Martij 1605. coram Reuerendiſſimo Matthæio.

CI.

SVperni cura regminis, & infra pag. 675. Bullarij. *Edita Anno 1590.*

COMPENDIVM.

Vrbis ornatui intentus, aquam in eminentiora eius loca, & præcipuè in montē Quirinalem adduci curauit ab agro Columnenſi, ad frequentiorem ibi hominum habitationem inducendam, eámque à ſuo nomine Fælicem appellauit. §. 1. & ſeqq. Fontem propterea in platea S. Suſannæ conſtruxit, & ornauit. §. 4. Vias, & plateas adiacentes adæquari fecit. §. 5. Pro dictæ aquæ conſeruatione eius curam Congregationi Cardinalium ſuper viis, pontibus, & aquis curandis inſtitutæ delegat. §. 6. Annuum redditum pro aquæductus conſeruatione aſſignat. §. 7. Viſitatores eius duos Ciues Romanos quotannis eligi mandat. §. 8. Eorum munus præſcribit. §. 9. Contrauenientibus his, quæ hac lege decernuntur,

tur, pœnas imponit. §. 10. & ſeqq. Qui de hac aqua à Pont. quicquam obtinuerit, ſupradictæ Congregationi reſcriptum exhibeat. §. 11. Eiſdem Viſitatoribus ſalarium conſtiuit. §. 14. Clauſulas præſeruatiuas, & derogatorias apponit. §. 15. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Aquæ vberias cur frequentiorem habitationem, de qua in §. 2. inducit?

R E S P. Quia aëris corruptionem impedit, eiuſque ſalubritatem operatur, & multa incommoda habitatoribus aufert. l. vlt. cum ibi not. ff. de riu. reficiend. Ripa in ſuo tract. de peſte, in tit. de remed. præſeruat. num. 6. & Caſſan. in catalog. glor. mundi. par. 12. conſid. 18. in fine, ac Frontin. de aquæduct. libro 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ad quid illa exhibitio impetrationis aquæ, de qua in §. 11.

R E S P. Ne quis amplius, quàm impetratum fuerit, ducat. Et hæc erat vna ex SC. legibus, aquarum, & aquæductuum publicorum, vt Frontin. iam cit. ſcribit lib. 2. de aquæductib. & refert Petrus Greg. lib. 3. Syntagm. Iuris cap. vlt. num. 5.

C I.

Edita Anno 1590.

CVm ex debito Paſtoralis officij, & infra pag. 678. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Comprobat iuriſdictionem, & authoritatem à Paulo III. & Pio IV. conceſſam Archipreſbytero Sancti Petri, iam in diiudicandis cauſis perſonarum eius Eccleſiæ, & conferendis beneficiis, quàm in aliis. §. 1. Iuriſdictionem cognoſcendi cauſas ampliat. §. 2. Dáque facultatem ſummariè, & appellatione poſtpoſita, etiam non friuola, procedendi. §. 3. In Curia, & extrà citandi. §. 4. Cauſas ab aliis Iudicibus reaſſumendi, & inhibendi. §. 5. Mandata executiua decernendi. §. 6. Expenſas taxandi. §. 7. Singulis diebus in honorem Dei non feriatis procedendi. §. 8. Canonicos, & alios à iuramento, & aliis cenſuris abſoluendi. §. 9. Cætera in præmiſſis neceſſaria faciendi. §. 10. Commiſſiones manu Papæ non ſignatas non attendendi. §. 11. Pontificalia munia, & iuriſdictionem ordinariam in perſonas dictæ Eccleſiæ exercendi. §. 12. Fabricæ Sancti Petri ſuperioritatem tenendi, Officialéſque reformandi, &c. §. 13. Cauſas intereſſe dictæ fabricæ concernentes cognoſcendi. §. 14. Clauſulas huius legis præſeruatiuas, decretúmque irritans, & clauſulas derogatorias apponit. §. 15. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Stante clauſula (*appellatione remota*) de qua in §. 3. ſi quis appellat, nónne tenetur in appellatione inferere cauſam, ob quam iuſtificetur appellatio?

R E S P. Sic tenet Franch. in cap. Paſtoralis. 53. de appellar. num. 9. Felyn. in cap. quoad conſultationem. 15. de re iud. num. 20. & Rota in deciſ. Orani in vna Romana Caſalium, 14. Decembris 1562.

Scholion ſecundum.

Quæro. Operatúrne dicta clauſula, vt ab exceſſiua taxatione expenſarum, de quibus in §. 7. appellari nequeat?

R E S P. Non, quia ſublata non intelligitur appellatio quoad acceſſoria. Saly. in l. fin. Cod. de ſentent. num. 8. Felyn. in cap. cauſam quæ. 18. de reſcript. num. 27. Rota in deciſ. Robuſter. 100. part. 1. diuerſor. num. 11. & 34. vbi declarat.

C I I.

Edita Anno 1590.

DVm ad vberes, & infra pag. 678. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Erigit in monte Quirinali Vrbis Burgum Fælicem S. Bernardi. §. 1. & 2. Priuilegia habitantibus, vel fabricantibus in eo concedit, quæ habitantibus, vel frabricantibus in Via Fælici ab ipſo conceſſa fuerunt. §. 3. & ſeq. Executores deputat. §. 5. Contrariiſque derogat. 6.

Sholion primum.

Quæro. Cur Burgus Fælix, & Sancti Bernardi nuncupatur?

R E S P. Fœlix à proprio huius Pontificis nomine, & S. Bernardi, à locis, vbi conſtructus eſt, ad Confraternitatem S. Bernardi de Vrbe ſpectantibus, vt omnes ſciunt, & è contextu Bullæ mer optimè colligitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Habitatores, de quibus in §. 3. qui propriè dicuntur?

R E S P.

R E S P. Qui in aliqua dicti Burgi domo faciunt focum, tenent lectum, comedúntque & bibunt. Bald. conſ. 242. quia veritas, lib. 1. num. 8. & conſ. 198. ſtatutum Ciuitatis, lib. 2. num. 3. vel in ea tenent familiam, licèt ipſi ſeorſum habitent. Idem Bald. conſ. 234. lib. 1. in princ. vbi ad finem ampliat etiam in habitante de nocte, vel de die tantùm.

C I V.

Edita Anno 1590. Circumſpecta Rom. Pont. prouidentia & infra pag. 681. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Pium I V. in ſua Conſt. 60. de qua ſup. Fratres Militiæ S. Stephani exemiſſe à iuriſdictione Ordinariorum, ſolutionéque decimarum, aliáque indulta eis conceſſiſſe. §. 1. Facultatémque eiſdem etiam bigamis penſiones obtinẽdi, & transferendi vſque ad ſummam ducat. 200. §. 2. Subdit, Pium V. in ſua Conſt. 73. de qua ſup. huiuſmodi indulta generaliter quoad penſiones reuocaſſe. §. 3. Innouat ipſe indultum Pij I V. quoad dictas penſiones. §. 4. Illúdque iteratò concedit. §. 5. Eximit ab onere deferendi habitum, & tonſuram Clericalem. §. 6. Indulgétque per contractum matrimonij, & exercitium Militiæ penſiones non vacare. §. 6. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 7. Executores deputat. §. 8. Contrariáque remouet. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Hi Milites exempti à iuriſdictione Ordinariorum, vt in §. 1. poterunt in eorum iuriſdictionem conſentire?

R E S P. Non, quia hoc priuilegium datum eſt Religioni, vt de his Militibus in ſpecie loquendo, ſcribit Caball. caſu 225. num. 11. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iidem Milites à quo iudicantur?

R E S P. A conſilio Religionis, vel à Deputatis à Magno Magiſtro, vt ſtatutis illius in §. 4. caueri ſcripſit Caball. caſu 225. num. 16. & 23.

C V.

Edita Anno 1590. Cvm ſingularum rerum, quas D. N. & infra pag. 682 Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Scalas ſanctas tempore Paſſionis Sacri Saluatoris noſtri veſtigiis calcatas, eiúſque cruore reſperſas, ab Hieroſolymis è Prætorio Pilati Romam dudum aduectas, & apud Baſilicam S. Ioannis Lateranenſis aſſeruatas, ſanctiori loco, nempe apud Capellam S. Saluatoris, Sancta Sanctorum nuncupatam, prope dictam Baſilicam decentiùs repoſuit. §. 1. Porticum ante eas extruxit. §. 2. Sacella duo ad latera dictæ Capellæ exædificauit. §. 3. Myſteria Paſſionis in lateribus ſcalarum depingi voluit. §. 4. Sacella prædicta, & Sacriſtiam ornamentis Eccleſiaſticis ditauit. §. 5. Modò vnam Præpoſituram, vnam Sacriſtiam, quatuor Capellanias, quatuor Clericatus, & vnum Oſtiarium inſtituit. §. 6. Munus eorum præſcribit. §. 7. Annuos redditus aſſignat. §. 8. Eleemoſynas ibi elargiendas certo modo diſtribuendas decernit. §. Ius patronatus, & præſentandi ad hæc Michaeli Peretto eius pronepoti, & deſcendentibus maſculis concedit. §. 10. Collationem Præpoſituræ Vicario Papæ, & aliorum beneficiorum ipſi Præpoſito tribuit. §. 11. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 12. Et decretum irritans. §. 13. Executores deputat. §. 14. Contrariiſque derogat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Capella ſanctiſſimi Saluatoris cur Sancta Sanctorum appellatur, vt in §. 1.

R E S P. Quia ibi antiquitus aſſeruabantur (vltra alias quamplures aliorum SS. reliquias) capita SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, vt ſcribit Ioan. And. in cap. 1. de vita, & honeſt. Cleric. in fin. & Troyl. Maluet. de Canoniza. Sanctor. in 1. dub. num. 17. Hoc idem ſentit Onuphr. Panuin. de præcip. Vrbis Romæ Baſilic. pag. mihi 231. & ſeq. vbi ſubdit, quòd Vrbanus V. poſtea illa in digniorem locum Baſilicæ Lateranenſis, vbi eadem hodie venerantur, tranſtulit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si aliqua de antiquitate, ac præſtantia huius ſacroſanctæ Baſilicæ ſcire cupiam, vbi abundè perlegam?

R E S P. Luculenter omnia deſcribit in ſuo opuſculo Onuphr. Panuin. de præcip. Vrbis Romæ Baſilic. pagina mih.

mihi 135. & ſeqq. & Pompeius Vgonius in Tractatu de Vrbis Stationibus, in ſtatione ad Eccleſiam Lateranenſem.

GREGORIVS XIV.

Italus creatus anno 1590.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1590.

Romanus Pontifex, & infra pag. 686. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. Conſtitut. eius 35. edidit de non alienandis, & infeudandis Terris, & locis S. R. E. in §. 1. Quam hic Pontifex approbat, innouat, & inuiolabiliter obſeruari præcipit. §. 2. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Loca, quæ ad Sedem Apoſtolicam contra contumacem Iudex deuoluta declarauit, dicuntur perperuò ad eam ſpectare?

RESP. Non, quia infra annum contumax poteſt comparere, & interim vaſſallus non priuatur proprietate feudi, ſed poſſeſſione tantùm, vt cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 290. in nouis, num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Finito feudo ob temporis curſum, poteritne Sedes Apoſtolica, cui ipſo iure feudum apertum fuit, illius accipere poſſeſſionem, etiam alio illud poſſidente non citato?

RESP. Affirmatiuam ſententiā probat Bald. in cap. quæ in Eccleſiarum. 7. de conſtitutionib. num. 62. & ita in ſimili caſu pronunciatum eſſe firmat Boſſ. in tit. de Princip. num. 331. & ampliſſimè de hoc ſcribit Caualcan. in deciſ. 36. par. 2. num. 336. & ſeqq.

II.

Edita Anno 1590.

Romanus Pontifex, & infra pag. 687. Bullarij.

COMPENDIVM.

Elargitur Congregationi Clericorum Regularium Minorum omnes gratias, & priuilegia Congregationis Presbyterorum Theatinorum. §. 1. & 2. Etiam ea, quæ per viam communicationis, & extēſionis illi competere poſſunt, & poterunt in futurum, perinde ac ſi ſingula præmiſſa illis ſpecialiter, & expreſsè, &c. d. §. 2. Conceſſionem iſtam de ſubreptione & obreptione notari vetat. §. 3. Et ita iudicari mandat. §. 4. Obſtantiáq; tollit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Communicatio iſta locum habebit etiam quoad oblatos actu non ſeruientes?

RESP. Non, quia quoad illos Theatinorum priuilegia ſunt reuocata, circa ea, quibus iuriſdictio Epiſcopalis perturbatur, à Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 11. de reform. Ideo de illis non poteſt intelligi communicatio data Clericis Minoribus, vt aduertit Rod. de quæſt Regul. quæſt. 55. art. 21. ad finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa clauſula, *perinde*, &c. de qua in §. 2. cuius eſt effectus?

RESP. Quòd omnia priuilegia ſimul ſingulis dictis Clericis Minoribus conceſſa intelliguntur. Dec. conſ. 36. incip. Omiſſa. num. 4. Corn. conſ. 268. lib. 4. num. 22. Rota in deciſ. Cantuccij 54. par. 2. diuerſ. num. 17. & ſeqq.

III.

Edita Anno 1590.

Circumſpecta Romani, & infra pag. 687. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. duas edidit Cōſtitutiones, de quibus ſup. circa receptionem Nouitiorum ad Ordines Regulares, in §. 1. Eas hic Pont. quoad diſpoſita circa Nouitios illegitimos, reducit ad terminos iuris, & declarat, illegitimos admitti poſſe, ita tamen vt ij illegitimi recipi poſſint, quorū tot ſint merita, vt nataliū ſuppleāt defectū, & eorū receptio Religioni profutura videatur. §. 2. & 3. Generalib. Ordinū dat facultatem diſpenſandi illegitimos eorum ſuffragantibus meritis, & non aliàs, ad dignitates iuxta eorum priuilegia. §. 4. Superioribus Monaſteriorum receptionem Nouitiorum committit. §. 5. Et ita iudicari præcipit. §. 6. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Iſta dictio (*ita tamen*) de qua in §. 3. inducitne conditionem, aut formam præciſam, vt irrita ſit profeſſio abſque illis meritis receptorum?

RESP. Hinc inde arguit Rod. de quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 8. artic. 5. & partem negatiuam tuetur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sine cauſa poterúntne à Generalibus diſpenſari illegitimi ad dignitates, de quibus in §. 4.

R E S P. Non, quia ſic clarè diſponitur ob illa verba, *eorum ſuffragantibus meritis*; vltra quod ita etiam de iure eſſet hæc lex interpretanda, vt ſcripſit Rod. vbi ſup. tom. 1. quæſt. 13. artic. 14.

IV.

Edita Anno 1590. COgit nos deprauata, & infra pag. 688. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inhærendo Conſtitutioni 63. Pij IV. de qua ſup. ſponſiones, ſiue commiſſas ſuper vita, morte, aut creatione Papæ, vel promotione Cardinalium prohibet. §. 1. Quidquid in eis deductum eſt, piis locis applicat. §. 2. Quæ cum delinquentibus tranſigere, & ſe concordare vetat. §. 3. Eccleſiaſticíſque perſonis ſponſiones facientibus pœnam priuationis beneficiorum imponit. §. 4. Omnibúſque excommunicationis pœnam infligit. §. 5. Et ita iudicari præcipit. §. 6. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 7.

Scholion primum.

R E S P. Si ſponſio ante hanc prohibitionem ita concepta fuiſſet; Hac die 12. Decembris ego Petrus accipio ab Antonio ſcuta centum, eidem reſtituturus bis centum, caſu quo Papa nec crearet, neque publicaret Cardinales ab hodie ad totum menſem Ianuarij: & per horam ante initam hanc ſponſionem, à contrahentibus probabiliter ignoratam, fuiſſent creati, & publicati Cardinales, eſſétne valida huiuſmodi ſponſio?

R E S P. Caſus euenit Florentiæ anno 1583. & ſic ante hanc editam Gregorij Conſtitutionem, & doctiſſimè diſcuſſus fuit, & negatiuè reſolutus, vt plenè legitur in deciſ. 8. Magonij per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dicetur perfectus contractus ſcommiſſæ, ſi idem Petrus numerauit ſcuta centum Antonio præſenti, & recipienti, reſtituturo bis centum, ſi infra certũ tempus Papa creabit Cardinales; ſed cùm apocham, quæ de more confici ſolet, conſcribere vellent, Antonius diſceſſit relictis pecuniis, & ſcedula dimiſſa, & paulo pòſt innotuit Papam creaſſe Cardinales?

R E S P. Imperfectus dicitur, cùm verſimiliter non ſine ſcriptura partes contrahere voluerint; & ante illius confectionem licet pœnitere. Ita cenſuit Rota in deciſ. Scraph. 854. per totam in nouis.

V.

QVanta Reipublicæ Chriſtianæ, & infra pag. 690. Bullarij. *Edita Anno 1590.*

C O M P E N D I V M.

Confirmat quæcumque priuilegia Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani. §. 1. & ſeqq. Pius IV. conceſſit Magno Magiſtro, & Conuentui facultatem vniendi & diſmembrandi beneficia Ordinis. §. 4. Ampliat hic Pont. facultatem iſtam valere tam ante, quàm poſt mortem poſſeſſorum. §. 5. Extendit omnia priuilegia ad donatos, ibidem. Clauſulas huius conceſſionis præſeruatiuas addit. §. 6. Et clauſulam, *Sublata*, &c. Necnon contrariorum derogatorias. §. 9. Præſeruat tamen declarationes Pij V. & Gregorij XIII. atque Concilij Tridentini. §. 10. Tranſumptis huius priuilegij credi iubet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Priuilegio fori, quod habet Miles, vltra alia multa hic approbata in §. 3. poſſet forſitan, ſi vellet, renunciare?

R E S P. Non, quia non ſibi datum eſt, ſed Religioni, vt de his Militibus loquendo, pro abſoluto ſcripſit Caball. caſu 225. num. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sunt ergo hi Milites Religioſi?

R E S P. Sunt, & præſertim quoad priuilegium fori. Rota in deciſ. 47. Cæſaris de Graff. num. 12. Prout nec eos teſtari poſſe dixit Rota coram R. P. Lodouiſio nunc Sanctiſſimo in vna Interamnenſi bonorum, 5. Maij 1603.

VI.

ONus Apoſtolicæ ſeruitutis, & infra pag. 691. Bullarij. *Edita Anno 1590.*

C O M

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum decreuit, ad Cathedrales Eccleſias eligi viros inſignes. §. 1. Hic Pontif. Concilium, cui vti Epiſcopus Cremonenſis interfuit, exequi exoptauit. §. 2. Concilium mandauit, vt in quibuſcumque locis in Synodo prouinciali præſcriberetur forma examinis à Metropolitano à Papa approbanda. §. 3. Sed in paucis locis id executum fuit. §. 4. Hic ideo Pont. munus huiuſmodi examinis extra Curiam, quoad promotionem ad Epiſcopatus demandat Sedis Apoſtolicæ Legatis, Nunciis, & Ordinariis. §. 5. In Curia verò Cardinalibus ad hoc deputandis, vel Protectoribus Regnorum, in quibus promouendi exiſtunt, ſi ad eorum protectionem illæ Eccleſiæ pertinent. §. 6. Formam inſtructionis, & examinis præſcribit. §. 7. & ſeqq. Similem inquiſitionem de ſtatu Eccleſiæ, fideique profeſſionem à promouendis fieri iubet. §. 10. Proceſſum huiuſmodi à Cardinalibus Prioribus Ordinum examinari mandat. §. 11. Eamdem inquiſitionem haberi iubet de promouendis ad Eccleſias, de quibus conſiſtorialiter prouidetur. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi proceſſus, & examinis practicam quis me edocebit?

RESP. Ad plenum ſcripſit Pariſ. in tract. de reſignat. benefic. tom. 2. lib. 8. quæſt. 5. poſt huiuſmodi Bullam Romæ edito, vbi eiuſdem explicationem ſpecialiter tradidit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſiſtorialium beneficia cur ſic appellantur?

RESP. Quia Papa de eis in Conſiſtorio coram Cardinalibus diſponit, vel in libris Cameræ Apoſtolicæ inter Conſiſtorialia deſcripta ſint. Rota in vna Nolana coram Paleotto die 2. vel 19. Iunij 1559. & Caputaque. deciſ. 19. in manuſcriptis, incip. Probatur beneficium. Et ideo qui allegant, Papam non conſueuiſſe de eis conſiſtorialiter prouidere, ſibi incumbit onus probandi, vt Rota tenuit in dicta cauſa Nolana, teſte Caputaque. in deciſ. 17. incip. Narranti.

VII.

CVm aliàs nonnulli prædeceſſores, & infra pag. 964. Bullarij. *Edita Anno 1590.*

COMPENDIVM.

Pius V. & Sixtus V. certis caſibus ab Eccleſiis delinquentes extrahendi facultatem Principibus ſæcularibus dederunt, in princ. Eorum tamen Miniſtri ea abuſi ſunt, vnde plurima mala euenerunt. §. 1. Illam ergo iſte Pontifex reuocat, immunitatémque Eccleſiaſticam ſeruari præcipit. §. 2. Excipit tamen publicos latrones, viarúmque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, vel homicidia, & mutilationes membrorũ committere non verentes, vel proditoriè proximum ſuum occidentes, vel aſſaſſinij, aut hæreſis, aut læſæ maieſtatis in perſonam ipſius Principis reos. §. 3. Hos enim, ſi laici ſint, & aliquod prædictorum delictorum Curia Eccleſiaſtica commiſiſſe videbit, Iudici laico requirenti remitti decernit. ibid. Sed Curia ſæcularis abſque licentia Eccleſiaſticæ perſonæ nullo pacto in caſibus exceptis capiat. §. 4. Et ita captos Iudex Eccleſiaſticus, antequam illi Curiç ſæculari tradantur, diiudicat, an verè crimina prædicta commiſerint §. 5. Cognitionem autem criminis hæreſis totaliter ad Curiam Eccleſiaſticam ſpectare decernit. §. 6. Necnon cauſarum omnium perſonarum Eccleſiaſticarum ſæcularium, & regularium ad forum Eccleſiaſticum pertinentium. §. 7. Et ita iudicari mandat. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Si quis ex inſidiis ſclopi rotati ictu aliquem occiderit, dicitúrne proditoriè occidiſſe?

RESP. Non, prodere ſiquidem eſt vnum actum oſtendere, & alium facere, & ſic ad proditionem requiritur color amicitiæ, vt per tex. in l. 1. ff. de præuaricationib. docuit Bart. in l. reſpiciendum. 11. §. delinquunt. ff. de pœnum. 1. quem omnes ſequuntur, teſte Clar. in §. homicidium, num. 10. Vinc. Franch. deciſ. 713. num. 14. & ſeq. & Ambroſin. de immunit. Eccleſ. cap. 6. ac

Digitized by Google

Genuenſ. in pract. Curiæ Archiepiſc. Neapol. cap. 94. vbi reiecta contraria opinione Farinac. in quæſt. 18. num. 76. deſcribit quoddam diploma Clementis VIII. qui in occurrenti caſu ita hunc articulum diffiniuit, ſuper quo caſu contrarius ſibimet Farinac. aliter conſuluerat conſ. 76. num. 15.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc immunitas ante, & poſt hanc editam ſanctionem, quo pacto fuit in Vrbe obſeruata?

RESP. Semper, & inuiolabiliter, & proximis diebus in facti contingentia obſeruatam vidi in quodam Petro Aloyſio Cairo Mediolanenſi, qui homicidio commiſſo in perſona Stephani Ferrarienſis ſui famuli, recepit ſe in Preſbyterium S. Hieronymi de Charitate in Vrbe, vbi à birruariis Curiæ Gubernatoris Vrbis captus, & deinde carceratus fuit die 3. Decembris 1613. Sed die 13. eiuſdem ex decreto Viceſgerentis Vicarij Papæ, in filſa ſententiarum criminalium penes acta Paſſarini tunc eiuſdem Vicarij Notarij aſſeruata, immunitatis Eccleſiæ priuilegio potitus eſt. Quamuis poſtea fuerit in Curia prædicti Gubernatoris in contumaciam condemnatus die 14. Februarij 1614. Vnde ſæpius Genitorem meum audiui admirantem, & conquerentem aliter à Farinac. dictum fuiſſe in quæſt. 28. num. 74. & Baiard. quæſt. 30. numero 6. & ſubdentem, eorum dicta ab Officialibus Curiæ ſemper neglecta fuiſſe. Vltra quod ſi vel illi, vel alij populi, & Principes aliter facerent, nihil eſſet, quia ſolius Papæ eſt circa immunitatem Eccleſiaſticam ſtatuere, & iudicare, vt dicunt omnes in cap. ſolitæ. 6. de maiorit. & obed. & in cap. 1. & 6. de conſtitut. & luculenter Marius de Italia in ſuo, quem nouiſſimè edidit, tract. de immunitat. Eccleſ. lib. 1. cap. 3. §. 1. numero 3.

VIII.

Edita Anno 1590.

SEdes Apoſtolica pia Mater, & infra pag. 695. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. edidit Conſtit. 87. de qua ſup. contra abortum procurantes. §. 1. Quam hic Pontifex moderatur quoad reſeruationem abſolutionis ab excommunicatione Sedi Apoſtolicæ à dicto Sixto reſeruatæ. §. 2. Et quoad procurantes abortum fœtus inanimati, & ſterilitatis potiones dantes, ſuadentes, & auxiliantes, eam reducit ad terminos iuris communis, ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini diſpoſitionem. §. 3. Contrariáque omnia remouet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quæ eſt pœna iuris communis eius, qui ſibi, vel alteri fœtum inanimatum, de quo in §. 3. abegerit?

RESP. Pœna exilij, vel alia arbitraria ſecundùm qualitatem facti, & perſonarum conſtituta fuit in l. Cicero. 39. §. fin. ff. de pœn. & l. Si mulierem. 8. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. cum ſimilib. & tradit Iodoc. in pract. crimin. cap. 74. de Homicid. per ven. pag. mihi 174. num. 10. & Farinac. quæſt. 122. numero 137.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sed quid ſi illa Conſtitutio Sixti, de qua in §. 1. non erat publicata in loco, vbi, & quando quis non elapſis duobus menſibus à die dictæ publicationis potionem dedit, quamuis Romæ publicata eſſet, cùm in ea adſit decretum irritans, num ligaret?

RESP. Non, quia decretum irritans non ligat ignorantes, quoad pœnas graues, eo quod vt illæ incurrantur, requiritur ſcientia vera ex publicatione in prouincia loci delicti, non autem præſumpta ex publicatione facta Romæ, niſi poſt duos menſes. Alex. conſ. 51. lib. 7. numero 1. Corn. conſ. 313. lib. 4. num. 9. & Rota in deciſ. Robuſter. 578. par. 1. diuerſor. numero 3. Et ſic non bene locutus eſt Graff. aliter dicens par. 1. ſuar. deciſ. lib. 2. cap. 63. numero 32.

IX.

Edita Anno 1590.

SAnctiſſimus D. N. D. Gregorius Papa XIV. & inf. pag. 696. Bullar.

COMPENDIVM.

Die Feſtiuitatis Sãctiſſimæ Trinitatis, vſum

vſum bireti rubri Cardinalibus ex Ordinibus Regularium conceſſit, vt deferant more aliorum, habitu in cæteris nihil immutato. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Aliiſne, quàm Cardinalibus, vſus bireti permittitur?

RESP. Paulus II. ſtatuit ne quiſpiam biretum coccineum, præter Cardinales, propoſita pœna deferret, teſte Lancellot. Conrad. de Templo omnium Iudic. libro 2. cap. 2. de Cardinalibus, num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Galero autem rubro quis Cardinales decorauit?

RESP. Innocentius IV. in Concil. Lugdunenſi Generali galerum rubrum eis dedit, quo ſignificaret, eius ordinis homines caput ſuum, cùm opus eſſet, pro Eccleſiæ libertate tuenda, gladio offerre debere, eóque præſertim tempore Innocentij, quo Romana Sedes à Friderico II. vehementer vexabatur, vt ſcribit Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 1. num. 244. & poſt Platin. Ciacon. in vita ipſius Innocent. pag. mihi 564. in princ. ac Menoch. de Arbitrar. Iud. caſu 392. num. 8. & nouiſſimè Leonard Coque. in Antimornæo in Antidot. pag. 141. verſ. Non tantùm.

X.

Edita Anno 1591. ECcleſiæ Catholicæ, & infra pag. 696. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. Iulius III. & Gregorius XIII. inſtitutum Societatis IESV approbarunt. §. 1. & 2. Sed non defuerunt qui nonnulla à Summis Pont. approbata, & alia ad rationem gubernandi pertinentia impugnarunt. ibid. & §. 5. Ea igitur hic Pont. reprobat. §. 4. Societatiſque inſtitutum, & priuilegia, ac ſtatuta omnia, & conſtitutiones iterum comprobat. §. 5. & ſeqq. Superiorúmque electionem totam eſſe penes Præpoſitum Generalem. §. 8. Nouitios iuxta Societatis morem per Superiores admitti. §. 9. Graduum diſcretionem, & coadiutorum, & profeſſorum promotionem eſſe in manu Præpoſiti Generalis. §. 10. Circa tempus electionis ad gradus conſtitutiones ſeruari. §. 11. Omnem authoritatem Præpoſito conceſſam inuiolabiliter obſeruari. §. 12. Et in dimiſſionibus forma conſtitutionum ſeruetur. §. 13. Omnis poteſtas Generalibus aliorum Ordinum, quoad ſubditorum punitionem cōceſſa, æquè principaliter Præpoſito cōceſſa intelligatur. §. 14. Nomen Societatis IESV retineatur. §. 15. Religioſi poſt emiſſa vota, etſi ſimplicia, ad presbyteratum promoueri poſſint. §. 16. Illiſque emiſſis ad Carthuſianos tantùm tranſire valeant. §. 17. Poteſtas dimittendi à Societate non profeſſos illibata ſit. §. 19. Conſtitutionum, & decretorum, Societatis perturbatores, aut immutationem quærentes coërceantur. §. 20. & ſeqq. Conſtitutio Gregorij XIII. innouatur. §. 22. Præſentes ſubreptionis vitio notari nequeant §. 23. Nec ſub quibuſcumque reuocationibus comprehendantur. §. 24. Et ita iudicetur. §. 25. Ordinarij curent prædictorum obſeruantiam. §. 26. Contraria non obſtent. §. 27. Iſta conceſſio aliis non communicetur. §. 28. Eius tranſumptis credatur. §. 29.

Scholion primum.

Quæro. Sicut permittitur diſputatio de myſteriis fidei, cur non ita de impugnatione inſtituti huius Societatis?

RESP. Quia illa eſt neceſſaria Eccleſiæ, & vtiliſſima ad conuertendos hæreticos, iſta verò nec vtilis, nec neceſſaria, ſed incitat inuidias, & parit diſcordias, & alia mala, vt de hac Societate loquendo concludit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 1. art. 5. in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum de poteſtate Præpoſiti Generalis dimittendi ab hac Societate non profeſſos, de qua in §. 19.

RESP. Dixit Nauar. de Regularib. comment. 1. ſub num. 19. Eſt quoddam nouiſſimum conceſſum huic Societati, & declaratum à Greg. XIII. cui (vt vides) hæc etiam lex Greg. XIV. cohæret.

XI.

BEati Franciſci, & infra pag. 609. Bullarij. *Edita Anno 1591.*

COMPENDIVM.

Paulus III. habitum Fratrum Capuccinorum in ſua Conſt. 11. de qua ſup. tom. 1. cæteris aliis vetuit. §. 1. Pius IV. prohibuit habitum etiam conſimilem. §. 2. Gregor. XIII. Fratribus Tertiariis ex Ordine Conuentualium interdixit. §. 3. Hic Pont. Fratribus Reformatis eiuſdem Ordinis Conuentualium, hanc prohibitionem innouat. §. 4. Mantellúmque longius ad longitudinem Conuentualium, & mozzettam latam, & longam ſupra geſtare præcipit. ibid. Capuccinis tranſitum ad Reformatos prohibet. §. 5. Eremitas quoſlibet ex propriis locis diſcedere vetat, & Capuccinorum habitu diſtincto vti iubet. §. 6. Inobedientéſque coërceri. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Fuítne aliis huiuſmodi habitus vſus interdictus?

RESP. Sacra Congregatio Cardinalium de anno 1588. decreuit, ne Fratres Congregationis Ioannis Dei portarent capucium acutum (hoc enim deferunt Capuccini) ſed rotundum. Et à Sixto V. eodem anno fuit contra eoſdem conceſſa inuocatio brachij ſæcularis. Ita refert Cappuccin. in adnot. ad Compend. Mendic. in §. Habitus. pagina mihi 263. & Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 76. artic. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ipſis autem Capuccinis liceret capucium occultè deferre?

RESP. Non, ex Concilij Tridentini diſpoſitione in ſeſſ. 25. cap. 19. de Regular. in fin. vbi occulta habitus delatio eſt interdicta, & conſequenter delatio partis illius ex identitate rationis, de quibus latè agit, & notat Oldrad. conſ. 184. num. 12. & ſeqq.

XII.

Edita Anno 1591. SAlubrem Monaſteriorum, & infra pag. 700. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius III. Cardinali Protectori Monaſterij Monialium Sanctæ Marthæ nuncupati de Vrbe, iuriſdictionem tribuit quaſcumque cauſas, & lites ciuiles, criminales, & mixtas circa perſonas, & bona dicti Monaſterij, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & ſola facti veritate inſpecta audiendi. §. 2. & 3. Et ab eius ſententia appellare prohibuit. d. §. 3 & ſeq. Hic Pontifex approbat, & innouat. §. 7. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 8. Et ita iudicari mandat. §. 9. Contrariiſque omnibus derogat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Hæc appellationis prohibitio ligátne etiam tertium venientem ad cauſam pro ſuo intereſſe?

RESP. Non, quia hæc diſpoſitio, vel reſcriptum, non egreditur partes principales litigantes. cap. ſuper eo. 15. vbi Panormit. num. 3. & Dec. num. 27. de offic. deleg. & Rota coram Millino in vna Romana pecuniaria, die 19. Ianuarij 1598. & in deciſ. 100. Robuſter. par. 1. diuerſor. num. 11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Iudex Monaſterij appellationi deferret?

RESP. Ligat ſibi manus, vt ſententiam exequi non poſſit, ſi ſimpliciter detulit; ſecus ſi cum clauſula (ſi, & in quantum) vel dedit reuerentiales in forma. Rota deciſ. 5. de appellat. in nouis, Contard. de moment. poſſeſſ. limit. 13. num. 18. Rota coram Mantica in vna Recanatenſi bonorum, 26. Iunij 1587. & coram Pegna in vna Romana damnorum & intereſſe, 19. Iunij 1591.

XIII.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 701. Bullarij. *Edita Anno 1591.*

COMPENDIVM.

Confirmat, & de nouo concedit gratias, & indulta Ordinis Fratrum Cruciferorum, quatenus ſint in vſu, & decretis Concilij Tridentini non contrarientur. §. 1. & 2. Communicátque omnia priuilegia cuicumque Ordini Mendicantium concedenda ſpecialiter & expreſsè, & non ad inſtar. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mãdat. §. 4. Executores deputat. §. 5. Cõtrariáque omnia remouet. §. 6.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Dicta clauſula (*quatenus ſint in vſu*) quid operatur?

R E S P. Vt dicantur confirmata ea ſolùm, quæ ſunt valida, & in viridi obſeruantia, vt poſt alios ſcribit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 8. artic. 2. verſ. Quod confirmatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Supradicta clauſula refertur etiam ad ſubſequentem innouationem, de qua in §. 1.

R E S P. Ita ſanè: Papa ſiquidem noluit innouare, quæ erant priuilegia inualida, & per contrarium vſum abrogata, ad ſcripta per Dec. in conſ. 78. num. 2. verſ. Cùm ergo. Aym. conſ. 37. num. 3. Rota in deciſ. Plattæ in vna Placentina decimarum, 22. Iunij, & 9. Decembris 1588.

X I V.

Edita Anno 1591.

ROmanum decet Pontificem, & infra pag. 702. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus V. in ſua Conſt. 94. de qua ſup. in Ciuitate Maceratæ Status Eccleſiaſtici, Rotam pro cognitione, & deciſione litium Prouinciæ Marchiæ inſtituit. §. 1. Ad quam etiam à ſententiis Epiſcoporum appellare permiſit. §. 2. Hic Pont. limitat Rotæ facultatem quoad appellationes circa ea, quæ pertinent ad viſitationem, aut morum correctionem, & in caſibus, in quibus ab Ordinariorum decretis ex forma ſacrorum Canonum, & decretorum Concilij Trid. & cõſtitutionum Apoſtolicarũ appellationes ſuſpenſiuæ prohibentur. §. 3. & ſeqq. In cæteris cõfirmat. §. 7. Clauſulas Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 8. Executorem, & Protectorem deputat. §. 9. Contrariiſque omnibus derogat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Quid in cauſis, in quibus Ordinarij vigore Concil. Trident. vti Sedis Apoſtolicæ delegati procedunt, quæ ſub eorum ordinaria iuriſdictione non comprehenduntur?

R E S P. Appellari non poſſe ſtatuit Sacra Congregatio ſuper conſultationibus Epiſcoporum anno 1610. & ſic poſt hanc editam ſanctionem, cuius Congregationis decreti verba recenſet Stephan. Quarant. in §. Archiepiſcopi authoritas, pag. mihi 69. & Genuenſ. in pract. Cur. Archiepiſc. Neapol. cap. 88. in fine, pag. mihi 479. verb. Ab executione.

Scholion ſecundum.

Quæro. In cauſis non exceptis, verus contumax appellabit ad Rotam?

R E S P. Non, quia Pontificiæ conſtitutiones id prohibent, & in §. 6. ponitur inter caſus exceptos, omnis caſus appellationis prohibitæ à conſtitutionibus Apoſtolicis, & nihilominus dicta Congregatio idem explicitè determinauit in dictis decretis à Quaranta, & Genuenſ. tranſcriptis vbi ſuprà in eorum capite vltimo.

X V.

Edita Anno 1591.

EXponi nuper fecit, & infra pag. 704 Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Proponuntur Papæ difficultates, propter quas dura nimis eſt obſeruantia Conſtitutionis 71. Sixti V. de qua ſup. editæ ſuper receptione Nouitiorum, in princ. Supplicatúrque pro opportuna prouiſione. §. 1. Papa ergo declarat, intactam remanere rationem Societatis, tam in recipiendis Nouitiis, quàm in diſpenſationibus ad quælibet officia & dignitates in Societate obtinenda. §. 2. Conſtitutionibus quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Nouitij profitentur aliquam certam regulam, vel Societatis conſtitutiones ſolùm pro regula?

R E S P. Conſtitutiones tantùm pro regula, vt inquit Azor. de Inſtitut. Moral. lib. 13. par. 1. cap. 11. verſ. Decimotertiò quæritur.

Scholion. ſecundum.

Quæro. Si Nouitius ante emiſſam profeſſionem deliquit, ita vt pœnam carceris mereatur, poterítne inuitus carcerari?

R E S P. Non, quia in his, quæ tranſgrediuntur ſolùm tenentur pœna expulſionis, cui ſolummodo ſe ſubiecit Nouitius durante Nouitiatus tempore, ſibi indulto ad experiend mores Religionis

Religionis. Ita ſcripſit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 21. artic. 11.

X I V.

Edita Anno 1591.

ROmanus Pontifex, & infra pag. 704. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio S. Bernardi in Italia Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, Papæ ſupplicat pro confirmatione gratiarum eius, & communicatione priuilegiorum aliarum Congregationum dicti Ordinis. §. 1. Qui indulta dictæ Congregationis approbat, & iteratò concedit. §. 2. & 3. Indulta aliarum Congregationum conceſſa, & concedenda communicat, in quantum ipſi Congregationi expediat, & eius ordinationibus non ſint contraria. §. 4. Et ita iudicari præcipit. §. 5. Executores huius Conſtit. deputat. §. 6. Contrariiſque derogat. 7.

Scholion primum.

Quæro. Illud verbum, *concedenda*, in §. 4. nónne eſt ſuperfluum, cùm appellatione omnium priuilegiorum, nihil ſit quod non contineatur?

R E S P. Hoc locum haberet, ſi indeterminatè conſiderentur omnia priuilegia: ſecus ſi cum modificatione, vt hic attento illo verbo, *conceſſa*, quo caſu concedenda non veniunt, vt probat Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 51. artic. 1. vbi alios congerit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Abbas, vel Prior renunciaret alicui priuilegio?

R E S P. Nihil nocet, quia datum eſt non ſibi, ſed Congregationi. Bald. conſ. 337. lib. 4. num. 4. Rod. vbi ſuprà artic. 5. in fine.

X V I I.

Edita Anno 1591.

ILlius, qui pro gregis, & infra pag. 706. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. in eius Conſt. 25. de qua ſup. approbauit Congregationem Clericorum miniſtrantium infirmis. §. 1. Congregatio deinde Regulam conſtituit. §. 2. Super quatuor votis, paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, & perennis miniſterij infirmorum. §. 3. & 4. Generaliſque & Conſultorum officio. §. 5. Eiuſdem Generalis electione, & votis ab eo emittendis. §. 6. Miſſorum ad Hoſpitalia officio. 7. Munerum receptionis prohibitione. §. 8. Officiales Hoſpitalium vt ad Ordinem recipi poſſint, declaratur. §. 9. Infirmíque extra Hoſpitalia vt viſitentur. §. 10. Emolumenta ab eis non quærenda ſunt. §. 11. Officia diuina vt recitanda. §. 12. Exempti ſint à Proceſſionibus. §. 13. Orationem, & Sacramenta frequentent. §. 14. Nouitios vt recipiant. §. 15. Sacerdotum quis ſit habitus. §. 16. Sacerdotum, & laicorum qui numerus. §. 17. Studentium exercitium in quibus. §. 18. Loca recreationis quæ. §. 19. Nouitiorum habitatio quæ. §. 20. Hanc Regulam hic Pôt. approbat. §. 21. Congregationem ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipit. §. 22. Licentiam emittendi ſupradicta quatuor vota concedit. §. 23. Alióſque in Religionem recipiendi. §. 24. Ac ſtatuta condendi. §. 25. Priuilegia quorumcumque Ordinum à Summis Pontificibus, & Sede Apoſtolica conceſſa, quæ tamen ſint in vſu, & non reuocata, neque decretis Concilij Tridentini contraria, communicat. §. 26. Generali dat facultatem ſubditos abſoluendi. §. 27. Profeſſoribúſque huius Ordinis dat facultatem ſuſcipiendi ordines ſacros à quocumque Antiſtite. §. 28. Generali dat authoritatem diſpenſandi ſuper defectu natalium. §. 29. Aliáque loca recipiendi. §. 30. Appellationem à correctione Regulæ huius Congregationis vetat. §. 31. Impetrationémque Prælaturarum extra Congregationem. §. 32. Præfecto ſolùm confiteri permittit. §. 33. Ad alios Ordines tranſire prohibet. §. 34. Apoſtatas coërceri iubet. §. 35. Congregationes laicorum recipere indulget. §. 36. Diuinorum celebrationem concedit. §. 37. Exemptionémque ab Ordinariorum ſuperioritate. §. 38. Priuilegia, & indulgentias aliorum Ordinum ad Congregationem extendit. §. 39. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. In conceſſione priuilegiorum quid operatur illa clauſula, *quatenus ſint in vſu*, vt in §. 26.

R E S P. Importat conditionem, vt ſcilicet allegans illa priuilegia eſſe in vſu, debeat id probare. Dec. in rubr. de

confirm. vtil. vel inutil. num. 2. & Berous num. 9. & 10. & Rota in deciſ. Coram 56. par. 1. diuerſor. num. 5. & in deciſ. Seraphin. 780. ibid. num. 5. & 10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Appellatione priuilegiorum conceſſorum, num veniat etiam conſuetudo eius temporis curſus, cuius initium hominum memoriam excedit?

R E S P. Sententia affirmatiua verior eſt, & magis communiter recepta, teſte Dec. in conſ. 497. num. 5. & ſeq. Sed tamen id procedit, cum ſimpliciter agitur de priuilegiis; ſecus verò hic, vbi agitur de priuilegiis à Summis Pontt. & Sede Apoſtolica conceſſis, inter quæ non eſt connumerandum priuilegium temporis præſcriptione acquiſitum. Soc. Sen. conſ. 260. ſub num. 22. licèt aliqua eius verba culpa Impreſſoris mihi videantur corrupta.

X V I I I.

Edita Anno 1591.

EX iniunɫo nobis, & infra pag. 710. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Plerique Pontt. diuerſis priuilegiis Eremum Camaldulenſem, eiúſque, & S. Michaëlis de Murano Congregationem donarunt. §. 1. Eiúſque loca ſub Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſceperunt. §. 2. Exemerunt inſuper à ſolutione decimarum, & collectarum. §. 3. Loca Ordinis per eius Superiores conferri decreuerunt. §. 4. Prælatorum numerum taxarunt. §. 5. Generali facultatem abſoluendi Monachos ampliſſimam dederunt. §. 6. Priori, & Eremitis Camaldulenſibus omnia indulta Eremi S. Romualdi conceſſerunt. §. 7. Dubia ſuper prædictis oriunda ad fauorem Ordinis interpretari voluerunt. §. 8. Prædicta omnia hic Pont. confirmat. §. 9. Ordinarios in præmiſſis Congregationi fauere iubet. §. 10. Indulta quorumcumque Regularium, Congregationi elargitur. §. 11. Prælatorum numerum auget. §. 12. Et ita iudicari mandat. §. 13. Executores huius conceſſionis deputat. §. 14. Contraria remouet. §. 15. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 16. Tranſumptis credi iubet. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Si cum aſſenſu Papæ iſta Religio eius bona alteri ad perpetuum liuellum concederet, liuellarius teneretúrne ad decimas, à quibus Religio eſt exempta, vt in §. 4.

R E S P. Teneretur, quia hoc priuilegium eſt perſonale, tanquam datum perſonis pro rebus, & talis liuellarius dicitur vna perſona, vt in ſpecie de hac Eremi exemptione ſcripſit Martha in in ſuo voto 66. per totum, & pro hac ſententia facit deciſ. Rotæ 4. de priuileg. in antiq. & deciſ. Seraphin. 827. in nouis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Circumſcripta diſpoſitione §. 8. interpretatio in dubio nónne erit fienda in fauorem huius Religionis?

R E S P. In quæſtione cum aliis non Religioſis, aut non æquè priuilegiatis, ad fauorem Religionis interpretatio ſumenda eſt. Tiraquel. de priuileg. piæ cauſæ, in priuil. 148. l. 1. vbi ſcribb. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.

X I X.

SAnɫiſſimus in Chriſto, & infra pag. 712. Bullarij. *Edita Anno 1591.*

C O M P E N D I V M.

Indulta omnia circa collationes beneficiorum Eccleſiaſticorum S.R.E. Cardinalibus quomodolibet conceſſa, non tamen eorum, quibus ratione tituli, ſeu denominationis ſui Cardinalatus ipſi præſunt, & quoad ea, in quibus illa effectum nondum ſortita ſunt, cum omnibus inde ſecutis moderatur. §. 1. Nouam diſpoſitionem circa collationem beneficiorum familiarium eorumdem Cardinalium præfinit. §. 3 Et ita, & non aliter iudicari poſſe decernit. §. 3. Contrariíſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Ex hac reuocatione indultorum quot modis limitantur indulta Cardinalium?

RESP Sex modis, quos ſigillatim recenſet Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancel. gloſ. 24. num. 72 fol. mihi 431. vbi ſubdit, quod plura deſuper adducit Germon. in ſuo tract. de indult. in §. Prӕterquàm, cum §. ſeqq. & in §. Etiam ſi ſӕcularia.

Scbolion ſecundum.

Quӕro. In collatione beneficiorum familiaris Cardinalis, de quibus in §. 2. cuius Cardinalis conſenſus requiritur, illius, cuius defunctus erat familiaris tempore obitus, vel illius, cuius eſt familiaris tempore, quo beneficium obtinuit?

RESP. In hac re quandoque dubitauit, ſed tandem conſenſum Cardinalis, in cuius familiaritate quis deceſſit, attendi cenſuit Rota, vt habetur in deciſ. 1072. Seraphin. num. 1. in nouis.

INNOCENTIVS IX.
Italus, creatus anno 1591.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1591. QVӕ ab hac Sancta Sede, & infra pag. 713. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enatrat, à Pio V. editam Conſtitutionem 35. de qua ſup. de non alienandis, & infeudandis S. R. E. locis §. 1. Eámque Gregorium XIII. Sixtum V. & Gregorium XIV. approbaſſe, atque innouaſſe. §. 2. Ipſe quoque confirmat, & perpetuò obſeruari prӕcipit. §. 3. Declarátque eam intelligi etiam de locis mediatè Sedi Apoſtolicӕ ſubiectis. §. 4. Et extendit ad tractationem alienandi, & infeudandi tam poſt, quàm antequam ipſa loca deuoluantur, omnémque infeudationis prorogationem. d. §. 4. Decernit etiam in promiſſione Cardinalium de obſeruantia dictӕ Bullӕ Pij V. intelligi de illa ſic declarata, & extenſa. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari prӕcipit. §. 6. Hanc Bullam iuxta illam Pij V. deſcribi mandat. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8. Sanctionem pœnalem apponit. §. 9.

Scbolion primum.

Quӕro. Legitimatio ad feuda eſtne ſpecies prorogationis feudi, de qua in §. 4.

RESP. Eſt ſiquidem, quia illegitimi ad feuda Eccleſiaſtica ſuccedere iam interdixit Pius V. in ſua Conſtitut. 117. de qua ſup. Et ita frequenter tentum fuit in Camera Apoſtolica, & prӕſertim in illa Interamnenſi ſucceſſionis Caſtri Pediſluci, de anno 1601. 28. Martij coram Creſcentino, & in ſimili caſu Socin. Iun. conſ. 95. lib. 3. num. 39.

Scbolion ſecundum.

Quӕro. Quid ſi Papa legitimaret ad feuda, ſed non ſpecificè exprimeret ad Eccleſiaſtica?

RESP. Ad Eccleſiaſtica non extenderetur, nam cùm interdicta ſit hӕc facultas à Pio V. in ſua Conſtit. 35. de qua ſup. non cenſetur ſucceſſor, qui eadem inrauit, contrauenire voluiſſe. Seraphin. de priuil. iuram. in priuil. 22. num. 9. & 17. & facit deciſ. Rotӕ 153. part. 1. diuerſ. num. 2.

II.

Edita Anno 1591. AD Romanum, & infra pag. 714. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet, in Vrbe reos vigore alicuius Papӕ reſcripti de crimine aliquo condemnari, ſed ius commune, conſtitutiones Pontificias, & ſtatuta attendi iubet. §. 1. Legitimam filiorum in vita parentum non confiſcari, ſed ius commune ſeruari mandat. §. 2. Compoſitionem in Dataria ſolui pro licentia dandi dotem ſupra ſummam à ſtatuto taxatam, prohibet. §. 3.

Scbolion primum.

Quӕro. Si legitima filiorum viuentibus genitoribus non poteſt confiſcari, vt in

in §. 2. poterítne filius pro delicto exiſtens in carceribus, à quibus aliter euadere non poſſit, agere contra patrem, vt legitimam ei aſſignet, vt cum ea ſe à carceribus liberet?

Resp. Poterit, quia id filio permittitur de iure, cui hic Pont.non derogat, quinimò Apoſtolicas conſtitutiones ad ius commune reducit, per ea, quæ ſcripſit Gugl. de Benedic. in cap. Rainutius, de teſtam. in §.In eodem teſtamento il primo, num. 215. & Farinac. quæſt. 24. num. 1. & ſeqq. qui ad hoc allegat Duen. in reg. 356. num. 5. Qui tamen in fine contrarium tenet,eo quod ſtatutum (de quo ipſe loquitur) quod pater teneatur dare filio legitimam in eius vita, nihil operaretur. Id autem in caſu noſtro nihil officit, quia in hac lege non decernitur, patrem ad ſolutionem legitimæ abſolutè, & ſimpliciter non cogi, ſed ſolummodo legitimam ad inſtantiam Fiſci non confiſcari, vnde ius commune intactum relinquit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc autem legitima defuncto patre poſt filij condemnationem, ſpectabitne amplius ad Fiſcum?

Resp. Non, quia confiſcatio non trahitur ad futura, ſed ſolùm comprehendit bona, quæ ſunt condemnati tempore condemnationis. Gomez. in tit. de confiſc.bonor.num.1.Clar.quæſt.78.num. 23.& Farinac.vbi ſup. num. 19.& ſeq.

Finis Secundi Tomi.

Digitized by Google

CLEMENS VIII.
ITALVS, CREATVS ROMÆ ANNO 1592.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1592. AD Romani Pontificis, & infra pagina 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. vetuit in ſua Conſtit. 35. de qua ſup. tom. 2. alienari, & infeudari Ciuitates, & loca S. R. E. §. 1. Gregorius XIII. & ſucceſſores approbarunt. §. 2. Innocentius IX. in ſua Conſt. 1. de qua ſup. tom. 2. dictam prohibitionem ampliauit. §. 3. Hic Pont. eas approbat, & iurat. §. 5. Poſtea ſubdit, Gregorium XIV. declaraſſe dictam Bullam Pij V. non intelligi de feudo non deuoluto, ſi euidens extet vtilitas, vel neceſſitas illud iterum infeudandi. §. 6. Quam declarationem ipſe reuocat. §. 7. Prohibitionémque Pij V. caſus veræ etiam vtilitatis, & neceſſitatis comprehendere declarat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Vtilitas euidens, de qua in §. 6. quæ diceretur?

RESP. Illa, quæ ex valore bonorum, & eorum fructuum collectione reſultat. cap. vt ſuper. 8. §. 1. vbi Anan. & alij notant de rebus Eccleſ. non alien. & cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 480. in ſuis nouis, num. 7. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quanta autem eſſe debet eiuſmodi vtilitas?

RESP. Si attenderetur ius Ciuile, poſſet diiudicari ex regulis, quæ traduntur in Auth. Perpetua, vbi Bart. & alij C. de ſacroſ. Eccleſ. Sed quia videtur potiùs attendendum eſſe ius Canonicum in hoc articulo, quàm leges ciuiles, vt probat Panormit. in cap. Eccleſia. 10. de conſtit. n. 28. verſ. Ego in hoc. Dec. qui alios colligit num. 91. & Caualcan. deciſ. 46. l. 1. num. 24. & Canones requirentes euidentem vtilitatem non explicant quæ, & quanta debeat eſſe, propterea Iudicis arbitrio id cenſetur remiſſum, penſata rei, & fructuum, necnon vicinitatis, futuríq; euentus, & aliarum qualitatum conditione. Rodoan. de reb. Eccleſ. non alienan. rubr. 19. de cauſ. vtilit. n. 168. Caualcan. d. deciſ. 46. lib. 1. num. 130. & ſeqq. necnon Rota in deciſ. Braui 664. par. 1. diuerſor. num. 2.

II.

QVæ ſalubri prædeceſſorum noſtrorum prouidentia, & infra pag. 2. Bullarij. *Edita Anno 1592.*

COMPENDIVM.

Recenſet, Sixtum V. trecenta centena millia nummûm aureorum in ſua Conſt. 31. de qua ſup. tom. 2. & in alia 69. & in alia 80. in Arce Sancti Angeli perpetuò aſſeruanda poſuiſſe, & inde non niſi ob quaſdam S. R. E. neceſſitates depromi decreuiſſe. §. 1. Eaſdémque ſanctiones hic Pont. approbat, vouet, iurat, ac perpetuò obſeruari præcipit. §. 2. Sanctionem pœnalem apponit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore nummus aureus apud Romanos eſſe cœpit?

RESP. Anno ab Vrbe condita quingenteſimo quadrageſimo ſexto, ante CHRISTI natale anno ducenteſimo duodecimo, vt poſt alios ſcribit Gouarr.

in ſuo opuſc. de numiſmat. cap.3.num.1. Vbi etiam inquit ſexageſimo ſecundo anno ante a nummum argenteum fuiſſe percuſſum, quod narrat etiam Plinius lib.33.cap.3.& Petr.Greg. Tholoſ. lib. 35. Syntagmat. Iur. par. 3. num. 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Arx iſta cur S. Angeli nomen ſortita eſt?

R E S P. Quia S. Gregorij temporibus circa annum DXCIII. Angelus ſuper Arce ipſa, quæ Hadriani Moles antea dicebatur, ſtrictum mucronem vagina recondere viſus eſt, in ſignum diuinæ iræ, furentiſque iampridem peſtilentiæ optati finis, à Deóque multiplici populi ſupplicatione poſtulati.

III.

Edita Anno 1592. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quaſcumque Conſeruatorũ deputationes à Sede Apoſtolica conceſſas, ſi illi non habent requiſita deſcripta in extrauag. 11. Bonifac. VIII. de reſcript. in 6. §. 1. Et quaſcumque Conſeruatorum electiones in Conciliis Prouincialibus, aut Diœceſanis, non factas iuxta decretum Concilij Tridentini. §. 2. Non tamen quoad negotia cœpta, vel quoad ea, in quibus illæ ſuum effectum ſortitæ ſunt, ſeu executionem habuerunt. §. 3. Conſeruatoriæque de cætero à Sede Apoſtolica concedendæ, illis ſolummodo dirigantur, qui qualitates habeant contentas in dicta Extrauag. Bonif.VIII. quique in præfatis Conciliis electi ſint. §. 4. Et ita iudicari mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt quod fertur decretum à Greg. XIII. circa huiuſmodi Conſeruatores, quod tamen in eius Conſtitutionibus in Bullario non perlegi?

R E S P. Gregorius XIII. nihil egit in aliqua eius Conſtitutione, quam Genitor meus viderit, vt mihi aſſeruit, ſed eius iuſſu, Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concilij Tridentini declarauit, quòd Regulares omnes in Ciuitatibus Italiæ exiſtentes, Conſeruatores ſibi eligerent, coram quibus cõuenirentur, ac ſemel electos nonniſi in Capitulis Prouincialibus mutarent, eorúmque nomina intra menſem à die electionis, Epiſcopis locorum Ordinariis indicarent, alioquin coram ipſis Ordinariis conueniri poſſent, teſte Confect. in ſummario Mater. priuil. Ordin.Mendic. in tit. de priuileg. Conſeruator.cap.9.ac Leone in ſuo Theſauro for. Eccleſ.par.2. cap. 18. num. 104. & Quaranta in ſua Summa in §.Priuilegia Regularium, verſ. Inſuper ſciendum, ac Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 65. artic. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſeruatoria extinguitur morte?

R E S P. Non, vt pluribus oſtendit Rod. mox citatus artic. 6.

IV.

INfirma æui conditio ſæpe efficit, & infra pag. 3. Bullarij. *Edita Anno 1592.*

COMPENDIVM.

Refert, Ordinem B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ab immemorabili tempore citrà cõſueuiſſe in diebus S. Catherinæ, & Cinerum, ac Cœnæ Domini, omnes in Eccleſia præſentes genuflexos poſt confeſſionem coram omnibus à Sacerdotibus recitatam de more abſoluere, & benedicere. §. 1. Sed quia neſcitur à quo Pontifice hæc ei facultas conceſſa fuerit, & ſolùm ex traditione obſeruatur. §. 2. Papa eamdem facultatem approbat, & de nouo concedit. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Conſuetudo immemorabilis præſtitítne huic Ordini iuſtum titulum, iuſtámque cauſam circa eiuſmodi benedictiones?

R E S P. Affirmatiuè, ad ea quæ cenſuit Rota in deciſ. Putei 206. lib. 1.num. 4. & Seraphin. deciſ. 303. in ſuis nouis ad finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huic Papæ aſſertioni de eiuſmodi cõſuetudine nónne plenè credẽdũ?

R E S P. Proculdubio, tum quia nemini præiudicialis eſt, tum etiam quia poſt emiſſam aſſertionem conſuetudinis, ſuper ea diſponit clem. 1. cum ibi not. de probat. Alex. conſ. 13. lib. 5. num. 2. Rota in deciſ. Seraphin. 1498. num. 5.

V. In

V.

Edita Anno 1592. INter cæteras animi noſtri curas,& infra pag. 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in ſua Conſt. 43. de qua ſup. tom. 2. pœnas maleficiorum Status Eccleſiaſtici, præterquàm damnorum datorum, Reu. Cameræ Apoſtolicæ applicauit. §. 1. Sixtus V. in ſua Conſt. 93. de qua ſup. tom. 2. eiuſmodi applicationem confirmauit,& ampliauit. §. 2. Hic Pont. prædicta comprobat; omnéſque pœnas apud Depoſitarium dictæ Cameræ perſolui iubet. §. 3. & 4. Iudicibus prædictorum obſeruantiam iniungit. §. 5. Depoſitario formam faciendæ ſolutionis, & computorum redditionis præſcribit. §. 6. Notariis harum pœnarum retentionem prohibet. §. 7. Reis ſolùm Depoſitario ſoluere iubet. §. 8. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 9. Executores huius Conſtit. deputat. §. 10. Contrariis derogat. §. 11. Tranſumptis credi mandat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Damnum datum, de quo habetur in §. 1. vel potiùs furtum dicitur, vuas ex vinea alterius accipere, & comedere?

RESP. Damnum propriè erit, furtum verò ſi eas aſportauerit, vel deuaſtatas ibi dimiſerit. l. ſi ſeruus. 27. §. ſi oliuam, & ibi Alberic. & l. qui occidit. 30. §. ſi quis alienum, & ibi Florian. ff. ad leg. Aquil. Vitalin. in tit. de damn. dat. num. 41. & Lanfranc. deciſ. 97. Nat. conſ. 263. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si non fuiſſent exceptæ pœnæ damnorum datorum, veniſſent forſan appellatione pœnarum maleficiorum?

RESP. Veniſſent profectò, ſi pœna aliqua pro damno dato eſſet impoſita, vltra damni refectionem. Siquidem appellatione maleficiorum, omne malefactum continetur. l. 4. ff. de action. & obligation. Vitalin. vbi ſup. num. 62.

VI.

Edita Anno 1592. QVæ ad ſubleuationem grauaminum,& infra pag. 4. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnullæ Cõmunitates Status Eccleſiaſtici multos cenſus vendebant ad rationem octo, nouem, & decem ſcutorum pro centenario, idque onus minimè ferre poterant, in prooœm. Omnes ergo cenſus vſque modò ab his Cõmunitatibus venditos reducit ad ſeptem pro centenario. §. 1. Liberátque omnes obligatos à ſolutione maioris cenſus. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari iubet. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Iure communi, aut Pij V. aut alterius Pontificis Conſtitutione fuit vnquam taxatum cenſuum eiuſmodi pretium?

RESP. Taxatum numquam fuit, & vix generaliter taxari poſſet, quia iuxta Prouinciarum mores, & temporum qualitates, pecunia in pretio eſt. Nauarr. in comment. de vſur. ſub num. 104. Surd. conſ. 261. lib. 2. num. 34.

Scholion ſecundum.

Quæro. Princeps alius, quàm Papa in ſua Prouincia poſſétne taxationem eiuſmodi cenſus edicere?

RESP. Hunc articulum affirmatiuè reſoluit Nauarr. conſ. 11. lib. 3. de empt. & vendit. iuxta impreſſionem de anno 1610. Venetiis, num. 2.

VII.

Edita Anno 1592. REligioſos viros, ſicut honorum gradus, & infra pag. 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Greg. XIII. in ſua Conſt. 62. de qua ſup. tom. 2. fauores Religioſis Ordinis S. Dominici extra dictum Ordinem quærere, & gradus per emendicatos fauores concedi prohibuiſſe. §. 1. Quam ipſe approbat. §. 2. Et appellatione gratiarum, gradus, honores, dignitates, & officia, adminiſtrationes, & Prælaturas comprehendi. §. 3. Contrauentionémque certo modo probari. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Et hanc Bullam in quibuſcumque Capitulis publicari, ac inter Ordinis ſtatuta deſcribi præcipit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt, quod ambire licet, vt perſæpe dici audimus?

RESP. Virtute ſemper licet ambire, ſed non fauoribus. Cicero Offic. libro 1. qui etiam lib. 3. de Legib. inquit, quòd ſi fauorum ambitus ſileat, tunc in

A 2 ſuffra-

ſuffragiis quæritur, quid optimi ſentiant viri. Hæc eadem, & alia comprobat Tiber. Decian. tom. 8. ſui Tractatus in tit. de Ambitu. cap. 21. vbi ex Plauto ſubdit ſub num. 24. *Sat habet fautorum ſemper qui rectè facit.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliiſne etiam Religioſis indiſtinctè ambitus iure Pontificio iam fuit interdictus?

RESP. Fuit proculdubio à Symmac. I. interdictus in cap. nullus itaque. 118. cauſ. 1. quæſt. 1. Innoc. III. in cap officij. 38. de elect. ac Bonif. VIII. in cap. quorumdam. 24. eod. tit. in 6. vbi gloſſ. & DD. concordantes Canones allegant. Antiquiores autem ciuiles leges contra ambitum latas habes apud Tiber. Decian. vbi ſup. cap. 22.

VIII.

Edita Anno 1592. SPeculatores domus Iſraël, & infra pag. 6. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ob plurimas, quas recenſet, cauſas decreuit per ſe ipſum nonnullis adhibitis S. R. E. Cardinalibus, & Epiſcopis, totum Vrbis Clerum, Eccleſias, Conuentus, & loca pia viſitare. §. 1. Hortatur omnes, vt vitæ, & morum emendatione, & reformatione, hanc eius viſitationem præueniant. §. 2. Indicit orationem quadraginta horarum pro bona directione huius viſitationis. §. 3. Hortatur inſuper ſingulos ad feruenter orandum. §. 4. Elargitur indulgentias ſic orantibus. §. 5. Hortatſirque omnes ad feruentiùs Deo inſeruiendum. §. 6.

Sholion primum.

Quæro. Tenebatur forſan hic Pontifex ex præcepto diuinæ legis ad hanc viſitationem?

RESP. Non tenebatur per ſe ipſum ob maximas, & aſſiduas, quibus Sedes Apoſtolica premitur, curas & ſolicitudines, vt probat Marianus Soccin. in ſuo Tract. de viſitat. num. 6. verſ. meritò. Et ideo conſueuerunt Romani Pontifices hoc munus Eccleſias Vrbis viſitandi ſuis Vicariis delegare, vt videre eſt in Conſt. 36. Paul. III. ſup. tom. 1. ad cuius formam alij Pauli III. ſucceſſores alias ſuis Vicariis literas dederunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur in §. 2. ſpecificè potiùs hortatur omnes, vt vitæ, & morum emendatione, & reformatione, quàm aliter viſitationem præueniant?

RESP. Vt faciliùs ſequatur finis dictæ emendationis, cui principaliter viſitatio dirigitur. cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar. cap. 1. §. ſanè de cenſibus in 6. cum ſimilib. Rota in deciſ. Seraphin. 475. num. 2.

IX.

EA ſemper fuit Sedis Apoſtolicæ pro ſalute animarum cura, & infra pag. 7. Bullarij. *Edita Anno 1592.*

COMPENDIVM.

Narrat, à Summis Pontificibus multa inſtituta fuiſſe Seminaria, & Collegia ad alliciendum vniuerſi Orbis homines ad cultum Catholicæ Religionis, in proœm. Eorum modò alumnos hortatur, vt omnium ſtudiorum curſu completo, de ſua, & eorum qui eorum fidei committuntur, ſalute laborent, nec ſe ad illecebras conuertant, ſed in omni virtutum genere perſeuerent. ibid. & in §. 2. Et in quadam per Rectores eis deſignāda hebdomada, quarta & ſexta feria, ac Sabbatho ieiunent, præuiáque ſacramentali confeſſione Euchariſtiam in ſequenti die Dominico, vel alio die ſubſequentis hebdomadæ, arbitrio Confeſſarij, ſumant, & pro S. R. E. exaltatione, hæreſum extirpatione, Chriſtianorum Principum concordia orent, ſibíque Pontifici Dei gratiæ præſidium implorent. §. 3. Quæ vt libentiùs impleant indulgentias eiſdem elargitur. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si non communicaret quis die ſignificata in §. 3. ſed alia illius hebdomadæ, prodeſſet hæc indulgentia?

RESP. Non, quia dies præſtituta dicitur de forma, quæ non impletur per æquipollens. Petrus Greg. Tholoſ. lib. 2. Syntagm. Iur. c. 9. de Indulg. num. 4. & in puncto Nauar. conſ. 35. de pœnit. lib. 5. in impreſſis Venetiis de anno 1610.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dum in §. 3. præcipitur oratio, ſatiſne erit corde orare?

RESP. Sufficere probat S. Hieronymus

nymus lib. 3. Comment. ad cap. 5. Epiſtolæ ad Epheſios, cuius verba referuntur in cap. 1. diſt. 92. Et ſic in puncto ſcribit Nauar. in Tractat. de Iubil.& Indulg. in explanatione Bullæ Greg. XIII. in verſ. preces fuderint, num. 48. pag. mihi 106.

X.

Edita Anno 1592. PRo cōmiſſa nobis à Domino, & inf.pag.8.*Item*; Cùm per Conſtitutionem, & infra pag. 12. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt rectè adminiſtrentur bona Communitatum Status Eccleſiaſtici, præcipit tabellam expenſarum cuiuſque Cōmunitatis quolibet anno confici. §. 1. Et à Gubernatoribus locorum approbari. §. 2. Et hoc primo anno coram Camerario, & Theſaurario Papæ. §. 3. Et gratis ab Officialibus hæc fieri. §. 4. Approbatam ad eius Communitatem remitti, & publicè aſſeruari. §. 5. Et nihil vltra contenta in tabella expendi abſque licentia Cameræ Apoſtolicæ, vel vrgente neceſſitate, Gubernatoris loci. §. 6. Officialéſque Communitatum finito officio ſyndicari, indicem debitorum Gubernatoribus tradi, & ab earum Miniſtris exigi. §. 7. Quod in fine anni ſupereſt, in certas cauſas hic expreſſas erogari. §. 8. Fiſcum inſuper cum loci Gubernatore Officiales Communitatum ad reddendam rationem cogere.§.9. Gubernatores, & Fiſcū in prædictis negligentes coërceri.§.10. Et gratis hæc agere debere. §. 11. Interdicit Communitatibus bonorum alienationem, necnon obligationem. §. 12. Oratorúmque ad Sedem Apoſtolicam abſque licentia tranſmiſſionem. §. 13. Munerum largirionem, etiam erga S. R. E. Cardinales. §. 14. Expenſas quaſcumque, & quauis de cauſa, vel prætextu, quamuis in honorem benefactorum fiendas. §. 15. Prohibet ad officia Communitatum admitti earum debitores, bonorum occupatores, reddendis eis rationibus obnoxios. §. 16. Iubet locationes,vel affictus idonea cum cautione, & cum pacto prohibitiuo cuiuſcumque defalci detrahi. §. 17. Depoſitarios non recipi abſque idoneo fideiuſſore. §. 18. Exceptiones omnes irritat. §. 19. Et ita, & non aliàs iudicari mandat.§.20. Contrauenientibus pœnas infligit.§.21.Conſtitutionem Bonif. VIII. & Gregor. XIII. contra dantes, aut aliquid recipientes pro habenda gratia, vel iuſtitia, contra prædictos extendit. §. 22. Debitores Communitatum mandat ad ſoluendum manu regia compelli. §. 24. Contraria quæcumque non obſtare decernit. §. 25. Hanc ſanctionem in Vrbe publicari præcipit. §. 26. Et in libris ſtatutorum deſcribi, & quotannis in publicis conciliis legi iubet. §. 27. Gubernatoréſque, & alios ante admiſſionem ad officia hanc Conſtitutionem iurare mandat. §. 28. Deputat Cardinales ad cognoſcendas cauſas appellationum in prædictis, in Conſtit. ſubſeq. §. 1. Defalcationúmque,remiſſionum, & exemptionum. ibid. Cogendúmque conſanguineos debitorum Communitatum ad eorum bona redimendum. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Benefactoribus ex cauſa remunerationis poteritne aliquid donari?

RESP. Videtur poſſe, quia huiuſmodi donatio non eſt propriè donatio, neque Communitatibus damnoſa, & verbum *benefactoris* in §. 15. non eſt appoſitum in prohibitione donationis, ſed in prohibitione expendendi aliquid in eius honorem. Ita hanc Conſtit.intelligit Gratian.diſcept. forenſ.lib.2.cap.202. num.8.Ab ea tamen intelligentia diſcedit num.10.& rectè quidem, quia aperiretur via multis fraudibus, prætextu remunerationis; & ita hodie ſeruatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui manu regia procedit contra debitores Communitatis, vt in §.24. poterit non docto de credito, illos, vti de fuga ſuſpectos, carcerare?

RESP. Non, quia dicta clauſula tollit ſolemnia tantùm, non ſubſtantialia iudicij. Ita hunc caſum in terminis huius Bullæ decidit Rota coram Sacrato in vna Foroliuienſi nullitatis, die 20. Maij 1613. vbi hoc ipſum tenet, ſi Communitas non inſtat pro carceratione, vel debitorem non iurat ſuſpectum, aut non docuit de deterioratione illius.

X I.

Edita Anno 1592. ILlius vices licèt immeriti, gerentes, & infra pag. 13. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. poſt alios prædeceſſores in ſua Conſtit. 21. de qua ſup. tom. 2. duella in Statu Eccleſiaſtico ſeuerè prohibuit. §. 1. Alios autem Principes Chriſtianos, Imperatore & Regibus inferiores, in ſuis Dominiis illa permittentes, fauentéſque, adſtantes, & intereſſentes, chartas deſuper ſubſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intromittentes, maioris excommunicationis (& ſi Eccleſiaſtici fuerint) priuationis dignitatum, & officiorum, & inhabilitatis ad illa, pœnis innodauit. ibid. Concil. Triden. ſeſſ. 25. cap. 19. Imperatorem, Reges, & alios locum ad monomachiam inter Chriſtianos concedétes, eo ipſo excommunicauit, &c. Pugnantibus autem grauiores pœnas impoſuit. §. 2. Gregorius XIII. Concilij ſanctionem ad duella etiam priuatim commiſſa extendit. §. 3. Hic Pont. eas Conſtit. & Concil. approbat. §. 4. Et ad loca vbique terrarum, & ad perſonas etiam in caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiam vbi Chriſtianæ fidei hoſtis furor graſſatur, vel in Dominiis per eum occupatis, &c. §. 5. Scripta quæ manifeſta nuncupantur, quoquo modo emananda prohibet. §. 6. Pœnas in omnes contrauenientes, & etiam ſingulare certamen ex compoſito ineuntes innouat. §. 7. Principes ad duellorum exterminationem, & delinquentium punitionem hortatur. §. 8. Tranſumptis huius Conſtit. credi iubet. §. 9. In Vrbe eam publicari, & publicatam omnes afficere decernit. §. 10. Sanctionémque pœnalem adiungit. §. 11. Publicatio ſubſequitur in fine.

Scholion primum.

Quæro. Si incontinenti ortâ inter aliquos rixâ, vnus alterum, iracundia motus, ad dimicandum in certo loco inuitet, & incontinenti ibi dimicent, incidunt in has pœnas?

RESP. Non, quia hæc ſanctio requirit animum deliberatum, attendendo illud verbum, *ex compoſito*; & nulli dubium, quòd iracundiæ impetus veram animi deliberationem tollit: Ita hanc Conſtitutionem poſt Ioſeph. Ludouic. in deciſ. Lucenſ. 11. num. 11. interpretatur Farinac. quæſt. 119. num. 24. vbi tamen culpa Impreſſoris verbum negatiuum deficit, & ideo clariùs habetur hoc idem in eius conſ. 9. num. 35. Tuſc. in verb. Duellum, concluſ. 805. num. 17. Et conſonant illa verba Conſt. 78. Greg. XIII. de qua ſup. tom. 2. *ex condicto*, quæ ſumpta videntur ex cap. 1. de Torneam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis firmiter in animo deliberauit duellare, incidit in iſtas pœnas?

RESP. Proculdubio non incidit, quia iſta, & ſimiles prædeceſſorum Conſtitutiones non puniunt duella mentalia, ſed realia. Nauar. conſ. 1. lib. 5. de purgat. vulg. num. 2.

X I I.

PAſtoralis noſtri muneris ratio, & infra pag. 15. Bullarij. Edita Anno 1592.

COMPENDIVM.

Eximit Congregationem Monachorũ B. MARIÆ Fullienſis Ordinis Ciſtercienſis, à iuriſdictione, & ſuperioritate omnium Prælatorum dicti Ordinis. §. 1. Recipítque ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. §. 2. Elargitur eidem quæcumque Ordinis priuilegia. §. 3. Decernit particulares eius ordinationes, & non alia Ordinis inſtituta ſeruari debere. §. 4. Præcipit Prælatis Ordinis, ne deſuper ſe intromittant. §. 5. Apponit clauſulas huic indulto præſeruatiuas. §. 6. Et decretum irritans. §. 7. Remouétque omnia contraria. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Prælatis Ordinis cur inhibetur ne ſe intromittant in hac Congregatione?

RESP. Quia iſta Congregatio pro reformatione Ordinis promota fuit, & ideo Ordo poſſet ei eſſe impedimento, vel relaxationi, vt ex contextu ipſiuſmet Bullæ dignoſcitur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illi ergo Prælati poterunt ad ipſam Congregationem tranſire?

RESP.

R E S P. Non poterunt, ſi tranſeant ſolummodo vt in Congregationis ſtatui ſe intromittant, ſecus ſi vt in Congregationis tanquam ſtrictioris obſeruantiæ, & regula viuant: limitata eſt enim dicta prohibitio, ideo extra eius limites non eſt extendenda. l. cum ſeruo. 63. ff. de contrah. empt. & l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. domin. cum ſimilib.

X I I I.

Anno Edita 1592. INter cætera cordis noſtri deſiderabilia, & infra pag. 16. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, occaſione Conſtitutionis 13. Greg. XIII. de qua ſup. tom. 2. nonnullas lites, præſertim in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ exortas fuiſſe, in procem. Eas ad ſe auocat, & extinguit. §. 2. Fratres Prædicatores in dictis Regnis, & in Proceſſionibus poſt Canonicos, & Clericos ſæculares, & antiquos Ordines Monachales, & omnes alios Regulares, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes cuiuſcumque Ordinis, incedere debere decernit, etiamſi Monaſteria eorumdem Fratrum Prædicatorum primò inſtituta fuerint. ibid. Et ita, & non aliter ſeruari, & iudicari mandat. §. 3. & ſeq. Executores deputat. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Dum priùs nominantur Clerici, quàm Monachi in §. 3. num argui poteſt, Clericos præcedere Monachis?

R E S P. Optimum eſt argumentum ab ordine literæ. Bald. in l. conuenticulam 15. Cod. de Epiſc. & Cleric. num. 5. Euerard. in ſua Centur. cap. 1. Et ideo in corpore. Decretal. in rubr. Ne Cleric. vel Monach. primò nominatur Clerici, & deinde Monachi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Inter ipſos autem Canonicos quis ordo ſeruandus?

R E S P. Priori loco incedunt Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & deinde Collegiatarum. Innocen. & alij in cap. Sedes. 15. de reſcript & in c. 3. de ſepultur. quos ad hoc citat Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 37. artic. 1. quibus addo Præpoſit. in cap. Concilia. 7. §. Epiſcopos, ſub numero 3. & Turrecre. numero 2.

X I V.

QVæ ad reſtituendos in priſtinum, & infra pag. 17. Bullarij. Anno Edita 1592.

C O M P E N D I V M.

Recenſet diſpoſita à Greg. XIII. in ſua Conſtit. 58. de qua ſup. tom. 2. circa Ordinem Monachorum Sancti Baſilij. §. 1. & 2. Approbátque. §. 3. Cardinalem eius Protectorem executorem deputat. §. 4. Formam recipiendi Nouitios non obſtante Bulla Sixti V. tradit. §. 5. Contraria omnia remouet. §. 6. Exemplis huius Bullæ credi præcipit. §. 7. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Nouitij, de quibus in §. 5. durante tempore Nouitiatus, obligantúrne ad præcepta Regulæ?

R E S P. Non, niſi vt alij Chriſtiani; debent tamen ad hoc ſuauiter induci, vt probant, & aſſeuerant Syluester in ſua Summ. in verb. Religio. §. 5. quæſt. 6. Graff. deciſ. caſuum conſ. par. 1. lib. 3. cap. 5. num. 13. de Regular.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et ad Horas canonicas tenètur?

R E S P. Nec ad eas obligantur, quia adhuc non ſunt in ſtatu Monachali, vel Clericali. Syluester in verb. Hora. quæſt. 6. num. 3. verſ. 6. Nauarr. qui alios cumulat, de orat. & Horis canon. cap. 7. num. 23. in fine.

X V.

IN regendis populis S. R. E. & infra pag. 18. Bullarij. Anno Edita 1594.

C O M P E N D I V M.

Inſtituit Congregationem nonnullorum Cardinalium, quorum duo ſaltem poſſint delinquentes, & bannitos gratiare. §. 1. & 2. Et hi, qui gratiam obtinuerint, caueant de ſe repræſentando ſub pœna, & infra tempus ab ipſis Cardinalibus declarandum, vel ſi inopes erunt, ad id ſe obligent. §. 5. Quinimò eorum conſanguinei, & affines propinquiores ad id cogi poſſint, & eiuſmodi non niſi ex ſpeciali gratia Papæ caſſari valeant. ibid. Inſtrumentum publici Notarij coram ipſis Cardd. conficiendum has gratias plenè probat. §. 4. Quæ numquam de ſubreptione, & obreptione notari poſſint. §. 5. Notariorum

merce

mercedem moderatam eſſe mandat.§.6. Bullas quibuſcumque Legatis, & aliis Officialibus, & Baronibus bannitorum remiſſionem prohibentes comprobat. §. 7. Eiſdem has remiſſiones iteratò interdicit.§.8. Eaſque concedentibus grauiſſimas pœna imponit.§.9. Hanc facultatem Cardinalium ad bienniũ limitat. §. 10. Gratias obtinentes pœnitentiam ſalutarem à Confeſſariis iniungendam implere decernit. §. 11. Præſentium tranſumptis credi iubet.§.12.

Scbolion primum.

Quæro. Barones S.R.E.de quibus in §.7. & ſeqq.habebant hanc facultatem gratiandi capitaliter bannitos?

RESP. Non,quia de gratiandis bannitis pro homicidio extat prohibitio Pij II. ſup.tom.1.in eius Conſtit. 8. §. 3. licèt Farinac.conſ. 49.num. 5.eam generaliter intelligat. Quinimò firmiter credo, quòd nullo pacto illa Bulla ſuam prohibitionem dirigat contra Barones, ſed contra Legatos, Gubernatores, & alios quoſlibet Officiales. Sed quicquid ſit de dicta Bulla, ſatis eſt, quod etiam de iure communi Baronibus recognoſcentibus Superiorem,non licet capitaliter bannitos gratiare de pœna capitali; ſecus verò de pœna pecuniaria eorum Fiſco applicanda. l. 4. in fin. ff. de pœn. Tradit Peregr. de iure Fiſc. lib. 6. tit.2.n.2.Theſaur.deciſ.Pedemont. 21.nu. 1. Oſaſc.deciſ. 101. numer.1. & Odd. de reſtit.in integr. quæſt. 92. artic. 9. num. 90. & ſeq.vbi num.95.limitat in illis Baronibus, vel potius Principibus S. R. E. qui ab ipſa habuerunt iura regalia,& ea exercent.

Scbolion ſecundum.

Quæro. Hęc facultas num poterit Baronibus præſcribi?

RESP. Hoc ius tanquam ſupra legem Principi reſeruatum in ſignum ſupremæ poteſtatis non eſſe præſcriptibile probat tex.in l.competit.6.in fin.Cod. de præſcript.30.vel 40.annor. & ita cenſuit poſt alios Guido Pap. deciſ. 416. in princ. & latiùs Oſaſch.d.deciſ.101.num. 27. & numer. 35. vbi ex Iaſ. teſtatur de communi.

XVI.

Æquitati conſentaneum cenſemus & infra pag.20.Bullarij. *Edita Anno 1592.*

COMPENDIVM.

Conclauiſtas,qui aderant in Conclaui, in quo ipſe Pontifex creatus fuit, creat ſuos familiares, Sediſque Apoſtolicæ Notarios.§.1.Comites inſuper Palatinos. §.2.Cum eorum indultis.§.3.Eximit à decimis, & impoſitionibus. §. 4. Remittit eis fructus beneficiorum indebitè perceptos.§.5.Illegitimos habilitat ad officia, & beneficia. §.6.Circa delationem habitus diſpenſat. §.7. Literas Apoſtolicas gratis pro eis expediri mandat. §.8. Quoad penſiones indultum eligendi perſonas, & alia concedit. §.9. Et priuilegium de non regiſtrandis. §.10. Clauſulas huius conceſſionis præſeruatiuas apponit. §.11. Et clauſulam,*Sublata*,&c.§.12.Executoreſque deputat. §.13. Contrariis tandem derogat. §.14.

Scbolion primum.

Quæro. Conclaue quid eſt, & cur ita appellatur?

RESP. Locus eſt,in quo,quoad rem noſtram, Cardinales pro futuri Pontificis creatione conueniunt,ſic dictus,quia multis clauditur clauibus, vel ad quod per plures claues itur.cap.3.§.1.vbi gloſ. in verb. Conclaue. Io. Andr. numer. 10. & Monach. numer. 6. de elect. in 6. & l. penult. vbi glo.& ſcribb. ff. de damn. infect. & Lancellot. de Templo omn. Iudic. in tit.de Pont. Max. libro 2. cap. 1. ante quæſt. 1. numer. 11. pag. mihi 144. vbi agit etiam de aliis interpretationibus verb. Conclaue.

Scbolion ſecundum.

Quæro. Priuilegium eligendi perſonas datum Conclauiſtis pro aſſignandis penſionibus, vt in §. 9. competétne etiam aliis perſonis in eorum fauorem reſignantibus?

RESP. Competere cenſuit Rota in deciſ. Caputaqu. 37. in vna Ciuitatenſi penſionis, 20. Aprilis 154. incip. Priuilegium,in manuſcriptis lib. 2.

XVII.

Graues, & diuturnæ Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, & infra pag. 22.Bullarij. *Edita Anno 1592.*

COM

COMPENDIVM.

Ad repellendas calamitates multas S. R. E. agnoſcens inanem eſſe operam hominum, ideóque ad orationem, quæ Deum flectat ad miſerendum, diiudicans eſſe recurrendum, in procem. Inſtituit in Vrbe pro hæreſum extirpatione, peccatorum conuerſione, Principum Chriſtianorum vnione, & pace, Regni Franciæ ad priſtinam pietatem reſtitutione, Turcarum exterminatione, & ipſius Pontificis iurium ad proſperum Eccleſiæ Dei regimen ſubleuatione, Orationem quadraginta Horarum alternatim, & iugiter habendam in Eccleſiis, & locis piis ad præſcriptam diſtributionem temporis, & Eccleſiarum. §. 2. Inchoauit ipſe in Palatio Apoſtolico in prima Dominica Aduentus. §. 3. Concedit Indulgentiam plenariam cuicumque per horam, vt ſuprà, oranti. §. 4. Orantibúſque breuiori temporis ſpatio elargitur ſeptem annos, & totidem quadragenas de debitis pœnitentiis. d. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ritus Orationis quadraginta Horarum à quo primùm Romæ introductus?

RESP. Hoc vnum ſcio, quod in libercolo à Camillo Phanuc. Senenſi Romæ anno 1601. typis vulgari ſermone dato, cui titulus eſt, *Opere pie di Roma*, nuper perlegi lib. 4. cap. 13. pagina mihi 372. in fine, vbi recenſet Confraternitatem S. Catherinæ de Senis, nationis Senenſis eiuſmodi Orationem in priuato quodam ad hoc Oratorio, & poſtmodum in Eccleſia publicè inſtituiſſe.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num dixeris, illum conſequi indulgentiam peccatorum ſuorum, ſi in illo horæ ſpatio, de quo in §. 4. dormiuit?

RESP. Non, ſi ſua culpa dormiuit, vel ſi abſque culpa per notabilem horæ partem dormiuit, & non ſuppleuit, per ea quæ ſcribit Nauar. de orat. & hor. canon. cap. 9. ſub. num. 5.

XVIII.

Edita Anno 1593. Litium diſpendiis, & ambagibus, & infra pag. 23. Bullarij.

Tom. 3. Compend.

COMPENDIVM.

Narrat, Pium IV. in eius Conſtitut. 58. de qua ſup. tom. 2. §. 13. nullitates citationis, iuriſdictionis, & mandati tantummodo à Iudicibus Vrbis attendi ſtatuiſſe. §. 1. Hoc ideo ipſe ab omnibus Iudicibus Status Eccleſiaſtici ſeruari præcipit. d. §. 1. Aufert omnibus aliter iudicandi facultatem. §. 2. Quibuſcumque contrariis derogat. §. 3. Tranſumptíſque huius Bullæ credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Nullitas non obſeruatæ formę iudicialis à ſtatutis locorum præſcriptæ, vt putà non eſt conteſtata lis, vel datus libellus, iuxta formam ſtatutorum, num intelligitur reiecta?

RESP. Non, quia Papa non intellexit tollere obſeruantiam eorum, quæ ſtatuta ad bene diſponendas lites edixerunt, vt in puncto ſupradictæ Bullæ Pij IV. cenſuit Rota coram Orano in vna Romana alimentorum, die 4. Iunij 1593. aliàs 1597. vbi idem tenet in defectu terminorum ſubſtantialium non obſeruatorum, idémque tenuit Rota etiam coram Millino in vna Anconitana fideicommiſſi, die 9. Iunij 1599.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum de nullitate ob non tranſportationem actorum?

RESP. Hanc non reiiciunt eiuſmodi Bullæ, vt ſentit Rota coram Ludouiſio nunc Sanctiſſimo in vna Romana domorum, die 10. Iunij 1611. Quinimò nullitatem iſtam comprehenſam puto in nullitate iuriſdictionis, cùm Iudex ad quem non habeat non tranſportatis actis exercitium iuriſdictionis, vt dixit Rota coram Corduba in vna Laudenſi deuolutionis, die 23. Martij 1594. & coram Penia in vna Britorienſi bonorum, diebus 15. Aprilis, & 4. Maij 1598.

XIX.

CÆca & obdurata Hebræorum perfidia, & infrà pag. 23. Bull. *Edita Anno 1593.*

COMPENDIVM.

Refert, Paulum IV. in ſua Conſtit. 3. de qua ſup. tom. 2. quaſdam edidiſſe leges obſeruandas ab Hebræis degentibus in ſtatu Eccleſiaſtico. §. 1. Et Pium V. in eius Conſtitut. 5. de qua ſup. tom. 2.

B eas

eas approbaſſe, & deinde in Conſtit. 80. de qua ſup. à Statu Eccleſiaſtico illos expulitſe, præterquàm ab Vrbe Roma, & Ciuitate Anconæ. §. 2. Sed tamen plures tolerantias per eos aduerſus prædicta extortas fuiſſe. §. 3. Comprobat dictas Pauli IV. Pij & V. Conſtitutiones. §. 4. Tolerantiáſque & priuilegia in contrarium obtenta reuocat. §. 5. A toto Statu Eccleſiaſtico, & locis ei mediatè ſubiectis præterquàm Roma, & Ancona expelli iubet. §. 6. Ipſóſque Hebræos conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſacris Canonibus, locorum ſtatutis, & prædictis Pauli IV. & Pij Quinti legibus ſubiicit. §. 7. Executores huius Bullæ deputat. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9. Publicationem Romæ factam omnes vbique ligare decernit. §. 10. Tranſumptíſque credi iubet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Hebræi puniendi, vt in §. 7. Eccleſiaſtico forſan, vel ſæculari foro ſubſunt?

RESP. In delictis Eccleſiaſticis, vt putà ſi peccauerint in Clericum, vel contra Canones, vel legem diuinam, foro ſubſunt Eccleſiaſtico; in delictis verò ſęcularibus, foro ſæculari. Calderin. conſ. 125. aliàs 11. de Iudic. & foro compet. Marquard. de Iud. par. 2. cap. 6. num. 17. Surd. deciſ. 133. num. 22.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid in delictis mixti fori?

RESP. Locus eſt præuentioni inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem, ſicuti in cauſis Chriſtianorum. Panorm. in cap. Poſtulaſti. de Iud. & Sarrac. n. 5. circa fin. Felyn. in cap. 2. de Iud. num. 4. Surd. d. deciſ. 133. num. 3.

XX.

Edita Anno 1593. CVm Hebræorum malitia nonas in dies excogitet fraudes, & infra pag. 25. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat prædeceſſorum Pontificum prohibitiones editas contra Hebræos, librum Talmuldi, & alia deteſtanda ſcripta retinentes, legentéſque. §. 1. Prohibet eiſdem quoſcumque alios libros & ſcripta expreſsè, vel tacitè continentia hæreſes, vel errores contra ſacras Scripturas veteris legis, & Teſtamenti, & contumelias, ac blaſphemias contra Deum, Sanctiſſimam Trinitatem, Saluatorem Dominum IESVM CHRISTVM, eiúſque fidem, & Glorioſiſſimam ſemper Virginem MARIAM, Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alióſque Sanctos Dei, Sanctiſſimam Crucem, Sacramenta nouæ legis, ſacras Imagines, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sedem Apoſtolicam, & Chriſti fideles, ac contra nuper ad Chriſti fidem conuerſos, & Neophytos, ac alias contra Religionem Catholicam, & etiam ea ſcripta, in quibus obſcœnæ narrationes continentur, etiamſi expurgata fuerint, aut de nouo typis excuſa, aut alio quouis prætextu. §. 2. Reuocat quæcumque indulta, & facultates illa retinendi. §. 3. Prohibet illa de cætero concedi. §. 4. Eadē Inquiſitoribus, vel Ordinariis infra decē dies ab omnibus conſignari, atque comburi præcipit. §. 5. Contrauentoréſque coërceri mandat. §. 6. Et etiam fautores Hebræorum in prædictis. §. 7. Executores deputat. §. 8. Contraria remouet. §. 9. Publicationem Romæ factam omnes ligare decernit. §. 10. Tranſumptíſque credi iubet. §. 11. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quid operatur approbatio prohibitionis Thalmudi, quam Pontt. anteceſſores edixerunt, vt in §. 1.

RESP. Admodum mihi operari videtur, cùm poſt illam prohibitionem liber Thalmudi toleraretur, quatenus ſine nomine Thalmudi, & ſine iniuriis, & contumeliis in Religionem Chriſtianam prodiret, vt in Indice librorum prohibitorum ex decreto Concilij Trident. legitur, in verb. Thalmud, nunc autem omnimodè interdicitur. Quod ſi aliquot deliramenta in Thalmudi volumine conſcripta, vt nauſeam concipias, pertingere velis, vide Marquard. de Suſa. in tract. de Iud. par. 3. cap. 1. numero 99.

Scholion ſecundum.

Quæro. A quibus compoſitū Thalmud?

RESP. Duplex eſt Thalmud, Hieroſolymitanum, & Babylonicum, vt legitur

legitur in Edicto Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, tempore Iulij Tertij in Directorio Inquiſitionis inter Bullas Iulij Tertij, in fine operis adiunctas, impreſſo, quorum iuſſu Romæ vtrumque combuſtum fuit. Illud autem Babylonicum Rabana, & Rapſes legis Moſaicæ peritiſſimi, cœtu in Babylone congregato compoſuerunt, combuſtis nouæ legis voluminibus. Alterum verò Hieroſolymitanum Iudæi, quos Zorobabel, Ozias, & Nehemias reduxerunt, pluribus Gymnaſiis inſtitutis euulgarunt, vt colligitur ex ſcriptis Rab. Moſis in præfat. Maiemoni.n. Et de Thalmud Babylonico aliqua ſcripſit Petrus Gregorius Tholoſ. in prœmio Decretal. ſub num. 32.

X X I.

Edita Anno 1593. QVæ ad proſperam Religioſorũ directionem, & infra pag. 26. *Item*; Sanctiſſimus, & infra pag. 27. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat acta in Capitulo generali Mantuæ celebrato, & Dieta vltimo loco tenta Congregationis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi de Obſeruantia, quatenus Concilio Tridentino, & Regularibus inſtitutis dictæ Congregationis non ſint contraria. §. 1. Iubet Georgium Lucanum Generalem ad aliud triennium confirmari. §. 2. Et quia Greg. XIII. in ſua Conſt. 90. de qua ſup. tom. 2. nonnulla ad preces dictæ Congregationis ſtatuit, eius conſtitutionibus aduerſa. §. 3. Ipſe ſtatuit Præpoſitum, Conſultores, & Diffinitores eligi poſſe tam ex Prioribus, quàm aliis ſubditis. §. 4. Et Priores ex non Vicariis. §. 5. Procuratorémque generalem ex omnibus ſubditis. §. 6. Et eos habere vocem in Capitulis, & Dietis, qui eam ante dictam Bullam Greg. XIII. habebant. §. 7. Præpoſitíque & aliorum officia triennio expleri. §. 8. Prohibet omnibus ambitum. §. 9. Contrariis Pontificum conſtitutionibus derogat, & aliis robur adiicit. §. 10. & ſeqq. Reformationem adiungit de Choro, in princ. ſubſeq. Bullæ. Sacræ Scripturæ lectione. §. 1. Paupertatis voto. §. 2. Veſtitu, & ſupellectili. §. 3. Cibo, ac pitantia. §. 4. Peculiaribus præſtationibus occaſione officiorum. §. 5. Adminiſtratione bonorum cuiuſcumque Monaſterij. §. 6. Regulariũ numero in ſingulis Monaſteriis. §. 7. Redituum, & bonorum aſſeruatione. §. 8. Prohibitione declarandi decreta Concilij Tridentini, aut hic contenta. §. 9. Prædicatorum, & Lectorum priuilegij vſu. §. 10. Socij ad miniſtrandum deputandi qualitate. §. 11. Clauſuræ obſeruantia. §. 12. Acceſſus ad Vrbem prohibitione. §. 13. Cellularum, & Dormitorij qualitatibus. §. 14. Monaſteriorum feneſtris obſerandis. §. 15. Infirmaria, & infirmorum cura. §. 16. Licentiarum extra Clauſtra degendi prohibitione. §. 17. Monaſteriis deputandis pro recipiendis venientib. ad Religionem. §. 18. Largitionis munerum prohibitione ſeruanda. §. 19. Ambitus prohibitione. §. 20. Electionis Officialium forma. §. 21. Eligendorum qualitatibus. §. 22. Monachorum deputatione ad examinandum Lectores, Prædicatores, & promouendos ad ordines. §. 23. Conſtitutionum Ordinis obſeruantia. §. 24. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Eſtne verum, quòd in huius Congregationis exordio, ſcientiarum ſtudia eius Profeſſoribus prohibebátur?

R E S P. In antiquiſſimo Codice manuſcripto in Bibliotheca Genitoris mei aſſeruato, vbi primitiua huius Congregationis Regula cõſcripta legitur, literarum ſtudia prohibebantur, vt ſolitudini Monachi magis dediti eſſent.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eiuſmodi Regula à quo data?

R E S P. A Lupo de Olmeto dicitur ibi euulgata, & à Martino V. probata anno M. CCCC XXIV. Quam probationem hodie impreſſam perlege in libro Priuilegiorum huius Congregationis mox typis cuſo.

X X I I.

DEcet ex benignitate Sedis Apoſtolicæ ſtudio, & infra pag. 29. Bullarij. *Edita Anno 1593.*

COMPENDIVM.

Priuilegia Congregationis Clericorum Regularium S. Maioli Papienſis,

aliàs

aliàs de Somaſcha, comprobat. §. 1. & 2. Præſcribit Præpoſiti generalis authoritatem diſpenſandi cum dictis Congregationis profeſſis, defectum natalium patientibus, ad ſuſcipiendum ſacros ordines, & miniſtrandum in Altaris miniſterio, & recipiendum officia, & dignitates quaſcumque huius Cõgregationis. §. 3. Et loca eius omnia viſitandi. §. 4. Eximit à cura Monialium, aliiſque curis opera Congregationis impedientibus. §. 5. Profeſſiones vſque ad hanc diem emiſſas in manibus cuiuſcumque præſbyteri dictæ Congregationis, validas declarat. §. 6. Præpoſito dat facultatem committendi inferioribus receptionem profeſſionis, ſeruata in reliquis Bulla 71. Sixti V. de qua ſup. tom. 2. §. 7. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 8. Clauſulam, *Sublata*, &c. addit. §. 9. Contrariáque tollit. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Ante Conſtitutionem Sixti V. de qua hic in §. 3. ingreſſus Religionis nónne de iure antiquo tollebat defectum natalium quoad ordines?

RESP. Tollebat quidem, ad tex. in cap. 1. diſtinct. 56. vbi Archidiac. & alij notant; non tamen quoad dignitates, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. cap. 1. de fil. presbyt. in 6. & tradit Syluest. in verb. Illegitimus. q. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur eiuſmodi diſpenſatio eo iure requirebatur?

RESP. Vt Sedes Apoſtolica diſceret, an diſpenſare cum filiis presbyterorum expediret, cùm ipſi ſoleant eſſe criminis paterni imitatores. cap. penult. vbi gloſ. & alij cauſ. 6. quæſt. 1. præſertim quòd etiam ab ipſis parentibus malè educantur. Gloſ. in cap. 2. de fil. presbyt. in 6.

XXIII.

Edita Anno 1593. QVoniam nemo debet ſibi aſſumere honorem, & infra pag. 31. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratribus Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo interdicit, conquiſitis extra Religionem fauoribus, aut etiam ſponte oblatis Prælaturas, & officia in ea procurare, aut aliis minimè licitis rationibus obtinere. §. 1. & 2. Contrauenientibus, & eorum complicibus pœnas infligit. d. §. 2. Superioribúſque eiuſmodi fauores attendere prohibet. §. 3. Electiones aliter factas irritat, & contrauenientes irremiſſibiliter ipſo iure, abſque alia monitione, & ſententia pœnas incurrere, ſoláſque preces, vel inſtantias perſonarum extra Religionem ambitum probare decernit. §. 4. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 5. Obſtantia remouet. §. 6. Hanc Bullam in Capitulo publicari, eiúſque exemplis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba (*ipſo iure*, &c.) de quibus in §. 4. qualiter intelligenda?

RESP. Illa verba (*ipſo iure*) intelliguntur, vt ſententia non ſit neceſſaria ſuper incurſu pœnæ, quam reus ſtatim quòd deliquit, incurrit. Attamen ſententia, in qua declaretur quem reum eſſe ambitus, omnino requiritur, antequam deueniatur ad executionem illius pœnę. cap. cùm ſecundum. 14. de hæretic. in 6. vbi & in cap. Felicis. 5. de pœn. in 6. ita communiter Canon. concludunt, & bene Grammat. deciſ. 105. num. 60. Verumtamen ex vi verbi, *irremiſſibiliter*, aliud eſt dicendum. Gabriel in tit. de malefic. concluſ. 12. vbi loquitur in verb. Omnino. Iaſ. conſ. 21. num. 3. Eug. conſ. 22. num. 72.

Scholion ſecundum.

Quæro. Citatióne requiritur ad validitatem eiuſmodi ſententiæ declaratoriæ?

RESP. Vbi hæc ſententia requiritur, ibi citatio omnino neceſſaria eſt, vt notat gloſ. in verb. Conſtiterit. in clem. 2. de pœn. cuius opinionem communiter receptam inquit Ripa in l. Is, cui bonis. 6. ff. de verbor. oblig. num. 27. & Gabr. vbi ſup. num. 1. verſ. Amplia primam. Contrarium tamen tenet Roman. conſ. 482. num. 8. & ſeq. vbi Apoſtilla adducit concord.

XXIV.

QVæ ad tuenda, & conſeruanda bona, & infra pag. 31. Bullarij. *Edita Anno 1593.*

COMPENDIVM.

Prohibet perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus quibuſcumque amouere, & ſubtrahere ex Bibliothecis Ordi

Ordinis Fratrum B. MARIÆ de Monte Carmelo libros, & monumenta quæcumque, ſiue impreſſa, ſiue manuſcripta ibi exiſtentia. §. 1. Contrauenientes pœnę excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & à qua ſolus Papa, præterquã in mortis articulo, abſoluere poſſit, ſubiacere decernit. ibid. Contrariis non obſtantibus. §. 2. Huius Bullæ exemplis in dictis Bibliothecis in loco conſpicuo affixis, & ſigillo Ordinis munitis, manũque Notarij publici ſubſcriptis, fidem dari præcipit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba (*ipſo facto*) de quibus in §. 1. in quo differunt à verbis (*ipſo iure*) de quibus in præcedentis Conſtit. Schol. 1. diximus?

RESP. Synonyma appellat poſt Alexan. quem allegat, Pariſ. conſ. 91. lib. 2. num. 65. & Dec. conſ. 137. incip. Diligenter, num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dicta excõmunicatio poteritne ferri in die feriata in honorem Dei?

RESP. Sic ſentit Federic. de. Sen. conſ. 11. num. 3. & ita iudicatum fuiſſe ſcribit Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Neapoli. cap. 29. num. 17. pag. mihi 185. vbi ad hoc citat etiam deciſ. Delphinat. Franciſci Marci 690.

XXV.

Edita Anno 1593. PAſtoralis officij nobis diuinitus, & infra pag. 32. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in ſua Conſt. 64. de qua ſup. tom. 2. Fratres Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo ſeparauit à Fratribus Mitigatis eiuſdem Ordinis. §. 1. Sixtus V. videns auctum eſſe numerum Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum, per plures Priores, & vnum Vicarium regi decreuit. §. 2. Sed Mitigati, & Diſcalceati vnanimi conſenſu ſe diſiunxerunt. §. 3. Quod hic Pontif. approbat. §. 4. Diſcalceatos à Mitigatis eximit. §. 5. Et ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipit. §. 6. Eorũmque Superiorem Præpoſitum vocari præcipit. §. 7. Sex Conſiliarios habere, ac totum Ordinem Diſcalceatorum regere iubet. §. 8. Diffinitores Capituli qui, & vt eligendi, decernit. §. 9. Præpoſitum generalem ſi abſentari ab iſta Congregatione, vel mori contingat, ante eius diſceſſum, vel obitum, ſi grauiter infirmabitur, in eius præſentia Vicarium generalem per ipſum Præpoſitum, & Aſſiſtentes ex Conſiliariis, & Aſſiſtentibus eligi iubet. §. 10. Præpoſiti officium ſexennio durare declarat. §. 11. Et modò eius locum vſque ad Capitulum à Vicario teneri mãdat. §. 12. Ordinationéſque opportunas pro bono regimine edere indulget. §. 13. Ordinis priuilegia primitiuæ Regulæ nõ contraria Diſcalceatis competere decernit. §. 14. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas ſubdit. §. 15. Executoréſque deputat. §. 16. Obſtantia tollit. §. 17. Tranſumptiſque credi mandat. §. 18.

Scholion primum.

Quæro. Infirmitas grauis, de qua in §. 10. quomodo probabitur?

RESP. Medicorum iudicio ſtatur. l. ſemel. 6. Cod. de re milit. lib. 12. tradit Bart. in l. Quæſitorum. 60. ff. de re iudic. num. 6. & ſequuntur Panormit. & alij in cap. tenor. 10. de ſent. & re iud.

Scholion ſecundum.

Quæro. Surditas, aut cæcitas ſuperueniens, eritne grauis infirmitas, de qua in §. 10. ad effectum prædictum?

RESP. Grauem eſſe puto morbum cæcitatis vtriuſque oculi, ſecus verò vnius. Et idem dico de ſurditate, ſi ex ea ſolùm auditus debilitatur, ſecus verò ſi admodum impeditur: munus ſiquidem Præfecti opus corporis requirit, & maximi conſilij, & curæ. Sic probat tex. in l. 1. & 2. Cod. qui morbo ſe excuſ. lib. 10. & ibi gloſ. & Bart. & alij ita concludunt.

XXVI.

EX Apoſtolicæ ſeruitutis officio, & infra pag. 34. Bullarij. *Edita Anno 1594.*

COMPENDIVM.

Mercatores exteros ex Orientalibus partibus merces in Ciuitatem Anconæ Status Eccleſiaſtici adducẽtes, vel diuerſa mercaturæ cauſa domicilium ibi conſtituentes, eximit à ſolutione gabellarũ. §. 1. Saluoſconductus eis à S. R. E. Camerario dari ſolitos approbat. §. 2.

Eóſque Mercatores turbari prohibet. §. 3. Vniuerſitatis Hebræorum Orientalium Anconæ commorantium priuilegia à Paulo III. conceſſa, & ab eodem Camerario modificata, confirmat. §. 4. Il- lóſque ad omnia loca Status Eccleſiaſtici pro exigendis ipſorum creditis accedere permittit. §. 5. Merces ex partibus Orientalibus per mare Adriaticum ad alios eius portus extra Statum Eccleſiaſticum delatas, & poſtea in dictum Statum comportatas emi prohibet. §. 6. Triticum ad Anconæ portum aduehendum cuique liberè vendi poſſe indulget. §. 7. Mercatores gabellam ſoluere, antequam merces vendant, aut aliò aſportent non debere declarat. §. 8. Conſules ſanitatis Anconæ nihil abſque Gubernatoris interuentu circa perſonas, & merces nauium agere decreuit. §. 9. Mercatorum prædictorum cauſas Anconæ cognoſci iubet. §. 10. Ab eorum ſententiis valorem ſcutorum 40. excedentibus tantùm appellari ſemel dumtaxat permittit. ibid. Formam eligendi Iudices ad eas diiudicandas, eorúmque iuriſdictionem præſcribit. §. 11. Hos Iudices, & Gubernatorem, quicquam de mercibus nauium recipere, aut emere poſſe declarat. §. 12. Ita, & non aliter iudicari decernit. §. 13. Executores deputat. §. 14. Contrariiſque derogat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Ciuitas iſta nónne habet à Sede Apoſtolica priuilegium generale, quòd omnes cauſæ ibi cognoſcantur?

R E S P. Corn. lib. 4. conſ. 262. ſub num. 9. ſcribit, quòd ex indulto Sedis Apoſtolicæ, nec prima, nec ſecunda inſtantia inde extrahi poteſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſulum mercatorum iuriſdictio poterit prorogari ad cauſas non pertinentes ad mercaturam?

R E S P. Non, quia cùm eorum iuriſdictio ſit conceſſa à Papa ad cauſas mercaturæ, dicitur ad eas limitata, & ſic à partibus propagari non valet. Cyn. in l. 1. Cod. de iuriſd. omn. Iud. in fin. Imola in cap. P, & G, de offic. Iud. deleg. num. 84. Benuenut. Stracch. in tract. de Aſſecurat. gloſ. 31. num. 7.

X X V I I.

BEnedictus Pater miſericordiarū, & infra pag. 36. Bullarij. *Edita Anno* 1594.

C O M P E N D I U M.

Sancti, qui in Cælo regnant, in terra etiam Romani Pont. decreto venerandi ſunt, in proœm. & §. 1. & 2. Leo X. proceſſum Canonizationis B. Hyacinthi Poloni, Rege Poloniæ inſtante commiſit. §. 3. Clemens VII. Fratribus S. Dominici licentiam dedit in Regno Poloniæ eius officia celebrandi. §. 4. Paulus III. dictum proceſſum Canonizationis tribus Cardinalibus examinandum cōmiſit. §. 5. Greg. XIII. & Six. V. de dicta Canonizatione requiſiti fuerunt. §. 6. Sixtus dictum proceſſum Cardinalibus Congregationis ſacrorum Rituum, & tribus Rotæ Auditoribus iterum examinandum dedit. §. 7. Qui Gregorio XIV. dicti proceſſus acta retulerunt. §. 8. Rex Poloniæ apud hunc Pont. pro dicta Canonizatione vehementiùs inſtitit. §. 9. Qui Canonizationi intentus Beati Hyacinthi vitam refert. §. 10. & ſeqq. Miracula multa in vita operatus eſt. §. 14. & ſeqq. In Conſiſtorio itaque ſecreto tentum fuit B. Hyacinthum canonizandum fore. §. 18. Et etiam poſtea in Conſiſtorio publico. §. 19. & 20. Et in eo Pontifex eſſe Sanctū pronunciauit. §. 21. Indulgentias viſitantibus eius ſepulchrū, vel Sacella, concedit. §. 22. Miſsā de Octaua Reſurrectionis Dominici celebrauit in Dominica in Albis, cū cōmemoratione dicti Sancti, & intereſſentibus Indulgentiam plenariā conceſſit. §. 23. Hortatúrq; omnes ad collaudandum Deum. §. 24.

Scholion primum.

Quæro. Quis latiùs præclara huius Sancti geſta mihi enarrabit?

R E S P. Perlege libellum, quem de eius vita, miraculis, & actis Canonizationis, poſt alios Scriptores edidit R. P. F. Seuerinus Craconienſis Sacræ Theologiæ Magiſter, Ordinis Fratrum S. Dominici profeſſor, de quo, & aliis meminit Baronius in Martyrolog. die 16. Auguſti.

Scholion ſecundum.

Quæro. Mortuos quos ſuſcitauit S. Hyacinthus, potuerunt recuperare eorum bona?

R E S P.

R E S P. Potuerunt, quia homines verè reſuſcitati in terra, ſunt iidem homines. Bald. in repet.l.1. Cod de ſacroſ. Eccleſ. num. 152. vbi ponit exemplum de Lazaro à Chriſto reſuſcitato, & ſequitur Troyl. Maluet. de Canoniza. SS. in 3. dubio, num. 7.

X X V I I I.

Edita Anno 1594. Religioſæ Congregationis, & infra pag. 40. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Largitionem, miſſionémque munerum Regularibus cuiuſuis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, non tamen Militiæ, eiúſque Superioribus, Miniſtris, & Officialibus interdicit. §. 1. Et neminem eorum directè, vel indirectè, palàm, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, quouis prætextu, vel cauſa, niſi in generali Capitulo, vel Congregatione vnanimi omniũ conſenſu, & Superiorum permiſſu probata, quicquam tale attentare poſſe. ibid. Et neque fas eſſe decernit quicquam donare ex fructibus, prouentibus, oblationibus, vel ſubſidiis, etiam extraordinariis menſæ, vel maſſæ, aut fabricæ, vel Sacriſtiæ, vel ex pecuniis ſingulariter acquiſitis, aut in communi conferendis, vel nominatim alicui Religioſo à ſuis Superioribus, propinquis, & amicis, aut aliis, etiam eleemoſynæ intuitu, vel aliter datis, præterquàm leuiora eſculenta, & poculenta, ſeu ad deuotionem, & religionem pertinentia munuſcula, communi tamen, & non particulari nomine (vbi Superiori de conſenſu Conuentus videbitur) tradenda. §. 3. Eas excuſationes reiicit, quod munera dantur cuique etiam Regia, Imperiali, & Pontificali, aut alia maiori, etiam occaſione benedictionis, aut ſuſceptionis habitus Regularis, tonſuræ, aut profeſſionis Monialium, etiam Ordinis Protectori, & cuicumque alij, etiam ſimplici, & particulari Religioſo, præterquàm rerum minimarum, de licentia Superiorum in ſcriptis. §. 4. Et neque in alicuius benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, aut beneficiorum acceptorum memoriam, aut grati animi teſtificationem, neque pro prædictis honorificè excipiendis, aut ſpectaculis etiam piis, &c. §. 5. Excipit hoſpitalitatem, quinimò eam ſeruari præcipit. §. 6. Munera eiuſmodi recipientibus pœnas imponit. §. 7. Eáque dantibus. §. 8. Executores huius Bullæ deputat. §. 9. Contrariis derogat. §. 10. Hanc Bullam Romæ publicatam omnes afficere decernit. §. 11. Eámque in libris Ordinum inſeri, & in Capitulis, ſiue Congregationibus perlegi iubet. d. §. 11. Tranſumptiſque eius credi iubet. §. 12. Sanctionem pœnalem addit. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Regularium nomine, de quibus Conſtitutio loquitur, comprehenduntur Nouitij, vel alij qui in aliquo Monaſterio conuerſantur?

R E S P. Non, quia iſti non dicuntur Regulares, cùm nullam Regulam profeſſi ſint, prout ſic notat Sorbus Ord. Capuccin. profeſſor in expoſitione huius Bullæ, ad compend. Priuileg. Frat. Minor. in verb. Dare. verſ. Et dum dicitur, pag. mihi 193. ex Nauar. in conſ. 81. & 82. de Regular.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ dici poſſunt ea leuiora eſculenta, & poculenta, ſeu munuſcula ad deuotionem, vel Religionem pertinentia, de quibus in §. 3.

R E S P. Ea eſculenta, & poculenta, quæ ſi ſurriperentur, non eſſet peccatum mortale, id eſt, non excederent quantitatem, aut valorem vnius iulij, vel duorum carolenorum, ponderãdo illud verbum (*leuiora*) & ſupponendo, quòd Religioſi pauperrimæ perſonæ dicuntur. Illa verò munuſcula poſſunt eſſe paruulæ reliquiæ Sanctorum, imaginéſque papyreę, coronæ cum Indulgentiis, numiſmata benedicta, libelli deuoti, & eiuſmodi non excedentia valorem iuliorum duorum, vel trium. Ita adnotauit Sorb. vbi ſuprà pag. 195. necnon Coriolanus alter Capuccin. de caſib. reſeruat. par. 2. caſu 8. verſ. Secundus, pag. 195.

X X I X.

Edita Anno 1594. & 1603. Ex debito noſtri miniſterij, & infra pag. 42. *Item*; Pias Chriſti fidelium, & infra pagina 43. Bullarij.

C O M

COMPENDIVM.

Confraternitas ſuffragij pro animabus in Purgatorio exiſtentibus liberandis nuper erecta fuit, de licentia Vicarij Papæ pro vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus. §. 1. & 2. Illius præcipuum inſtitutum eſt, preces ad Deum pro dictis animabus, & in earum refrigerium effundere. ibid. Eam, eiúſque ſtatuta à dicto Vicario examinata approbat. §. 3. Eam erigit in Archiconfraternitatem. §. 4. Statuta condendi tribuit facultatem. §. 5. Aliáſque Confraternitates aggregandi. §. 6. Indulgentias Confratribus, & viſitantibus eorum Oratorium in feſto omnium Sanctorum, & infra Octauam, & in feſto natiuitatis B. MARIÆ, ac durante Oratione quadraginta horarum ibidem orantibus, concedit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. vlt. Indultum tribuit liberandi in die feſto omnium Sanctorum, aut in feria ſexta maioris hebdomadæ, vnum reum capitaliter (exceptis nonnullis caſibus) condemnatum, habita offenſorum pace, in Bulla ſubſeq.

Scholion primum.

Quæro. Quibus potiſſimùm precibus iuuantur animæ in Purgatorio exiſtentes?

RESP. Sacrificio Miſſæ, vt teſtatur S. Eccleſia in ſeſſ. 25. Concil. Trid. in decreto de Purgatorio. Nulla enim Miſſa, etiam non priuilegiata, eſt, per quam ex opere operato non minuatur aliquo modo pœna Purgatorij, vt inquit Nanar. conſ. 11. de priuil lib. 5. in vltimis verbis, pag. mihi 560. in impreſſis Brixiæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quot modis Miſſarum ſuffragia mortuis applicantur?

RESP. Triplici, per intentionem animi, & applicationem per memoriam, quæ fit in parte Canonis Miſſæ, quæ incipit, *Memento*, &c. & per collectas expreſſas in ipſa Miſſa, vt bene per multa iura probat Nanar. conſ. 6. de celebration. Miſſar. lib. 3. num. 1. & ſeqq. vbi erudité etiam declarat, quæ ſuffragatio ex prædictis magis proſit.

XXX.

Is, quæ pro felici Regularium, & infra pag. 44. Bullarij. *Edita Anno 1594.*

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, multa ſtatuit in Capitulo generali pro bono eius regimine, & electione Magiſtri generalis. §. 1. Quod Magiſter generalis vna vice eligatur ex Corona Aragoniæ, & Galliæ, & altera ex Chrona Caſtellæ, iunctis Prouinciis Andaluſiæ, & Indiarũ. §. 2. Et locus Capituli non ſit in locis Coronæ, ex qua eligendus eſt Generalis, & prima electio fiat ex Prouincia Caſtellæ. §. 3. Prouinciales, & Diffinitores Indiarum omni tempore ad Capitulum admittantur, oſtenſa eorum renunciatione Capituli Prouincialis. §. 4. Si Generalis eſt de vna Corona, & Procurator generalis in Vrbe ad eadem Corona, poſſit expenſis ſuis alia Corona habere Procuratorem particularem. §. 5. Subſidia Magiſtro generali quæ præſtanda. §. 6. Exemptiones Fratrum omnes reuocatæ. §. 7. Magiſter generalis eas de cætero non concedit. §. 8. Pecuniæ vnius Prouinciæ non applicentur pro redimendis captiuis alterius Prouinciæ, neque in alium vſum. §. 9. Adiunguntur quædam domus cum earum introitibus ad Collegium Ordinis in Ciuitate Ilerdenſi. §. 10. Aliĉque Collegio Oſcenſi. §. 11. Præſentati, aut Magiſtri gradus vt dandus. §. 12. Magiſter generalis vt Capitula prouincialia differre poſſit, vel anticipare. §. 13. Vota pro electione Magiſtri generalis, & prouincialium, vt danda. §. 14. Vicarius generalis vt nominandus à Magiſtro generali. §. 15. Nullus alterius Ordinis Religioſus abſque licentia Generalis recipiatur. §. 16. Vicarij Indiarum non inde recedant, priuſquàm ſucceſſores illuc peruenerint. §. 17. Proximum Capitulum in Monaſterio Oppidi Vallisoleti Diœceſis Palentinæ celebretur. §. 18. Ordo petit prædictorum omnium confirmationem, & obtinet. §. 19. & ſeqq. Cum derogatione contrariorum. §. 23.

Scholion primum.

Quæro. Si pecuniæ ſunt relictæ pro redi

Digitized by Google

redimendis captiuis vnius Prouinciæ, & nullus ex ea ſit captiuus de præſenti, legatum efficitúrne caducum?

R E S P. Non, ſed accipit Ordo pro futuris captiuis, tanquam repræſentans eorum perſonas. Ita conſulendo dixit Bart. in conſ. 58. incip. Ex parte, lib. 2. poſt princ. verſ. Nam ſi relinqueretur;& ſequitur Gratian. diſcept. forenſ. lib. 2. cap. 358. num. 25.

Scholion ſecundum.

Quæro. Diſpoſitio, de qua in §. 9. nónne concordat cum diſpoſitione iuris communis?

R E S P. Ita ſanè. l. 2. Cod. de annon. ciuil. lib. 11. & ibi not. Bart. in fin. & latè Luc. de Penn. num. 33. & ſeqq. gloſ. in cap. ſicut omnino. 16. cauſ. 2. quæſt. 2. & Vinc. de Franc. deciſ. 190. verſ. Item in redemptione.

XXXI.

Edita Anno 1595.

QVæ ad Sanctorum venerationem, & infra pag. 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Feſtum S. Staniſlai Epiſcopi, & Martyris Poloni, iuſſerat hic Pont. duplici officio per vniuerſum Orbem eo die, quo eiuſdem Sancti feſto proximior nullo alio feſto eſſet impeditus, celebrari. §. 1. Modò illud ad diem 7. Maij præſcribit, præuio decreto Congregationis Sacrorum Rituum. §. 2. & 3. Et ſi ea dies alio feſto eſſet impedita, illud feſtum transfert in aliam non impeditam, iuxta rubricas Breuiarij Romani. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Præter ea, quæ in Conſt. 13. Innoc. IV. ſuprà pag. tom. 1. de hoc ſancto viro mihi enunciaſti, quis cætera eius præclara geſta me edocebit?

R E S P. Apud Baron. in ſuo Martyrolog. ſub dicta die 7. ſic habetur: ſcripſit huius ſanctiſſimi viri res geſtas Ioannes Longinus Canonicus Cracouienſis ibidem à me citatus, quas reperies apud Surium tom. 2. qui ex Alberto Crant. alia addidit. Plura de eodem Cromer, & alij, qui proſecuti ſunt res Polonorum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dic quæſo interim, ſi iſte Sanctus aliquem mortuum ſuſcitauit?

R E S P. Cùm Rex Poloniæ Boleslaus in iudicium per calumniam Staniſlaum Epiſcopum coram ſe vocari curaſſet, tanquam pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ coëmerat: ipſe cùm nec tabulis, nec teſtibus illum à quodam Petro emiſſe probare poſſet, ſpondet ſe Petrum pagi venditorem, qui triennio obierat, intra tres dies in iudicium adducturum. Toto igitur triduo ieiunio, & orationi incumbit, & tertia die poſt Miſſæ ſacrificium Petrum è ſepulchro ſurgere iubet. Qui ſtatim rediuiuus (Rege, & cæteris ſtupore attonitis) de agro à ſe vendito, & pretio ritè ſibi ab Epiſcopo perſoluto, teſtimonium dicit, atque in Domino iterum obdormiuit. Hæc habentur in 5. Lectione ſecundi Nocturni, Officij ipſius Sancti, in Breuiario Romano.

XXXII.

Edita Anno 1595.

PIa Mater Eccleſia, & infra pag. 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sanctorum feſta Eccleſia inſtituit, vt eorum virtutes imitemur, & eoſdem apud Deum interceſſores habeamus. §. 1. Et quia inter plerosque Sanctos, virtutibus multis, & miraculis claruit S. Romualdus Eremitarum Camaldulenſium Fundator. §. 2. Eius ergo feſtum habito conſenſu Congregationis Sacrorum Rituum, hic Pont. duplici officio vbique die 7. Februarij, quo die eius tranſlatio facta eſt, celebrari præcipit. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Ad quem locum fuit tranſlatum corpus huius Sancti?

R E S P. Fabrianum oppidum in Piceno tranſlatum, ibique honorificè conditum in Eccleſia S. Blaſij Ordinis Camaldulenſis, ſcribit Baron. in ſuo Martyrolog. ſub dicta die 7. Februarij, vbi magna ibidem veneratione coli ſubdit. Et ſub die 19. Iunij eiuſmodi tranſlationis hiſtoriam manuſcriptam accepiſſe teſtatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis eiuſdem Sancti præclara acta deſcripſit?

R E S P. Petrus Damianus, qui eum affirmat vixiſſe annos centum viginti, quorum

quorum viginti in ſæculo, tres in Cœnobio, reliquos verò in ſolitudine exegit, teſte Baron. in eodem Martyrolog. ſub dicta die 19. Iunij, qua quidem die Rauennæ obiiſſe teſtatur, eúmque Monachorum Camaldulenſium Patrem appellat, eo quod collapſam in Italia Eremiticam diſciplinam reſtituit, & mirificè propagauit.

XXXIII.

Edita Anno 1595. DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 37. Bullarij.

COMPENDIVM.

Viſitator generalis, & alij Superiores, ac Fratres Tertij Ordinis S. Franciſci de pœnitentia, impetrant à Papa, quòd ad euitandum diſpendia, & confuſionem, quæ poſſet oriri ex ingenti numero perſonarum in electione noui Viſitatoris, & Diffinitorum generalium in Capitulis faciendæ, Viſitator generalis præteritus, necnon ex qualibet Prouincia vnus Prouincialis, ac Diſcretus, & Cuſtos prouincialis, & non alij, votum habeant. §. 2. Et quòd in electione nouorum Prouincialium, Cuſtodum, & Diffinitorum prouincialium in Capitulis prouincialibus facienda, Prouinciales præteriti, Diſcreti prouinciales, Priores, & Diſcreti Conuentuum, ac Diffinitores generales, actuales, & Procurator generalis tunc exiſtens votum habeant. §. 3. Ad electionem verò Priorum, & Diſcretorum prouincialium, Prouinciales tantùm procedant. §. 4. Electionéſque ſupradictorum fiant per vota ſecreta in ſchedulis ſtatim facta electione comburendis, ita vt eligentium vota numquam publicentur. §. 5. In Capitulis generalibus electiones Prouincialium, & Priorum nequaquam fiant, ſed in qualibet Prouincia, ſecus prouincialis Diſcretus, & Priores creentur. §. 6. Alitérque electiones factæ irritæ ſunt. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Diſpoſitio §. 2. habétne locum, etiamſi Cuſtodes vnius Prouinciæ ſint præſentes in Capitulo, vbi electio generalis eſt celebranda?

RESP. Habet profectò, quia etſi ceſſaret prima ratio euitandi ſumptus, non tamen ceſſat alia ratio futuræ confuſionis. Et ita deciſum videtur in quadam Bulla Nicolai IV. quæ impreſſa legitur in libro inſcripto, *Monumenta trium Ordinum S. Franciſci*, in prima impreſſione, fol. 31. & in ſecunda, fol. 32. conceſſ. 33.

Scholion ſecundum.

Quæro. Prouinciales, & Cuſtodes tranſmiſſi ad Capitulum, vt in §. 2. poterunt fortaſſe renunciare voci paſſiuæ, quam ratione officij habent?

RESP. Non, cùm talis vox paſſiua non ſolùm ſit eis conceſſa in eorum fauorem, cui poſſent proculdubio renunciare. l. ſi quis in conſcribendo. 29. Cod. de pact. cum ſimilib. ſed in fauorem Prouinciarum, à quibus tranſmittuntur, earúmque maximè intereſt, vt ab eis ſelecti omnimodam habeant authoritatem, vocem ſcilicet actiuam, & paſſiuam. Sic tradit Rod. de Regular. quæſt. tom. 1. quæſt. 13. art. 19. in fine.

XXXIV.

SAnctiſſimus D. N. Clemens Papa, & infra pag. 47. Bullarij. *Edita Anno 1595.*

COMPENDIVM.

Inſtituit inſtructionem circa Sacramenta Eccleſiæ ſuper aliquibus ritibus Græcorum pro Epiſcopis Latinis, in quorum Diœceſi Græci, vel Albanenſes Græco ritu viuentes degunt. §. 1. & ſeqq. Declarat, vt tenentur Græci credere, & pronunciare, etiam à Filio Spiritum ſanctum procedere. §. 6. Monachis Græcis, vel Calogeris, nonniſi ex iuſta cauſa animarum cura committatur. ibid. Preſbyteris autē Græcis vt committi poteſt. ibid. Vſus carnium die Sabbathi vt Græcis toleretur. ibid. In ieiuniis biduanis, vel triduanis Græcis indicendis, dies Sabbathi in illis comprehenſus à Diœceſanis cōmutari poſſit. ibid. Ad obſeruationem ieiuniorum Latinæ Eccleſiæ Græci non cogantur. ibid. Græci inter Latinos obſeruent feſta Eccleſiæ Latinæ. ibid. Romę habendum præcipit Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adiacentium ſubiectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id

tantùm

Digitized by Google

tantùm concedendis Græco ritu ordinet. §.7. Hæc ſtatuit ex ſententia Cōgregationis ſuper reformatione Græcorū, in fine.

Scholion primum.

Quæro. Num licet viro Catholico leuare de fonte ſacro eum, qui ritu Græcorum baptizatur?

R E S P. Licet in illis Terris, in quibus licitum eſt eo modo baptizare, in alijs non, quia eſſet peccanti opem ferre, & conſentire. Ita ſcripſit Nauar. conſ. 1. de conſtitut. lib. 1. num. 66.

Scholion ſecundum.

Quæro. Græco autem liceret forſitan conſecrare in azymo in eius Terra?

R E S P. Non, & neque Latino in ſua Terra liceret in fermentato conſecrare, ex eadem ratione mox adducta. Ita ſentit Panormit. & declarat S. Thomas, quos citat, & ſequitur Nauar. vbi ſup. num. 69. in fine.

X X X V.

Edita Anno 1595. IN ſupremo curæ Paſtoralis munere, & infra pag. 48. *Item*; Cùm nos, & infra pag. 49. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inſtituit in Vrbe Domum, in cuius parte vna piè educentur pauperes virgines, in alia honeſtæ viduæ, in altera verò impudicæ mulieres pœnitentiam agere volentes. §. 1. & 2. Quam Domum Monaſterium B.V. Refugij nuncupari decernit. §. 3. Feſtum Aſſumptionis eiuſdem B. Virginis quotannis ibidē celebrari mandat. §. 4. Officiales pro illius regimine eligendos decernit. §. 5. Quibus opportuna edendi ſtatuta facultatem tribuit. §. 6. Qualitateſque virginum, viduarum, & mulierum recipiendarum præſcribendi. §. 7. Eáſque, &c. regendi, & corrigendi. §. 8. Et Congregationem vnam virorum, Præfecti, & aliorum Deputatorum, alteram verò mulierum, Præfectæ, & Aſſiſtentium, ad neceſſaria peragenda pro dicti Monaſterij regimine inſtituendi. § 9. & ſeqq. Sedi Apoſtolicæ immediatè Domum, & Congregationes prædictas ſubijcit, & ab aliorum ſuperioritate eximit. §. 12. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §.13. Indulgentias nonnullas perſonis dictæ Congregationis, & alias viſitantibus dictam Domū in feſtiuitatibus B. MARIÆ elargitur. §.14. Iudicem ad cauſas dictæ Domus, eiúſque perſonarum, cum poteſtate citādi ſingulis diebus, & horis, &c. deputat. §.3. ſubſeq. Conſtitutionis. Ampliſſimámque eidem authoritatem tribuit. §. 4. & ſeqq. Contrariíſque derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Sixtus V. in ſua Conſt. 60. de qua ſuprà tom. 2. pro eiuſmodi virginibus, & viduis piè educandis Collegium inſtituit; quorſum ergo noua hæc inſtitutio?

R E S P. Quia earum cura Monialibus Regulæ S. Benedicti, Congregationis S. Bernardi Ciſtercienſis Ordinis, tunc certo modo à Sixto demandata fuit. Sed numero poſtmodum earum Monialium aucto, & ad totalem Regulæ obſeruantiam redacto, puellarum, & viduarum receptio illis onerosa viſa fuit, vt apud nos notiſſimum eſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poteſtas citandi ſingulis diebus, &c. de qua in §. 3. quid operatur?

R E S P. Ad tollendam difficultatem, ſi iſte Iudex tanquam Commiſſarius poſſet citare ſingulis diebus, eo quia in Romana Curia Iudices Commiſſarij non poſſunt citare, niſi diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris, vt nouiſſimè ſcribit Marcheſan de commiſſ. par. 1. cap. 5. num. 286. & ſeqq. & eſt notiſſimum.

X X X V I.

SAcroſanctum Catholicæ fidei, & infra pag. 51. Bullarij. Edita Anno 1595.

C O M P E N D I V M.

Concilium Tridentinum Indicem librorum prohibitorum promouit, & deinde ad Sedem Apoſtolicam rem deferendam ſtatuit. §. 1. Pius IV. illum perfecit, & promulgauit. §. 2. Sixtus alios libros addi iuſſit, ſed re imperfecta deceſſit. d. §. 2. & 3. Hic Pont. Indicem abſoluit, modóque approbat, & promulgat. §. 4. Dubiáque in eo emergenda Congregationi Cardinalium ſuper huiuſmodi Indice inſtitutæ remittit. §. 5. Contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Ipſum Indicem cur Genitor tuus hic inſerere prætermiſit?

RESP. Quia volumen eſt, annóque hunc ſequente Romæ editum, & euulgatum fuit, inſtructione, & regulis opportunè adiectis.

Scholion ſecundum.

RESP. Libros vetitæ, & damnatæ lectionis retinens, num hæreticorum fautor, vel de hæreſi ſuſpectus dicitur?

RESP. Dicetur, ſi prudens, ſciénſque retinet, vt tradit Pegna in Director. Inquiſit. part. 2. comment. 3. vbi hæc eruditè explicat.

XXXVII.

Edita Anno 1595. AEqua, & circumſpecta Rom. Pont. prouidentia, & infra pag. 52. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ne Iudices ſæculares in perſonas Eccleſiaſticas, vltra quàm deceat, manus extendant, prætextu criminis aſſaſſinij. §. 1. Vtque Milites Religioſi ſuis priuilegiis perfruantur. §. 2. Decernit, declarationem dicti criminis ſpectare ad Iudicem Eccleſiaſticum. §. 3. Et contra Milites, aliáſque perſonas Conuentus, & Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, ſpectare ad eorum Superiores adiuncto Epiſcopo loci. §. 4. Et ita iudicari debere mandat. §. 5. Contraria quæque non obſtare decernit. §. 6. Tranſumptíſque huius Conſtitutionis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Ante hanc Pontificiam declarationem, de qua in §. 3. quid ſentiebant Doctores?

RESP. Aliqui voluerunt hanc declarationem ſpectare ad Iudicem ſæcularem, quos refert Clar. quæſt. 36. n.31. Sed contrariam opinionem veriorem fatetur de iure Clar. ibid. eámque probant Ignat. Lopez in addit ad Diaz in pract. canon. crimin. cap. 101. ſecundùm poſtremam impreſſionem in litera B, verſ. Notabis. Farinac. quæſt. 123. n. 68. & Scaccia in ſuo Tractat. de Iudic. lib. 1. cap. 11. num. 70. poſt Card. Alban. quem allegant, in conſ. 31.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si ad ſuam vindicandam iniuriam Petrus ſuis manibus interficit, & pecunia mediante, aliquot alios ad ſibi auxiliandum inducit, erítne patratum crimen aſſaſſinij?

RESP. Non, quia aſſaſſinus ille eſt, qui præmio aliquem interficit, vel interfici mandat. Clar. in §. Aſſaſſinum in princ. & Vinc. de Franc. deciſ. 176. n.3. Petrus autem non corruptus pecunia deliquit, nec præmio homicidium ab eis fieri mandauit, vt præclarè ſcribit Gabr. conſ. 170. lib. 1. num. 7. & 13. quem emendat, & ei alios cumulat Farinac. quæſt. 123. num. 148.

XXXVIII.

EX quo in Eccleſia Dei, & infra pag. 52. Bullarij. Edita Anno 1596.

COMPENDIVM.

Pius V. in ſua Conſt. 64. & 106. de quibus ſup. tom. 2. Breuiarium, & Miſſale emendauit. §. 1. Alij Pontifices illius prædeceſſores Pontificale ediderūt. §. 2. Sed eius forma immutata fuit. §. 3. Illud ergo reformauit, & obſeruari iubet, & alia prohibet. §. 4. & 5. Immutari vetat. §. 6. Introductionémque illius Prælatis præcipit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Qui Pontifices ante Pium V. ediderunt Pontificale, vt dicitur in §. 2.

RESP. Leonem X. illud imprimi feciſſe ſcribit Caſtald. in ſuo Tract. de Imperat. quæſt. 24. num. 3. Sed & ante Clementem V. editum conſtat ex tex. in clem. vnica de iureiur. §. Hos itaque, & ſic à pluribus editum liquet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ erat ei fides adhibenda?

RESP. Plena fides, quia Clemens V. in d. clem. 1. illud allegat ad probandū eius intentionem, & ita firmat ibi Vitalin. num. 4. & Hoſtienſ. in cap. 5. de ſeru. non ordin. ſub num. 1. ac Panormit. in verſ. Et nota, ac latè Rota in deciſ. 5. Mohed. de fide inſtrum. in ſuis impreſſis.

XXXIX.

SVſcepti muneris ratio poſtulat, & infra pag. 53. Bullarij. Edita Anno 1596.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 14. de Regular. decreuit, Religioſos extra clauſtra notoriè delinquentes, ita vt ſcandalo ſint populo, à ſuis Superioribus ſeuerè puniri, inſtante Epiſcopo, & intra terminum ab Epiſcopo præfi

præfigendum.§.1.Hic Pont.hoc idem iubet,& addit illos Superiores Epiſcopum de punitione certiorem facere debere. §.2. & 3.Et Superioribus eos punire negligentibus, vel ad locum in quo deliquerint non reuocantibus, pœnas infligit.d.§.3.Et Epiſcopum contra delinquentem tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum procedere iubet.d.§.3.Et ita,& non aliter iudicari mandat. §. 4. Contraria quæque remouet.§.5.

Scholion primum.

Quæro. Religioſus, contra quem Epiſcopus procederet,vt in §.3.poterit exéptione ab Ordinariorum iuriſdictione forſan ſpecialiter obtenta, ſe tueri?

R E S P. Non, quia Epiſcopi contra hos Religioſos vigore huius Conſtitutionis procedunt vti delegati Sedis Apoſtolicæ,& Rota ſic voluit in deciſ. Seraphin. in vna Salamantina iuriſdictionis, 14.Decembris 1579.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſta Conſtitutio in qua parte nouum ius continet?

R E S P. In ea,in qua Superiores onerat ad reuocandum delinquentem ad locũ delicti ſub grauioribus pœnis, quàm à dicto Concilio inflictis,& in ea,in qua eaſdem infligit eiſdem negligentibus eorum Regulares coërcere,vt ex lectura Concilij, & huius Bullæ verbis ſatis liquet.

X L.

Edita Anno 1596. Romanum Pontificem decet, & infra pagina 54.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus V.Conſtitutionem edidit 91.de qua ſupr. tom. 2.contra malè promotos, ac Prælatos in ordinum collatione peccantes, ſed nihil diſpoſuit, quod à ſacris Canonibus, & Pontificiis Conſtitutionibus,Concilijque Tridentini decretis diſpoſitum non eſſet, & pœnarum multiplicatio eis indictarum illaqueationem parere valet. §. 1. & 2. Hic ideo Pont.dictam Conſtitutionem, & eius pœnas ad terminos ſacrorum Canonũ, & Bullæ Pij II. atque Concilij Tridentini reducit.d.§.2.Præſerunt tamen illam Conſtit.quoad pœnas inflictas ſimoniacè ordinatis, & ordinantibus. Et ſic, & & non aliàs iudicari decernit. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Ex Bulla Pij II. de qua hic in §. 2. requiritúrne dimiſſoria ita pro forma,vt non ſufficiat Epiſcopo promouenti cognitam eſſe perſonam pro idonea?

R E S P. Dimiſſoria Ordinarij ita neceſſaria eſt, vt nullam quoad executionem, non quoad charactere reddat promotionem abſque eam factam, de perſona quantumcumque idonea,& cognita,quia forma dat eſſe rei,eiuſque omiſſio actum vitiat, vt colligitur ex dictis Bald.in cap.conſtitutis. 46. de appellat. num.5.ac Dec.num.7. & in terminis noſtris Mandoſ. eleganter in Reg. Cancellar. ſuper reg. 24.de malè promotis,nu. 11.& ſeqq. quæſt.3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi proprius Epiſcopus ratificet promotionem ab altero Epiſcopo factam abſque literis dimiſſoriis?

R E S P. Optimè huic quæſito ſatisfacit Mandoſ.in Reg.Cancell.ſuper d. reg. 24. q. 4. vbi articulo plenè diſcuſſo eleganter demonſtrat, ratificationem non ſatis eſſe ad euitandam pœnam d. Conſtit.Pij II. num. 6.& ſeqq.

X L I.

Iuſtitiæ ratio,& publicæ fidei cauſa,& infra pag.55.Bullarij. *Edita Anno 1596.*

C O M P E N D I V M.

Inſtituit Cõgregationem egregiorum virorum ſuper Baronibus Status Eccleſiaſtici,vt eos, qui alieno ære contracto, variis modis illud perſoluere nolunt, ad ſatisfaciendum ipſorum creditoribus cogant. §. 1.& 2. Nempe quod mandata executiua contra Barones à Iudicibus relaxata exequi faciat nomine Reuer. Cam. Apoſt. ad commodum creditorum, ſuper illorum Caſtris, & ſtatim ceſſet Baronum iuriſdictio. §. 3. Elapſo menſe Caſtra ſubhaſtanda proponat, & abſque impenſa plus offerenti delibe-ret. §. 4. Pretium inde redactum creditoribus conſignari faciat. §. 5. Camera Apoſtolica inter oblatores admittatur. §. 6. Oblatore non reperto, Cameræ fiet adiudicatio pro pretio æſtimando, quod creditoribus ſatisfaciat. §. 7. Eiuſmodi alienationem fieri iubet etiam cùm Barones Montes ſuper

eorum bonis erectos, debito tempore non extinxerint, aut fructus non ſoluerint, aut alia contra præmiſſa non impleuerint. §. 8. Fideicommiſſa hanc alienationem non impedire decernit. §. 9. Illiſque pleniſſimè derogat. §. 10. Eorúmque loco alia Baronum bona libera ſupponit. §. 11. & ſeq. De pretio ſi quid ſupereſſet inueſtiri mandat. §. 13. Caſtra per Cameram ſic emenda in Bulla 35. Pij V. de qua ſupr. tom. 2. non comprehédi declarat. §. 14. Et ita, & non aliàs iudicari decernit. §. 15. Contrariiſque omnibus derogat. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Baronum vſus nunquid antiquis etiam temporibus fuit?

RESP. Vſque de anno 800. Carolus Magnus in Catalonia expulſis inde Sarracenis, eá diuiſit in nouem Comites, nonem Vicecomites, nouem Valuaſſores, & totidem Barones, vt poſt Fontanell. quem allegat, ſcribit Garz. Maſtril. in ſuo tract. de magiſtrat. libro 4. cap. 2. numer. 54.

Scholion ſecundum.

Quæro. Lex iſta ligat Barones quamuis minores?

RESP. Ligat, quia ipſa lex generaliter loquitur, & principaliter diſponit quoad bona ſuper debitis contracta, non quoad perſonas. Bart. in l. ſi fine. 33. §. Lucius. ff. de adminiſtr. tutor. cum alijs citatis à Roland. de lucro dot. quæſt. 44. n. 6. & Tiraquel. de retract. lignag. §. 1. gloſ. 13. num. 13.

XLII.

Edita Anno 1596.

CVm ſicut magno, & infra pag. 57. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet omnibus Italis, cuiuſcumque ſint ſtatus & conditionis, ne quouis prætextu habitent, vel domicilium teneant in loco, vbi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Sacerdote Catholico non exiſtat, in qua liberè audiri poſſint Miſſæ, & alia diuina Officia, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari, mortui ſepeliri, & cætera fieri iuxta ritum S.R.E. §. 1. Abſtineántque à matrimoniis cum Hæreticis mulieribus, & ab Hæreticorum ſepulturis: filios de ſacro Baptiſmi fonte per Hæreticos leuari nó permittant, nec ipſi illos, niſi per Sacerdotem Catholico more baptizatos leuent. §. 2. Medicorum Hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, & vbi adſit copia Catholici Medici, non vtantur. ibid. Et neque ad prædicta loca accedant, niſi id priùs ſignificent ſuis Ordinariis, vel Inquiſitoribus, à quibus de multis admoneri Papa præcipit. §. 3. Aduerſus contrauenientes tanquam de hæreſi ſuſpectos, locorum Ordinarij, & Inquiſitores procedere valeant. ibid. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si quis ſcienter matrimonium contrahat cum Hæretica, non obſtante ſupradicta prohibitione, erítne validum?

RESP. Controuerſa admodum eſt huiuſmodi quæſtio in terminis iuris cómunis, ſed frequentior eſt eorum ſententia, qui tenent, quod ſit validum quoad Sacramentum; latiſſimè Sanchez de Matrim. lib. 7. diſput. 2. per totam. Quia tamen eſt cum peccato mortali contractum, propterea quoad cohabitationem dirimendum eſſe inquit poſt alios Decian. lib. 5. ſui tract. crim. cap. 41. num. 12. verſ. Quartò matrimonium, cum quo tranſit Farinac. quæſt. 99. num. 51. Vnde cum nullitatis matrimonij pœna hic explicité non imponatur, ſed ſolùm, quòd contra tranſgreſſores poſſit procedi tanquam contra ſuſpectos de hæreſi, non eſt cur illam indictam iudicemus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid verò ſi cum Hæretica contrahat ſponſalia?

RESP. Promiſſio huiuſmodi, tanquam de turpi, irrita eſt, nullamque obligationem inducit, ſecundùm Nauar. conſ. 5. de ſponſal. lib. 4. num. 6. in vltimò impreſſis, & ſequitur Sanchez iam citatus num. 3.

XLIII.

Edita Anno 1596.

AMbitioſam honorum, & dignitatum cupiditatem, & infra pag. 58. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Monachis Congregationis Camaldulenſis Ordinis S. Benedicti, ne extra gremium Congregationis quoquo modo conquiſitis fauoribus, aut etiam ſponte oblatis à Principibus Eccle

Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus vtantur pro gradibus, aut dignitatibus in ea obtinendis, vel pro habenda pœnarum eis inflictarum remiſſione, vel aliis viis ad prædicta aſpirent, & neque ab aliquo Monaſterio remoueri, ſeu in alterius familia deputari contra Capituli, & Superiorum voluntatem procurent. §. 1. Contrauenientibus, eorúmque complicibus, & fautoribus, pœnam priuationis obtentarum dignitatum, & officiorum, ac inhabilitatis de cætero, vociſque actiuæ, & paſſiuæ imponit. ibid. Prælatis Congregationis inhibet, ne in prædictis cuiuſuis fauores attendant. §. 2. Promotionéſque aliter factas irritat. §. 3. Et ſic, & non aliter iudicari præcipit. §. 4. Contraria quæcumque refellit. §. 5. Iſtáque Bullam in Capitulo generali quotannis publicè legi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Appellatione fautorũ, de quibus in §. 1. num venient, qui conſulunt, ſuadent, vel inſtruunt ſupradictos Monachos ambientes?

R E S P. Ita ſanè, prout in ſpecie de his fautoris actibus ſcribit Anchar. in cap. Fælicis. 5. de pœn. in 6. ſub num. 6. & ſequuntur alij communiter, necnon Franc. de Platea in ſuo tract. de excommunic. §. 33. num. 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Aliiſne modis quis fauere eiſdem ambientibus dici poterit?

R E S P. Proculdubio multis, qui non vno Scholio complecti poſſunt, eos tamen ab his, qui de fautoribus Hæreticorum ſcripſerunt, optimè colligit Farinac. quæſt. 182. n. 1. & ſeqq. Caue tamen, quia non omnes huic fautoriæ conueniunt, cùm latior admodum ſit illis, quàm iſtis prohibitio fauendi.

X L I V.

Edita Anno 1596.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 59. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, initio ſui Pontificatus Congregationem Fratrum Ioannis Dei, eiúſque Hoſpitalia, Ordinariis locorum ſuppoſuiſſe, profeſſionémque & ſacrorum ordinum ſuſceptionem prohibuiſſe, & per vnum Maiorem non amplius regi iuſſiſſe. §. 1. Iuſtis tamen de cauſis regimen eidem Maiori reſtituit, & gratias Congregationi à Pio V. Greg. XIII. & Six. V. elargitas, circa facultatẽ emittendi profeſſionem, & ſuſcipiendi ſacros ordines, & circa exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum locorũ confirmat. §. 2. Et votum inſeruiendi Hoſpitalibus ſub obedientia Ordinariorum emitti indulget. §. 3. Maioriſque electionem, & munus præſcribit. §. 4. Conſiliariorúmque, & Viſitatorum, atque Priorum. §. 5. Maioris poteſtatem, & Ordinariorum authoritatem præfinit. §. 6. Licentiam Hoſpitalia erigendi, & eleemoſynas recipiendi, Congregationi tribuit. §. 7. Habitum cum ſcapulari, & capucio ſolito deſignat. §. 8. Incorrigibiles quo pacto eiici poſſint, decernit. §. 9. Promotionem ad ſacros ordines prohibet. §. 10. Ordinationes pro regimine Hoſpitalium conſtituendi facultatem tribuit. §. 11. Clauſulas præſeruatiuas huius conceſſionis apponit. §. 12. Clauſulam aliter non iudicandi ſubiungit. §. 13. Contrariis omnibus derogat. §. 14. Exempliſque credi mandat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Hi fratres veniúntne appellatione Religioſorum Regularium?

R E S P. Non, quia profeſſionem, & tria vota ſubſtantialia non emittunt. Et ideo Paulus Quintus, qui in Hiſpaniis licentiam emittendi dicta tria vota cum quarto de curandis infirmis, mox infrà in ſua Conſtit. 69. his Fratribus conceſſit, eoſdem Religioſos Regulares declarauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ordinariorum, de quibus ſuprà, appellatione qui de iure veniunt?

R E S P. Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, ad text. in cap. 1. §. Ordo. diſt. 21. & latè de his agit Leon. in ſuo Theſaur. for. Eccleſ. par. 2. c. 1. num. 7. & ſeqq. poſt gloſ. & ſcribb. in cap. 3. de offic. Ordin. in 6.

X L V.

PRo iniũcti nobis Apoſtolici muneris, & infra pag. 60. Bullarij.

Edita Anno 1596. & 1603.

C O M P E N D I V M.

Gregorius XIII. Conſtitutionem 55. de qua ſuprà tom. 2. edidit quoad Fratres

Digitized by Google

Fratres Reformatos S. Franciſci ſtrictioris obſeruantiæ. §.1. Quam hic Pont. approbat quoad Fratres Italiæ, ſaluis declarationibus infraſcriptis. §. 2. Quòd ſcilicet in recipiendis Nouitiis ſeruetur Conſtitutio Sixt. V. §. 3. Monaſteria eis concedenda ſint apta ad duodecim ſaltem Fratres. §. 4. Circa reſeruationem caſuum ſeruetur decretum à ſe deſuper editum. §. 5. Et ſtatuta ab eis facienda non aduerſenrur ſuis decretis in viſitatione Eccleſiarum Vrbis editis, & prædeceſſorum Conſtitutionibus. §.6. Prædicatores, & Confeſſarij, & Lectores certo modo examinentur à probis viris, ad hoc in ſingulis Capitulis Cuſtodialibus deputandis, & antea à nemine ad huiuſmodi miniſteria exercenda illi admittantur. §.7. Fratres Reformati accedentes ad loca, vbi proprios habent Conuentus, ad Fratrum de familia Conuentus in eiſdem locis non diuertant. §. 8. Has diſpoſitiones extendit poſtea ad Gallos, & Belgicos, in §. 1.& 2. ſubſeq. Bullæ. Et circa receptionem Nouitiorum in hiſce prouinciis faciendam, ſeruari indulget formam ab eodem traditam die 5. Septembris 1602. §.3. Repetitque alias ordinationes, de quibus ſupr. in §.4. vſque ad §.8. Clauſulas præſeruatiuas addit. §. 9. Executores deputat. §.10. Contrariiſque derogat. §.11. Fidẽ tranſumptis huius Bullæ præſtari iubet. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Capitula Cuſtodialia, de quibus in §.7. quando, & à quibus conuocantur?

R E S P. A Miniſtris, & Cuſtodibus ſemel in anno, ſi ipſi velint. Habentur enim in Regula S. Franciſci hæc verba: *Paſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri, & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum conuocare*, vt refert Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 70. artic. 4. pag. mihi 409.

Scholion ſecundum.

Quæro. Deputati ad examen Prædicatorum, de quibus in §.7. poteruntne admitterre Fratrem ſacris adhuc non initiatum, ad prædicandum tamen idoneum?

R E S P. Poterunt, quia nullo iure cauetur, quòd mittendus ad prædicandum, debeat ordine ſacro eſſe initiatus, vt latè ſcribit Nauar. conſ. 7. lib. 1. de offic. Iudic. deleg. num. 2. in impreſſis de anno 1610. pag. mihi 165. vbi reſpondet, quòd text. in cap. Adiicimus. 19. cauſ. 16. quæſt. 1. quo cauetur, quòd nullus præter Sacerdotes audeat prædicare, locum habet in volente prædicare auctoritate propria, & auctoritate ſui officij, quale habet Sacerdos curatus.

XLVI.

NVper ad nos perlatum eſt, & infr. pag. 62. Bullarij. *Edita Anno 1596.*

C O M P E N D I V M.

Fratres Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, prætextu eorum quarti voti non recipiant de cætero Fratres Minores S. Franciſci de Obſeruantia, & alios Regulæ ſtrictioris, quàm ſit ipſa Regula Fratrum de Mercede. §. 1. Subditque alia ratione, quàm quarti voti Regulam ſtrictiorem eſſe iudicandam. §. 2. Contrariis omnibus derogat. §. 3. Tranſumptis huius Conſtit. credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Qua alia ratione Regula diiudicatur ſtrictior?

R E S P. Non ex primæua Regula tãtùm, ſed ex multis aliis reſpectibus, quos proſequitur B. Thomas 2.2. q. penult. Sed ad noſtrum propoſitum ex conſtitutionibus poſt Regulam factis, earúmque obſeruantia circa auſteriorem vitam de præſenti tempore. cap. Sanè. 10. vbi Panormit. & alij de Regular. Card. Zabar. conſ. 28. num. 1. & ſeqq. Lapus allegat. 61. num. 5. & allegat. 130. ſub num. 2. ac Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 52. art. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. An hæc eadem concluſio locum habeat quoad Moniales?

R E S P. Habet proculdubio, nam quæ de Religioſis viris diſpoſita ſunt, cenſentur etiam de Monialibus conſtituta, quoad ea proportionabilia. cap. fin. vbi Parnorm. de ſtatu Monachor. numer. 5. Rod. relatis aliis de quæſt. Regularib. tom. 3. quæſt. 52. artic. 6. addens tamen,

tamen, in exitu requirendam eſſe licentiam Prælatorum, & Ordinarij, iuxta diſpoſitionem Concil. Trident. propter clauſuram, quam Moniales omnes ſeruare tenentur.

XLVII.

Edita Anno 1596. Laudabilis Apoſtolicæ Sedis rectitudo,& infra pag. 63. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat ſtatuta,& priuilegia Conſulum artis Aromatariorum Vrbis. §. 1. & ſeqq. Decernit, quòd Aromatarij conuenire poſſunt eorum debitores ex cauſa Aromatariæ in eorum Conſulatu, & non in alio Tribunali, ſub pœna ducatorum ſex applicandorum Eccleſiæ S. Laurentij Vniuerſitatis d. artis. §. 4. Et rei conuenti etiam priuilegiati dictum forum declinare non poſſint.§.5. Conſules d.artis quando Drogherios, & alios viſitare,& punire poſſint.§. 6. Aromatariorum libris infra quinquennium tantùm, ſi mercantiliter tenti ſint, vel ſecundùm conſuetudinem dictæ artis,plena fides adhibeatur, iuxta formam Motus proprij Iulij III. §. 7. Et etiam contra eos, de quorum ordine diceruntur datę res etiam pro vſu aliorum.§.8.Præſcriptio 16. annorum contra eos tantùm opponi poſſit.§.9. Priuilegio prioritatis, & potioritatis donantur contra alios priuilegiatos, pro ſcutis 50. tantùm. §. 10. Aromatarij non veniunt in diſcuſſione, & moratoriæ, vel dilationes contra eos non ſuffragantur. §.11. Hæredes defuncti debitoris ſolutionem nullo prætextu retardare poſſint. §. 12. Mulieres coniugatæ tenentur pro rebus ad eorum debitum deſcriptis etiam viuentibus viris.§.13. Mulieres poſſint ſe, & familiam obligare pro ſumma ſcutorum 15.pro rebus medicinalibus. §. 14. A ſententiis Conſulum vt & quando, & ad quem appellatio valeat.§.15. Alij Iudices cauſas Aromatariorum non reaſſumant. §. 16. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 17. Et derogatorias.§. 18.Sanctionémque pœnalem. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Si Aromatarius per interpellationem interrupiſſet præſcriptionem, poterit de nouo inchoari?

RESP. Poſſe cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 718. num. 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hoc priuilegium, quod reſpectu ſaltem reaſſumptionis cauſarum, de qua in §. 16. intereſſe Cameræ Apoſtolicæ reſpicere poteſt, fuitne in eadem Camera præſentatum, & regiſtratum iuxta Bullam Pij IV. de gratiis regiſtrandis?

RESP. Die 11. Auguſti huiuſmet anni admiſſum fuiſſe liquet ex illius libris, videlicet, libro diuerſor. quarto, ex decreto Iulij Vitellij tunc Cameræ Decani fol. 4.

XLVIII.

Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa VIII.& infra pag. 65. Bullarij. Edita Anno 1597.

COMPENDIVM.

Decernit, quòd S. R. E. Cardinales, qui in præſenti Diaconi ſunt, ſi in Diaconatu per decennium à die eorum promotionis perſeuerauerint, tranſeuntes ad ordinem Presbyteratus, locum obtinere poſſint ante omnes illos Cardinales Presbyteros,qui poſt ipſos Diaconos ad Cardinalatum aſſumpti fuerint,dummodo decem ſaltem Cardinales Diaconi in eodem ordine remaneant,in princ. Et etiam decernit, quòd in poſterum Cardinales Diaconi promouendi eodem priuilegio potiantur, ita tamen quòd dictum decennium currere incipiat à die, quo ad ordinem Presbyteratus promoueri potuerint. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Quot erant olim Diaconiæ Cardinalium?

RESP. Ex primaria inſtitutione Romæ, fuerunt ſexdecim, vt inter legum interpretes refert Capyc. deciſ. 120.n. 2. & Manfred. de Cardinalib. cap. 4. in fine, vbi alias octo additas fuiſſe teſtatur. Et ex illis in ſua Conſtitut. 55. Sixtus V. quatuordecim ſelegit. §. 3. ſup. tom. 2.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Si Diaconi Cardinales non intitulantur ab eorum Eccleſiis, prout Presbyteri Cardinales,vt verum eſt,quid dicendum de validitate alicuius reſcripti Apoſtolici, in quo illis poneretur titulus, iſtis verò ſecus?

RESP. Illud minimè verum, ſed potiùs falsò conſcriptum cenſeretur, vti contra ſtylum Curiæ emanatum. Ita cenſuit Hoſtienſ. in cap. coram. 35. de elect. num. 1. & Speculat. de libell. oblat. §. 12. numero 3. vbi id explicat Apoſtill.

XLIX.

Edita Anno 1597. FRumenti penuriam non ram Dei iudicio, & infra pag. 65. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia multi extrahunt frumenta & blada de Statu Eccleſiaſtico contra prohibitionem Gregor. XIII. in eius Bulla 50. de qua ſup. tom. 2. §. 1. Et alij frumenta recondita tenent contra prohibitionem Clementis VII. & Pij V. de quibus ſup. tom. 1. & tom. 2. §. 2. Alij ſal exterum mercantur contra alteram Greg. XIII. prohibitionem in Conſtit. 49. de qua ſup. tom. 2. §. 3. Hic ideo Pontifex illas, & aliam Pij IV. Conſtitut. approbat cum pœnis ibi contentis, præterquàm excommunicationis. §. 4. Pœnáſque addit. §. 5. Baronibus prohibet à vaſſallis frumenta, blada, & legumina, vltra vſum vnius anni pro ſe, & familiis ſuis emere, ſub multis pœnis, & etiam capitis. §. 6. Camerario, & Præfecto Annonæ in contrauenientes iuriſdictionem tribuit. §. 7. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Ligaturne hac lege forenſis habens prædium in Statu Eccleſiaſtico, & inde granum extrahens, & ad eius domum in alieno deferens?

RESP. Negatiuam ſententiam firmat Cyn. in l. 2. Cod. Quæ ſit longa conſuet. num. 11. quam ſimpliciter ſequitur Guido Pap. deciſ. 373. num. 1. & in facti contingentia ſecundùm illam ſic iudicauit Senatus Pedemontanus, vt inquit Theſaur. deciſ. 152. ſub numero 1. & refert Cabal. caſu 14. lib. 1. num. 2. & ſeq. Quod faciliùs locum habet, cùm huiuſmodi prohibitio dirigatur in perſonam. Franc. Marc. deciſ. 238. lib. 2. num. 1. quod probat Apoſt. ad Guid. Pap. vbi ſup. Sed caue, & pete licentiam, ſi caſus tibi contingit, quam pro quantitate tantùm tibi neceſſaria habebis, & non vltra, niſi ex maxima gratia; & ho eſt ſecundùm mentem Theſaur. iam citati.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicendum, ſi quis confitetur extraxiſſe granum cum licentia, de qua non conſtat?

RESP. Non probatur deliquiſſe, ſi extant veriſimiles coniecturæ, quòd abſque licentia non potuiſſet extrahere, ob maximam, quam adhibent diligentiam Officiales deſuper deputati, vt luculenter ſcribit Caball. caſu 244. lib. 2. per tot. vbi DD. authoritates fusè recenſet.

L.

CVm ad ſubleuandum Ordinem S. Baſilij, & infra pag. 66. Bull. *Edita Anno 1597.*

COMPENDIVM.

Erigit tria Seminaria, ſeu Nouitiatus Monachorum Ordinis S. Baſilij; vnum in Monaſterio S. Saluatoris Meſſanenſis in Sicilia; alterum in Regno Neapolitano, & aliud in Monaſterio Cryptæ Ferratæ in Agro Romano, vel in Monaſterio in Vrbe erigendo, & in eis à Nouitiis literis Græcis, & Latinis operam dari iubet, in princip. Annuum ſubſidium dictis Seminariis à Commendatariis Monaſteriorum d. Ordinis in Italia, vbi Seminaria Latina non ſunt, vel à Commendatariis aliqua rata ſubſidij actu nō perſoluitur, præſtari mādat. §. 1. Seminario prædicto S. Saluatoris quædam beneficia ad collationem ipſius Monaſterij S. Saluatoris ſpectantia, perpetuò vnit. §. 2. Et vnita hactenus, atque incorporata comprobat. §. 3. Procuratori eiuſdem Monaſterij poſſeſſionem dd. beneficiorum ex nunc, prout ex tunc, cùm vacauerint, apprehendendi facultatem concedit, & cùm vnioni locus factus fuerit, eorū etiam fructus exigendi, quibuſcumque non obſtantibus. §. 4. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Vnio, de qua in §. 4. comprehendit etiam beneficia vacantia hac eadem die, qua edita eſt hæc Bulla?

RESP. Ita ſanè, ſtante clauſula (*ex nunc, prout ex tunc*,) quæ hoc operatur; & ita à Rota tentum fuiſſe ex Gomez quem allegat, refert Gonzales ſuper Reg. 8. Cancell. §. 5. proœm. ſub num. 57. Et conueniunt alij allegati per

Tira

Tiraquell. de retract. conuent. §. 2. gloſ. 1. num. 86. & in tract. de Conſti. par. 3. limit. 2. num. 16.

Scholion ſecundum.

Quaero. Iſta gratia vnionis expirauit forſitan morte concedentis, quoad beneficia, quae eo viuente non vacarunt?

RESP. Non, quia facta eſt gratia authoritate Apoſtolica, quae per mortem Pontificis non finitur. cap. Si gratioſae. 5. vbi Monach. & alij de reſcript. in 6. Vltra quod gratia dicitur perfecta hoc Pontifice viuente, quamuis eius effectus expectaretur, vt latè habetur in deciſ. Penitentiariae in vna Calaguritana Canonicatus, 1. Iulij 1592. quam habes apud Marcheſ. in tract. de commiſſion. par. 1. §. 2. pag. mihi 445.

L I.

Edita Anno 1597. RAtio Paſtoralis officij noſtri, & infra pag. 67. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerique Pontifices Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, & Sanctae Clarae, ac de Poenitentia, multa indulta conceſſerunt. §. 1. Quorum confirmationem ad Commiſſarij Generalis d. Ordinis petitionem hic Pont. (quatenus Conc. Trid. & decretis Fratrum Reformatorum non aduerſentur) tribuit, ſupplendo omnes defectus. §. 2. & 3. Executores cum amplis facultatibus, & ſignanter inuocandi auxilium brachij ſaecularis, deputat. §. 4. Contrariis derogat. §. 5. Tranſumptiſque credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quaero. Illa clauſula (*ſupplentes omnes defectus*,) ſupplet etiam defectum perſonae d. Commiſſarij impetrantis, vt putà quòd eſſet excommunicatus?

RESP. Supplet, quia non ſolùm Papa ampliſſimis in hac Bulla vtitur verbis, per quae de plenitudine poteſtatis confirmare videtur huiuſmodi Religionis priuilegia, ſed etiam quia in hac comprobatione generali dicitur comprobata alia confirmatio Sixti V. vbi defectus excommunicationis expreſsè reiicitur, ad ea quae ſcribit Rod. de quaeſt. Regular. tom. 1. quaeſt. 2. artic. 15.

Scholion ſecundum.

Quaero. Si Iudex ſaecularis praeſtare recuſaret auxilium (quod brachium ſaeculare appellant) Iudici Eccleſiaſtico vigore ſuae facultatis, de qua in §. 3. poſſet fortaſſe ab eo puniri?

RESP. Arbitraria poena per eum plecti poſſe, ſcribit poſt alios Menoch. de arbitr. Iudic. caſu 452. num. 3. vbi alios congerit; quem ſequitur Lopez in pract. canon. crim. cap. 154. num. 20. ſecundùm impreſſionem Moguntiae pag. mihi 510.

L I I.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 68. *Item*; Sanctiſſimus in Chriſto, & infra pag. ead. Bullarij. Edita Anno 1598.

COMPENDIVM.

Ducatus Ferrariae ob mortem Alphōſi Eſtenſis, qui, vel eius anteceſſores à Sede Apoſtolica inueſtiti fuerunt, ad eamdem Sedem deuolutus eſt. §. 1. Hanc deuolutionem Papa acceptat. §. 2. Illum Camerae Apoſtolicae incorporat, & SS. Petro & Paulo dicat. §. 3. & 5.

Scholion primum.

Quaero. Quis primùm ex familia Eſtēſi beneficium ſupradictae infeudationis acquiſiuit?

RESP. Hoc vnum ſcio, quòd Azo Eſtenſis Marchio, Sedis Apoſtolicae nomine primùm Ciuitati Ferrariae praefectus fuit, eo quod ſtrenuè operam nauauerat in bello pro eius recuperatione commiſſo anno 1240. cùm à d. Sede ad Imperatorem illa Ciuitas defeciſſet, vt ſcribit Ciacon. in vita Greg. IX. Vnde infeudationis beneficium eueniſſe exiſtimo.

Scholion ſecundum.

Quaero. Defuncto Alphonſo, ſtatímne Sedes Apoſtolica huiuſmodi Ducatum recuperauit?

RESP. Caeſar Eſtenſis eum detinere coepit, ſed cenſuris Eccleſiaſticis ab hoc Pont. anno 1597. die 22. Decembris publicatis, vti optimus Princeps Chriſtianus, ſtatim ferè obſecutus eſt, illud abhorrens diabolicum alterius Caeſaris Imperatoris dictum; *Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt.* Quod priùs ab Euripide dictum fuiſſe ſcribit Caualc. de brach. reg. par. 1. n. 60.

L I I I.

Edita Anno 1598. LIcèt poteſtatis plenitudo, & infra pag. 68. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Profecturus Ferrariam, & ad alia loca Status Eccleſiaſtici, Innicum Aualos S. R. E. Cardinalem, in Vrbe, aliiſque Ciuitatibus, & Terris de latere Legatum, pro bono Vrbis, & Romanæ Curiæ regimine ad eius beneplacitum, vel vſque ad Vrbem reditum, conſtituit. §. 1. Authoritatem nedum Vrbem, & loca prædicta, ſed & perſonas, & habitatores etiam Curiales, & ad Romanam Curiam venientes, atque incolas, eiúſque Officiales etiam exemptos gubernandi, corrigendi, ac reformandi, tribuit. §. 2. Cauſas quaſcumque ad forum Eccleſiaſticum, & ſæculare, ſpectantes ac mixtas, per viam appellationis, & recurſus cognoſcendi. §. 3. Sententias tam ſuas, quàm aliorum Officialium exequendi. §. 4. Curiales, & Officiales coërcendi, diſcordias inſuper componendi. §. 5. Bannitóſque rebelles, & delinquentes puniendi, vel gratiandi, quibuſcumque non obſtantibus. §. 6. Beneficia etiam Eccleſiaſtica ſimplicia, quorum redditus valorem ducatorum viginti quatuor non excedant, & quorum collatio diſpoſitioni Apoſtolicæ quoquomodo, non tamen ratione familiaritatis Papæ, aut Cardinalium viuentium generaliter reſeruata, ſeu ex quauis generali reſeruatione affecta ſunt, conferendi. §. 8. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 9. Contrariiſque derogat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Circumſcripta diſpoſitione, de quà in §. 8. poſſétne de iure communi Legatus de latere conferre beneficia vacantia in Curia?

R E S P. Non, & ſic Clemens III. decidit in cap. 2. vbi ſcribb. de præbend. in 6. & gloſ. fin. in cap. 1. de offic. Legat. eod. tit. Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancell. §. 1. gloſ. 13. num. 40.

Scholion ſecundum.

Quæro. Et de beneficiis ſpecialiter Papæ reſeruatis quid dicendum?

R E S P. Idem prorſus, Regulam namque reſeruationis etiam Cardinales aſſicere tenuit Rota deciſ. 29. de præbend. in nouis, n. 2. per tex. in c. 4. de offic. Leg. cum ibi not. & iterum Rota in vna Regienſi Canonicatus coram Pamphilio, die 17. Nouembris 1595. & Gonzal. vbi ſuprà gloſ. 24. num. 44.

L I V.

Edita Anno 1598. CVm ob nonnullas graues & vrgentes cauſas, & infra pag. 70. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ferrariam profecturus, quò plerique S. R. E. Cardinales, & Romanæ Curiæ Officiales ipſum Pontificem ſequentur, & alij in Vrbe remanebunt, & etiam Cancellaria Apoſtolica, ac Audientia literarum Apoſtolicarum: vnde ne oriatur dubium, an illi, vel iſti Curiales cenſeantur, vtroſque illis priuilegiis gaudere decernit, quibus Cardinales, Officiales, & Curiales, dum Papa Romæ reſidere ſolet, potiuntur & gaudent. §. 1. Vnámque Curiam omnes cenſeri declarat, etiam quoad beneficia, quæ tam in Vrbe, & locis, ad quæ ipſe Pont. accedet, vel in quibus eundo, & redeundo moram trahet, quàm per obitum illorum, qui eum, vel ſuam Curiam ſequentur, ſeu ad ipſum, eiúſque Curiam pro eorum negotiis accedent, & in itinere eundo, & redeundo, quomodolibet vacabunt, & de illis neminem, præter ipſum Pontificem diſponere poſſe decernit. §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quod dubium eſſe poterat circumſcripta hac Pontificia declaratione, de qua in §. 1. & 2.

R E S P. Aliqui tenent Curiam Romanam ibi eſſe, vbi eſt Papa, quamuis in aliquo ruſticano tugurio eſſet recluſus: alij verò, vbi eſt Audientia tantùm, vt recenſet Mandoſ. ſuper Regul. Cancell. in 6. regul. reſeruat. quæſt. 2. per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pontifice ſic abſente, Epiſcopi limina Apoſtolorum viſitantes, ad Vrbem, vbi ſacra Apoſtolorum corpora ſepulta ſunt, vel ad locum, vbi commoratur Papa, qui authoritate ſua

fungitur ipſorum Apoſtolorum,accedere debent?

R E S P. Vltimum verius eſt,quia Epiſcopi veniunt rationem de eorum Paſtorali officio reddituri, vt expreſſiùs habetur infrà in huius Pont. Conſt. 74. Cong. 8. in huius Bullæ rubrica à Genitore meo indicata. Quod alia tamen ratione tenet etiam Panorm. in cap.4.de iureiuran. num. 6. Felyn. num. 9. ac Speculat. in tit. de Legat. §. 6. in fine. Puto tamen quòd Romam venire ſufficeret, ſi Congregatio Cardinalium ſuper interpretatione Concilij Tridentini, ibi remaneret, quoniam eidem Congregationi prædicta ratio hodie reddenda eſt, vt in præcit. Conſt. 74. cauetur.

L V.

Edita Anno 1599.

MAnus Domini, manus Patris,& infra pag.71. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat luctuoſam Tyberis inundationem in Vrbe proximis diebus ſecutam. §. 1. Propter gentium peccata eueniſſe ſubdit. §. 2. Hortatur itaque omnes pro auerſione à vita mala, & reuerſione ad Dominum. §. 3. Auxiliíque imploratione à B. M A R I A Virgine, Principibuſque Apoſtolorum. §. 4. & 5. Solemnes ideo ſupplicationes, & proceſſiones indicit ad Eccleſias S. M A R I Æ Maioris, & S.Petri. §. 6. Hortatur morantes in Vrbe ad eas, alios autem extra manentes ad alias Eccleſias viſitandas, nonnulláque pia opera implenda. §. 7. Quibus propterea indulgentias elargitur. §. 8. & 10. Hanc Bullam in Vrbe, & diſtrictu publicari mandat. §. 9. Contraria remouet. §. 11. Fidem tranſumptis huius Bullæ præſtari iubet. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Fuerúntne aliis temporibus ob eiuſmodi inundationem ſupplicationes indictæ?

R E S P. Temporibus Gregorij Papæ II. qui ad Sedem Pontificiam anno Domini 716. aſcendit, eiúſque præcedente edicto ad malas has tempeſtates auertendas, ſæpe Romæ ſupplicatum Deo fuit, ſecundùm Cuſpinianum ex Paulo Diacono lib. 6. cap. 12. de geſtis Longobardorum. Et iterum temporibus Gregorij X I. anno 1371. adeò Tyberis excreuerant aquæ, vt multa circumiacentia ædificia ſupergrederentur. Vnde Romani Vrbis excidium timentes, B. Catherinam filiam S. Brigitæ domo eduxerunt, & obuiam aquarum inundationibus obiecerunt; qua profluuiũ pedibus tangente, ſtatim abiit retrorſum, & rediit ad alueolum ſuum, ſtupentibus vniuerſis, vt legitur in vita ipſius Beatæ Catherinæ cap. 16.

Scholion ſecundum.

Quæro. Frequens fortaſſe fuit olim etiam Romæ eiuſmodi inundatio?

R E S P. Fuit quidem, vt multi teſtantur Hiſtor. de quibus meminit Menoch. de recuper. poſſeſſ. remed. 12. num. 28. & latiùs Gratian. qui etiam proximè dicta recenſet lib. 1. diſceptat. forenſ. cap. 195. num. 22. & ſeqq.

L V I.

Edita Anno 1599.

REgis pacifici, qui regnat in Cœlis,& infra pag.72. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregatio S.R.E. Cardinalium ſuper Conſultationibus Cardinalium inſtituta cenſuit, præcedentiam in Proceſſionibus, aliiſque publicis actibus deberi Monachis Congregationis B. M A R I Æ Fullienſis Ordinis S. Benedicti, quoad Fratres Ordinum Mendicantium. §. 1. & ſeq. Hoc idem hic Pontifex decernit. §. 3. Et vbique id ſeruari præcipit. §. 4. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 5. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 6. Executores eiuſdem deputat. §. 7. Contrariatiáque omnia remouet. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Præcedentia ergo inter Regulares licita?

R E S P. Ita quidem,& authoritate,& rationibus plenè probat Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 37. art. 1. & 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſtpoſita Summi Pontificis declaratione, nónne conſuetudo loci plurimùm eſſet attendenda?

RESP. In materia præcedentiæ, primas partes obtinet conſuetudo, à qua nõ eſt recedendum. Rota in deciſ. Seraphini 716. num. 17. vbi alias indicat deciſiones. Sed ad tollendum iurgia recurritur ad Papam, cuius declarationi nemini licet contradicere, prout ad propoſitum multa deducit Collegium Bonienſe in conſ. 1. poſt conſilia Card. Zabar. n. 16. & ſeqq.

LVII.

Edita Anno 1599.

EXponi nobis nuper fecit, & infra pag. 74 Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, quòd Archiepiſcopi, & Epiſcopi Fratribus Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo liberaliter exhiberi faciant oleum ſanctum, quod pro miniſtranda eiuſdem Ordinis infirmis extrema Vnctione petunt. §. 1. Et etiam à Suffraganeis ſuis tradi curent, quibuſcũque non obſtantibus. ibid. Huiúſque Bullæ exemplis credi iubet. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Hoc extremæ Vnctionis Sacramentum quibus ægrotantibus præberi debet?

RESP. His, qui cùm ad vſum rationis peruenerint, tam grauiter laborant, vt mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate, vt habetur in Rituali Romano mox Romæ cuſo, in tit. de Sacram. extrem. Vnct. pag. mihi 72. vbi etiam diſponitur, quid cum phreneticis, dementibus, impœnitentibus, nondum baptizatis, vltimo ſupplicio afficiendis, vel prælium, aut alia pericula ſubituris, agendum ſit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis delirare incipiat, poſtquam dum ſana erat mente hoc Sacramentum petiit, vel ſimiliter petiiſſet dando ſigna contritionis?

RESP. Erit ei adhibendum, imò poteſt ligari, & violenter eidem dari, quando propter phreneſim ſe inungi nõ permitteret, vt ſcribit Graff. in ſuis deciſ. par. 1. lib. 1. cap. 26. numer. 28. vbi ad hoc citat Archiepiſcop. Florent. in Summula de infirm. 3. part. interrog. cap. 17.

LVIII.

ANnus Domini placabilis, annus remiſſionis, & infra pag. 74. *Item*; Cùm Sancti, & infra pag. 76. Bullarij. *Edita Anno 1599.*

COMPENDIVM.

Enarrat annum centeſimum Iubilei antiquiſſimo Eccleſiæ ritu frequentatum, in princ. Quam inſtitutionem Bonifac. VIII. in ſua Conſtit. 7. ſup. tom. 1. comprobauit, & alij Pontt. d. tempus annorum centum ob vitæ humanæ breuitatem immutarunt. §. 1. Hic Pont. anni ſancti celebrationem collaudat, illudque pro anno 1600. indicit, à primis Veſperis Vigiliæ Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI inchoandum, & omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui, ſi peregrini ſint, vel externi, Baſilicas BB. Petri & Pauli, & Eccleſias S. Ioannis in Laterano, & S. MARIÆ Maioris per quindecim dies; ſi verò Romani, vel incolæ Vrbis, per triginta deuotè viſitauerint, & pro Chriſtiani populi ſalute Deo preces effuderint, pleniſſimam peccatorum veniam impartitur. §. 2. Impeditóſque in itinere morbo, vel alio legitimo impedimento detentos, eiuſdem Indulgentiæ participes facit. §. 3. Prælatis præcipit, vt omnes moneant ad eiuſmodi Indulgentiam conſequendam. §. 4. Principes hortatur ad ſubueniendum Peregrinis. §. 5. Et hoc anno durante cæteras omnes indulgentias, & abſoluendi facultates ſuſpendit, in ſubſeq. Conſtitut. §. 1. Contrariis derogat. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Lucriſaciúntne hanc Indulgẽtiam qui per aliquot dies in ſtatu peccati mortalis adhuc exiſtentes, peregrinantur, viſitationem tamen Eccleſiarum in bono ſtatu implent?

RESP. Opinio affirmatiua verior videtur, quam tenet gloſ. in extrauag. 1. Bonif. VIII. hic citati de pœnit. & remiſſ. Syluest. in ſua Summa in §. Indulgentia, numer. 32. Nauarr. in comment. de Iubil. & Indulgent. notab. 18. ſub num. 17. & poſtremò Eman. Rod. tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 98. art. 5. Vbi ipſe,

ipſe,& iure quidem,vt opinor,tenet, ſatis eſſe vltimam partem operis,ſeu vltimum opus à Papa requiſitum, in bono ſtatu adimplere.

Scholion ſecundum.

Quæro. Hæc Indulgentia potéſtne pro mortuis quæri?.

R E S P. Non,quia non eſt ſpecificè à Papa expreſſum,ſecundùm B. Thomam, vltra alios in 4.diſt. 45. quæſt.2.art.3. & Nauar.in ſuis comment. de Iubil. & Indulg.not.22. in princ.

L I X.

Edita Anno 1599. IN ſupremo Iuſtitiæ throno, & infra pag.77.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

In Ciuitate Ferrariæ Status Eccleſiaſtici erigit Tribunal Rotæ quinque Iudicum,ſiue Auditorum,ſingulo quinquénio à Conſilio d.Ciuitatis eligendorum, ad audiédas,decidendáſque omnes cauſas ciuiles,criminales, & mixtas Ducatus Ferrariæ. §. 1. Qui Auditores ſint vtriuſque Iuris doctores,& ex locis Status Eccleſiaſtici, non tamen d. Ducatus oriundi, doctrinaque & experientia præclari. §.2.Obſeruantiámque ordinàtionum Rotæ,ac d.Ducatus ſtatutorum, rectámque Iuſtitiæ adminiſtrationem iureiurando promittant, & ſyndicatui ſtare debeant,& de dolo, fraude & barattaria tantùm iuxta Italiæ ſtylum teneantur.§.3.Eos certo modo confirmari, vel elapſo quinquennio iterum eligi declarat.§.4. Vnum autem ex Auditoribus à Conſilio ſeligendum,ad alios duos annos continuare iubet. §. 5. & 6.Prætoris officium,electionem,eiuſque,& Auditorum ſtipendium præſcribit. §. 7. & ſeq. ac §. 14. & 15. Habitationem,& Auditorium eis dari mandat. §. 9. Curſores vt ſunt eligendi, & ad quid. §. 10. Sportulæ Auditoribus, emolumentáque, & munera vt permittuntur. §. 11. Conſilia in certis cauſis vt dare valeant. §.12.Abſentia quando eis permittitur. §. 13.Sententiæ vt proferendæ. §. 16. Appellationum cauſæ vt tractandæ.§.17.Cauſæ coram Prætore cœptæ, à quo,illius finito officio,terminandæ. §.18.Rota quas cauſas cognoſcat.§.19.Rotæ faculcas in procedendo quæ ſit. §. 20.Tutoribúſque & Curatoribus dandis. §. 21.Reſtitutiones aduerſus peremptas inſtantias quando concedendæ.§.22.Appellatio à Rota non datur, ſed reuiſio in Rota. §. 23. Cauſæ Ducatus Ferrariæ extra non trahantur. §. 24. Prætor,& Auditores ſunt Iudices ordinarij. §. 25. Sportularum, & emolumentorũ diuiſio vt fiat. §.26. Proponens cauſam, quando in ea votet. §. 27. Rota quando tenenda. §. 28. Propoſitio cauſæ quomodo fiat. §. 29. Citationum termini quando tenendi, & declarandi. §. 30. Summarium teſtium vt firmandum. §.31.Citationes quæ in actis redigendæ. §. 32. Præcedentia Prætoris, & Auditorum præfinitur. §. 33. Priuilegia Rotæ Bononiæ, & Conſilij Iuſtitiæ olim Ferrariæ conceduntur. §. 34.

Scholion primum.

Quæro. In ſyndicatu, de quo in §. 3. ſtabunt Auditores de omnibus delictis durante officio patratis, etiam ad ipſum officium non pertinentibus?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam de generali conſuetudine ſeruari teſtatur Clar. quæſt. 35. numer. 22. Sed aliter dicendum videtur ex Bulla Clem. V I I. numer. 25.§.2. de qua ſup. tom.1. par.1. dum voluit, Officiales omnes de geſtis, & commiſſis in officiis reſpondere debere.

Scholion ſecundum.

Quæro. Abſoluto ſyndicatu poterunt ab abſentibus,& legitimè impeditis moleſtari, vel etiam ab aliis ex nouiter deductis?

R E S P.Non ex nouiter deductis,ſed ſolùm à legitimo impedimento detentis.Alex.ad Barr.in l.2.ff.Ad leg.Iul.repetundar.Put. de ſyndic.in §. Officialis finito officio,num.1.Boſſ. de Officiali corrupto,num.32.& ſeq.

L X.

NVllus omnino prætextu cuiuſcumque priuilegij,& infra pag. 80. *Item*; Ex iis quæ,& infra pag 82. Bullarij. *Edita Anno 1594. & 1599.*

C O M P E N D I V M.

Reformationem edit Fratrum Seruorum B. M A R I Æ Virginis circa ſeruitium Chori, in princ, Et de lectione ſacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ in Conuentibus. §. 1. & §. 50. Pau-

perta

Cæteráque pietatis, & Epiſcopalis muneris opera impleant. §. 13. Et ipſe Archiepiſcopus harum literarum ad ſuæ Prouinciæ Epiſcopos tranſmiſſionem curet. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Simoniæ crimen, de cuius exterminatione agitur in §. 5. probatúrne ex donatione facta reſignanti à reſignatario poſt reſignationem?

RESP. Non, quia potuit fieri ex grati animi affectu, & ita præſumitur ad euitandum delictum, & pœnam priuationis beneficij, niſi contrarium probetur. Rota in deciſ. Putei 171.lib. 2.n.9. in antea impreſſis,& in dec. Caputaque. 239.lib. 3. in fin.& in altera deciſ. Pegnæ in vna Calaguritana confidentiæ,die 14. Nouembris 1592.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi reſignatarius dixerit reſignanti,non ero tibi ingratus?

RESP. Hæc verba generalia non important ſimoniam, quia in dubio ſunt intelligenda de actu gratitudinis licito, vt per Sot. de Iuſt. & iur. libro 8. quæſtione 8. artic. 5. concluſ. 3. quem ſecuta eſt Rota in deciſ. Seraphini 1029. num. 9. vbi inquit idem tentum fuiſſe in vna Britorienſi penſionis coram Gypſio.

LXII.

Edita Anno 1599. AD militantis Eccleſiæ regimen, & infra pag. 87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam Fratres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, primitiuam Regulam ab Innocen. II. in ſua Conſtit. 1. de qua ſup. tom. 1. inſtitutam in ſuo rigore obſeruare cœperunt in Regnis Hiſpaniarum. §. 1. Eorum inſtitutum hic Pont. approbat, ipſorúmque Reformatorum Congregationem ab vno Priore per eos eligendo regendam erigit. §. 2. Et à ſuperioritate omnium Officialium Ordinis, præterquàm Magiſtri generalis, qui eos poſſit corrigere, eximit.§.3. & ſeqq.Hos Reformatos ad Carthuſianos tantùm tranſire, & alios huius Ordinis Fratres è laxioribus Conuentibus ad eoſdem venire indulget. §. 5. Ad firmandam hanc Reformatorum Congregationem, Nuncio ſuo Viſitatorem eligendi facultatem tribuit. §. 6. Eidémque Nuncio ſtatutorum ſtabilimentum committit. §. 7. Miniſtrorum quoque, Vicariorum, & Magiſtrorum, Nouitiorum electionem. §. 8. Nouitiorúmque receptionem. §. 9. Nuncio, vt præſideat Capitulo celebrando,præcipit. 10. Miniſtris huius Congregationis auctoritatem illam regendi tribuit, & Capitula prouincialia, vbi alij Miniſtri Prouinciales eligendi erunt, cogi decernit.§. 11. Necnon Procurator generalis apud Sedem Apoſtolicam.§.12.Huic Congregationi priuilegia Ordinis communicat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Si omnes Ordines Regulares ſuorum Ordinum Regulas obſeruare tenentur, vt eſt certiſſimum, cur hæc Congregatio pro rigoroſa Regulæ huius Ordinis obſeruantia promota eſt?

RESP. Quia Regula ab Innocen.III. primitus data, in multis fuit poſtea mitigata à Clemen. IV. in ſua Conſtit. 10. de qua ſup. tom. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de huiuſmodi ab hoſtibus redemptione captiuorum ſenſerunt humanarum literarum profeſſores?

RESP. Cicero pium & Reipublicæ vtile opus appellauit, & Suetonius Iuſtitiæ munus eſſe aſſeuerauit, vt refert Tiraquell.'de leg. connubial. par. vltim. gloſ. 8. num. 297.

LXIII.

DEcet Romanum Pontificem,& infra pag. 89. Bullarij. *Edita Anno 1599.*

COMPENDIVM.

Propagationi Fratrum Congregationis Reformatorũ Diſcalceatorum S. Auguſtini nuper in Vrbe receptæ, conſulere volens, receptiones quaſcumque Nouitiorum in ea hucuſque factas validat, & Fratres receptos verè profeſſos declarat. §. 1. Nouitiis etiam profeſſionem regularem emittere liberè concedit. §. 2. Alióſque ſeruata forma Conſtitutionis 71.Sixti V. de qua ſup. tom.2. & decretorum huius Pontificis, de cætero recipiendi, & expleto Nouitiatus anno ad profeſſionem regularem admit

admittendi, facultatem Vicario, & Fratribus elargitur. §. 3. Et obſtantia quæcumque remouet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Cur non ſimpliciter Fratres Reformati S. Auguſtini dicuntur, ſed etiam Diſcalceati?

R e s p. Ad differentiam Fratrum de Obſeruantia, quorum Congregatio dudum inſtituta fuit, vt ſuprà in Eugen. IV. Conſt. 25. tom. 1. Illi namque, & Obſeruantes, & Reformati nuncupabantur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ ſunt huius Pontificis decreta, de quibus in §. 3.

R e s p. Genitor meus illa congruè poſuit hic infra ſub Conſt. 83. quia etiam ſi eorum aliqua iam de anno 1596. eſſent edita, eorum tamen ampliationes, & declarationes non ſemel poſtea ſubſecutæ fuerunt, vt ex earum lectura liquet.

L X I V.

Edita Anno 1599. ROmani Pontificis, & infra pag. 89. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sedes Apoſtolica in Bulla Cruciatæ Sanctæ, aliiſque priuilegiis dat quandoque facultatem eligendi Confeſſorem ab Ordinario approbatum, qui abſoluere poſſit à caſibus Ordinario reſeruatis, & à quibuſdam, qui Apoſtolicæ Sedi reſeruati ſunt. Ideo Religioſi Ordinis Fratrum B. M A R I Æ de Monte Carmelo iis facultatibus vti præſumunt, eligendo Confeſſorem aliquando præter eos ab eorum Prælatis deputatos. §. 1. Hic propterea Pont. declarat, hæc priuilegia nulli cuiuſuis Ordinis, & inſtituti in dicto articulo prodeſſe, ſed quantùm ad Sacramenti pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, ſuorum Prælatorum diſpoſitioni eos ſubiectos eſſe. §. 2. Prælatis tamen præcipit, vt in vſu huiuſmodi poteſtatis ſe cum ſubditis benignos & faciles exhibeant. ibid. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ad quid illa Pontificis monitio, de qua in fine §. 2.

R e s p. Ad euitandum pericula, quæ ex Prælatorum rigore oriri poſſent, nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem, vt habetur Prouerb. 30. *Et cùm Deus claues Regni Cælorum poſuerit in terra, imò & in manu hominis peccatoris, vt qui ſibi infirmus fuerat, fieret omnium firmamentum, non eſt cur Prælati inferiores ſe in hac re difficiles exhibeant.* Ita ex auctoritate D. Ambroſij ſcribit ad Bullam Cruciatæ Sebaſtian. à Coſta quæſt. 107. pag. mihi 186. de qua multa ſcripſit Capuccin. & Cordub. in Compend. priuilegiorum Ordinum Mendican. in §. Cruciata.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Conſtitutio iſta comprehendit Nouitios?

R e s p. Non, quia loquitur de Fratribus, quorum appellatione veniunt profeſſi, & Religioſi, non autem Nouitij, qui ſunt in via ad profeſſionem, & Religionem. Ita reſpondet Sebaſt. à Coſta vbi ſuprà pag. 187.

L X V.

IN conferendis muneribus, & infra pag. 90. *Item*; Cùm in literis, & infra pag. 93. Bullarij. *Edita Anno 1599.*

C O M P E N D I V M.

Officium Camerariatus ſui, & S.R.E. vacauit per obitum Cardinalis Caietani. §. 1. Illud confert in perſonam Cardinalis Aldobrandini. §. 2. Cui condonat pretium dicti Officij. §. 3. Concedit omnes facultates, & iuriſdictiones. §. 4. Diſpenſat vt poſſit Camerariatum cum Præfectura Breuium retinere. §. 5. Enarrat eius facultates. §. 6. Aſſignat emolumẽta. §. 7. Innouat omnes facultates præter hic expreſſas. §. 8. Obedientiã ab omnibus Officialibus Camerario præſtari iubet. §. 9. Eximit Officium à quacumque ſubuentione. §. 11. Reformat eius facultates quoad multa. §. 14. & ſeqq. Signaturam Iuſtitiæ in cauſis Cameralibus reſcribere non debere declarat. §. 38. & ſeqq. Cameram, & non Signaturam cognoſcere poſſe, an cauſa ſit Cameralis, decernit. §. 41. Formam præſcribit venditioni pignorum Hebræorum, in §. 2. ſubſequentis Conſtit. Contrariis derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Cui ex Iuris ciuilis Officialibus iſte Camerarius comparatur?

RESP. Procuratori Cæſaris aſſimilari inquit Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. num. 3. in addit. Et idem dicit de Camerario Regni Neapolis Bolognet. in rubr. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſdict. numero 17. & Capyc. deciſ. 197. numero 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pluries audiui à Genitore tuo, quòd Camerarius eſt executor priuilegij ab iſto Pōtifice Vniuerſitati Hebræorum Vrbis elargiti circa penſiones domorum eis locatarum; vnde eſt ergo quod hic non habetur?

RESP. Antiquum erat hoc Hebræorum priuilegium; quod tamen pinguius reddidit iſte Clemens in eius diplomate die 5. Iunij 1604. ſubſignato, & incuria Impreſſorum tunc prætermiſſo. Cuius in hac parte tenor hic eſt.

Necnon vobis, & particularibus veſtræ Vniuerſitatis Hebræorum perſonis, vt in domibus, quas inhabitatis, & quilibet veſtrûm inhabitat, penſiones, quas nunc ratione dictarum domorum reſpectiuè perſoluitis, quilibet veſtrûm perſoluendo remanere, nec exinde quouis prætextu ab earumdem domorum dominis, ſeu patronis Chriſtianis eiici poſſitis, nec etiam penſiones prædictæ augeri poſſint, niſi in euentum, in quem prædicti domini, ſeu patroni domorum in ipſis domibus aliquod notabile, & euidens augmentum, & melioramentum non neceſſarium, propriis ipſorum dominorum, ſeu patronorū ſumptibus pro tempore fecerint, quo caſu pro rata expenſarum, in augmentis, & melioramentis huiuſmodi per dd. domorum dominos, ſeu patronos faciendarum, penſiones prædictas ad eam rationem pro centenario, & anno, quæ declarabitur, augeri poſſe ſtatuimus: prout nec etiam Chriſtiani, ſiue proprietarij, ſiue vſufructuarij, ſiue inquilini domorum contiguarum clauſuræ Hebræorum, de cætero poſſint eorum domos ampliare, illas incorporando, aut vniendo cum domibus ipſorum Hebræorum in dicta clauſura exiſten. Vobis verò, & cuilibet veſtrûm in eiſdem domibus, quas inhabitatis, & in futurum inhabitabitis, quæcumque melioramenta pro vſu veſtro, & commoditate, dummodo facies domorum non mutetur, nec illis deterioramentum aliquod inferatur, ac requiſitis priùs illarum dominis, ſeu patronis, an illa eorum ſumptibus facere velint, illiſque recuſantibus, Iudicum licentia priùs obtenta, intereſſe habētibus legitimè citatis, veſtris ſumptibus facere licitum ſit, nec vos deſuper impediri, aut eo caſu penſiones earumdem domorum vobis augeri poſſint, ſed nec expenſæ per vos vt ſuprà faciendæ, aliquo vnquam tempore à dominis domorū illis inuitis per vos repeti poſſint; ſi tamē domini huiuſmodi expenſas, & melioramenta earum propriis ſumptibus facere, aut à vobis pro tempore facta perſoluere voluerint, tunc ſimiliter pro rata expenſarum in huiuſmodi melioramentis faciendis penſiones prædictas ad eam rationē pro centenario, & anno, quæ declarabitur, augeri poſſe ſtatuimus, & non aliàs auctoritate & tenore prædictis perpetuò ſimiliter concedimus & indulgemus, ſicque, & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca dilecto filio noſtro Petro S. Nicolai in Carcere Diacono, Cardinali Aldobrandino S. R. E. Camerario, noſtro ſecundùm carnem ex fratre germano Nepoti, & pro tempore exiſtenti S. R. E. Camerario, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus in ſpectantibus ad Officium Camerariatus per ſe, vel alium, ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſten. faciat auctoritate noſtra vos, & quemlibet veſtrûm eorumdem præmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes vos deſuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari.

L X V I.

DEbitum Paſtoralis officij. & infra pag. 93. Bullarij. *Edita Anno 1600.*

COMPENDIVM.

Domus pro pia educatione pauperum puellarum diſperſarum in Vrbe inſtituta fuit. §. 1. Et pro earum multis Deo ſub ſuaui Religionis iugo famulari volētibus hic Pontifex erigit in Eccleſia Sancti Vrbani, Monaſterium ſub Regula S. Claræ. §. 2. & ſeqq. Annuos redditus pro earum ſuſtentatione

-aſſignat.§. 7. Eleemoſynarum receptionem permittit. §. 8. Exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum, & aliorum tribuit.§.9. Et à ſolutione decimarum,& aliorum onerum.§.10. Viſitationi,& correctioni Vicarij Vrbis,& Protectoris, ac gubernio Adminiſtratorum ſubiicit.§.11. Protectorem d. Vicarium, & Cardinalem Baronium eligit,cum facultate earum cauſas decidendi. §. 12. & §.21. Adminiſtratoréſque deputandi.§.13. Capellanos approbandi. §. 14. Statuta edendi. §.15. Moniales duas, vel tres aliunde aſſumendi,pro dirigendo d. Monaſterio.§. 16. Abbatiſſæ, & Prioriſſæ officia diſtribuendi. §. 17. Adminiſtratoribus Monaſterium ingrediendi in caſibus neceſſariis licentiam concedendi.§.18. Illúdque viſitandi, & reformandi. §. 19.Cum Monialibus circa ieiunium, & eſum carnium diſpenſandi. §. 20. Priuilegia quoque Ordinis S. Claræ communicat. §. 22.

Scholion primum.

Quæro. Quis hoc pium opus primus in Vrbe, quóue tempore inſtituit?

RESP. In Petri Solio ſedente Gregorio XIII. Ioannes Lionardus Goroſus à Ciuitate S. Seuerinæ Regni Neapolis promouit, & anno 1595. duobus piis Sacerdotibus ad id per Cardinalem Ruſticuccium Papæ Vicarium, & à S.Congregatione Reformationis deputatis demandatum fuit,teſte Camillo Phanuc, qui in ſuo, quod de piis operibus Vrbis edidit,opuſculo pleniùs enarrat l. 2.c.31.

Scholion ſecundum.

Quæro. Diſperſæ amplius per Vrbem diſcurrunt?

RESP. Non, ſed in amplo ad hoc extructo ſub denominatione S. Euphemiæ Monaſterio religiosè educantur, bonis artibus inſtruuntur, orationi, diſciplinæ, aliiſque ſanctis operibus intendunt, donec vel honeſto collocentur matrimonio, vel Deo dicatæ Regulam S. Claræ profiteantur, vt apud nos ſciunt omnes, & recenſet Camil. Phanuc. vbi ſuprà.

LXVII.

Edita Anno 1600. HIs,quæ ad Regularium,& infra pag. 97. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cardinalis Matthæius Protector Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, ſtatuit,in partibus, & Prouinciis Indiarum Occidentalium non admitti ad adminiſtrationes, aut aliud dignitatis officium alios d. Ordinis Religioſos, quàm eos, qui illius Prouinciæ alumni ſunt, aut illis per Superiores expreſsè incorporati.§. 1. Id Papa ad eiuſdem Ordinis petitionem confirmat, & iteratò ſtatuit. §. 3. Contrariiſque derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Ante eiuſmodi Conſtitutionem potuiſſétne de iure eligi Prouincialis Frater alterius Prouinciæ?

RESP. Non, niſi totum eligentium Capitulum, nemine prorſus diſcrepante, id effeciſſet. Ita tradit Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 52. art. 6. vbi ad hoc citat Panorm. in c. Cùm Vintonienſis. 25. de elect. num. 3. verſ. Sed vbi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Prouincialis quam eo iure in ſuæ Prouinciæ Fratres iuriſdictionem habet?

RESP. Quaſi Epiſcopalem,iux.gloſ. communiter approbatam in clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien. quam ſequitur Zabar. conſ.89.num.2.Nauar.conſ.23.lib. 5. de priuileg.per totum,iuxta impreſſionem de anno 1610. Quinimò quoad priuilegia maiorem authoritatem habet ſecundum Rod. de quæſt. Regular. tom.3. quæſt. 44. artic. 2.

LXVIII.

EX Paſtoralis noſtri muneris debito, & infra pag. 97. Bullarij. *Edita Anno 1600.*

COMPENDIVM.

Capitulum Generale Ordinis Fratrum B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, pro bono eius regimine, & Officialium electione nonnulla ſtatuit. §. 1. Quæ Pontifex iſte declarat, & approbat, & nonnulla addit.§. 20. Feſtiuitatem S. Laurentij Martyris, quo die hic Ordo fundatus fuit, & S. Antonij Abbatis, quo à Greg. IX. confirmatus extitit, in toto Ordine ſolemniter celebrari mandat. §. 21. Annis ſingulis pro animabus fidelium Chriſtia

Chriſtianorum,qui in infideliũ captiuitate obierunt, anniuerſarium in fine hebdomadæ mortuorum fieri præcipit. §.22. Magiſtrum generalem abſque licentia Sedis Apoſtolicæ Commiſſarium Indiarum generalem eligere vetat. §. 23. Generalem, & Prouinciales non niſi Religioſum ex peritioribus expertum, & doctum ad viſitandum Conuentus mittere decernit. §. 24. Libri decedentis quando ex domo, in qua deceſſit, extrahi poſſint, declarat. §.25. Obſeruantiam prædictorum præcipit. §. 26. Executores deputat.§.27. Obſtantia tollit.§.28.

Scholion primum.

Quæro. Anniuerſarium hic iniunctum Ordini in §. 22. perpetuò cenſetur iniunctum?

R E S P. Affirmatiua ſententia verior eſt,tũ ex ſubiecta materia, quæ eſt animabus defunctorum fauorabilis,tum ex veriſimili mente Papæ, quæ præſumitur non minus reſpexiſſe animas eorum, qui in futurum obierint,quàm qui obierunt, Catholicam fidem in captiuitate retinentes. Et hanc mihi ſententiam probat tex.& ibi notant gloſ.& ſcribb.in l. annua.20.§.1.ff.de annuis leg.

Scholion ſecundum.

Quæro. Verúmne eſt, quòd hic Ordo Fratrum de Mercede priuilegio Regis Hiſpaniarum gaudet,quòd bona deperdita,& quorum ignoratur dominus, pro tam pio redemptionis opere exigendi facultatem habeat, etiamſi ad Regiam Cameram pertineant?

R E S P. Id pro vero ſcribit Alphonſ. Peres de Lara in ſuo Tract. de Aniuerſar. lib.1. cap.22. ſub num.11.

L X I X.

Edita Anno 1600.

CVm nouiſſimè Pontificale, & infra pag. 99.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Hic Pontifex in Conſt.38. de qua ſup. Pontificale reformauit, in proœm. Cæremoniale poſtea Epiſcoporũ reformari curauit. §. 1. Illud obſeruari præcipit. §. 2. Immutari vetat.§.3. Nec aliter debitis cæremoniis ſatisfieri decernit. §.4. Antiqua Cæremonialia huic non contraria permittit.§.5.

Scholion primum.

Quæro. Eiuſmodi Cæremoniali fides de iure danda erat?

R E S P. Danda, quia ad ſuam intentionem probandam Clemens V.illud allegauit in clem. 2. de iureiuran. §. Hos itaque,& poſt Hoſtienſ. & Panormit. in cap.5.de ſeru.ordin.in ſpecie ſcribit Caſtald.in ſuo Tract.de Imperat.cap.24 ſub num.3.& Rota in deciſ.5. Mohed.de fide inſtr.in ſuis impreſſis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cæremoniarum vtilitas quæ?

R E S P. Illis inſtruimur, monemur, erudimur, & ad ſublimiora prouocamur, illiſque præparamur, & proficimus in gratia, & charitate; nos illæ conuertunt à viſibilibus ad inuiſibilia, fidem augent,ſpem confirmant, in diuinorum amorem transferunt. Hæc ſcribit Simanc.de Catholic. inſtit. in tit.de cæremon. ſub num.6.

L X X.

ORdinis veſtri conſeruationi, & infra pag. 99. *Item*; Ambitioſam honorum,& infra pag.100.Bullarij. *Edita Anno* 1600.

C O M P E N D I V M.

Inſtituit ad propagationem Congregationis Fratrum Eremitarum S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis, duos Nouitiatus; vnum in Conuentu S. Sebaſtiani Venetiarum, vbi vltra alios Fratres, duodecim Nouitios:& alterum in Conuentu S. Mariæ Gratiarum Neapolis, vbi vltra alios Fratres, ſexdecim Nouitios manere voluit. §. 1. Nouitióſque ad habitum Religionis, diſtinctum tamen à profeſſis, & lapſo probationis anno ad profeſſionem iuxta formam ſuæ Conſtitutionis recipi poſſe indulget. d. §. 2. Fauores pro conſequendis Prælaturis, & muneribus Congregationis, vel aliis gratiis impetrandis, exquiri,magnis propoſitis pœnis interdicit.§.3.ſubſeq.Conſtit.adiectæ §.2.& ſeqq. Contrariiſque omnibus derogat. §.4.

Scholion primum.

Quæro. Cur non in omnibus Conuertibus

tibus Nouitij retinendi ſunt?

R e s p. Quia expedit, vt nutriantur in illis Conuentibus, in quibus magis regulariter viuitur, alioquin ſeniorum ſcabie corrumpuntur, & corrupta conſuetudine ſemel imbuti, aduerſus regularem obſeruantiam acerrimi ſemper erunt propugnatores, vt aduertit Caietan.in 2. 2. quæſt. 189. art.5. & Hugo ſuper Reg. Fratr. Minor. cap.6. iuxta finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur non vti habitu ſæculari permittitur Nouitio, durante anno probationis?

R e s p. Vt austeritatem veſtium Ordinis, quem profiteri volunt, experiri poſſint. Gloſſ. vltima, & alij communiter in cap. Super eo. 9. de Regular. Rod. de quæſt. Regular. tom.3. quæſt.15. art.9.

L X X I.

Edita Anno 1600. IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, & infra pag. 101. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, ſe ad propagationem Ordinis Fratrum Diſcalceatorum B. Mariæ de Monte Carmelo, vnam eiuſdem Ordinis Domum in Vrbe apud Eccleſiam B. M a r i æ de Scala nuncupatam erexiſſe. §. 1. Et modò vlteriori propagationi intendens, vnam Congregationem dd. Fratrum in Italia, à quacumque alia Congregatione, & Prouincia, & Superioribus diſtinctam ae ſeparatam, per vnum Præpoſitum, & Diffinitores regendam erigit, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiicit. §. 2. Priuilegiáque Congregationi Hiſpanicæ elargita communicat. §. 3. Et Monaſteria extra Hiſpaniam conſtruendi facultatem tribuit. §.4. Bona etiam ſtabilia, & alia pro eleemoſyna, ac legatis piis recipiendi. §. 5. Nouitióſque certa ſeruata forma hic tradita. §. 6. Apoſtatas, vel expulſos à Congregatione Hiſpanica, vel alia quacumque Religione, recipere vetat. §.7. Monialium curam præter Monaſterij Ianuenſis regimen prohibet. §.8. Huic Cõgregationi Petrum à Matre Dei Priorem d. Conuentus de Vrbe præficit. §. 9. Qui erectis duobus aliis Conuentibus, Capitulum pro electione Præpoſiti congreget. §. 10. Eóque interim obeunte antiquior Prior ſuccedat. §. 11. Confraternitatémque B. M a r i æ de Monte Carmelo inſtituere poſſit. §. 12. Huic Bullæ clauſulas præſeruatiuas, & decretum irritans apponit. §. 13. Contraria remouet. §. 14. Tranſumptíſque fidem dari præcipit. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Confraternitas B. Mariæ nũcupata del Carmine, celebris famæ in Vrbe, num ab iſtis Fratribus Diſcalceatis vigore huius facultatis, de qua in §. 12. inſtituta fuit?

R e s p. Non, ſed antea de anno 1598. à Clemen. VII. erecta fuit in Eccleſia S. Martini in regione Montium de Vrbe, in qua degunt Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, quos iam diximus Mitigatos nuncupari, & de hac Confratria meminit Camill. Phanuc. in ſuo opuſc. de piis operibus Vrbis lib. 3. cap. 51.

Scholion ſecundum.

Quæro. Apoſtata, de quo in §. 7. num dicetur qui dimiſit habitum ob Prælatorum rigorem, animo citò illum reaſſumendi?

R e s p. Non, quia apoſtaſia propriè eſt retrocedere à Religione. Nauar. lib. 5. conſ.1. in tit. de Apoſtat. num.6. & ſeqq. ſecundùm impreſſionem de anno 1597.

L X X I I.

INter multiplices Paſtoralis muneris, & infra pag. 101. Bullarij. *Edita Anno 1600.*

C O M P E N D I V M.

Ad tollendum Annonæ difficultates in Vrbe, innouat Conſtitutiones circa agriculturam editas à Sixto IV. Iulio II. Clem. VII. de qua ſup. in Conſt. 5. tom. 1. & Pij V. in Conſt. 19. tom.2. cum declaratione, quòd Domini Caſalium non cogantur aliis locare. §. 1. Agricultoribus in Agro Romano, indulget certis modo & tempore extractionem frumenti è Statu Eccleſiaſtico. §. 2. Baronibus, & aliis mandat, quòd vaſſallis permittant extra eorum Statum aliorum agros colere. §. 3. Ius banniendi circa

circa agriculturam eiſdem Baronibus, & aliis aufert. §. 4. Clericis agricultu-ram permittit in terris propriis. §. 5. Vitulos naſcituros in menſibus Martij, Aprilis, & Maij, pro tertia parte ali præcipit. §. 6. Boues aratorios, & iuue-ctos mactari vetat. §. 7. Et de diſtrictu extrahi. §. 8. Decretum irritans appo-nit. §. 9. Camerarium, & Annonæ Præfe-ctum executores deputat. §. 10. Contra-riis derogat. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Clericis nónne à iure erat per-miſſa in terris propriis agricultura?

R E S P. Erat quidem, vt eſt tex. in cap. 3. diſt. 91. & cap. numquam. 33. de Conſ. diſt. 5. & cap. 1. vbi gloſ. & Abb. de celebrat. Miſſar. cum aliis relatis à Tiraquell. de Nobilit. cap. 32. numer. 3. vbi latè agit de nobilitate artis agri-culturæ. Hic autem Pont. hoc iuris com-munis priuilegium innouat, ne ſpolia ob eam rem prætendi poſſint ex capite il-licitæ negotiationis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Boues aratorios mactari anti-quiorine lege vetitum fuit?

R E S P. Lege Attica id prohibitum ſcribit Ælianus libr. var. hiſtor. Quin-imò Plinius refert, quemdam Romæ exulare iuſſum, quòd bouem arato-rium occidi iuſſiſſet, vt ſcribit Me-noch. de Arbitrar. Iudic. caſu 378. nu-mer. 5.

LXXIII.

Edita Anno 1600. IN ſupremo militantis Eccleſię ſo-lio, & infra pag. 103. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Cum in Regno Scotiæ Catholicam fidem retinentes, & qui ex eodē Regno proſcripti ſunt, ad Sedem Apoſtolicam recurrant, pro adoleſcentibus d. na-tionis piè educandis, & bonarum ar-tium ſtudiis inſtruendis, Cæleſtini, Ho-norij, & aliorum Romanorum Pontifi-cum, qui d. Regni præcipuam curam habuerunt, veſtigiis inhærens, Colle-gium in Vrbe inſtituit. §. 1. Annuos red-ditus aſſignat. §. 2. Sub protectione Se-dis Apoſtolicæ ponit. §. 3. Exemptio-nem ab aliorum omnium iuriſdictione, gabellarúmque ſolutione concedit. §. 4. Priuilegia Studij Vrbis, & Collegij Germanici, Anglici, & Græci commu-nicat. §. 5. Protectionem, & regimen S. R. E. Cardinali Burgheſio delegat. §. 6. Huic conceſſioni clauſulas præſer-uatiuas adiicit. §. 7. Executores depu-tat. §. 8. Contrariáque refellit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. De quo Cæleſtino loquitur hic Pontifex in §. 1.

R E S P. De Cæleſtino III. qui ob fi-dem, & erga Romanam Eccleſiam d. Regni maximam deuotionem, nonnullis illud priuilegiis decorauit, quæ in hoc ipſius Cæleſtini diplomate, quod ſequi-tur, leguntur.

COELESTINVS EPISCO-pus Seruus Seruorum Dei,

Chariſſimo in Chriſto filio Vuillel-mo illuſtri Scotorum Regi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM vniuerſi Chriſti iugo ſubiecti apud Sedem Apoſtolicam patrocinium inuenire debeant & fauorem; illos tamen ſpecialiùs conuenit promotionum munimine confoueri, quorum fidem, & deuotionem in pluribus eſt experta, vt ad ipſius dilectio-nis fauorem tanto ampliùs prouocentur, & eius reuerentiæ deuotiori affectione ſub-dantur, quanto beneuolentiæ ipſius, & gra-tiæ pignus ſe nouerint certiùs aſſecutos. Eapropter chariſſime in Chriſto fili, reueren-tiam, ac deuotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retrò temporibus Eccle-ſiam nouimus, attendentes præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, vt Scotica-na Eccleſia Apoſtolicæ Sedi, cuius filia ſpe-cialiùs exiſtit, nullo mediante, debeat ſubiacere. In qua hæ Sedes Epiſcopales eſſe noſcuntur, Eccleſia videlicet S. Andreæ Glaſcuenſis, Dunkeldenſis, Dublinenſis, Bre-hinnenſis, Aberdonēſis, Morauienſis, Roſſanē-ſis, Cathinenſis. Et nemini liceat, niſi Roma-no Pontifici, vel Legato ab ipſius latere deſtinato, in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis ſententiam promul-gare, & ſi promulgata fuerit, decernimus

non

Digitized by Google

non valere. Adiicimus, vt nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, niſi quem Apoſtolica Sedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinauerit, licitum ſit in eo Legationis officium exercere. Prohibemus autem, vt controuerſiæ quæ fuerint in Regno illo de poſſeſſionibus eius exortæ, ad examen extra regnum poſitorum Iudicum non trahantur, niſi ad Romanam Eccleſiam fuerit appellatum. Si qua verò ſcripta contra hoc libertatis ſtatutum apparuerint impetrata, vel in poſterum, iſtius conceſſionis mentione non habita, contigerit impetrari, nullum tibi, vel ipſi Regno circa huius prærogatiuæ conceſſionem præiudicium generetur. Præterea libertates, & immunitates tibi, vel ei Regno, vel Eccleſiis in eo conſtitutis à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus obſeruatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum Laterani tertio Idus Martij, Pontificatus noſtri anno primo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui ſunt alij Romani Pontifices, qui d. Regni præcipuam curam geſſerunt?

R E S P. Ante Cæleſtinum multa pro eo egit Clemens III. quæ Rogerius in Annalib. Anglic. recenſet, & præter alia eadem ferè priuilegia à Cæleſtino conceſſa, iam ipſe elargitus fuerat anno 1188. quod idem Rogerius recitat.

L X X I V.

Edita Anno 1600. ONeroſa Paſtoralis officij cura, & infra pag. 106. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Gregorius XIII. Religioſos Societatis I E S V, & non alios, ad Iaponum Prouincias proficiſci prædicandi, aut docendi cauſa decreuit. §. 1. Sed quoniam populorum multitudine aucta, dictorum Religioſorum numerus non ſufficit. §. 2. Hic ergo Pont. omnium Ordinum Mendicantium Superioribus indulget, ad prædicta munera obeunda eorum Religioſos probatæ vitæ, & eruditionis, per Luſitaniam tantùm tranſmittere poſſe. §. 3. Quas miſſiones iidem Superiores vtiles eſſe curent. §. 4. Miſſi verò ad loca aſſignata peruenti, obedientiæ ſuorum Superiorum ſubiecti ſint iuxta eorum Regulas, ibique eorum muneri ſatisfaciant ſub obedientia Epiſcopi circa prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem. §. 5. Controuerſias inter Religioſos prædictos oriundas Epiſcopi diffiniant, & grauiora negotia Papæ ſignificent. §. 6. Ex Inſulis Philippinis, & aliqua Indiarum Occidentalium parte tranſitum prohibet ad Inſulas Iaponicas. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Cur ſolùm per Luſitaniam tranſitus eſt permiſſus, vt in §. 3.

R E S P. Quia propagationi Catholicæ fidei vtilis ſperabatur. Sed non ita euenit, ideóque à Paulo V. tranſitus etiam per alia loca permiſſus eſt in eius Conſt. 2. quæ poſt huius Bullæ impreſſionem ad manus Genitoris mei peruenit, & ob hanc rem ad Appendicem fuit tranſmiſſa, vt ibi videre eſt; vnde hic in rubrica de more indicare non valuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa verba §. 5. *Miſſi ſint Superioribus iuxta eorum Regulas ſubiecti*, operantur forſan, vt in cæteris in Regula non expreſſis, eis ſubiecti eſſe non teneantur?

R E S P. Non, quia Religioſus in omnibus tenetur Prælato obedire, quorum contrarium non præcipit Deus, vt ex S. Thoma communiter recepto tenet Nauarrus conſil. 1. de conſtitut. lib. 1. numer. 7. ſecundùm impreſſionem de anno 1610.

L X X V.

SVperna diſpoſitione, & infra pagina 107. Bullarij. **Edita Anno 1600.**

C O M P E N D I V M.

Sixtus V. approbauit Congregationem Clericorum Regularium miniſtrantium

ſtrantium infirmis. §. 1. Eorúmque Regulam primò conſtituit Greg. XIV. ſup. in Conſt. 17.tom.2. §.2. Quia tamen aliquæ difficultates ortæ ſunt circa d. Regulam,& regimen d.Congregationis. §. 3.& ſeqq. Propterea egregi viri ad hoc ab iſto Pont.deputati, & alij Religionis Patres ſtatuerũt,quòd Paares,& Frattes huius Congregationis omnes infirmis, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, in Hoſpitalibus, carcerib. ac priuatorum domibus ſeruire debeant.§.7.Verumtamen circa hoc ſeruitium non eſſe ſubiectos Hoſpitalium, aut carcerum Superioribus, ſed eorum Religionis. §.8. Omnéſque tria vota,caſtitatis,paupertatis, obedientiæ, ac ſeruitij prædicti emittere teneri.§. 9. Et formam profeſſionis tradunt. §. 10. Quapropter ſimplicia vota quotannis ab omnibus in feſtiuitate Inuentionis S. Crucis renouari mandat. §. 11. Primum de non immutando d. ſeruitium, niſi arctius ſit reſtringendum. §. 12. Secundum de non recipienda adminiſtratione, vel dominio eiuſmodi Hoſpitalium.§. 13. & 16. Tertium de non procurando Prælaturam in Religione, nec extra. §. 14. Quartum de reuelando procurantes dignitatem in Religione, vel extra. §. 15.Sacerdotũ munus erga infirmos præſcribit. §. 17. Fratrúmque miniſteria. §. 18. & ſeqq. Eorúmque in Hoſpitalibus habitatio quæ eſſe poſſit.§.21. Et ſemper ſub regimine Superiorum Religionis. §. 22.Ad quos ſpectet etiam duputatio ſeruientium in Hoſpitalibus.§.23.Oblati recipi poſſunt abſque votorum emiſſione. §.24.Fœminis ægrotãtibus in Hoſpitalibus quomodo Sacramenta ſint adminiſtranda. §.25. Superiores Congregationis diſpenſare poſſint cum inhabilibus ad dicta onera. §. 26. Capitulum generale quolibet ſexto anno celebretur, & qui interuenire debeanr.§.27. Præfectus generalis ad ſex annos eligatur.§.28. Et eius quoque Conſultores. §. 29. Ipſi, & arbiter Conſultæ in Capitulo Generali eligantur. §. 30. Obeunte Generali primus Conſultor eius locum gerat. §. 31. Diffinitores Capituli generalis quatuor ſint,& quod eorum ſit munus.§.32.Superiores Religionis ex numero vocalium Sacerdotum ſunt eligendi. §.33. Prouincialium, & Præfectorum duo ſint Conſultores, vnus Sacerdos, & Frater vnus. §. 34. Fratrum appellatione intelliguntur non promoti ad ſacerdotium. §. 35. Et quæ,& quando inter eos ſit præcedétia. §. 36. Patres ſolùm Sacerdotes appellantur, & quæ ſit inter eos præcedétia.§.37. Examinatores Nouitiorũ,qui & quot, eorúmque ſuffragia quæ. §. 38. Recipiendorum ætas non ſit minor annis 18. nec maior annis 45. §.39. Nouitij exacto biennio ad ſtudia promoueãtur,& non ante.§.40.& 42.Eorum birretũ quale durante Nouitiatu.§.41. Nouitiorum vita,& mores quolibet ſexto menſe inquirantur. §. 43 Habitatio eorum ſit communis. §. 44. Quartum votum, de quo ſuprà,emittendum indiſtinctè completo Nouitiatu. §. 45. Nouitiorum domus in locis fundandæ ſunt, vbi ſunt Hoſpitalia,in quibus Congregatio inſtitutum ſuum exercere poſſit.§.46.Ius ſuffragij actiuè, & paſſiuè quando haberi poteſt.§.47. Numerus Religioſorum ſecundùm eleemoſynas in domibus præfigatur.§.48.Fratres profeſſi presbyterali pileo vti poſſunt.§.49. Habitus Religioſorum ſit omnium vniformis. §. 50.Religioni conceditur capacitas quorumcunque redditũum pro infirmorum,& Officialium ſuſtentatione.§.51.Bona Religioni relicta à Generali, & Conſultoribus applicantur Nouitiatibus, & Valetudinariis. §. 52. Domus autem Profeſſæ de eleemoſynis viuant. §.53. Perpetuæ Miſſarum obligationes vt recipiendæ. §. 54. Patres qui poſſint in Religionis Eccleſiis confeſſiones audire, publicè ſermocinari,& alia exercitia Eccleſiaſtica exercere.§.55. Diſpenſatio ſeruiendi in Hoſpitalibus vetatur.§ 56.Nouitij à quibus recipiendi.§.57. Prouinciæque diuidendæ. §.58. Et Domus, & Hoſpitalia à quibus adminiſtranda.§. 59. Præfecti Generalis facultas dubia tollẽdi in prędictis.§.60. Supradicta ſtatuta ab iſto Pont. confirmantur.§.61. Conſtitutionibus quæ huic refragantur, ac cæteris contrariis derogatur. §.62.

Scholion primum.

Quæro. Cùm hic non decidatur, an poteſtas recipiendi Nouitios ſpectet ad Capitulum, & alios, iuxta formã Conſt. 71. Sixti V. de qua ſup. tomo 2. nónne illa

illa forma ſeruanda erit?

RESP. Poteſtas hæc hodie apud tres antiquiores cuiuſque Domus Patres à Capitulo Prouinciali eligendos ex decreto huiuſmet Pont. ante hanc Bullam edito, quod eſt in Conſt. eius 3. tranſlata in Append. à Genitore meo, quam opportuno tempore habere non potuit.

Scholion ſecundum.

Quaero. Nouitio poteritne expleto tempore Nouitiatus, concedi à Superiore dilatio ad profitendum, ſi idoneus ille iudicetur?

RESP. Nauar. in conſ. 30. de Regul. lib. 3.n.1.ſecundùm impreſſ.de anno 1590. inquit, ex aliqua iuſta cauſa poſſe, & iure antiquo licuiſſe, & in vſu fuiſſe, neque contrarium ſtatutum fuiſſe à Cóc. Triden. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 15.

LXXVI.

Edita Anno 1601. SAnctiſſimus D. N. volens, & infra pag. 113. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt cauſæ ad S. Inquiſitionẽ ſpectantes omni, qua decet, integritate expediãtur, decernit, Officiales quæcumque acta, decreta, & alia gratis expedire, & etiam à ſponte dantibus nihil omnino recipere debere. §. 1. Eorúmque Secretarios, & Notarios ſcripturas proceſſuum, ſeu teſtium, quas mittunt ad Inquiſitionem Romanam gratis mittere teneri. §. 2. Et omnes mandatis generalis Inquiſitionis Romanæ ſtatim parere. § 3. Iſtúdque decretum obſeruare, & obſeruari facere, & eius exemplaria in Cancellariis affixa ſub pœna indignationis Sanctiſſimi, & aliis eiús arbitrio infligendis pœnis. §. 4.

Scholion primum.

Quaero. Pœna, de qua hic in fine, refertur ad omnia capita ſuperius enunciata?

RESP. Referri puto, quia non eſt credendum vltimo capiti, & non aliis pœnam imponere voluiſſe, & etiam quia ſimilis pœna indignationis videtur eriã de iure communi impoſita iſtis Officialibus, prætextu officij quicquam extorquentibus, vt habetur in Clem. 2. de Hæretic.

Scholion ſecundum.

Quaero. Illud verbum (*nihil omnino*) nónne patitur aliquam diſtinctionem, vt non comprehendat quid minimum?

RESP. Nullà, quia verbum (*omnino*) iunctum negatiuæ, omnem penitus diſtinctionem reiicit. Ita perbellè oſtendit Alex. conſ. 13. libro 2. num. 7. & in conſ. 72. libro 6. num. 10. vbi concord. allegat.

LXXVII.

ROmana Catholica Eccleſia, & infra pag. 113. Bullarij. *Edita Anno 1601.*

COMPENDIVM.

Omni tempore, quo Catholica Eccleſia Tyrannorum, & Hæreticorum perturbationem paſſa eſt, Deus ſuſcitauit aliquem Sanctum, qui eius fidem propagaret. §. 1. B. Raymundus Barchinonenſis Ordinis S Dominici, multos infideles ad fidem reduxit. §. 2. Gratia curiationum, & vitæ ſanctitate præfulſit. §. 3. Miraculis etiam claruit. §. 4. Oriundus ex Barchinona. §. 5. Quamplures gratis docuit. §. 6. Bononiæ publicè legit Canones. §. 7. Canonicus Barchinonenſis creatur. §. 8. Annunciationis B. MARIÆ feſtum ſolemniter celebrari curat. §. 9. Magnæ fuit apud omnes authoritatis, ac ſanctitatis. §. 10. Ordinem S. Dominici profitetur. §. 11. Præcipuas Religioſorum virtutes amplectitur. §. 12. Humilitate, paupertate, caſtitate emicuit. §. 13. & ſeqq. B. MARIAM Virginem aſſiduè inuocabat. §. 16. Pauperum, & captiuorum curam gerebat. §. 17. Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum ſtatuta præſcripſit. §. 18. Cùm Cardinale Epiſcopo Sabinenſi Legato profectus in Hiſpaniis prædicat, & multos ad ſalutis ſemitam reduxit. §. 19. Gregorius IX. Capellanum ſuum, & Pœnitentiarium deputauit. §. 20. & 21. Pater pauperum appellatur, & Decretales in Ordinem redigit. §. 22. Archiepiſcopatum Tarraconenſem recuſat. §. 3. Barchinonem redit. §. 24. Sanitati ſemimortuum reſtituit. §. 25. Pœnitentiarij munere ſponte ſe abdicauit. §. 26. Generalis Ordinis S. Dominici abſens declaratur. §. 27. Biennio elapſo ſponte Magiſtratum dimittit. §. 28. Regi Aragonum, vt officium S. Inquiſitionis in ſuo Regno inſtitueret, ſuaſit. §. 29. Cum eodem author fuit

fuit, vt Euangelium Sarracenis prædicaretur. §. 30. Miraculosè mare transfretauit. §. 31. Seminarium pro ſuis Religioſis inſtituit, & Neophytorum curam ſuſcepit. §. 32. Multis virtutibus claruit. §. 33. & ſeqq. Annum ferè centeſimum agens, anno 1572. obdormiuit in Domino. §. 41. Eius exequias Alphonſus Caſtellæ, & Iacobus Aragonum Reges cohoneſtarunt. §. 42. Guglielmus poſtea eius precibus à lepra mundatur. §. 43. & ſeq. Mortua quædam mulier, nomine Margarita, vitæ reſtituitur. §. 45. Aliis ſanitatem reſtituit. §. 46. & ſeqq. Reges, & populi à Romanis Pontificibus plurìes eius Canonizationem petierunt. §. 53. & ſeqq. Hic Pont. ſeruatis priùs ſeruandis B. Raymundum Sanctum declarauit, ac Sanctorum numero adſcribit, & eius feſtum die 7. Ianuarij quotannis agi iubet. §. 69. Miſſámque ſolemniter celebrauit, & intereſſentibus Indulgentiam conceſſit. §. 70.

Scholion primum.

Quæro. Quæ primùm Canonizatio à Summo Pontifice ſolemniter acta fuit?

RESP. Anno 1503. à Leone III. Suitbertus Epiſcopus Vuerdenſis ſic in Sanctorum numerum relatus fuit, vt ſcribit Cardin. Bellarmin. tom. 1. Controuerſ. lib. de Sanctor. Beatitud. & Canoniz. cap. 8. & ſequitur Rocca de Canonizat. Sanctor. cap. 5. verſ. Ego verò. Eiúſque feſtum agitur die 1. Martij, vt in Martyrolog. Roman. & eiuſdem vitam tranſcribit Sur. tom. 2. eadem die.

Scholion ſecundum.

Quæro. Margarita, quæ in §. 45. dicitur vitæ reſtituta, potuit teſtificari de his, quæ viderat ante eius obitum?

RESP. Potuit, quia qui verè reſurgit, eſt idemmet homo. Bald. in cap. 5. vt lit. non conteſt. numero 10. Troyl. Maluet. de Canoniz. SS. 3. dub. numero 7. & ſeq.

LXXVIII.

Edita Anno 1601. Romanum decet Pontificem, & infra pag. 121. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. in ſua Conſt. 3. de qua ſup. tom. 2. vetuit ſubditis Sedis Apoſtolicæ, bona ſtabilia Status Eccleſiaſtici in forenſes non ſubditos alienare, vel Caſtra, & fortalitia abſque licentia d. Sedis. §. 1. Et quia aliqua deſuper exorta ſunt dubia, hic Pont. d. Conſt. Sixti V. approbat. §. 2. & 3. Communitatéſque & Principes extraneos ſtabilia, vel cenſus, & alia, quæ pro ſtabilibus habentur, exceptis officiis Romanæ Curiæ, & locis Montium, in Statu Eccleſiaſtico acquirere non poſſe decernit. §. 4. 5. & 8. Diſpoſitiones aliter factas irritat. §. 6. Notariis earum diſpoſitionum rogitũ prohibet, inſtrumentorũmque exhibitionem eis præcipit. §. 7. Illíſque, & contrahentibus contra formam huius Conſtitutionis pœnas imponit. §. 8. Subditis ſe ipſos Principibus, & Communitatibus extraneis ſupponere prohibet. §. 9. Aut eorum bona in Statu Eccleſiaſtico exiſtentia, pro illis quoquomodo obligare. §. 10. Decretum irritans ſubiicit. §. 11. Præceptum obſeruantiæ addit. §. 12. Contrariíſque derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Si ſubditus Papæ bona ſua omnia generaliter obligaret pro Principe extraneo, cenſeretur forſan obligaſſe prohibita obligari?

RESP. Non, quia non eſt veriſimile huic legi pœnali voluiſſe contrauenire. l. obligatione. 6. ff. de pignor. Alexan. conſil. 41. l. 6. in princip. vbi de communi, Rota in deciſ. Seraphin. 421. num. 6. & deciſ. 1290. num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi obligatus non habet alia bona, quàm exiſtentia in Statu Eccleſiaſtico?

RESP. Cenſetur illa obligaſſe, quia non præſumitur fruſtratoriam obligationem feciſſe. Alberic. in d. l. obligatione, numero 2. Gabr. de Regul. iur. concluſ. 12. num. 8. Marſil. in l. 1. §. ſi ſeruus. ff. de quæſtion. num. 3. Rota in deciſ. Lancell. 425. par. 1. diuerſor. numero 8. verſ. Quinta.

LXXIX.

Cvm nos aliàs, & infra pag. 124. *Item*; Cùm ad vberes, & infra pag. 124. *Item*; Etſi cunctæ, & infra pag. ead. Bullarij. *Edita Anno 1601. & 1602.*

COMPENDIVM.

Quia hic Pont. in ſua Conſtit. 4. de qua ſup. Ordini Fratrum B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ſolemnem celebrationem feſti S. Laurentij Martyris, quo die Ordo fundatus, & feſti S. Antonij Abbatis, quo die àGregorio IX. confirmatus fuit, conceſſit, in procem. Et benedictionem generalem, quæ ab eodem Ordine in feſto S. Catherinæ Virginis & Martyris, ac feria 4. Cinerum, & feria 5. Cœnæ Domini celebrari conſueuit, approbauit. §. 2. Eam modò benedictionem etiam in dictis feſtiuitatibus S. Laurentij, & S. Antonij fieri indulget. §. 3. & in ſubſeq. Conſt. Laudes Ordinis enarrat, in procem. Subdit, Ordinem certis anni temporibus eius Indulgentias aliis communicare conſueuiſſe, & in eo quoſdam abuſus irrepſiſſe. §. 1. Permittit itaque d. communicationem Indulgentiarum Confratribus, & Conſororibus præſentibus, contritis, confeſſis, & in Eccleſiis ipſius Ordinis fieri, & etiam communicationem bonorum operum eiſdem perſonis. §. 2. & ſeqq. Formam d. communicationis præſcribit. §. 4. & 5. Et ita, & non aliter fieri præcipit. §. 6. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 7. Tenor ſupradictæ formæ ſubnectitur vſque ad finem.

Scholion primum.

Quæro. Bonorum operum eiuſmodi communicatio, de qua in §. 4. proderit Confratribus, & Conſororibus ad merendum gratiam via iuſtitiæ, & de condigno, vel de congruo?

RESP. De congruo ſolùm, vt ſequendo D. Thomam declarat Nauar. de orat. miſcell. 26. ſub num. 8. dicens, quod ſolus Chriſtus pro alio potuit gratiam mereri de condigno.

Scholion ſecundum.

Quæro. Maximum aliquod meritum de congruo, perueniet vſque ad meritum de condigno?

RESP. Non, etiamſi illud in omni latitudine eſſet maximum, vt tradit ibid. Nauarr.

LXXX.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 126. *Item*; In his rebus, & infra pag. 127. *Item*; Ordinis veſtri, & infra pag. 128.

Edita Anno 1593. 1600. & 1601.

COMPENDIVM.

Prælati Ordinis Fratrum Seruorum B. MARIÆ Virgnis proponunt huic Pont. reſtitutionem antiquæ Eremi Montis Senarij. §. 1. In qua vltra alia ſpiritualia exercitia abſtineant Eremitæ ab eſu carnium. §. 2. & 3. Et ieiunent in Quadrageſima, & Aduentu, ac 2. 4. & 6. feriis in aliis anni temporibus. §. 4. Proprietatémque non agnoſcant. §. 5. Reſtauratio d. Eremi, & gubernium ſpectet ad Conuentũ B. MARIÆ Annunciatæ Ciuitatis Florentiæ. §. 6. Hic ergo Pont. iſta approbat. §. 7. & ſeqq. Eremi Montis Senarij titulum concedit. §. 9. Superioribus d. Conuentus, ac Priori Generali, & Prouinciali ſubiicit. §. 10. Qui Conuentus neceſſaria Eremo ſubminiſtret. §. 11. In contrarium acta, nulla decernit. §. 12. Executoréſque huius Bullæ deputat. §. 13. Vicarium Eremi ex ipſis Eremitis eligi iubet. §. 16. Eorum profeſſionem, & modum ſtatuit. §. 17. Poſt eam ab Eremo diuerti prohibet. §. 18. Superioribus auctoritatem dandi licentiam circa ſeruitium Chori, & ieiunium aufert. §. 19. Nouitiorum recipiendi formam præſcribir. §. 20. Infirmis eſus carnium quando concedi poſſit, declarat. §. 21. Aliis omnibus etiam exteris in Eremo vetat. §. 22. Hoſpites biduo tantùm permitti decernit. §. 23. Legata omnia, & eleemoſynas Eremus habere poſſit. §. 24. Quæ pro Eremi ſuſtentatione, & augmento eſſe iubet. §. 25. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 26. Nouitiatum in ea erigit. §. 27. & ſeq. Contrariiſque derogat. §. 29.

Scholion primum.

Quæro. Huius Eremi nunc reſtitutæ quot fuerunt illi primi antiqui promotores?

RESP. Septem nobiles viri Florentini anno 1233. vt ſcribit Rod. de quæſt. Reg. tom. 1. quæſtione 3. articulo 5. &

Cia

Ciacon. in vita Innocen. IV. (licèt ibi erret in tempore) & Azor de Inſtitut. Moral.lib. tom.1.lib.13.pag.mihi 1661.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui fuerunt illi promotores?

R E S P. Bonfilius Monaldus, Bartholomæus Amadeus, Bonaiunctus Manettus, Manettus de Antella, Soſtenius de Soſteniis, Recuperus Vguccionus, & Alexius Falconerius, in altiſſimo Monte Scnario Eremiticam vitam ducere cœperũt, Oratoriũmque Beatæ MARIÆ Virginis conſtruxerunt, vt perlegi in Prologo nouarum Conſtitutionum dictæ Eremi à Paulo V. comprobatarum, & Florentiæ anno 1613. impreſſarum.

L X X X I.

Edita Anno 1601. ETſi aliàs fel. record. Paulus Papa IV. & infra pagina 128. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat, Paulum IV. ſtatuiſſe, quòd non promoti ad ſacrum Preſbyteratus ordinem, Miſſarum celebrationem vſurpare, & Sacramentum pœnitentiæ miniſtrare præſumentes, ab Inquiſitoribus Curiæ ſæculari tradantur, debita animaduerſione puniendi, in procem. Et Sixtum V. eamdem legem confirmaſſe, nonullos tamen prætextu eius ignorantiæ, dictis pœnis obnoxios nõ eſſe prætendere. §. 1. Ne igitur in futurum de impoſitione dictæ pœnæ valeat hæſitari, decernit, prædictos delinquentes à Iudicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis à foro Eccleſiaſtico abiiciendos eſſe, & ab ordinibus Eccleſiaſticis ritè degradatos Curiæ ſæculari debitis pœnis plectendos tradi. §. 2. & 3. Quibuſcũque non obſtantibus. §. 4. Et vt ignorantia huius Conſtitutionis minimè de cætero valeat allegari, decernit eam Romæ publicari, & exinde, qui in Vrbe poſt menſem, qui verò extra eam citra montes, poſt quatuor, & qui vltra montes, poſt decem menſes arctare, ac ſi perſonaliter eis intimata foret. §. 5. Et eiuſdem tranſumptis credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Degradatio, de qua hic agitur, quo iure introducta?

R E S P. Iure diuino Exodi, vbi de Altaris certos delinquentes euelli mandat, hoc eſt, degradari, vt moriantur, & ita ſcriptum reliquit Anchar. in conſ. 158. num. 2. Tuſc. in litera D, concluſ. 139. numero 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Actualis degradatio à locorum Ordinariis fienda, vt in §.3. potéſtne fieri ab Epiſcopo electo, nondum conſecrato?

R E S P. Non, quia hæc poteſtas ordinandi Clericos confertur Epiſcopis in eorum conſecratione. cap. quod ſicut. 28. §. præterea, de elect. & conſequenter electus, & non conſecratus eam non habet; & multò minus Clericos deponendi, cùm maior poteſtas requiratur in auferendo, quàm in conferendo. Ita poſt alios tenet Arnald. Albertin. in repetit. cap. 1. de Hæretic. in 6. quæſt. 6. num. 6.

L X X X I I.

ALiàs fel. record. Gregor. XIV. & infra pag. 129. Bullarij. *Edita Anno 1602.*

C O M P E N D I V M.

Quia Gregorius XIV. Fratres Capuccinos aliorum confeſſiones ſacramentales nequaquam audire poſſe decreuit, in procem. Et tamen plerique deſiderant dictis Capuccinis ob eorum in eorumdem Ordinem deuotionem, confiteri poſſe. §. 1. Moderando hic Pontifex prædictam Gregorij Conſtitutionem ſtatuit, vt Miniſter Generalis, & Diffinitores in Capitulo generali tantùm congregati, & vſque ad aliud ſubſequens Capitulum generale, & non vltra, & ſic de Capitulo ad Capitulum, Religioſis ipſius Congregationis Capuccinorum, ad audiendum confeſſiones approbatis, licentiam concedere poſſint ſæcularium vtriuſque ſexus confeſſiones audiendi. §. 2. Et quaſcumque alias licentias reuocat. §. 3. Contraria remouet. §. 4. Et huius Conſtit. tranſumptis credi mandat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba (*ad audiendas confeſſiones approbatis*) intelliguntúrne de approbatione Superiorum ipſius Ordinis, vel potiùs Ordinariorum?

RESP. De vtraque; ſic etenim ſtatuit hic Pontifex inf. in Conſtit. 115. §. 9. & ante eum Pius V. in ſua Conſtit. 133. de qua ſup. tom. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Approbatus ſemel ab Ordinario, num ſufficiet?

RESP. Sufficere iam declarauit Pius V. in dicta eius Conſtit. 133.

LXXXIII.

Edita Anno 1596. 1599. 1602. & 1603. IN ſuprema Catholicæ Eccleſiæ ſpecula, & infra pag. 129. *Item*; Regularis diſciplinæ, & infra pag. 130. *Item*; Sanctiſſimus in Chriſto, & infra pag. 130. *Item*; Sanctiſſimus, & inf. pag. 130. *Item*; Cùm ad Regularem, & infra pag. 131. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus Quintus Conſtitut. 71. de qua ſup. tom. 2. edidit circa formam, & qualitates admittendi Religioſos ad Ordines Regulares. §. 1. Gregorius Decimusquartus in ſua Conſtit. 3. de qua ſup. tom. 2. moderationem adhibuit. §. 2. Hic Pontifex renouat, & ad terminos iuris reducit Sixti Quinti Conſtitutionem in his, quæ concernunt nullitatem profeſſionis Nouitiorum. §. 3. Pœnas tamen impoſitas Superioribus Ordinum præſeruat. §. 4. Subſequuntur decreta circa admiſſionem Nouitiorum, quod ſcilicet ſolùm in locis deſtinandis, in §. 5. & ſeqq. Et examinentur, vt in Conſtitut. ſubſeq. Nouitiatuum formam, & qualitates præſcribit. §. 26. Miniſtrorum electionem, & munus declarat. §. 27. Regulaſque à Nouitiis obſeruandas ponit. §. 28. & ſeqq. Conuerſorum inſtitutionem, & educationem tradit. §. 33. Recipiendorum ad profeſſionem qualitates deſcribit. §. 34. Librum regiſtri profeſſionum teneri præcipit. §. 35. Ac filiationum. §. 36. Numerum Religioſorum cuique Conuentui præſcribi iubet. §. 37. Profeſſoribúſque de nouo particularia aſſignari mandat. §. 38. Contrauenientibus pœnas imponit. §. fin.

Scholion primum.

Quæro. Nouitij donatio ante ſuſceptum habitum, in ſæculo ſcilicet, intuitu ingreſſus in Religionem, eſſétne valida?

RESP. Dubitauit Nauarrus conſil. 81. de Regular. lib. 3. in nouis impreſſis anno 1610. ac Molina de Iuſti. & iur. diſputat. 139. Sed dubium ſublatum eſt à Sacra Cardinalium Congregatione ſuper Conſultationibus Regularium, quæ cenſuit non valere, vt aduertit Apoſtillator ad dict. conſil. Nauarr. in fine, & Menoch. de arbitr. Iudicibus caſu 436. numer. 3. in addit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nouitius poſſétne renunciare anno probationis, & eo non completo, profeſſionem emittere?

RESP. Non, quia reſiſtit Conc. Trid. quo cauetur minori tempore ad profeſſionem non admitti, vt in ſeſſ. 25. de Regular. cap. 15. Quod cùm introductum ſit ad fauorem publicum, ei renunciari non poteſt. Nauar. conſil. 17. lib. 3. de Regularib. numer. 1. in impreſſis de anno 1610. & latiùs deducit Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 15. art. 7.

LXXXIV.

SAnctiſſimus D. N. D. Clemens, & infra pag. 133. Bullarij. *Edita Anno* 1602.

COMPENDIVM.

Cùm Fratres Minores Sācti Franciſci de ſtrictiori obſeruantia, ſint obligati ad obſeruantiam Regulæ eiuſdem Sancti Franciſci, iuxta declarationem Nicolai III. & Clementis V. ortum eſt dubium, an poſſint in eorum Eccleſiis habere organa, paramenta, & vaſa Eccleſiaſtica pretioſa, ac exceſſiua. §. 2. Hic ideo Pontifex declarat, ea poſſe retinere in locis, vbi ea reperiunt, vel reperient, & illis vti donec durabunt,

bunt,ſed vbi non ſunt, de nouo acquirere non poſſe.§.2.& 3.

Scholion primum.

Quæro. Vbi leguntur Conſtitutiones Nicolai III. & Clementis V. enunciatæ in §. 1. & à Genitore tuo prætermiſſæ?

RESP. Prima eſt in cap.3.de verborum ſignificat. in 6. Secunda verò in clement. 1. eodem titulo; & ideo prætermiſſæ, cùm Genitoris mei intentio fuerit, extra volumina iuris vagantes Conſtitutiones in vnum colligere, vt in ſua ad Paulum V.Epiſtola Operis dedicatoria ſignificauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Pretioſitas ergo vaſorum, & Eccleſiaſticorum paramentorum eſt etiam interdicta Fratribus Regularis obſeruantiæ, vigore Regulæ, & prædictarum Conſtitutionum?

RESP.Hoc veriſſimum apparet, ſed illi Fratres fuerunt poſtea in hoc à Põtt. ſucceſſoribus diſpenſati, vt bene explicat Corduba in Compendio Priuileg. Fratrum Minorum,in §. Ornamenta, & Rod.de quæſt.Regul.tom. 2.quæſt.25,art. 1.& 2.

LXXXV.

Edita Anno 1602.

DEcet Romanum Pontificem,& infra pag.133.Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio S. R.E. Cardinalium de mandato huius Pont. decreuit, quòd Congregatio Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, & Congregatio Fratrum Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, quæ ſtatis anni temporibus abſolutionem, & Indulgentiarum communicationem facere ſolebant, non faciant de cætero dictam abſolutionem, ſed communicationem Confratribus, & Conſororibus tantùm ipſarum Congregationum, contritis tamen, confeſſis, & ſacra Communione refectis. §. 1. vſque ad 4. idémque ſtatuit de communicatione bonorum operum. §. 4. Cuius bonorum operum communicationis formam præſcribit. §. 5. Prohibet publicè populum inuitari ad eiuſmodi communicationes per affixionem cedularum.§. 6.Formam communicationis Indulgentiarum præſcribit.§.7. Hæc omnia Pontifex iſte poſtea comprobat.§.8. Irritum decernens quicquid in contrarium fieri contigerit.§.9. Contrariis derogat.§.10. Tranſumptiſque huius Conſtit.credi iubet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Communicationem bonorum operum,de quibus in §.5.nónne Prælati Congregationum prædictarum potuiſſent earum deuotis dare, etiam circumſcripta hac Bulla?

RESP. Potuiſſent, vt pluribus poſt alios probat Nauar. de orat. miſcell. 26. num.28.

Scholion ſecundum.

Quæro. Bona opera alicuius ſingularis perſonæ dictarum Congregationum, potuiſſent illo nolente alteri applicari?

RESP. Non, niſi ex aliqua magna cauſa, & tunc ſolùm pro ea parte, qua ille non indigeret,vel aliis non eſſet iam applicata. Ita tradit Nauarr.ibidem numero 28.

LXXXVI.

Edita Anno 1602.

CVm in Eccleſia Catholica, & pag.134.Bullarij.

COMPENDIVM.

Orandi varietatem in Eccleſia Dei vitandam aſſerit, in procem. Pius ideo Quintus Breuiarium emendauit. §. 1. Sed immutatum videtur in multis. §. 2. Hic Pontifex iteratò examinari, & emendari, ac Romæ in Typographia Vaticana imprimi fecit. §. 3. Alibi abſque Inquiſitorum, & eis non extantibus, Ordinariorum licentia imprimi vetat. §. 4. Typographis alibi, vel aliter imprimentibus, & Bibliopolis vendentibus pœnas imponit. §. 5. Licentiarum autem prædictarum, ſi concedentur, formam præſcribit. §. 6. Vſum Breuiariorum iam impreſſorum permittit. §. 7. Contrariiſque derogat. § 8. Et tranſumptis huius Conſtitutionis credi mandat. §.9.

Scho

Scholion primum.

Quæro. Monachi, qui non tenentur nouo Breuiario à Pio V. edito vti, in caſibus ibi exceptis, poſſent, ſi vellent, eo vti extra Chorum?

RESP. Pro affirmatiua, & negatiua aliquid ſcribit Nauar. Sed negatiuam magis probare videtur in conſ.16. de celebrat. Miſſar. tom.1. lib.3. ſecundum impreſſionem de anno 1600. & ſequitur Graff. lib.2. par.1. ſuarum deciſ. cap. 51. num.11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi vti vellent in Choro?

RESP. Poſſent, ſi accederet conſenſus Abbatis, & Capituli, & non aliàs, vt cauetur in ipſa Bulla Pij V. & tradit Nauar. vbi ſupra, & in conſil. 5. numero 2.

LXXXVII.

Edita Anno 1602. Sanctiſſimus D. N. Clemens, & infra pag.135. Bullarij.

COMPENDIVM.

Damnat, & prohibet propoſitionem, qua dicitur licere per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſolutionem obtinere. §. 1. Prohibet hâc propoſitionem de cætero doceri, defendi, imprimi, aut ad praxim deduci, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis arbitrio infligendis. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quis ſit inter infideles, vel in carceribus ſecretis?

RESP. Adhuc intrat prohibitio, quia confeſſio eſt actus perſonalis, id eſt, fienda perſonaliter Sacerdoti. Præcepit enim Dominus mundandis, vt irent, & oſtenderent ora Sacerdotibus. c. Quem pœnitet. 88. de pœnit. diſt. 1. vbi gloſ. allegat tex. concord. Sufficit autem contritio carcerato, vel apud infideles exiſtenti, ſecundum veriorem, & magis communem opinionem, de qua teſtatur Graff. libro 1. ſuarum deciſionum, parte prima, cap. 24. numero 31. & ſeq. & in Append. lib. 1. cap. 5. numer. 3. vbi vrgentes admodum rationes adducit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi non per internuncium, ſed per interpretem?

RESP. Valet confeſſio, ſi fiat ex cauſa, vt ſi Confeſſarius non habet notam linguam confitentis, vel nutus alicuius muti, aut infirmi balbutientis: iſte enim id agit cum Sacerdote, qui mediante interprete poteſt confitentem diligenter examinare, quod non eſt ſi fiat confeſſio per literas, vel internuncium, vt ex D.Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. explicat Graff. vbi ſuprà, poſt ſcribb. in d. cap. Quem pœnitet.

LXXXVIII.

Edita Anno 1602. Quæ ad pietatis, & charitatis opera, & infra pag.135. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in ſua Conſtit. 94. de qua ſup. tom.2. depoſita pecuniarum ſupra ſcuta quinque, quæ lite pendente in Vrbe fieri contingeret, penes Montem Pietatis Vrbis à Iudicibus fieri mandari decreuit. §. 1. Hic Pont. confirmat. §. 2. Addit, omnem pecuniam redigendam ex ſubhaſtatione bonorum per Curſores, ſeu Mandatarios fienda, nec non pretium bonorum, vigore Conſtitutionis ab eodem Gregorio XIII. ſuper iure congrui editæ vendẽdorum, ac omnẽ pecuniam de mandato Papæ deponendam, apud eundem Montem deponi debere. §. 3. Et non apud mercatores. §. 4. Curſores, & Mandatarios pretium, quod ſupereſt de rebus ſubhaſtatis, apud hunc Montem deponere iubet. §. 5. Notarióſque dicta depoſita recipere prohibet. §. 6. Sequeſtra quæ, & quando Officiales Montis acceptare poſſint, declarat. §. 7. Protectori, & Iudici Montis cognitionem eius, Officialiúmque cauſarum tam ciuilium, quàm criminalium, & mixtarum, & huius Bullæ executionem committit. §. 8. & ſeqq. Solutionem Montis præuio Iudicis decreto tutam eſſe decernit. §. 14. Clauſulas præſeruatiuas, & derogatorias apponit. §. 15. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Hodie dubitatum vidi, an pauperior, qui plus mutuò accepit à Mon

Monte Pietatis, plus compellatur ſolucre quàm pauper, qui minus accepit, quid reſpondendum?

R e s p. Quæſtionem hanc doctè quidem diffinit Salon in 2. Sancti Thomæ, quæſt. 88. art. 2. de Monte Pietatis, num. 15. oſtendens, quòd ſicut iuſtum eſt, vt qui plus indiget, plus recipiat, ita è conuerſo plus contribuat pro expenſis Montis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si ageretur a Fiſco ad pœnam fractæ pacis, cauſa dicitur criminalis, vel ciuilis, de qua in §. 8. & ſeqq.

R e s p. Ciuilis, ſi agitur ad pœnam promiſſam in contractu pacis. Bart. in l. 1. de ſepulch. viol. Rota deciſ. 226. in antiq. ſecundùm impreſſionem antiquiorem, Bertazzol. conſ. 280. lib. 2. num. 6.

LXXXIX.

Edita Anno 1602. Apoſtolicæ Sedis auctoritati maximè conuenit, & infra pag. 138. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Caroli Molinæi ſcripta, & Commentaria doctrinam pernicioſam, & Catholicæ fidei contrariam continent, ideóque in Indice librorum prohibitorum expreſsè interdicta, & nihilominus nonnulli eis variis ſub prætextibus vtuntur, & vtendi licentias impetrant, ideo illa hic Pont. iterum damnat, illorúmque lectionem, & retentionem cuiuſcumque ſtatus perſonis, ſub pœnis in dicto Indice contentis, ac etiam ſuſpicionis hæreſis omnino interdicit. §. 3. Quaſcumque licentias etiam à Cardinalibus ſuper dicto Indice deputatis, ac ſupremis Inquiſitoribus conceſſas reuocat. §. 4. Et à ſolo Pontifice ſubſcriptas valere declarat. §. 5. Libros tamen Iuris Canonici, & Authorum Catholicorum habentes adnotationes, ſiue apoſtillas huius Caroli, deletis illis, & emendatis iuxta cenſuram nuper editam, retineri indulget. §. 6. Et ſupradicta opera Caroli prohibita Ordinariis, vel Inquiſitoribus conſignari mandat, atque comburi. §. 7. Et huius Bullæ publicationem Romæ factam, omnes arctare decernit. §. 8. Illiúſque tranſumpta in partibus ab Ordinariis publicari, & obſeruantiam curari iubet. §. 8. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Si quis compertus eſſet habere eiuſmodi libros, num ſe defendere poſſet, ſi diceret, retinuiſſe ad confutandum?

R e s p. Non, quia eorum lectio pernicioſa ac periculoſa eſt. Ita poſt alios tenet Pegna in Directorio Inquiſitor. par. 2. comment. 3. verſ. Tametſi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si iſte Carolus viueret, & alia Commentaria in futurum componeret, cenſerentúrne etiam illa damnata, abſque noua prohibitione?

R e s p. Ita ſanè, quia ſemel damnato Authore, omnia ab eo ſcripta damnata cenſentur, vt tradit idem Pegna vbi ſuprà, verſ. Monendi tamen ſunt.

XC.

Qvæ ad Religioſorum antiquũ inſtitutum, & infra pag. 139. Bullarij. *Edita Anno 1602.*

COMPENDIVM.

Decreuit Congregatio Canonicorum ſæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum, vt tam domi, quàm alibi, omni tempore, Religioſi ipſius Congregationis deferant togam coloris cærulei, prout deferebat B. Laurentius Iuſtinianus eiuſdem Congregationis inſtitutor, & modò ſupplicat Papæ pro dicti decreti confirmatione. §. 1. Qui confirmat, perpetuóque, & inuiolatè præcipit obſeruari. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Vidi hos Canònicos Miſſam, & Officium de hoc B. Laurentio in eius Feſto, & Octaua celebrare, dic amabo, qua id faciunt authoritate?

R e s p. Indulto huiuſmet Clementis, cuius hic ſubſequitur tenor.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Noſtræ authoriſatis partes in his rebus libenter interponimus, quæ ad Religioſorum pietatem, & deuotionem, quam erga ſuæ Religionis Fundatores, viros Beatos gerunt, magis declarandam pertinent, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Rectorum generalium, & vniuerſarum Congregationum S. Georgij in Alga, & S. Ioannis Euangeliſtæ Regni Portugallici, quæ ſub eiſdem habitu, & Regula ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantur, nobis nuper expoſitum ſuit, quòd cùm pro eo, quem erga B. Laurentium Iuſtinianum primum Patriarcham Venetiarum, earumdem Congregationum Fundatorem, gerunt deuotionis affectu, Officium de eodem B. Laurentio, quod ex Apoſtolicæ Sedis indulto de Communi Pontificis Confeſſoris, in eiſdem Congregationibus recitatur, cum Lectionibus propriis, & Miſſam, vt infrà, deinceps recitare, & celebrare poſſe deſiderent, Lectiones huiuſmodi cum Antiphonis, ac orationibus ad præſcriptum Romani Breuiarij Feſto ipſius B. Laurentij accommodatis compilari curarunt, ac ad nos, & Apoſtolicam Sedem examinandas, & approbandas humiliter remiſerunt; nobíſque humiliter ſupplicari fecerunt, vt eorum pio deſiderio in præmiſſis de benignitate Apoſtolica annuere dignaremur. Nos igitur Rectorum, & Congregationum prædictarum piis votis, quantum cum Domino poſſumus, ſatisfacere cupientes, Lectiones, Antiphonas, & preces, ac Miſſam prædictas dilecto filio noſtro Cæſari tit. SS. Nerei & Acchilei Presbytero Cardinali Baronio nuncupato, examinandas, & reformandas commiſimus, qui Cæſar Cardinalis retulit diligenter ſe illas examinaſſe, vidiſſe, cognouiſſe, atque probaſſe. Quare prædictos Rectores, & Congregationes, eorúmque Canonicos, ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, &c. ſupplicationibus eorum nomine ſuper hoc, vt præfertur, humiliter porrectis inclinati; Lectiones, Antiphonas, preces, & Miſſam huiuſmodi, vt præfertur, à d. Cæſare Cardinali viſas, cognitas, examinatas, atque probatas, ac inferius inſertas Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore perpetuò confirmamus, & approbamus, ac eiſdem Rectoribus, & Canonicis vniuerſis, vt tam publicè in Choro, quàm priuatim illas in Officio, quod in Feſto, & Octaua B. Laurentij ab eis recitatur, pariter reſpectiuè recitare, & illas recitando obligationi recitationis diuini Officij ſatisfacere poſſint, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Non obſtante quòd feſtus dies B. Laurentij prædicti non ſit in Kalendario Romano deſcriptus, ac noua Breuiarij editione, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; cõtrariis quibuſcumque. Datum Ferrariæ die 27. Septemb. 1598. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sed cur etiam qualibet quinta feria cuiuſlibet hebdomadæ, alio Feſto non impedita, idem recitant Officium?

RESP. Alio ſuffulti fel. record. Pauli V. indulto, cuius hic habes exemplar.

PAVLVS PAPA QVINTVS

Ad perpetuam rei memoriam.

Cvm ſicut accepimus fel. record. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter aliàs dilectis filiis Canonicis Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum indulſerit, vt in eorum Eccleſiis Feſtum B. Laurentij Iuſtiniani, dictæ Congregationis Fundatoris ſolemniter celebrare, ac officium, & Miſſam cum Lectionib. propriis de eodem B. Laurẽtio recitare licitè poſſint, prout in eiſdẽ prædeceſſoris literis in forma Breuis deſuper expeditis pleniùs continetur. Cúmque poſtea iidem Canonici in Capitulo generali eiuſdẽ Congregationis ordinauerint, vt ab eiuſdem Congregationis Canonicis, & Religioſis Officium prædictum de B. Laurentio feria v. cuiuſcumque hebdomadæ, alio Feſto non impedita recitaretur; nunc vt Officium ipſum d. feria v. maiori cum veneratione recitetur, cupiunt huiuſmodi ordinationem per nos comprobari, ac aliquam illis, ac aliis intereſſentibus, indulgentiam benignè concedi. Quare nobis ſupplicatum fuit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorũ piis votis, quantũ cum Domino poſſumus, annuere cupientes, ac ipſos Canonicos ſpecialibus fauo

fauoribus,& gratiis proſequi volentes,& eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis,ſuſpenſionis,& interdicti,aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, vel pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis (ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt) ad effectum dumtaxat præſentium conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon literarum Clementis prædeceſſoris prædictarum tenorem præſentibus pro expreſſis habẽtes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationem prædictam de recitando Officio de B. Laurentio feria v. cuiuſcumque hebdomadæ,alio Feſto non impedita, confirmantes,& approbantes,omnibus, & ſingulis eiuſdem Congregationis Canonicis, qui Officium huiuſmodi,ſiue in Choro,ſiue extra Chorum deuotè recitauerint,vt præfertur, necnõ aliis vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus Officio huiuſmodi,ſeu Miſſæ de B. Laurentio deuotè intereſſentibus, tres annos de iniunctis eis, ſiue aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta, qualibet vice id egerint relaxamus.Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis,& ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur vbique quæ ipſis præſentibus haberetur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum,ſub annulo Piſcatoris,die 29.Iulij 1605.Põtificatus noſtri anno primo.

X C I.

Edita Anno 1602. PRo noſtri Paſtoralis muneris debito, & infra pag. 139. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prouincialem,& Fratres Tertij Ordinis S. Franciſci Prouinciæ Dalmatiæ, & Iuſtinopolitan. Vicario, & Viſitatoribus Generalibus dicti Tertij Ordinis Italiæ ſubiicit, illóſque Fratribus Italiæ vnit.§. 1.2.& 3. Et iſtorum priuilegia illis communicat.§.4. Vicario, & Viſitatori prædictis, vt Prouincialem, & Fratres d. Prouinciæ Dalmatiæ, & Iuſtinopolitan. benignè recipiant,adhortatur. §.5. Eóſq; è conuerſo vt debitam, deuotámque reuerentiam iſtis exhibeant.d.§.5.Quibuſcumque non obſtantibus. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Viſitator num poterit alteri viſitationem delegare?

RESP. Si Viſitator eſt electus cum plenitudine poteſtatis, poterit, niſi ſit reſtricta electio ad perſonaliter viſitandum. Rod. poſt Felyn. quem allegat de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 4. artic.3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Viſitator habétne ſummariam iuriſdictionem?

RESP. Habet, procedit etenim abſque figura iudicij; debet tamen audire partem,eiúſque legitimam defenſionem. clem. Paſtoralis. in fin.de re iud. & Feder.de Sen.conſ.55.num.1.& 2.

X C I I.

EX iniuncto nobis Apoſtolici muneris debito, & infra pag. 140. Bullarij. *Edita Anno 1602.*

COMPENDIVM.

Quia aliqui in dubium reuocarunt,an Fratres Reformati Ordinis Minorum S. Franciſci de ſtrictiori obſeruantia, ſint veri obſeruantes Regulæ S. Franciſci,eo quòd ſub obedientia Cuſtodum iuxta huius, aliorúmque Pontt. Conſtitutionũ formam viuunt, & eorum Superiores Cuſtodes, & non Miniſtros appellant, ideóque non ſatisfaciunt Regulæ Sancti Franciſci, iuxta cuius literam ſub obedientia Miniſtrorum viuere debent. §. 1. Declarat hic Pont. Cuſtodes à Miniſtris ſolo nomine differre, & propterea eos veram S. Franciſci,& non nouam Regulam obſeruare.§.2. Priuilegiis, & præeminentiis Fratrum de Obſeruantia gaudere declarat. §. 3. Et ita, & non aliter ſeruari præcipit.§.4.Executóréſq; deputat.§.5. Contraria tollit.§.6.Tranſumptis quoque credi mandat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quæ eſt huius Pontificis Conſtitutio, de qua in §. 1.

RESP. Eſt Conſtitutio 45. de qua ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cuſtodum, & Miniſtrorum nomina nónne ſynonyma ex ipſamet B. Franciſci Regula dignoſcuntur?

RESP. Synonyma ſic dignoſci apertè

demonſtrat Rod. de quæſt. Regul.quæſt. 70. artic. 1.

XCIII.

Edita Anno 1602.

APoſtolici muneris, & infra pag. 141. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio pro regimine Monaſterij S. Catherinæ de Roſa dudum in Vrbe pro adiuuandis, & piè educandis pauperibus puellis, in periculo amittendæ pudicitiæ conſtitutis erecti, donec ad nubilem ætatem perueniat, congrua conſtituta dote, matrimonio collocentur, multoties ob eius paupertatem rerum anguſtia premitur, ſupplicat Papæ pro opportuna deſuper prouiſione.§.1. Qui ideo ſtatuit,vt Congregatio ad dictis puellis in totum,vel in perte alimenta ſubminiſtranda parentes cogat, vel conſanguineos, ad quos earum cura, & alimentatio pertineret, vel bona puellarum exiſterent, iuxta qualitatem perſonarum. §. 2. Puellásque in d. Monaſterio degentes nullo pacto abſque Prælati Congregationis conſenſu, præterquàm in Monaſterij vtilitatem, contrahere poſſe vetat. §. 3. Eáſque à Congregatione dotatas ſine filiis legitimis, & naturalibus decedentes,de eorum bonis etiam ad fauorem aliorum locorum piorum,niſi dicto Monaſterio vltra dotẽ, quartam partem bonorum ſuorum relinquant,diſponere prohibet.§.4. Clauſulas præſeruatiuas huius Bullæ ſubdit. §. 5. Contrariorúmque derogatorias. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Tanto ergo ſtudio virginitas, & pudicitia procuranda eſt, & exiſtimanda?

RESP. Meritò quidem, cùm virginitas Dei templum ſit, & qui eam habet,fortitudinem habere dicatur.cap.Ita ne aliqui. 3. cauſa 32. quæſt. 5. & tradit Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 2. cap. 26. ac Cyprian. in lib. de Virginitate inquit, *Virginitas eſt ſoror Angelorum,victoria libidinum, Regina virtutum, poſſeſſio omnium bonorum, quæ tenet in Cælo aureolam, & in terra principatum.* Sed & alia multa de virginitate ſcitu digna ſcribit Caſſan. in catalog. glor. mundi. parte 3. conſid. 39.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui ſunt illi conſanguinei, ad quos puellarum alimentatio, de qua in §. 2. pertinet?

RESP. Longo ſermone id explicandum foret;perlege ergo poſt alios Surd. de aliment. tit. 1. per totum.

XCIV.

Edita Anno 1602.

SAnctæ Romanæ Eccleſiæ dignitati, & infra pag. 142. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Vniuerſitatem Studij generalis antiquitus in Ciuitate Ferrariæ fuiſſe inſtitutam. §. 1. Cui dat ipſe facultatem eligendi Rectorem. §. 2. & ſeq. Qui certas cauſas Scholarium cognoſcat.§. 4. Et vnà cum aliis Officialibus d. Vniuerſitatis ſtatuta reformet.§.5. Scholaribus licentiam geſtandi arma concedit. §. 6. Lectoréſque & Scholares eximit à gabellis, & impoſitionibus. §. 6. Priuilegia Studij Bononienſis concedit. §. 7. Collegiis Doctorum, & d. Vniuerſitati, priuilegia Doctorum, & Vniuerſitatis Studij Bononienſis elargitur. §. 8. Executores deputat pro executione prædictorum, quibuſcumque non obſtantibus. §. 9. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Glorioſúmne eſt huic Pontifici huiuſce Generalis Studij rationem habere, & illud priuilegiis decorare?

RESP. Sic eſſe multis probat authoritatibus Caſſan. in ſuo catalog.glor. mundi. par. 5. conſid. 21. vbi in fine ſubdit, quòd Iudocus Clictoueus iure inuehit contra Lutherum Studia, & Gymnaſia reprobantem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si hoc Studium ſpecialia generalis Studij non haberet, num generale dici poſſet?

RESP. Poſſet,ſi generale reputatum fuiſſet à tali tempore, cuius initij memoria non extaret in contrarium, vt tenet gloſ.in clem.2.§.Nos autem, in verb. generalibus,& ibid. Zabar. n. 15. de ſepultur.Et tolerantia Principis tam longo tempore vim habet conceſſionis, & reuocationis illius prohibitionis, quæ habetur in procem. Digeſtorum. §. Hæc autem tria, vt innuit gloſ. iam cit.

Decet

XCV.

Edita Anno 1602. *&* 1603. DEcet Romanum Pontificem,& infra pag.143. *Item*;Ad Romanum Pontificem, & infra pag. ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat, de anno 1600. Viſitatores Apoſtolicos die 27. Aprilis decreuiſſe, quòd Fratres Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo manutenerentur in quaſi poſſeſſione præcedendi Fratribus Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum. §. 1. & 2. Et Rotam Romanam de eodem anno, die 10. Martij, etiam in petitorio idem ſtatuiſſe ad fauorem Carmelitarum. d.§. 2. Et hoc idem hic Pont.modò ſtatuit;Fratréſque de Mercede ad Proceſſiones publicas, & funeralia accedere debere de voto Congregationis Sacrorum Rituum. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Obſtantiáque remouet. §. 6. Et hanc diffinitionem vbique locorum ſeruandam eſſe declarat in Conſtit.ſubſeq.§.3.

Scholion primum.

Quæro. Quæ potuit eſſe ratio, ob quam præcedentia Carmelitis data fuerit?

RESP. Quia Carmelitarum Ordo ab Honorio III. anno 1226. in eius Conſtit. 8. de qua ſup. tom. 1. Fratrum verò de Mercede anno 1235.à Greg.IX.in eius Conſt. 9.de qua ſup.tom. 1. approbatus fuit. Et tempus approbationis Sedis Apoſtolicæ attenditur in materia præcedentiæ inter Regulares, vt aliàs à me accepiſti.Et ita habetur in deciſ.Rotæ,de qua in §. 2. fit mentio, quæ firmata fuit coram Lita in titulata Oriolen. præcedentiæ.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Decretum Congregationis Rituum, de quo hic in fine, quando emanauit?

RESP. Die 21. Auguſti hoc eodem anno, quo Pont. iſte poſtea prædictam edixit ſecundam Conſtitutionem. Eiúſque decreti tenor hic ſubſequitur, videlicet: *In cauſa præcedentiæ inter Fratres Carmelitanos, & Fratres Beatæ MARIAE de Mercede,audita relatione Illuſtriſſimi,& Reuerendiſſimi Card.de Monte,qui prius fecerat etiam verbum cum Sanctiſſimo D. N. Sacra Rituum Congregatio cenſuit,in omnibus locis Fratres Carmelitanos debere præcedere Fratribus de Mercede, iuxta diſpoſitionem literarum Apoſtolicarum in forma Breuis expeditarum ſub die 15. Nouembris 1602. & mentem eiuſdem Sanctiſſimi D.N. Papæ, & ita declarauit hac die 21. Auguſti 1604.*

ALEXANDER Card. Florentinus.

XCVI.

EXpoſitum nobis nuper fuit, & infra pag. 144. Bullarij. *Edita Anno* 1603.

COMPENDIVM.

Rectores Eccleſiarum Parochialiũ in Indiis eleemoſynas duplo maiores ab his, qui in Eccleſiis Ordinis Sancti Franciſci de obſeruãtia,quã qui in Parochialibus ſepeliuntur, exigere cœperunt in præiudicium d. Ordinis, qui propterea Papæ ſupplicarunt pro opportuna prouiſione.§.1. & 2. Qui ideo prohibet huiuſmodi exactionem,quibuſcumque non obſtantibus.§.3.& 4.Fidémque tranſumptis huius decreti dari præcipit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Quæ erit igitur hæc eleemoſyna?

RESP. Ea, quam conſtituit Concil. Trid.ſeſſ.25.cap.3.& Pius V.in Conſt. 41. de qua ſup. tom. 2. Ita namque ſtatuit Paul.V.infrà in ſua Conſt.47.§.5.quę poſt hanc editam Bullam ad Genitoris mei manus peruenit,ideóque per eum de more hic non potuit indicari.

Scholion ſecundum.

Quæro. De quibus Indiis Conſtitutio iſta intelligi debet?

RESP. De Occidentalibus,& Orientalibus, quia ſic cenſuit Paulus V. in eadem Bulla 47.

XCVII.

DOminici gregis diuina prouidentia, & infra pag. 144. Bull. *Edita Anno* 1603.

COMPENDIVM.

Innouat Conſtitutionem 4. Pauli IV. publicatam Romæ anno 1556. de qua ſup. tom. 1. Et neminem ex his, qui illi contrauenerunt, vllo ignorantiæ prætextu excuſari, ſed tanquam relapſos in hæreſim haberi, & propterea Curiæ ſæculari tradi debere decernit, quibuſcumque non obſtantibus. §. 1. & ſeqq. Et ne de cætero eiuſmodi ignorantia valeat allegari, in Vrbe eamdem Conſtitutionem publicari, & deinde omnes arctare, ac ſi perſonaliter eis eſſe intimata. §. 3. Et potiori pro cautela præcipit omnibus Inquiſitoribus, vt in eorum Ciuitatibus, vbi degunt, & vbi illi non ſunt, locorum Ordinarij dictâ publicationem curent. §. 6. Et huius Bullæ exemplis plenè credatur. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Erat ergo dubium, an Conſtitutio Pauli IV. de qua hic in principio, publicata Romæ omnes alios vbique extra Prouinciam liget, vbi ea publicata non fuit?

RESP. Controuerſa nimis videtur hæc apud DD. quæſtio; ſiquidem negatiuam communem eſſe ſcripſit Alex. conſ. 52. lib. 7. ſub numero 1. Anchar. Regienſ. quæſt. 59. lib. 2. numero 3. Oſaſc. deciſ. Pedem. 141. num. 2. quam veriorem, & magis communem, & veram appellat Burſat. conſ. 200. lib. 2. numero 105. & lib. 2. conſ. 255. num. 3. Affirmatiuam autem magis communem affirmat Nauar. conſ. 1. de Conſtit. numero 19. & Pariſ. in tract. de reſignat. benefic. lib. 11. quæſt. 9. numero 6.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quam ergo teneres opinionem?

RESP. In terminis dictę Bullæ Pauli IV. quæ erat in antiquiori Genitoris mei Bullario iamdiu vbique peruulgato, affirmatiuæ ſententiæ adhæreo; quam opinionem ſeruandam dixit Imola in cap. 2. de conſtit. num. 7. & ibid. Mandoſ. in repet. num. 79. Franc. in reg. vltim. de Regul. iur. in 6. num. 13. & Nauar. in loco cit. Sed in alia Bulla ſingulari in diſtantibus Prouinciis communiter ignota contrarium dicerem, præſertim ſi ageretur de alia pœna, quã nullitatis actus, prout aliàs tenuit Genitor meus tẽpore Farinacij Procuratoris Fiſcalis in vna Peruſina gratiæ, vt ille meminit, ſed non aperto ore loquitur in ſuo conſ. 149. n. 3. & 4. vbi recenſet DD. ferè omnes quos Genitor meus contra eum allegabat, excepto Molin. de contract. diſp. 395. ſub numero 4.

XCVIII.

CVm ſicut accepimus, & infra pag. 145. Bullarij. *Edita Anno 1603.*

COMPENDIVM.

Accepto quòd in locis Perualibus exiſtentibus in Indiis Occidentalibus, ſub inuocatione Sanctiſſimi nominis IESV Confraternitates nonnullæ canonicè fuerunt inſtitutæ, & inſtituuntur, ad hoc, vt maiora in dies ſuſcipiant incrementa, ad ſupplicationem Epiſcoporum Regni Peru, dictam Confraternitatem intrantibus, aut in die Circumciſionis Domini illius Altaria viſitantibus, plenariam Indulgentiam perpetuò elargitur. §. 1. & 2. Eiſdem alia pia opera exercentibus, alias Indulgentias concedit. §. 3. Non Confratribus verò alias itidem ad viginti annos relaxat. §. 3. & ſeq.

Scholion primum.

Quæro. Numquid Confratres volentes ingredi Confraternitatem, debeant perſonaliter adire loca, vbi ſunt Fratres ad ſcribendum deputati?

RESP. Dubitauit de hoc Nauarr. dum in Confraternitate Roſarij ſe ſcribi fecit, ſed tandem id licere affirmat, eo quod nulla lege diuina, naturali, poſitiua, aut alia lege prohibitum eſt, in miſcell. de oration. ſub num. 23. verſ. Dubitaui ſecundò.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Confraternitas ſtatueret, ne quis eam intret, niſi certum quid ſibi perſoluat, valerétne?

RESP. Valeret, ſi in pios vſus ceſſurum eſſet, ſecus ſi in profanos, vt ſubdit Nauar. vbi ſuprà, verſ. Dubitatur tertiò, & conuenit diſpoſit. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 14.

XCIX.

XCIX.

Edita Anno 1603.

QVoniam ad inſtitutum, & infra pag. 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordinariis locorum prohibet licentiam concedere cuicumque etiam Mendicantium Ordini, nouos Conuentus erigendi, niſi vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa cognita ſine aliorum detrimento, commodè ſuſtentari poſſe. §. 1. Appellationem etiam ſuſpenſiuam ab eorum ſententiis ad Sedem Apoſtolicam concedit. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. An iſta prohibitio intelligatur etiam de mutatione Conuentus de vno loco ad alium in eadem Ciuitate?

RESP. Negatiuè reſpondet Rod. de quæſt. Regular. quæſt. 49. art. 9. vbi ſic refert tenuiſſe Gemin. & Baptiſtam de Salis. Ab eo tamen diſcedere cogor, quia Bonifac. VIII. in cap. 1. de exceſſ. Prælator. prohibet etiam eiuſmodi mutationem, militátque eadem ratio, quæ fuit motiua in hac Conſtitutione, nempe detrimenti, quod aliis Regularibus eiuſmodi mutatio afferre poteſt, cùm notum ſit frequentiores eleemoſynas impartiri Religioſis, ad quos ob loci amœnitatem, aut aëris ſalubritatem, vel aliam, populi confluit multitudo. Quod Gemin. ſentit in d. cap. 1. num. 3. & Ioann. Andr. ibidem poſt princip.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi aliquis Ordo dimiſit aliquem Conuentum, id eſt, eius habitationem, an poſſit ad illum abſque licentia redire?

RESP. Redire poſſe ſcribit Rod. vbi ſuprà, ea ratione ductus, quòd non poſſit dici Conuentus nouiter erectus. Sed ex identitate rationis contrarium verius puto, quia Conuentus hic non intelligitur quoad materiam, vel fabricam, ſed quoad Religioſorum in vnum cohabitationem, quæ proculdubio de nouo rediens, poteſt aliis Regularibus eſſe detrimento, in quo facit vim iſta Conſtitutio.

C.

Edita Anno 1603.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hieronymus Mathæius S. R. E. Cardinalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia Protector decreuit, ne quis illorum, etiam Prælatus, quicquam audeat amouere, occultare, auferre, aut ſecum deferre de Monaſteriis concedendis Fratribus ſtrictioris obſeruantiæ, aut eis ad id conſilium, aut auxilium præſtare ſub pœna priuationis officiorum, & dignitatum Ordinis, & vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum. §. 1. & 2. Omnibúſque Prouinciarum Miniſtris, & Commiſſariis præcepit, vt eiuſmodi decretum publicari faciant. §. 2. Hic modò Pont. confirmat, omnéſque defectus ſupplet, & ſub dictis pœnis obſeruari, & in ſingulis Capitulis Prouincialibus publicari mandat. §. 3. Contraria aufert. §. 4. Et tranſumptis huius Conſtit. credi iubet. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Hæc anathematizatio ligabítne rem minimam ex dictis Conuentibus auferentem?

RESP. Videtur non ligare, niſi illa modica res ſit maximum præiudicium allatura, vel animum alias quoque maioris valoris res furandi habuiſſet: his etenim caſibus notabiliter peccat, & anathemate ligatur. Syl.ueſt. in ſua Summa, in verb. Furtum. quæſt. 2. numero 4. & 5. Molina de contract. quæſt. 4. in fine. Couar. var. reſolut. libro 1. cap. 3. numero 12. Nauarr. in Manual. cap. 17. numero 4. & 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Modica res quæ diceretur?

RESP. Arbitrio boni viri, qui perſonarum, & rerum qualitate penſata, id poterit arbitrari. Gloſſa in l. Sed etſi ſuſceperit. 52. §. 1. in verb. modica. ff. de Iud. Sylueſt. & Couar. vbi ſuprà, Franc. Marc. deciſ. 6. par. 2. numero 4. Graff. lib. 2. ſuarum deciſ. par. 1. cap. 93. numero 27.

C I.

Edita Anno 1603. Romanum Pontificem decet, & infra pag. 147. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli temerariè prætendere audebant, Fratres Reformatos Diſcalceatos Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo non eſſe veros Carmelitas, neque vnum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, hic ideo Pontifex contrarium determinat. §. 1. Et omnibus priuilegiis Ordinis gaudere decernit. §. 2. Contradicere præſumentes anathematis vinculo innodat. d. §. 2. Quamcumque eius præeminentiam, ac prærogatiuam nullo modo, decurſu temporis, aut alio præſcriptionis modo, facto perdere ſtatuit. §. 3. Ad Proceſſiones generales compelli non poſſe diffinit. §. 4. Et ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 5. Executoréſque deputat. §. 6. Contraria remouet. §. 7. Tranſumptis etiam credi iubet. §. 8.

Scholion primum.

RESP. Præſcriptio, de qua in §. 3. ſi ſit immemorabilis, præiudicabítne his Carmelitis?

RESP. Non, quia reprobatio præſcriptionis eſt fundata in cauſa, quæ perpetuò durat, nempe, vt Carmelitę poſſint ſine præiudicio præeminentiæ ſui Ordinis, humilitatis eſſe æmulatores, vt legitur in textu d. §. Sic tradit poſt alios Gabr. de præſcrip. concluſ. 1. num. 32. vbi videas de materia.

Scholion ſecundum.

Quæro. prærogatiua, ſeu præcedentia huic Ordini num debetur, reſpectu aliorum Ordinum, attento tempore inſtitutionis Regulæ, vel tempore approbationis à Sede Apoſtolica obtentæ?

RESP. Approbationis tempus attendendum eſſe probat Collegium Bononiæ in conſ. 1. poſt conſilia Zabar. numero 20. Collegium Paduanum conſ. 2. numero 71. & Collegium Ferrariæ conſ. 356. numero 13.

C II.

Edita Anno 1603. Decet Romanum Pontificem, & infra pag. 148. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. Hoſpitale, & Militiam S. Lazari ſub B. Petri, Sediſque Apoſt. protectione in ſua Conſt. 95. de qua ſup. tom. 2. reduxit. §. 1. Eorúmque priuilegia ibidem confirmauit. §. 2. Indultum retinendi penſionem ſcutorum 500. ſingulis eorum conceſſit. §. 3. Pius V. in ſua Conſt. 28. de qua ſup. tom. 2. reformauit. §. 4. Et in alia eius Conſtit. 78. de qua ſup. tom. 2. generaliter reuocauit. §. 5. Gregorius XIII. Militiam S. Mauritij in eius Conſt. 6. de qua ſup. tom. 2. in loco à Duce Sabandiæ deputando inſtituit, & illum M. Magiſtrum illius creauit. §. 6. Eique d. Militiam, & Hoſpitale S. Lazari vniuit. §. 7. Et quædam loca in d. vnione reſeruata ſuppreſſit, & diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſeruauit. §. 8. Ex hac vnione magnum euenit incrementum, maiúſque ſperatur. §. 9. Hic modò Pont. omnia priuilegia approbat ſaluis modificationibus infrà dicendis, & aliis contentis in d. Conſtit. Pij V. §. 10. Eiuſdem Pij reuocationes, & Gregorij XIII. ſuppreſſionem de locis in Hiſpania exiſtentibus irritat, & cùm vacauerint, d. Militiæ S. Mauritij, & Lazari reſtituit. §. 11. Vnionem ſupradictam approbat. §. 12. Indultum retinendi penſiones ad ducat. 400. reducit. §. 13. Clauſulas huius Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 14. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 15. Executores deputat. §. 16. Contrariíſque derogat. §. 17. M. Magiſtrum duas triremes pro Sede Apoſtolica inſtructas tenere obligatum declarat. §. 18. Tranſumptíſque huius Conſtit. credi iubet. §. 19.

Scholion primum.

Quæro. Cur putas ſub denominatione S. Mauritij erectam fuiſſe eiuſmodi Militiam?

RESP. Glorioſus fuit S. Mauritius Militum Magiſter pro Eccleſia, & fide Chriſti cum ſociis ſuis, vt ſcribit S. Greg. lib. 12. Epiſt. 21. & 23. relatis in cap. 117. cauſ. 23. quæſt. 8. & in cap. ſeq. & tradit etiam Reſtaur. Caſtald. in ſuo Tract. de Imperat. quæſt. 24.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis eius, ſociorúmque præclara acta deſcripſit?

RESP.

Resp. Sur. de vit. SS. tom. 5. ſub die 22. Septembris, qua S. R. Eccleſia eorumdem glorioſi certaminis Feſtum piè recolit, vt eadem die notat Baron. in Martyrolog. vbi alios, qui de eiſdem Martyribus ſcripſerunt, commemorat, ſubditque Lanceam B. Mauritij in Eccleſia Cracouienſi aſſeruari, ex Chron. de reb. Polon. lib. 3.

CIII.

Edita Anno 1603.

ALtiſſimi diſpoſitione, & infra pag. 151. Bullarij.

COMPENDIVM.

Duo Eremitoria, vnum Eremi del Tardon Cordubenſis, & alterum Vallis de Galleguillos Hiſpalenſis diœceſis, fundata à Matthæo de la Frate Toletanæ diœceſis, qui vnà cum ſociis SS. Patrum in ſolitudinibus errantium imitatores facti, ad illa ſe receperunt, ibíque deuotæ contemplationi dediti proprio labore victum parantes, pauperem vitam ducebant, aſperis veſtibus corpus domantes, & eleemoſynas non petierũt, neque oblata receperunt, Gregor. XIII. in Monaſteria S. Baſilij Magni erexerat. §. 1. Et illa cum alio Monaſterio S. MARIÆ de Ouiedo Giennenſis diœceſis in vnam Prouinciam S.Baſilij nuncupandam, necnon aliis Monaſteriis in Regnis Hiſpaniarum, in poſterum conſtruendis vniuerat, & ſub poteſtate futuri Abbatis generalis in Italia incorporauerat. §. 2. Sed exortis nonnullis poſtea perturbationibus, hic Pont. eis ſublatis, ad Regularis obſeruantiæ inſtituti S. Baſilij præſeruationem ſtatuit, & declarauit, inſtitutum S. Baſilij eſſe Monachale, & non ſolùm cum cæteris in tribus ſubſtantialibus votis conuenire, ſed quædam peculiaria præcepta habere, quorum duo præcipua ſunt, alterum in oratione, alterum in manuum laboribus ad neceſſaria comparanda exercitio. d. §.2. & ſeqq. Firmauitque in Capitulo primo, quid ſeruandum ſit circa vitam communem. In ſecundo, circa numerum Monachorum. In tertio, circa orationem, & Chorum. In quarto, circa manuum laborem. In quinto, circa eſum carnium. In ſexto, circa veſtimenta. In ſeptimo, circa viſitationem eorum, quæ hoc poſſunt impedire inſtitutum. In octauo, circa ſitum, & fundationem Monaſteriorum. In nono, circa redemptionem Nouitiorum. In decimo, circa conſtitutiones de cætero faciendas. Iſtarum Conſtitutionum obſeruantiam diſtrictè præcipit. §. 15. Executoréſque deputat. §. 16. & ſeqq. Abbatis generalis poteſtatem circa hos Monachos Reformatos declarat. §. 19. Quos ſpecialem Procuratorem in Romana Curia habere poſſe decernit. §.20. Alios in Hiſpaniis exiſtentes Monachos, has conſtitutiones non acceptantes, & ad illa duo Monaſteria del Tardon, & Vallis de Galleguillos non accedentes, in aliis locis cum diſtinctis Superioribus iuxta antiquum eorum viuendi modum viuere indulget, ſed nouitios recipere vetat. §. 21. Et dicta duo Monaſteria tantùm cum aliis ab eorum Monachis Reformatis denuò iuxta hanc reformationem fundandis, Nouitios recipere permittit. §. 22. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 23.

Scholion primum.

Quæro. Hic Baſilius cur Magnus nuncupatur?

Resp. Quia Athenis vnà cum Gregorio Nazianzeno eius amiciſſimo, ſæcularibus literis, deinde in Monaſterio ſacris mirabiliter eruditus, eum breui curſum fecit ad omnem doctrinę, & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen inuenerit, vt habetur in 2. Nocturn. ſui, quod Eccleſia recitat, Officij in 4. Lectione, ſub die 14. Iunij.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore è vita exceſſit?

Resp. Anno Domini 378. die 1. Ianuarij Gratiano imperante; Eccleſia tamen feſtum agit d. die 14. Iunij, qua ad Epiſcopatum ordinatus fuit, teſte Baron. poſt alios, quos recenſet in ſuo Martyrolog. iiſdem diebus 1. Ianuarij, & 14. Iunij.

CIV.

EX iniuncto nobis, & infra pag. 154. Bullarij. Edita Anno 1603.

COMPENDIVM.

Statuit, Fratres Prædicatores Sancti Domini

Dominici cappam nigram, Fratres verò Eremitas S. Auguſtini tunicam nigram vbique locorum deferre debere, ad euitandam habitus vtriuſque Ordinis confuſionem.§.1.& ſeqq.Controuerſiam deſuper ortam extinguit.§.5. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 6. Executores deputat. §. 7. Contraria remouet. §. 8. Tranſumptiſque huius Bullæ credi mandat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Si ex his Fratribus quis fiat Epiſcopus, vel Cardinalis, poteritne ſuæ habitum Religionis mutare?

RESP. In ſuæ Religionis habitu perſeuerare debet,& ſic præter votum, quo ſe Deo aſtrinxit, Religionis,in qua profeſſus eſt,decus, & honorem ſeruat, atque teſtificatur.cap.Clerici.15.vbi ſcribb. notant communiter de vita, & honeſt. Clericor. & Oldrad. conſ.184.num.13.& in addit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Deferenti eiuſmodi habitum, ſi extra Monaſterium decedat, illud, aut eius conſanguinei ſuccedent?

RESP. Videntur conſanguinei ſuccedere,tanquam à iure vocati,niſi aliunde,quàm ex habitus delatione, defunctũ conſtet illius Religionis eſſe profeſſum, quia in grauibus præſumptio ſumpta ex huiuſmodi habitus delatione leuis eſt,& inſufficiens,vt in ſimili quæſt.de Clerico ſcripſit Tiraquell. de præſcript. libro 6. præſ. 76. num. 4. & ſeqq.

C V.

Edita Anno 1603. EX debito Paſtoralis officij,& infra pag. 155. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cùm plurima Sanctimonialium Monaſteria ſub regimine Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, nonnulla habeant Miſſarum onera ex diuerſis piorum diſpoſitionibus, & legatis iniuncta, & dictæ Miſſæ à Fratribus celebrari ſoleant, hic Pontifex iuſtis de cauſis dicta onera ad Eccleſias dictorum Fratrum transfert. §. 1. & 2. Sed quod legata remaneant Monialibus, à quibus nihil Fratres pro dictis Miſſis recipere poſſint,niſi id,quod ex loci conſuetudine pro eleemoſyna vnius, vel plurium Miſſarum dari ſolet.§.3. Decernit, quòd pro Monialium ſeruitio in Monaſteriis, in quibus numerum 80. excedunt, Miſſæ duæ in feriatis, tres verò in diebus feſtiuis, & in Monaſteriis, vbi minor 50. Monialium numerus exiſtat, Miſſa vna diebus feriatis, & in feſtiuis duæ à Fratribus prædictis celebrari debeant. §. 4. Prohibétque alia de cauſa, quàm ad celebrandas dictas Miſſas, & tunc de licentia Superiorum Fratres ad illa Monaſteria accedere poſſe.§. 5. Monaſteriáque prædicta Monialium occaſione d.tranſlationis ab Ordinariis,vel aliis non moleſtari. §. 6. Clauſulas huius conceſſionis præſeruatiuas ſubdit.§.7. Executores deputat.§.8. Contrariiſque derogat.§.9.

Scholion primum.

Quæro. Pro Miſſa ergo, de qua in §.3. pecuniam recipere licet?

RESP. Non pro Miſſa. cap. non ſatis. 8.vbi Canon. communiter de ſimon. quia non eſt pecunia æſtimabile.cap. qui ſtudet. 11. cauſa 1. quæſt. 1. & tradit Nauar. in Manuali Confeſſor. cap. 23. numero 106. Sed pro labore licet. Clar. in §. ſimonia,num.2. vt exinde Sacerdos ſe valeat ſuſtentare. Et ideo Pont. permittit recipi pro eleemoſyna. Et ita poteſt intelligi illud S. Auguſtini: *Accipient mercedem laborum ſuſtentationis à populo, mercedem verò à Domino*, vt inquit Graff. libro 2. par. 1. ſuarum deciſ. cap. 96. numero 35.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num prohibitio, de qua in §. 5. intelligenda ſit,quando fiunt exequiæ in Eccleſiis earum Monialium, aut Miſſæ celebrantur per Octauam?

RESP. Sacra Cardin. Congregatio ſuper Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, hoc dubium negatiuè reſoluit die 9. Auguſti, vt liquet ex eius lectura decreti, quod hic cenſui imprimendum.

SAnctiſſimus D. N. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. per ſuas literas in forma Breuis die 8.Nouem. 1603.Pontificatus ſui anno 12. datas,ex huius Sacræ Cõgregationis S.R.E.Cardinaliũ ſuper negotiis, ac Conſultationibus Epiſcoporum,ac Regularium præpoſitæ voto, quamplurima Miſſarum onera ab Eccleſiis Monaſteriorum

Monia

Monialium totius Italiæ, & præſertim Galliæ Ciſalpinæ, ſub cura, & regimine Fratrum Minorum de Obſeruantia exiſtentium, in Eccleſias eorumdem Fratrum Apoſtolica ſua auctoritate tranſtulit, necnon certum numerum Miſſarum in ſingulis eorumdem Monaſteriorum Eccleſiis celebrandum præſcripſit, præcipiens ſub priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, perpetuaque inhabilitatis pœna, ne quis ex dictis Fratribus ad prædicta Monialium Monaſteria, præterquàm ad celebrandas Miſſas prædictas de Superiorum licentia, & in diebus feſtiuitatum Monaſteriorum huiuſmodi, vel tempore receptionis, & profeſſionis Nouitiarum, ſiue obitus alicuius Monialis pro funere, & officio, vt moris eſt, peragendo, vllo modo accedere auderet, quemadmodum in eiſdem literis pleniùs continetur. Cùm verò, vti Superiores eiuſdem Ordinis eidem Congregationi nuper expoſuerunt, in eiſdem Eccleſiis Monialium exiſtant nonnullæ ſepulturæ, & Capellæ, in quibus defuncti ſepeliri ſolent, & ex teſtatorum voluntate anniuerſaria, & exequiæ in die obitus, & per totam Octauam celebrari conſueuerunt, atque in poſterum eiuſmodi ſepulturæ, & Capellæ, ex piorum legatis, cum pari onere extrui poſſint, opúſque eſſe propterea videatur, ipſos Fratres ad ea pietatis officia præſtanda ad dicta Monaſteria accedere, & conuenire, eadem Sacra Congregatio facto verbo cum eodem S. D. N. & de expreſſo ordine Suæ Sanctitatis declarauit, & declarat; eoſdem Fratres, quando defunctorum corpora ad Eccleſias earumdem Monialium deferri, & exequias, aut anniuerſaria officia pro iis, & Miſſas etiam per Octauas celebrari contingit, ad eaſdem Monialium Eccleſias, & Monaſteria de ipſorum Superiorum licentia licitè, & abſque pœnæ alicuius incurſu accedere poſſe, dum tamen ea occaſione tum temporis cum ipſis Monialibus non colloquantur. Firmis cæteroqui, & in ſuo robore permanentibus, quæ in dictis literis in forma Breuis ſtatuta, & ordinata ſunt. Romæ die 9. Auguſti M. DCIV.

ALEX. Card. Flor.

BERLINGERIVS GYPSIVS Secret.

C V I.

SAnctiſſimus D. N. Clemens, & infra pag. 156. Bullarij. *Edita Anno* 1603.

COMPENDIVM.

Permittit Cuſtodi Fratrum Minorum Sancti Franciſci ſtrictioris obſeruantiæ, vt cum vnanimi duorum Guardianorum, & duorum Diſcretorum cuiuſcumque Cuſtodiæ voto, Nouitios ad habitum recipere poſſit, non obſtantibus Suę Sanctitatis decretis, & cæteris aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis. §. 1. Ita tamen, vt priùs diligēter recipiendorum qualitates examinet iuxta Ordinis Regulam, decreta, & conſtitutiones Apoſtolicas. d. §. 1. Et Cuſtos teneatur ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in proximo Capitulo, vel Congregatione Cuſtodiali ſingulis annis habenda, referre quos acceperit Nouitios, & eorumdem qualitates, & in quibus Monaſteriis recepti commorentur, approbationémque receptionis obtinere, aliàs prædicta omnia nulla eſſe. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Vnanimis conſenſus, de quo in §. 1. diceturne, ſi ſolummodo vnus diſſentiat?

RESP. Affirmatiuè reſpondet Butr. in cap. 3. de eo quod met. cauſ. num. 1. Sed contrarium, & rectiùs firmat ibid. Panormit. num. 1. per illum text. Idque bene probat tex. in cap. 4. de poſtulat. Prælator. & in cap. vnanimiter. 6. & ibi DD. eod. tit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ ſunt huius Pontificis decreta in §. 1. enunciata?

RESP. Perlege in eius Conſt. 83. de qua ſup.

C V I I.

PRo noſtro Paſtorali munere, & infra pag. 156. Bullarij. *Edita Anno* 1603.

COMPENDIVM.

Si ex Congregatione Monachorum B. MARIÆ Fullienſis S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis, Monachi ad alium Ordinē trāſirent, & iterū ad eā reciperētur, illius quietē facilè perturbarent, quia diuerſā

viuendi formam ſeruarunt; ſeu ex quo licentioſè vixerunt. Papa ſtatuit, in d. Congregatione profeſſos ad aliam quãcumque Religionem etiam de Superiorum licentia tranſeuntes, nullatenus in hanc Congregationem recipi poſſe abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. §. 1. & 2. Contraria quæcumque non obſtare decernit. §. 3. Huiuſque diplomatis tranſumptis credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Dicéſne hanc prohibitionem comprehendere tranſitum ad arctiorem Ordinem?

R E S P. Dicam, quia cùm prohibitio ſit in duabus rationibus fundata, licèt ſecunda ceſſet, ſufficit tamen illa prima diuerſitatis vitæ, quæ remanet, præſertim attenta illa alternatiua (ſeu) cuius natura eſt, quòd vnum ex alternatis verificetur, & militet l. Si hæredi plures. ſ. iuncta gloſ. vlt. ff. de condit. inſtitut. cum aliis allegatis à Roman. conſ. 173. numero 1. Bald. conſ. 110. lib. 2. num. 3. Ægid. conſ. 2. num. 7. & Mandell. conſ. 234. num. 14.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vtrùm tranſitus de vna in aliam Religionem ſit regulariter conueniens?

R E S P. Non, niſi propter magnam neceſſitatem, & vtilitatem, alioquin multa exinde damna proueniunt, vt ex Abb. Neſtorio, & D. Bernardo explicat Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 52. artic. 1.

C V I I I.

Edita Anno 1604. CVm ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & infra pag. 157. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Vnam, eamdémque obſeruantiam celebrandi Miſſam collaudat, in procem. Pius ideo V. in ſua Conſt. 106. de qua ſup. tom. 2. Miſſale reformauit. §. 1. Sed in nonnullis perperam immutatum videtur. §. 2. Hic Pont. ſuæ integritati reſtituit, & emendauit. §. 3. Idémque à Pio V. editum, & ſic recognitum publicari iuſſit. §. 4. Romæ, & non alibi, abſque Inquiſitorum, vel eis non extantibus, Ordinariorum licentia imprimi mandat. §. 5. Aliorum vſum interdicit. §. 6. Licentiarum prædictarum, vt dentur, formam præſcribit. §. 7. Miſſalium iam impreſſorum vſum permittit. §. 8. Cõtrariis derogat. §. 9. Tranſumptiſque huius Conſtitutionis credi decernit. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Si vna, eadémque miſſandi commendanda eſt obſeruantia, vt hic ſuprà habetur in procemio, cur quandoque videmus Miſſas poſt meridiem celebrari contra communem obſeruantiam?

R E S P. Quia illa non habet locum, ſi aliqua iuſta ſubeſt cauſa poſt eam horam celebrandi, prout ſic tam de iure Canonico, quàm ex communi vſu id licere tradit poſt alios Nauarr. de orat. & Hor. Canonic. cap. 21. numero 31. vbi ſubdit exemplum de eo, qui die feſtiuo iter faciens, & miſſare non valens in loco, vnde exiuit, nec ante meridiem peruenire ad locum prandio deſtinatum, vtique potuit in eo poſtea miſſare, vt ipſe, ſuique ſocij præcepto audiendi Miſſam ſatiſfacerent.

Quæro. Cur Sacerdos quandoque Miſſam celebrat vno eius Miniſtro dumtaxat aſſiſtente, cùm ſæpius eum ſalutando dicat, *Dominus vobiſcum*, quæ ſalutatio duos ſaltem adeſſe præſupponit. l. vbi numerus. 12. ff. de teſtibus, cum ſimilib. prout & de eiuſdem Miniſtri verbis, *Habemus ad Dominum*, dicendum eſt?

R E S P. Ex mente Sancti Thomæ 3. par. quæſt. 3. artic. 5. ad 12. reſpondet Nauar. & neruosè quidem de orat. & Hor. Canonic. cap. 22. num. 87. Miniſtrum repræſentare perſonam totius Eccleſiæ; & ideo ex perſona ſua pluraliter ſalutari, & pluraliter reſpondere.

C I X.

QVoniam nemo, & infra pag. 158. Bullarij. Edita Anno 1604.

C O M P E N D I V M.

Fratribus Ordinis Cruciferorum Prælaturas, & gradus Ordinis aſſequi intendentibus, fauoréſque ad id à perſonis extra Ordinem, vel aliàs non legitimè eas procurantibus, eorúmque complicibus, & fautoribus pœnam inhabilitatis ad

ad dignitates, & munera Ordinis, priuationiſque vocis actiuæ, & paſſiuæ imponit. §. 1. & ſeqq. Admittentibúſque prædictos ad ea officia pœnam excommunicationis latæ ſententiæ infligit. §. 4. Electionéſque eorumdem irritas decernit. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 6. Contrariiſque derogat. §. 7. Et hanc prohibitionem in Capitulo publicari, eiúſque tranſumptis credi iubet. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt quod à Paulo V. dicitur circa eiuſmodi Fratrum ambitum nouiſſimè diffinitum?

RESP. Clementis Conſtitutionem prædictam ſpeciali eius diplomate ſolùmodo confirmauit die 3. Octobris *1615*.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num & Milites Cruciferi extiterunt?

RESP. Cruciferorum familias, ſeu Crucesignatos, vt operam militarem in fidei cauſa præſtarent, extitiſſe ſcribit Petr. Greg. Tholoſ. de Syntagm. Iur. lib. 15. cap. 33. num. 4.

C X.

Edita Anno 1604. QVoniam noſtro Paſtorali, & infra pag. 159. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Fratribus omnibus Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo ad tribunalia ſæcularia appellare quouis prætextu, aut ea quoquomodo adire, ſed ſi ſe grauari prætendunt, ad Priorem Generalem d. Ordinis, aut ad illius Protectorē in Romana Curia, vel ad Romanum pro tempore Pontificem recurrere permittit. §. 1. & 2. Contrauenientibus excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis officiorū, & inhabilitatis ad illa, & alia, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendas pœnas imponit. d. §. 2. Fautoribus, & conſultoribus eaſdem pœnas infligit. §. 3. Contraria tollit. §. 4. Huiuſque prohibitionis tranſumptis credi decernit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Conſultor non ſecuto recurſu incidet in has pœnas?

RESP. Non incurrit, quia ſeorſum à principali delinquente punitur. Caiet. in ſua Summa, in verb. Excommunicatio. cap. 25. & Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 27. num. 51. verſ. Adde. & in comment. ad Bullam Gregor. XIII. de dat. & recept. notab. 16. num. 43.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de conſultore, qui conſilium reuocauit?

RESP. Idem, ſed ſcias non ſufficere ſimplicem reuocationem: ſed neceſſe eſt, vt contrarium ſuadeat; non enim ille de facili conſilium relinquet, quia iam ſua intereſſe fuerat perſuaſum. Innocent. in cap. Ad audientiam. 12. de homicid. ſub num. 3. & de communi teſtatur Soc. ibid. num. 317.

C XI.

PAſtoralis officij ratio, & infra pag. 159. Bullarij. *Edita Anno 1604*

COMPENDIVM.

Decernit obuiando confuſioni, & ſcādalis, quæ euenire poſſent, neminem in Italia geſtare habitum externum, tam in materia, quàm in forma ſimilem ei quem geſtant Fratres Eremitæ Diſcalceati Reformati Ordinis S. Auguſtini, niſi Congregationis dd. Fratrum membrum actualiter exiſtat, vel à Congregatione Galliæ, vel Hiſpaniæ pro negotiis gerendis huc adueniat. §. 1. & 2. Excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnam ipſo facto incurrendam, contrauenientibus imponit. d. §. 2. Et quòd habitu, & ſandaliis à dicta Congregatione priuari poſſint, & illa dictæ Congregationis vſui applicentur. §. 3. Executores deputat. §. 4. Profeſſos in Congregatione iſta Diſcalceatorum, & in alia Prouincia, aut Congregatione S. Auguſtini, alteráue Religione, præterquàm Carthuſianorum, recipi vetat. §. 5. Contraria remouet. §. 6. Tranſumptiā credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Cur in §. 3. Papa habitum, & ſandalia contrauenićtium applicat vſui dictæ Congregationis, & non ſimpliciter ipſi Congregationi?

RESP. Vt quiſq; intelligat, hos Diſcalceatos nullam etiam in rebus eis neceſſariis proprietatem, ſed ſimplicē vſum facti tantùm habere, vt diſtrictè in eorū

Regulis, & Conſtitutionibus explicatur. Et conuenit diſpoſitio clem. Exiui, de verb. ſignificat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cùm tranſitus hic Diſcalceatis Italiæ ſit etiam ad aliam Prouinciam interdictus, eſtne de Diſcalceatis Hiſpaniæ idem è conuerſo dicendum?

RESP. Sic profectò, ſiquidē Paul. V. hoc decreuit die 20. Martij 1615. cuius hic decreti videre poteris tenorem.

PAVLVS PAPA QVINTVS, Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officij ratio poſtulat, vt Religionum maximè ſtrictioris obſeruantiæ conſeruationi, & Religioſorum ſpirituali profectui, quantum nobis ex alto conceditur, opportunè conſulamus. Motu itaque proprio, ex certa ſcientia noſtra, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, diſtrictè præcipiendo mandamus, ne vllus Ordinis Sancti Auguſtini Reformatorum, ſeu Diſcalceatorum nuncupatorum Congregationis Hiſpaniarum profeſſor, tam in Hiſpaniarum Regnis, quàm in partibus Indiarum exiſtens, in aliqua alia Prouincia, aut Congregatione S. Auguſtini, aut cuiuſuis alterius Religionis, præterquàm Carthuſianorum, abſque noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, aut Superintendentis licentia recipiatur, & ſi receptus fuerit, ſtatim prædictis Reformatis, ſeu Diſcalceatis reſtituatur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 20. Martij 1615. Pontificatus noſtri anno decimo.

CXII.

Edita Anno 1604. DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 160. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Capitulo Prouinciali Fratrum Ordinis B. MARIÆ Redemptionis Captiuorum in Oppido de Oliuar Cæſaraugustanæ diœceſis, anno 1603. vigore literarum huius Pontif. Prouinciæ partitæ fuerunt, & nouæ inſtitutæ. §. 1. Statutáq; ibidem pro feliciori Ordinis ſtatu edita ſunt. §. 2. Circa orationem pro Papa, & pro fidei augmento. § 3. Interuentúmque Commendatorum in Choro, & orationibus. §. 4. Implementum legatorum piorum. §. 5. Miſſas pro Religioſis defunctis. §. 6. Quódque priuilegia contra Conſtitutiones non impetrentur. §. 7. Licentia exeundi extra Monaſteria, & Ciuitates, vt concedenda ſit. §. 8. Et pernoctatio in domibus ſæcularium. §. 9. Nouitij vt recipiendi. §. 10. Et in quibus docendi. §. 11. Dormitoriúmque habeant ſeparatū. §. 12. Fratres vt ad ſacros Ordines ſint exponendi. §. 13. Malè promoti vt puniēdi. §. 14. Prælatus à Commenda quando abeſſe poſſit. §. 15. Qui ad Prælaturam exponendi. §. 16. Qui ad Magiſtratū aſſumendi. §. 17. Vocales vt priuentur. §. 18. Largitiones pro redemptione captiuorum in alios vſus non conuertendæ. §. 19. Veſtimenta contra Conſtitutiones non geſtentur. §. 20. Alienationes hæreditatum, & cenſuum impoſitiones vt fiendæ. §. 21. Expenſarum, & computorum ſolidatio qualis. §. 22. Eleemoſynæ Miſſarum quando è capſis extrahendæ, & ad aliud Monaſterium transferendæ. §. 23. Prouinciali pro expenſis ſuis, & ſocij, quid præſtandum. §. 24. Diſcedens è Monaſterio quid ſecum deferre poſſit. §. 25. Commendator pecunias communis capſæ nec etiam mutuò petat. §. 26. Bona de vna ad aliam Prouinciam non transferantur. §. 27. Bona Fratrum pertineant ad Monaſterium, cuius ſunt filij. §. 28. Diſciplina communis fiat. §. 29. Commendatores negligentes denuò non eligantur. §. 30. Inter Redemptores Aragoniæ, & Valentiæ nulla ſit ſuperioritas. §. 31. Prior Barchinonæ quis eligendus. §. 32. Prouincialis Aragoniæ vt eligendus. §. 33. Subſequitur Papæ confirmatio. §. 37. & ſeq. Obſeruaríque præcipit. §. 39. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 40. Conſeruatores, & executores deputat. §. 41. Contrariiſque derogat. §. 42.

Scholion

Scholion primum.

Quæro. Appellatione Prouinciæ, de qua hic ſæpe agitur, quid venit?

R E S P. Secundùm ſubiectam materiam eius nomen diuerſimodè accipitur, vt fusè habes poſt alios apud Hieronym. de Monte in ſuo Tractat. de finib. cap. 4. per totum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Prouincialis huius Ordinis poteritne Procuratorem à Conuentu legitimè conſtitutum reuocare?

R E S P. Non, attento iure communi, ſiquidem nulla lege cauetur, quòd Procurator ab vno legitimè conſtitutus, ab altero poſſit reuocari, vt ad propoſitum noſtrum conſulendo cenſuit Nauarr. lib. 5. conſ. 12. num. 4. de elect. ſecundùm impreſſionem de anno 1597. Brixiæ.

C X I I I.

Edita Anno 1604.

QVoniam noſtro Paſtorali, & infra pag. 162. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Interdicit appellationem, & aditum ad ſæcularia tribunalia Fratribus Ordinis S. Auguſtini, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis pœnis. §. 1. & 2. His, qui ſe grauari prætendunt, ad Priorem generalem d. Ordinis, ſeu illius in Rom. Curia Protectorem, aut Romanum Pontificem recurſum permittit. §. 3. Fautoribúſque directè, vel indirectè, & conſultoribus eorum eaſdem infligit pœnas. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Num recurrentis ad ſæcularia tribunalia indirectè fautor dicitur, qui potuit, & noluit obuiare?

R E S P. Sic puto, ponderando vim verbi, *indirectè*, iuncto cap. qui poteſt. 8. cauſa 23. quæſt. 3. & cap. quantæ. 47. de ſent. excom. cum ſimilib. quæ citat Pegna in Director. Inquiſ. par. 2. comment. 78. verſ. & iſti, & Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 27. numero 78. verſ. Imò.

Scholion ſecundum.

Quæro. Conſultor autem quis dicetur?

R E S P. Qui ſuadet, monet, aut inſtigat, vt ad ſæculare tribunal recurratur. l. in furti. 51. §. conſilium, & ibi ſcribb. ff. de furt. & tradit Soc. Sen. in cap. peruenit. 17. de ſen. excom. num. 51. verſ. duodecimo. Syluest. in verb. Excommunicatio. §. 6. num. 5. verſ. quarto. Nauar. vbi ſup. num. 51.

C X I V.

Anno Edita 1604.

QVoniam nemo, & infra pag. 163. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Fratribus Eremitis S. Auguſtini præcipit, ne extra Ordinem fauores perquirant ad obtinenda eius officia, gradus, & Prælaturas, nec illicitis viis ad ea aſpirent. §. 1. & 2. Contrauenientes, eorúmque complices, ac fautores, inhabiles ad munera Religionis obtinenda declarat, obtentíſque voce actiua, & paſſiua priuat. d. §. 2. Admittentes prædictos ad officia, innodat excommunicationis latæ ſententiæ pœna. §. 3. Electiones irritat. §. 4. Prædictorum preces etiam ore tenus porrectas pro valida probatione ambitus ſufficere decernit. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 6. Contrariis derogat. §. 7. Hanc Bullam in Capitulis legi iubet. §. 8. Eiúſque tranſumptis credi. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Fauere ambientibus in §. 2. prohibitum, quot modis fieri dicitur?

R E S P. Generatim, & ſpeciatim. Generatim fauere eſt quacumque re, aut conſilio, rationéue alia aliquem iuuare, & ſic omnis qui conſilium, aut auxilium præſtat, fauere dicitur. Speciatim verò is fauere dicitur, qui præter auxilium, & conſilium, alia ratione fauet, vt putà laudando, commendando, vel auctoritate fauendo, vel aſſiſtendo, pecunias ſubminiſtrando, &c. vt habetur in c. mulier. 6. §. 1. de ſent. excom. gloſ. & ſcribb. in cap. quantæ. 47. eod. tit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid de eo, qui potuit obuiare, ſed negligenter, aut ne alicno negotio ſe immiſceret, non obuiauit?

R E S P.

R e s p. Dubia quæſtio eſt in d. cap. quantæ. Innoc. tamen ibi, cuius opinio communis appellatur à Soc. ibid. excuſat hunc obuiare negligentem, ſi dolo caruiſſe conſtet, qui requiritur, vt in excommunicationem incidatur.

C X V.

Edita Anno 1604. QVæcumque à Sede Apoſtolica, & infra pag. 164. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

. Pontifices plurimi diuerſis Regularibus Ordinibus, ſæcularibúſque Congregationibus priuilegium erigendi, vel aggregandi huiuſmodi Congregationes conceſſerunt, cum facultate, indulta, & gratias eis communicandi. §. 1. Et quia nonnullæ inde prauæ irrepſerunt conſuetudines, hic Pont. ad eas tollendas decernit, Officiales Ordinum Regulariū vnam tantùm Cōgregationem in ſingulis eorum locis inſtituere poſſe. §. 2. Sæculariúmque Archiconfraternitates, vel Congregationes vnam pariter Confraternitatem aggregare. §. 3. Indulgentiáſq; communicare nominatim eis conceſſas, & non alias. §. 4. Statuta verò Ordinum, vel Congregationum inſtituentium, vel aggregantium, illis impartiri non poſſe, niſi priùs ab Ordinariis approbata. §. 5. Formam ſuper eiuſmodi inſtitutionibus, & aggregationibus iam præfinitam obſeruari præcipit. §. 6. Aggregatæ autem, vel inſtitutæ dictis indulgentiis, & gratiis eis nominatim communicatis tunc vti poſſint, cùm ab Ordinariis recognitæ fuerint. §. 7. Officiales Ordinum, & Confraternitatum, eleemoſynas iuxta modū ab Ordinariis præſcribendum excipere, & exponere poſſe indulget. §. 8. Confeſſores vigore dd. priuilegiorum eligēdos ab Ordinariis locorum, ſi ſint ſæculares, ſi verò ſint Regulares, ab eiſdem Ordinariis, earúmque Superioribus approbari debere decernit. §. 9. Inſtitutiones, & aggregationes iam factas ſic renouari iubet. §. 10. Et gratis expediri. §. 11. Officialibus contrauenientibus pœnas imponit. §. 12. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 13. Contrariis derogat. §. 14. Hanc Conſtitutionem in Vrbe publicari, omnéſque ligare præcipit. §. 15. Et etiam ab Ordinariis. §. 16. Illiúſque tranſumptis credi indulget. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Quæ eſt forma aggregationum, quæ in §. 6. enunciatur pro diffinita?

R e s p. Hanc puto, quæ iam vſu ab omnibus recepta eſt Congregationibus. Illorum namque Officiales in exordio literarum aggregationis ſic dicunt.

Dilectis nobis in Chriſto Confratribus Societatis N. in Eccleſia N. auctoritate N. canonicè erectæ, Salutem in Domino ſempiternam.

NOs, qui iuxta officij noſtri debitum, fidelium ſalutem, pietatiſque, ac Religionis progreſſum procurare debemus, libenter noſtræ Archiconfraternitati alias eiuſdem inſtituti Confraternitates adiungimus, & aggregamus, illiſque ſit aggregatis indulgentias, facultates, ac alias ſpirituales gratias, & indulta, iuxta facultatem nobis à Summis Pontificibus conceſſam impartimur. Qua de re cum D. N. eiuſdem Confraternitatis Procurator aggregationem huiuſmodi, & indulgentiarum communicationem enixè poſtulauerit, nos Protector, Prior, & Cuſtodes prædicti totam ipſam Archiconfraternitatem repræſentantes, fel. record. Clementis Papæ VIII. conſtitutionē ſuper huiuſmodi aggregationum, & cæleſtis Eccleſiæ theſauri communicationum moderatione nuper edita inhærentes, his noſtris literis ſolo Dei amore, ac pietatis, Religioniſque Chriſtianæ augendæ zelo ducti, Confraternitatem prædictam canonicè, vt ſuperiùs, erectam, attentis Epiſcopi, ſeu Ordinarij loci conſenſu ac literis teſtimonialibus, quibus eius inſtitutum, pietas, ac Religio commendatur, noſtræ Archiconfraternitati (dummodo per nos ſimilis gratia priùs alteri in dicto N. conceſſa, & tempore huiuſmodi conceſſionis alij Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apoſtolicam nobis conceſſam adiungimus, & aggregamus, atque illi, eiuſque Confratribus indulgentias, & ſpirituales gratias infrà ſigillatim deſcriptas, noſtræ Archiconfraternitati literis Pontificiis nominatim, expreſsè, & præcisè conceſſas largimur, & communicamus.

Dein

Deinde inſeritur tenor literarū Apoſtolicarum Pauli Quinti, in quibus nominatim indulgentiæ Congregationi, & Societati aggreganti conceſſę ſunt. Poſtmodum iidem Officiales ſic loquuntur. *Quibus omnibus indulgentiis, & gratijs ſpiritualibus ſuprà ſigillatim deſcriptis prædicta Confraternitas, eiuſque Confratres vti, potiri ac gaudere poſſunt, iuxta Conſtitutionem ſel. record. Clem. Papæ Octaui, tenoris ſequentis.* Et ibi inſeritur totus tenor huius Conſtitutionis Clementis Octaui. Et poſt ſic dicunt iidem Officiales; *Volentes, & decernentes præſentibus literis noſtris eamdem fidem adhiberi, quæ prainſertis literis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium has literas noſtras exinde fieri, & per noſtræ Archiconfraternitatis Secretariū ſubſcribi, & publicari mandauimus, & ſigillorum ipſius Protectoris, & Archiconfraternitatis iuſſimmus, & fecimus appenſione muniri. Dat. Romæ in loco ſolito noſtra Congregationis, Anno, &c. Indictione, &c. Die, &c. Menſe, &c. Pontif. &c. Præſentibus, &c.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Derogatio, de qua in §. 14. comprehenditne Capitulū Eccleſię Lateranenſis, vel alia ampliſſimè priuilegiata?

RESP. Hoc dubium ſuſtulit, & omnia Capitula eiuſmodi comprehendere declarauit Paulus V. in Conſt. 69. quam poſt eius Clementinæ impreſſionem edidit, ideóque à Genitore meo in rubrica huius Bullæ indicari non potuit.

CXVI.

Edita Anno 1604. ROmanus Pontifex, & infra pag. 166. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in ſua Conſt. 79. de qua ſup. tom. 2. Eccleſiam Epiſcopalem Ciuitatis Bononiæ in Metropolim ſublimauit. §. 1. Sed quia Clerus, & Communitas Ciuitatis Rauennæ recurſū habuit ad Sixtum V. Greg. ſucceſſorem, tāquā grauati, cauſa à nonnullis Cardinalib. propoſita fuit, inter quos iſte Pōt. tūc erat, ſed re non diffinita, Sixtus obiit. §. 2. Archiepiſcopus ergo Rauennatenſis, & Epiſcopi Ariminenſis, ac Ferrarięſis alias prætenſiones ſuſcitarunt, quas hic Pont. extinguit. d. §. 2. Eccleſiámque Rauennatenſem aduerſus literas Gregorij, quoad Eccleſias Imolen. & Ceruien. reſtituit. §. 3. In cæteris eas approbat, omnéſque, ſi qui ſunt defectus, ſupplet. §. 4. Bononienſémque Eccleſiam denuò in Metropolim erigit. §. 5. Eiuſdem fines præfinit. §. 6. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 7. Clauſulámque, *Sublata*, &c. §. 8. Contraria omnia repellit. §. 9. Formam publicationis præſcribit. §. 10. Exemplis credi mandat. §. 11. Sanctionémque pœnalem ſubiicit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Dic amabo, Archiepiſcopus Bononiæ eſtne, vt fertur, Comes, & Princeps?

RESP. Sic Affirmat Io. Franciſ. Leō. Epiſcopus Theleſin. in ſuo tract. de Theſaur. for. Eccleſ. par. 2. cap. 23. numero 40. & ſeq. ſecundùm impreſſionem de anno 1616. Romæ, vbi propterea ſubdit, quod in illa Curia, in qua Vicariatus officio functus erat, quamplures ciuiles Clericorum cauſæ tam actiuè, quàm paſſiuè cum laicis vertentes, cognitæ fuerunt, etiāſi inter plures collitigantes vnus tātùm Clericus eſſet, & quòd immemorabilis viget in hoc ibid. conſuetudo contra reg. cap. ſi Clericus. 5. & cap. cùm ſit generale. 8. de foro compet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne verum, quod abſente Archidiacono, vel Archidiaconatu vacante, iſte Archiepiſcopus, & Capitulum eius locum ſubintrant, & prouentus percipiunt?

RESP. Ioan. Calderin. in conſ. 1. de priuileg. num. 1. in fine, hoc illis ius competere ſcripſit ex ſpeciali indulto Honorij Papæ.

CXVII.

EX iniuncto nobis Apoſtolici, & infra pag. 169. Bullarij. *Edita Anno 1604.*

COMPENDIVM.

Orta eſt differentia ſuper modo, quo Prior Generalis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini viſitare poſſit Fratres, &

I loca

loca Congregationis Lombardiæ. §. 1. Hic propterea Pont. declarat, quòd per ſe ipſum viſitet ſimul cum vno ex Viſitatoribus dictæ Congregationis §. 2. & 3. Honoretúrque vt caput totius Ordinis, & omnis obedientia ei præſtetur. §. 4. Viſitaréque poſſit tam loca, quàm perſonas d. Congregationis. §. 5. Viſitator, aut Vicarius generalis aſſiſtat, & votum ſolummodo conſultiuum habeat. §. 6. Examini Fratrum ſolus Prior ipſe incumbat. §. 7. Aſſiſtentes Ordinis comitentur Priorem in d. Viſitatione, & abſque eorum conſilio Prior nil decernat. §. 8. Locum habeant Viſitatores ante Vicarium generalem & alios Prælatos Congregationis. §. 9. Prior per menſem antè Viſitatori, quem ex Congregatione elegerit, viſitationem denunciet, & eo non accedente, ſolus viſitet. §. 10. Obſeruantia prędictorum omnibus iniungitur. §. 11. Prior generalis deputatur executor. §. 12. Contraria omnia repelluntur. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Si Prior conſilium Aſſiſtentiū non caperet, vt mandat hic Papa in §. 8. quid agit?

RESP. Nihil agit, quoniam eorum conſilium neceſſarium eſſe voluit Pont. & de forma decreti Prioris, vt ex Rofred. concludit Bald. in l. vnica. Cod. ne liceat 3. prouoc. num. 8. verſ. & dicto, & ſequitur P. Scala in ſuo Tract. de conſil. Sapient. cap. 27. in fine.

Quæro. Forma quæ indicatur pro præſcripta in d. §. 8. vbi habetur?

RESP. In alia, quam idem Clemens edidit, Conſtitutione, die 5. Iulij 1593. quam Genitor poſt huius impreſſionem habuit, & ideo illic inſerere non potuit, prout nec aliam de more indicare potuit Pauli V. declarationem tanquam nouiſſimè editam. Hanc autem ſtatim habitam non prætermiſit in Appendice in eiuſdem Pauli Conſt. 5. aliàs 93. vbi ſupradicti etiam Clementis intexuit diploma, ne quid neceſſarium omiſiſſe videretur.

CXVIII.

Edita Anno 1605. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 170. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit iuriſdictionem eius Vicario in Vrbe cognoſcendi, & decidendi omnes cauſas concernentes intereſſe Archihoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, eiúſque perſonarum. §. 1. Appellari vetat, ſi Vicarius eas per ſe ipſum cognoſcit, ſi verò per alium, recurſum ad eum tantùm in cauſis appellabilibus permittit. §. 2. Alteri, quàm Vicario has cauſas committi vetat. §. 3. Facultatem eidem tribuit in Curia, & extra citandi, & inhibendi, inobedientéſque coërcendi. §. 4. Teſtes ad veritatis teſtimonium perhibendum cogendi. §. 5. Sententias exequendi. §. 6. Expenſas taxandi, & fructus liquidandi. §. 7. Contradictores compeſcendi. §. 8. Remiſſorias dandi. §. 9. Notarium deputandi. §. 10. Singulis diebus, & horis, quando Hoſpitale ſit actor, procedendi. §. 11. Per Curſores, & Mandatarios citandi. §. 12. Mandata ſua non obſtantibus aliorum Iudicum ſignificationibus exequendi. §. 13. Et ita, & non aliter iudicari præcipit. §. 14. Contrariiſque derogat. §. 15.

Scholion primum.

Clauſula illa (*appellatione remota*) locúmne habet etiam in cauſa reuocationis?

RESP. Habet profectò ex tex. in cap. 2. vbi gloſ. & Panormit. de mut. petit. Franch. in cap. Paſtoralis 53. ſub n. 9. verſ. Decimò operatur de appellat. Contard. in l. vnica. Cod. de moment. poſſeſſ. lim. 17. num. 5. & ſeq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Illa facultas expenſas taxandi, de qua in §. 7. porrigitur forſan ad expenſas etiam coram aliis Iudicibus factas?

RESP. Negatiua ſententia Rotæ placuiſſe videtur in deciſ. 44. de ſen. & re iud. in antiq. niſi in commiſſione dicatur, omnes, & ſingulas expēſas, vt ſentit Veſtr. in prax. Rom. Cur. lib. 8. cap. fin. ſub nu. 15. & Marcheſ. de comiſ. par. 1. §. 1. num. 105. in vltimò impreſſis. Quod intellige in Iudicibus commiſſariis, vt illi loquuntur, eorum namque iuriſdictio à verbis commiſſionis pendet, & ſtrictè eſt intelligenda, vt aliàs tibi dixi.

PAV

PAVLVS V. Romanus, creatus anno 1605.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1605. QVod in omni vita ſummis votis, & infra pag. 173. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quòd ad ſummi Apoſtolatus apicem euectus, ope indiget omnipotentis Dei, ad rectè eius Eccleſiam regendam, neceſſitatibus præſertim præſentis temporis vrgentibus, in procem. Iubileũ itaque, id eſt, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam elargitur omnibus Chriſti fidelibus, certa hic præſcripta forma orantibus ad diuinam opem pro ſalutari Pontificis præſidio in regenda vniuerſali Eccleſia implorandam, necnon pro Catholicæ fidei propagatione, Hæreticorum errorum auulſione, & Hungariæ Regni à Turcarum armis defenſione, ac tranquillitatis reſtitutione. §. 1. 2. & 3. Iſtámque mãdat Conſtitutionem publicari. §. 4. Derogat omnibus cõtrariis. §. 5. Tranſumptis eiuſdem credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Hæc Indulgentiarum elargitio, & peccatorum remiſſio, extendit ſe ad peccata futura poſt Bullam?

R E S P. Ardua eſt quæſtio, quam affirmatiuè poſt hinc inde rationes plurimas deductas reſoluit Nauarr. in comment. de Iubil. & Indulgent. notab. 34. ſub num. 4. vbi videas.

Scholion ſecundum.

Quæro. Peccans concepta ſpe conſequendæ huiuſmodi indulgentiæ, poteritne eam conſequi?

R E S P. Poterit quidem, ſecundùm ſententiam Nauar. vbi ſup. num. 6. quæſt. 3. vbi tamen id limitat, cùm in Bulla conceſſionis indulgentiarum diceretur, *ne ſpe illarum peccantes*, &c. & in conſ. 10. incip. Quæritur. num. 3. de priuileg. lib. 5. ſequitur Graff. ſuarum deciſ. lib. 1. par. 1. cap. 13. num. 59.

I I.

Edita Anno 1605. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 175. Bullarij.

COMPENDIVM.

Abbreuiatores literarum Apoſtolicarum de Parco maiori, qui in conceſſionibus gratiarum dilucidandis, interpretandiſque egregiam operam præſtant, hic Pont. vtriuſque Signaturæ Romani Pontificis Referendarios eo ipſo creatos eſſe ſtatuit. §. 1. & 2. Priuilegiáque Referendariorum eis communicat. §. 3. Vni ex eis in d. Signatura locum aſſignat. § 4. Portionem panis eis ſingulis concedit. §. 5. Contraria non obſtare decernit. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Si Papa generaliter locutus fuiſſet de Abbreuiatoribus, comprehendiſſet etiam illos de Parco minori?

R E S P. Comprehendiſſet ex regula l. ſemper generalibus. 190. ff. de Reg. iur. Præſertim cùm omnes faciãt vnum Collegium, & vnam maſſam. Ita de eis dixit in ſimili caſu Rota in deciſ. Put. 234. lib. 1. in nouiter impreſſis, & Mandoſ. in 1. Regul. Cancell. quæſt. vltima.

Scholion ſecundum.

Quæro. Abbreuiatorum maioris Parci munus, & etiam minoris quale eſt?

R E S P. Longo ſermone explicat Veſtr. in ſua pract. Rom. Cur. lib 1. cap. 4. num. 2. & ſeq. & poſtremò Petr. Greg. Tholoſ. ſuper Decretal. in tit. de reſcript. lib. 1. num. 5. & 6.

I I I.

ROmanum decet Pontificem, & infra pag. 177. Bullarij. *Edita Anno 1605.*

COMPENDIVM.

Volens Conclauiſtas, qui huic Pontifici, & S. R. E. Cardinalibus in Conclaui, in quo ipſe ad Apoſtolatus apicem aſſumptus fuit, inſeruiendo interfuerunt, prærogatiuis decorare, nummûm aureorum decem millia donat. §. 1. & 2. Priuilegio nobilitatis, ciuilitatis, ac familiaritatis munit. §. 3. Remittit fructus beneficiorum malè perceptos ob non recitationem horarum Canonicarum. §. 4. Legitimat eoſdem, & habilitat ad ſucceſſiones, & dignitates. §. 5. Applicat eis beneficia Sede vacante vacantia. §. 6. Irritat collationes de eis in alios factas. §. 7. Literas Apoſtolicas gratis pro eis expediri iubet §. 8. Indulta quoad penſiones tribuit. §. 9.

Spoliáque. §.10. Executores huius Bullæ deputat.§.11. Et in Camera non regiſtrari indulget.§.12. Clauſulas huius conceſſionis præſeruatiuas apponit.§.13. Sic,& non aliter iudicari præcipit. §. 14. Officialibus gratis literas Apoſtolicas pro illis expediri iubet.§. 15. Contrariis omnibus derogat. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Sede vacante nónne ſunt expiratæ regulæ reſeruatoriæ, & in illis poſſunt Ordinarij liberè conferre?

RESP. Expiratas eſſe probat Sarnenſis in proœm. Regul. Cancell.quæſt. 2. num. 2. & dixit Rota in deciſ. Caputaq.214.lib. 2.num. 5. cum aliis congeſtis per Gonzal. ſuper 8. Regul. Cancell. in proœm. numero 46. & ſeqq. pag.mihi 43.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi collatio beneficiorũ,de qua in §.6.comprehendit beneficia Sede vacante nouiter inſtituta?

RESP. Comprehendere dici poteſt ex his,quæ fusè ſcribit Gonzal,vbi ſupra gloſ.9.§.5.num.44.& ſeqq.pag. mihi 310.

IV.

Edita Anno 1605. DEcet Romanum Pontificem, & infra pag. 179. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordini Fratrum B. MARIÆ de Mõte Carmelo Sedes Apoſtolica indulſit, eius Monaſteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad ſolutionem quartæ funeralium, & Concil. Triden. idem decreuit.§. 1. Congregatio Cardinalium idem eſſe cenſuit de aliis Monaſteriis, ſi eius ſint Religionis, cui Sedes Apoſtolica ante annos 40. indulſit non teneri ad huiuſmodi quartam.§. 2. Papa id approbat.§.3.Obſeruarique præcipit. §. 4. Et non aliter iudicari mandat. §. 5. Executores huius Conſtitutionis deputat.§.6. Contrariis derogat. §. 7. Eiuſque tranſumptis credi iubet.§. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt quarta funeralium?

RESP. Certa portio, quæ debetur ab Eccleſiis horum Fratrum, vbi aliquis ſepelitur, de omnibus quæ eis obueniunt ratione funeris, & in die funeris. Textus eſt, & ibi gloſ. & Canon. declarant in clem. 2. §. verum,de ſepultur. & Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 39. art.2.in princ.& in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Indultum huius Ordinis,quod enunciatur, ſed non indicatur in hac Bulla, vbi habere poſſem?

RESP. Indultum à Nicolao V. elargitum huic Ordini tranſcribit Rod. vbi ſup. illúdque ampliſſimum appellat; & ibidem tranſtulit etiam verba decreti Congregationis Cardinalium in hac Bulla enunciati.

V.

EX iniũcto nobis Paſtoralis,& infra pag. 180. Bullarij. *Edita Anno 1605.*

COMPENDIVM.

Maior pars Eccleſiarum Parochialium Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum conſtat ex Commendis Militiarum Sancti Iacobi de Spatha, & Sancti Benedicti de Auis, illæque per Preſbyteros dictarum Militiarum profeſſos à Rege Hiſpaniarum, earum perpetuo adminiſtratore præſentandos, & ab Ordinariis locorum inſtituendos, gubernari ſolent. §. 1. Earum multæ collegialiter etiam deſeruiri conſueuerunt, quod non ſine magno idoneorum miniſtrorum numero fieri valet. §. 2. Et licèt multi ſtudiis incumbant, maiori tamen numero indigent. §. 3. Rex itaque aliud Collegium in vniuerſitate Colimbrienſi erigi voluit pro dictis Religioſis, reſeruato Pontificis beneplacito.§.4. Redditúſque aſſignauit. §. 5. Papa igitur d. Collegium inſtituit.§.6. Collegiales iuxta regulas ſuorum Ordinum,& alias pro Collegij regimine ab Ordinario loci approbandas regi, & per concurſum ad beneficia admitti decernit. §. 7. Contribuenréſque d. Collegio ab aliis contributionibus eximit.§ 8. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 9. Contrariáque omnia remouet. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Hoc, vel aliud Collegium ſi cœptum eſſet,& non perfectum,habere-túrne pro perfecto, vt poſſet capere donationes Collegio factas?

RESP. Poſſet, quia partus conceptus in his, per quæ producitur in eſſe, habetur pro nato, & eius priuilegiis

gau

gaudet. l. penult. ff. de ſtat. homin. per quem tex. ſic cenſuit Rota in deciſ. antiquior. Biſigueti in tit. de teſtam. deciſ. 1. numero 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Deberetur legatum factum Collegio conſtruendo, ſi adhuc locus ædificij non eſſet deſignatus?

R e s p. Fauore vltimæ voluntatis, & piæ non efficitur caducum. Gloſ. communiter approbata in cap. 3. in verb. in loco, de teſtam. & poſt alios Couar. ibid. cap. 3. num. 12. & M. Anton. Genuenſis Epiſcopus Iſerniæ de pract. Eccleſ. cap. 266. prope finem.

V I.

Edita Anno 1605. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 182. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit, quòd Capitulum generale Fratrum Sancti Franciſci de Paula quolibet ſexennio in futurum celebretur, cùm intra triennium Ordinis viſitatio fieri non poſſit, eo quod valde propagatus eſt. §. 1. In eóque Corrector Generalis, eiúſque collegæ, & Procurator generalis ad ſexennium eligantur; & tantùm duret electio mox facta in Capitulo generali. §. 2. Alij autem Officiales Prouinciales, eorúmque collegæ ad triennium durent, Correctoréſque Domorum ad annum. §. 3. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. In hoc Capitulo generali de ſola forſan Officialiũ electione agitur?

R e s p. Non, ſed de omnibus agitur, quę nedum Ordinis propagationem, ſed etiam reformationem reſpiciunt, vt clarè diſponitur in cõſtitutionibus eius, & in cap. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regular.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ex frequentiori Capitulorum celebratione nónne maior eſſet vtilitas?

R e s p. Ita ſanè, ſi celebrari infra triennium poſſint, ſed in Religionibus admodum propagatis, vt eſt etiam Fratrum Minorum, ante ſexennium huiuſmodi Capitula repeti non poſſunt, cùm antè Ordinis viſitatio compleri nequeat, vt de his omnibus ſcribit Rod. de quæſt. Regularibus, tom. 3. quæſtione 47. artic. 2. & 3.

V I I.

Edita Anno 1605. EX iniuncto nobis, & infra pag. 183. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Franciſcus Maria Vrbini Dux, ob ſpeciales, vt creditur, gratias interceſſione Sancti Vbaldi Epiſcopi Eugubini à Deo ſuſceptas, & Congregatio Canonicorum Regularium Lateranenſium Ordinis Sancti Auguſtini, cuius profeſſor ille fuit, ſupplicarunt Papæ pro repoſitione feſtiuitatis dicti Sancti Vbaldi, multis miraculis, præſertim in liberandis à dæmone obſeſſis, clari, in Kalendarium Romanum ad diem 16. Maij. §. 1. Et Pontifex ſic eam reſtituit, & ea die ab omnibus de eodem S. Vbaldo Pontifice, & Confeſſore commemorationem, tanquam de Feſto ſimplici in vniuerſo Orbe fieri præcipitur. §. 2. Contrariis derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſpeciale habes de liberatione obſeſſorum, de qua in §. 1.

R e s p. Surius in vita huius Sancti ſub die 16. Maij, tom. 3. iuxta 2. impreſſionem, ſcribit, quòd in delatione corporis huius Sancti ad Eccleſiam, dæmones ex obſeſſis fugere cœperunt. Et in tertia Lectione eius Officij in Breuiario Romano ſub dicta die 16. habetur, quòd in effugandis ſpiritibus immundis eius præcipuè claret virtus. Quam etiam his temporibus ſplendere certiſſimum eſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Exemplum habes aliquod?

R e s p. Quamplura effugationis immundorum ſpirituum miracula perlegi in vetuſto quodam codice manuſcripto Theobaldi huius Sancti Vbaldi in Epiſcopatum ſucceſſoris, (vt eius dictabat inſcriptio) apud Canonicos Regulares Lateranenſes Monaſterij B. M A R I Æ de Pace in Vrbe aſſeruato, quæ tamen hic tranſcribere prolixum nimis viſum fuit.

Digitized by Google

VIII.

Edita Anno 1605. ALtitudo diuinę prouidentiæ,& infra pag. 185. *Item*; Superna diſpoſitione, & infra pag.186. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hieronymus Matthæius S.R.E.Cardinalis Collegium in Vrbe ſub denominatione S. Hieronymi inſtituit pro pauperibus Scholaribus, ſacræ paginæ,ac iuris Canonici ſtudiis incumbentibus, annuúmque ſubſidium aſſignauit §. 1. Eius regimen Cyriaco, & Aldobali Fratribus,& Præpoſito Congregationis Regularium S.Pauli commiſit, cum facultate opportuna ſtatuta condendi.§ 2. Rectorémque deputandi. §. 3. Introitus adminiſtrandi. §. 4. Scholarium recipiendorum qualitates deſcribit. §. 5. Ætatémque.§. 6. Studium ſacræ paginæ, & iuris Canonici permittit. §. 7. Habitúmque. §. 8. Tempus,quo retineri poſſint Scholares, declarauit. §. 9. Bonorum, & redditúum Collegij inueſtituram, & augmentum præſcripſit. §. 10. Prædicti hæredes Domum pro erectione Collegij emerunt, annúumque redditum aſſignarunt, & Papæ pro confirmatione ſupplicant. §. 11. Qui Cardinalis eius Vicario prædictorum executionem delegat. §. 12. Collegium à ſuperioritate, & iuriſdictione quorumcumque Officialium,&c. eximit. §.13. Sub tutela Sedis Apoſtolicæ recipit. §. 14. Hæredes prædictos Collegij Adminiſtratores conſtituit.§. 15.Collegio priuilegia aliorum Vrbis Collegiorum communicat. §. 16. Hæredibus,& Præpoſito prædictis facultatem edendi ſtatuta concedit. §. 17. Præpoſito munus prædictum perpetuò iniungit. §. 18. Iuſpatronatus dicti Collegij ad dictos hæredes iuxta diſpoſitionem Cardinalis ſpectare decernit.§. 19. Cardinalis Vicarius ſuper prædictis decretum interponit. §.23.Idem Vicarius Iudex cauſarum dicti Collegij deputatur.§.26. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. An ſaltem in Camera poſſint hi Scholares ſtudere legibus, licèt in §. 7.ſit generaliter eis prohibitum?

RESP. Ex identitate rationis prohibitum puto. Ratio enim fuit, vt ſacræ paginæ, & iuris Canonici ſtudium ampliſetur; ſed non per hoc quandoque leges perlegere interdictum credo,cùm rara earum lectio ſtudium non impediat, ſed iuris Canonici intelligentiam aperiat,ex his quæ Hoſtien.Anchar. Zabar. Panormit; & alij notant in cap.fin. ne Cleric.vel Monach.

Scholion ſecundum.

Quæro. Simplex erectio huiuſmodi Collegij validàne fuiſſet abſque Pontificis approbatione?

RESP. Eo ipſo quod Collegium inſtituitur ad bonum,vt iſtud,licitum cenſuit Bald. conſ. 466. lib. 1. in princip. & latiùs Calder. in conſ.2.de his quæ fiunt à Prælat. ſub num. 2. per tex. in l.1.ff.de Colleg. illicit. verſ. Sed religionis. Sed ſi his temporibus inſtitueretur aliqua Confraternitas laicorum, ſeruanda erit Conſtitutio 115. Clem. VIII.de qua ſup.

IX.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag.187. Bullarij. *Edita Anno 1605.*

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum cap. 3. ſeſſ. 25. de Regular. & Clemens VIII. in ſua Conſtit. 83. ſup. ſanctionem edixerunt cuique Regularium Monaſterio, cum aſſignatione numeri Religioſorum, qui vel propriis eius redditibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari poſſent. §. 1. Hic Pontifex d. præceptum remiſſiùs iam executum innouat, & certa adhibita forma executioni mandari præcipit. §. 2. & 3. Superioribus locorum negligentibus pœnas imponit. §. 4. Exemplis huius Bullæ credi, & Romæ publicatam omnes afficere decernit.§.5. Contrariiſque derogat.§.6.

Quæro. Numeri Religioſorum conſtitutionem cuinam demandauerat Conc. Tridentinum?

RESP. Nemini Concilium ſpecificè demandaſſe vidi, ſed à Pio IV. in eius Conſtit. 73. de qua ſup. tom. 2. cunctis Eccleſiarum Prælatis iniuncta fuit obſeruantia omnium decretorum Concilij.

Schol.

Digitized by Google

Scholion ſecundum.

Quæro. In quo ergo circa executores differt hæc ſanctio ab aliis ?

RESP. Ordinum Superioribus executio hic ſpecificè iniungitur, & negligentibus pœna infligitur. An autem Epiſcopi poſſint concurrere cum illis, vide quæ habentur in deciſ. Putei 238. per totam in nouiſſ.

X.

Edita Anno 1605. AD Eccleſiæ militantis, & infra pag. 188. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Carmelitæ Diſcalceati multum proficiunt. §.1. Et Clemens VIII. in eius Conſtit. 99. de qua ſup. iuſſit Ordinarios non debere permittere nouorum locorum ædificationem non vocatis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus. §. 1. Hic Pontifex his Fratribus indulget, vt Ordinariorũ tantummodo licentia eis ſufficiat. d.§.1. Quibuſcumque non obſtantibus. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi hi Fratres hoc priuilegio non vtantur per decennium?

RESP. Non amittunt, quia priuilegium eſt facultatiuum. Gloſ. & communiter alij in cap. vt priuilegia. 24. de priuileg. tenet Mandoſ. in tract. de priuileg. ad inſtar, gloſ. 15. num. 14. vbi alios citat, & in puncto eiuſmodi priuilegij Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 49. art. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dicas ambo, cur potiùs in Eccleſia iſtorum Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, quæ eſt Romæ (ſub nomine B. MARIÆ Virginis de Scala) in regione tranſtyberina, Genitor tuus Sacellum in ſummæ pietatis, & deuotionis ſpecimen, & argumentum conſtruxit, quam in alia Eccleſia Clericorũ ſæcularium, vt aliàs (ſic mihi dictum fuit) intendebat ?

RESP. Quia orationes eiuſmodi Regularium, præſertim Reformatorum, cæteris paribus, Deo ſunt magis acceptæ, quàm ſæcularium, cùm eorum ſtatus ſit in via perfectionis, per ea quæ poſt D. Thomam ſcribit Nauar. conſ. 52. lib. 3. de Regularib. ſecundùm impreſſionem Brixiæ, & ſequitur, licèt aliter illum citet, Rod. de quæſtionib. Regularib. tom. 2. quæſt. 49. art. 2.

XI.

IN maximis rerum difficultatibus, & infra pag. 188. Bullarij. *Edita Anno 1605.*

COMPENDIVM.

Innouat prædeceſſorum Conſtitutiones ſuper reuocatione exemptionum à ſolutione onerum Cameralium editas, §.1. & 2. Eaſdem iterum reuocat. §.2. Necnon conceſſiones factas de pœnis maleficiorum, & aliis Cameræ redditibus. §.3. & ſeqq. Præſeruat autem exemptiones de iure competentes. §. 8. Legatiſque & Gubernatoribus conceſſas. §. 9. Vel ex cauſa oneroſa datas. §. 10. Vel ratione appaltuum. §. 11. Vel S.R.E. Cardinalibus, aut Cameralibus, & Curialibus competentes. §. 12. Vel ob numerum duodecim filiorum. §. 13. Legatis, & Gubernatoribus obſeruantiam Conſtit. 93. Sixti V. de qua ſup. tom. 2. iniungit. §. 14. Officialibus admiſſionem aliarum exemptionum interdicit. §. 15. Executores huius Bullæ deputat. §. 16. Contrariis derogat. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. In numero duodecim filiorum, de quo in §. 13. computabitur baſtardus?

RESP. Non, vt voluit Bald. in l. 2. per illum text. ff. de excuſat. tutor. num. 7. Paleott. de noth. & ſpur. cap. 32. num. 4. Alex. in l. ex facto. 17. §. 1. ff. ad Trebell. num. 28. cum aliis citatis à Petro Ganz. deciſ. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Pater hunc numerum filiorum Officiali non denunciat ?

RESP. Non propterea priuilegio vti nequit. Ferret in tract. de gabell. n. 172. Bertachin. de gabell. par. 9. num. 32. in fin Horat. Lut. de priuileg. Scholar. in priuil. 55. & de communi teſtatur Amat. deciſ. 35. n. 4. & 10.

XII.

INter grauiſſimas curas, quas pro noſtro munere, & infra pag. 190. *Item*; Pro peculiari, & infra pag. 192. Bullarij. *Edita Anno 1605. & 1606.*

COM

COMPENDIVM.

Refert, Pium IV. contra extrahentes frumenta de Statu Eccleſiaſtico, in eius Conſt. 99. de qua ſup.tom.2.legem edidiſſe. §. 1. Et Pium V.eam innouaſſe, & ampliaſſe in ſua Conſt. 108. de qua ſup. tom.2.§.2. Et Gregorium XIII. eas quoque ampliaſſe in Bulla 50. de qua ſup.Et Clementem VIII. eaſdem comprobaſſe in Conſt. 49. de qua ſup. eod. to.§.4. Pleroſque tamen ſubdit eis contrauenire.§.5.Illas propterea innouat, & etiam pœnam excommunicationis contra extrahentes. §. 6. Indulta extrahendi omnia, præterquàm ex cauſa verè oneroſa ſolutionis pecuniarum,aut ratione appaltuum, ſeu locationum bonorum Cameræ, conceſſa reuocat. §. 7. Dummodo ante vſum in Camera ea approbentur. §. 8. Formam vtendi indultis præſcribit. §. 9. Contrariis derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi ego ex dominio Magni Ducis Hetruriæ granum Romam afferam,vt ad alium Statum,quàm Eccleſiaſticum deferam?

RESP. Non intelligitur hæc Bulla de extractione per tranſitum, de alieno dominio ad aliud; in eo namque ceſſat ratio Bullæ, ſecundùm communem DD. ſententiam, de qua teſtatur Iaſ. in l. cætera.43. §.ſed & ſi quis. ff. de legat. 1.n. 22.& ſequitur Bertazol.conſ.crim.54.lib. 1. num. 8. poſt Alex. in conſ. 86. lib. 4. num. 2. Caue tamen, & poſtula licentiam, ne de identitate grani diſputare contingat, vel de intelligentia huius Bullæ, quia de conſuetudine aliter ſeruatur quàm prædicti DD. dicunt, vt dixit etiam Clar. quæſt. 82. ſtat. 7. num. 3. in fin.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi forenſis ſciat adeſſe prohibitionem extrahendi, ignorat tamen genus pœnæ?

RESP.Non excuſatur ab ea,quia ſat eſt quòd attentet actum illicitum, & ratione delicti ſubiiciatur foro loci delicti,vt poſt alios docet Couar. in cap.alma mater, de ſent.excom.in 6.§.10.num. 8.& ſeq. & tenet Caball. caſu 129.lib. 1. num.9.& ſeq.vbi latè.

XIII.

INter cætera, quæ Rom. Pont. & infra pag. 193.Bullarij. *Edita Anno 1605.*

COMPENDIVM.

Pius V. edidit eius Conſtitutionem 35.de qua ſup.tom. 2. de non alienandis, & infeudandis locis S.R. E.§. 1. Succeſſores omnes confirmarunt. §. 2. Innoc. IX. in ſua Conſt. 1. de qua ſup. tom. 2. illam ampliauit.§.3. Clemens VIII. in ſua Conſt.1. de qua ſup. comprobauit. §. 4. Hic modò Pont. eas omnes confirmat, innouat, & perpetuò obſeruari præcipit. §.5. Sanctionem pœnalem addit. §.6.

Scholion primum.

Quæro. Prohibita eiuſmodi alienatione, nunquid compromiſſum quoque vetitum cenſeatur?

RESP. Vetitum videtur per tex. & gloſ. in cap. 3. de arbitr. vbi id tenet etiam Panormit. num. 4. necnon Pariſ. conſ. 134. lib.4.num. 11. Lap.allegat. 102. num. 3.& Roman. conſ. 369. numer. 18. vbi Mandoſ. in apoſtill. alios allegat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi prohibitiones ligant fortaſſe Papam ſucceſſorem?

RESP. Succeſſores omnes vſque ad hanc diem (vt notauit Genitor meus in hac rubr.) illas approbarunt,& ſic quoad eos ceſſat quæſtio; quo verò ad futuros maxima eſt diſputatio, vt ſcribit Tuſch. in verb. Papa, concluſ. 58. num. 9. ideo breui ſcholio eam dilucidare non audeo. Poteris itaque vltra alios pleroſque videre Tuſch.in d.verb.Papa, concluſ.50.num. 22.& ſeq. & in duabus concluſionibus ſubſeqq.

XIV.

PAſtoralis noſtri muneris,& infra pag.193.Bullarij. *Edita Anno 1606.*

COMPENDIVM.

In Diffinitorio Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium vocales quinque eligi iubet.§.1.& 2.Eorum quinque vota Diffinitorium nouum conſtituunt,cũ aliis quatuor Diffinitorij anti

antiqui. §. 3. & 4. Abbatem generalem exinde eligi debere decernit. §. 5. Procuratorémque generalem. §. 6. Diuiſiones Monaſteriorum inter quaſdam nationes factas reuocat,& Prælaturas Cõgregationis idoneis perſonis abſque nationum,& perſonarum diſtinctione concedi iubet. §. 7. Nouitij qui, & quot recipi debeant,conſtituit. §. 8. Nouitiatus quoſdam comprobat.§. 9. Abbatem generalem in depoſitione ſui officij in Procuratorem generalem,nec Procuratorem in Abbatem,niſi elapſo triennio poſt peractum officium,non eligi decernit. §.10. Nullum ex Viſitatoribus generalibus in Abbatem generalem pro ſequenti immediatè triennio eligi iubet. §. 11. Obſeruantiam prædictorum omnibus præcipit. §. 12. Contrariis derogat. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Cùm in §. 7. ſtatuatur eligendos eſſe Prælatos idoneos, eritne ſatis eligere idoneum, magis idoneo prætermiſſo?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam veriorem, & magis communem probat Couar.in cap.peccatum, de Regul.iur.in 6. §.7.ſub num.7.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quamuis teneat hæc electio, elector erit à peccato immunis?

R E S P. Mortaliter peccare ſtatuit Concil.Trid.ſeſſ.24.cap.1.de reformat.& ſcribit Couar. vbi ſuprà, & Caiet. in ſua Summa, in verb. Electio, in fine.

X V.

Edita Anno 1606. PAſtoralis noſtri muneris, & infra pag. 195. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Sixtus V.vniuit Congregationem Fratrum S. Ambroſij ad Nemus Mediolanéſe,& Congregationem Fratrum S. Barnabæ Prouinciarum Marchiæ, & Ianuæ. §.1.Hic Pont.approbat ordinationes pro earum proſpero regimine editas,necnon indulta dictis Congregationibus à Sede Apoſtolica conceſſa, quatenus ſint in vſu, & ſacris Canonibus,& Concilij Tridentini decretis non aduerſentur.§. 2. Contraria cuncta remouet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Illa clauſula (*quatenus ſint in vſu*) quid operatur?

R E S P. Onus imponit probandi vſum,ei qui allegat, & hac Bulla vti velit, quia confirmatio eſt conditionalis. Rota Bononienſis in deciſ. Beninr. 13. n. 10. Rota Romana in deciſ. Robuſter. 97. par.1.diuerſ.num.2.& in deciſ. Seraphin. 775. ibidem num. 2. & coram Pegna in vna Amerina ſucceſſionis, 24. Maij 1593.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ergo per non vſum perditur hoc priuilegium confirmationis, his Regularium Congregationibus conceſſum?

R E S P. Non perditur per ſimplicem non vſum, quia perſonæ particulares Congregationum non poſſunt præiudicare Vniuerſitatibus earum,niſi concurrat etiam præſcriptio, vt poſt alios explicat Rod.de queſtionib.Regular.tom.1. quæſt. 7.artic.8.vbi Canoniſtas, & Iuriſtas allegat.

X V I.

REligioſos,& infra pag.195.*Item*; Sedis, & infra pag. 197. *Item*; Miniſterio ſacri,& infra pag 197.*Itẽ*; Oneroſa, & infra pag. 198. Bullarij. *Edita Anno 1606. 1608. & 1611.*

C O M P E N D I V M.

Religioſi Fratrum Ieſuatorum Sancti Hieronymi ſacris initiari non conſueuerunt, & tempore Greg. XIII. qui promoti reperiebantur, ſuſpenſi fuerunt ab executione ſacrorum Ordinnm. §.1. Hic modò Pont. iuſtis de cauſis habilitat aſcendere ad ſacros Ordines Fratres,vſque ad numerum centum.§.2.Non aſcendentes eiſdem gradibus cum promotis perfrui ſtatuit. §. 3. Promotis decedentibus alios ſuffici decernit. §. 4. Antiſtites à quibus promoueri poſſint, deſignat.§.5. Promotos ad recitationem ſacrarum Horarum obligat. §. 6. & ſeq. Miſſarum celebrationis modum præſcribit.§.8. Sæcularium confeſſiones audire prohibet.§.9. Aquarum deſtillationem ſacris initiatis vetat. §. 10. Omnibus eas mulieribus vendere, aut venales aquas habere interdicit. §.11. Studiorum inſtitutionem concedit. §.12.In alia Conſtitutione habilitat alios vigintiquatuor Fratres ad Diaconatus, & Subdiaconatus Ordinem. §. 15. In

Capitulo poſtea generali magis expedire viſum fuit,omnes Fratres Horarum recitationi idoneos ad earum recitationem teneri, & ſupplicatur Papæ pro huius ſtatuti confirmatione. §. 2. ſubſeq. Conſt. Papa illud confirmat. §. 3. Idémque ipſe ſtatuit. §. 4. Ex his magnus in Religione progreſſus euenit,in §.2. alterius ſubſeq.Conſtit.Ad cuius feliciorem progreſſum dat generalem habilitationem cunctis Fratribus ad ſacros Ordines etiam ſacerdotales. §. 3. Contrariíſque derogat.§.5.

Scholion primum.

Quæro. Horæ Canonicæ,de quibus ſecunda Bulla hic poſita in §. 2. loquitur, cur ſic appellatæ?

R E S P. Quia certis horis ſunt deputatæ principales Eccleſiæ preces, non autem ab orando, vt quidam aſſerebant. Ita poſt alios firmat Nauarr. in 2. part. Decret.cap.3.de orat.num. 26.vbi ſubdit, Canonicas dici tanquam inuentas à Canonibus, qui Græcis idem ſunt, quod Latinis Regulæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Religioſus peregrè proficiſcens,oblitus eſt domi Breuiarium, vel in itinere perdidit illud, excuſabitur ab Horarum recitatione?

R E S P. Excuſabitur,vſquequò poſſit habere Breuiarium, cùm ad impoſſibile nemo teneatur.Nauarrus vbi ſup.cap. 11. num.38.

X V I I.

Edita Anno 1606.

INiuncti nobis Apoſtolici muneris,& infra pag.198. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat,quòd Gregorius XIII. aduertens Ordinem Monachorum S. Baſilij, alios Monachorum Ordines antiquitate præcedere, conceſſit eidem priuilegia Congregationis Caſſinenſis Monachorũ S. Benedicti. §.1. & ſeq. Quodque menſis Monachalibus bona ſtabilia aſſignari iuſſit.§. 3. Eáque menſa Conuentualis ab Abbatiali ſepararetur. d. §. 3. Refert, Sixtum V. executorem d. ſeparationis deputaſſe. §. 4. Clementémque alium elegiſſe.§.5. Confirmat hic Pont. eiuſmodi ſeparationes. §. 6. Et priuilegia à Gregorio XIII. Sixto V. & Clemente VIII. conceſſa. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Quibus temporibus Sanctus Baſilius floruit?

R E S P. Circa annum 383. floruiſſe ſcribit Petr. Gregor.par.2. Syntagm. Iur. lib. 15. de Monachis, cap. 14. Sed antea floruiſſe dicendum eſt, cùm anno 378.ex hac vita migraſſe,ex Hieronymo,& Caſſiodoro dicat Baron. in Martyrolog. ſub die 1. Ianuarij, & Ciacon. de vitis, & geſt. Pontific.in vita Damaſi Papæ, pag. mihi 102. prope finem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ante Baſilium extabant Monachi?

R E S P. Procul dubio, vt recenſet ipſemet Petrus Greg. in loco citato.

X V I I I.

Edita Anno 1606.

IN eminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula,& infra pag. 199. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Sixtus IV. in ſua Conſtit.8.ſup. tom. 1. & Iul. III. in Conſt. 5. ſup. eod. tom. ac Pius IV. in Conſt. 19. ſup. tom. 2. Curalibus,& incolis Vrbis facultatem de eorum bonis liberè diſponendi conceſſerunt, ſed non obſeruatur. §. 1. Hic Pontifex dictis Curialibus, & incolis,ac Romanis Ciuibus originariis,etiam Clericis, & Presbyteris beneficia obtinentibus, & in Vrbe, vel intra decem milliaria, non tamen extra reſidentiam, decedentibus, de bonis,ac iuribus in d. Vrbe, & intra decem milliaria exiſtentibus liberè diſponendi priuilegium elargitur.§.2. Et ſi Eccleſiaſtici diſponunt ad fauorem illegitimorum, ex eorum corpore non procreatorum, tunc venientes ab inteſtato ſuccedant,quoad bona merè laicalia,& patrimonialia in Vrbe,& eius diſtrictu conſiſtentia.§.3.Curialibus autẽ incolis, & Ciuibus ab inteſtato hæredes ſuccedere decernit.§. 4. Officialibus iubet,vt eos non moleſtent. §. 5. Clauſulã, *Sublata*, &c. apponit. §. 6. Quæcumque contraria aufert.§. 7. Tranſumptis huius Bullæ credi mandat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Appellatione bonorum, & iurium

iurium in Vrbe conſiſtentium,de quibus loquitur in §.2.veniunt credita, quorum extra Vrbem in aliqua alia Prouincia ſit deſtinata ſolutio?

R E S P. Hoc priuilegium non ſe extendit ad eiuſmodi credita,quia illa dicuntur eſſe in loco deſtinatæ ſolutionis, ex doct. Bald. Angel. & aliorum in l.ex facto. 35. §. rerum.ff. de hæredibus inſtit.& Alex.in conſ.19.lib.6.num.9.Tiraquell. de retract. lignag. §. 36.gloſ.3.nu. 16. & in terminis huius Bullæ Rota in deciſ. Seraphin. 352.numer. 1. vbi de veriori, & magis recepta opinione teſtatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde fit, quòd in pluribus Curiales priuilegiati reperiuntur à Summis Pontificibus?

R E S P. Pleriſque de cauſis iure id factum videtur, quas recenſet Gonzal. ſuper 8. Regul.Cancellar. gloſ.4.nu.147. & ſeqq. vbi alios cumulat.

X I X.

Edita Anno 1606. INcontinenti nobis Apoſtolici, & infra pag. 201. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Congregatio Monachorum Cæleſtinorum Ordinis S. Benedicti vberrimos in Eccleſia Dei fructus edit, omnes gratias, & priuilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Congregationibus, & Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium eidem Congregationi Cæleſtinorum à Summis Pontificibus conceſſa hic Pontifex approbat, atque confirmat, quatenus decretis Concilij Tridentini, & regulis dictæ Congregationis à Sede Apoſtolica approbatis non aduerſentur, & reuocata non ſint. §.1. Abbatis generalis poteſtatem eſſe declarat, viſitare quæcunque Monaſteria in Italia, Gallia, & vbique locorum exiſtentia. §. 2. Prohibétque his Monachis recurſum extra Ordinem ad Iudices, & particulares perſonas.§. 3. Abſque Abbatis generalis præſentia Capitula generalia habere non poſſe decernit.§.4.Clauſulis præſeruatiuis hác Bullam munit.§.5.Decretum irritans apponit. §.6. Executorē eius deputat Aud. Cam.§.7.Cōtraria omnia ſubmouet.§.8.

Scholion primum.

Quæro. In Gallia ergo multa extant huius Congregationis Monaſteria, vt in §. 2.

R E S P. Pleraque ſunt, ſed eorum principalia decem & nouem enumerantur in 2.tractat.Conſtitutionum Cæleſtinor. cap. 1.in fine.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ agenda veniunt in Capitulis generalibus,de quibus in §.4.

R E S P.Plenè habes in cap.penult.& vlt.de ſtatu Monachor.& ibid.gloſſa, & ſcribb. bene omnia explicant.

X X.

ROmanum decet Pontificem, & infra pag. 202. Bullarij. *Edita Anno 1606.*

C O M P E N D I V M.

Gregorius X I V. in ſua Conſtit.17.de qua ſup. tom. 2. vetuit Clericis Regularibus Congregationis miniſtrantium infirmis, ad alios Ordines præter Carthuſianum tranſire. §.1. Prætextu huius liberi tranſitus ad Carthuſianos multi ad laxiores Ordines migrarunt.§.2. Decernit itaque Pontifex iſte,abſque Sedis Apoſtolicæ licentia nec ad Carthuſianos tranſire poſſe. §. 3. & ſeq. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Alia quàm d. Gregorij X I V. Conſtitutione, licitus erat tranſitus ad Carthuſianos ante legem iſtam?

R E S P. Ex prima extrauag. Martini V. tit. de Regular. habetur hæc Ordinis Carthuſianorū prærogatiua, quòd abſque Sedis Apoſt.licentia Religioſi ad eum tranſire poſſent.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erátne ſaltem neceſſaria licentia Superioris Ordinis, à quo abire Religioſus volebat?

R E S P. Neceſſariò debebat licentiam ab eius Superiore petere, & ea petita, licèt non obtenta, tranſitus ad arctiorem Ordinem zelo ſanctioris vitæ licitus fuiſſet. cap. licet. 18. de Regular. per quem text. ſic firmat Rebuff. in praxi benefic. in tit. de tranſlat. Monachorum, num. 5. & 6. apud quem vide optimas ad hoc declarationes.

XXI.

Edita Anno 1606. ROmanus Pont. in B. Petri Sede conſtitutus, & infra pag. 202. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens VIII. intentus ad tollendos abuſus, tum in communicando Indulgentiarum theſauros, tum etiam in modo illos recipiendi exortos, morte præuentus non potuit deliberare quod cogitauerat circa Indulgentias à Romanis Pontificibus elargitas Religionibus, Ordinibúſque Regularibus, ad quod opus nonnullos S. R. E. Cardinales deputauerat. §. 1. Hic Pontifex, qui tunc de eorum numero erat, illis Cardinalibus,vt opus perficerent, iniunxit, & rem ſecum poſtea communicarent. §. 2. Decreuerunt illi,auditis etiam Regularium Superioribus, & ex iudicio aliquorum ex eis,expediens eſſe Regularium omnes hactenus cõceſſas reuocare,& alias particulares eis concedere.§.3.Iſte Pontifex modò omnibus Regularibus cuiuſcumque Ordinis intra Clauſtra, vel extra, cum licentia ſuorum Superiorum degentibus,has concedit Indulgentias.§.4. Plenariam habitum ſuſcipientibus verè pœnitentibus,confeſſis,& ſacra communione refectis elargitur. §. 5. Vel ſimili modo legitimè profeſſionem emittentibus. §. 6. Vel in Feſto principali ſui Ordinis confeſſis, & ſacra communione refectis, vel Miſſam celebrantibus, & certo modo orantibus.§. 7. Vel in mortis articulo confeſſis, & ſacra communione refectis,aut ſi non potuerint, ore, vel corde nomen IESV deuotè inuocantibus.§. 8. Vel Miſſam priuatim celebrantibus,ſeu præuia confeſſione, & cõmunione illi interceſſentibus,aliíſque Religioſis ipſo die Miſſam celebrantibus. §. 9. Vel ſpirituale exercitium iuxta hic præſcriptã formã facientibus.§.10. Elargitur etiam alias Indulgentias. §. 11. & ſeqq. Indulgentias antea à Pontt.conceſſas reuocat. §. 19. Contrariíſque derogat. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Dubitauit hactenus quiſpiam de hac facultate reuocandi Indulgentias à ſuis prædeceſſoribus elargitas?

RESP. Hanc poteſtatem certam eſſe, pluribus rationibus probat Nauar. in conſ. 2. incip. Leo X. de pœnit. lib. 5. quod ſcripſit etiam in ſuo Tract. de Iubil. & Indulgent.notab. 33. in verb. perſonis. Et pro certo tradit etiam Rod. de quæſtionibus Regul. tom.2.quæſt. 98.art. 4. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Confeſſio,de qua hic, eſt forſan neceſſaria tempore lucrifaciendi Indulgentiam,ſi poſt vltimam confeſſionem antea factam, nullum mortiferum peccatum admiſerit, neque de aliquo non detecto in confeſſione recordatus fuerit?

RESP. Non neceſſariam eſſe freqnenter reſpondit Nauar. vt ipſe affirmat in ſuo Tract. de Iubil.& Indulgent. notab. 18.n. 18. poſt gloſ. in extrauag.de pœnitent.

XXII.

DEcet Romanum Pont. & infra pag. 204. Bullarij. *Edita Anno 1606.*

COMPENDIVM.

Clemens VIII. in ſua Conſt. 118. de qua ſup. Iudicem delegit eius Vicariũ ad cognitionem cauſarum Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe. §.1. Hic Pont. approbat. §. 2. Declarat, in cauſis ſpectantibus ad Cameram Apoſtolicam, vel Magiſtos Viarum, Procuratorem d. Hoſpitalis poſſe in Iudicem eligere Camerarium, vel vnum ex Clericis dictæ Cameræ. §. 3. Et in cauſis obligationum in forma Cameræ eligere poſſe Aud. Cã. vel Vicarium Papæ.§. 4.In aliis autẽ litibus decernit Viearium Iudicem remanere priuatiuè quoad alios. §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 6. In cauſis coram aliis Iudicibus instructis Viearium iudicare poſſe illorum firmis remanentibus Notariis. §. 7. Iudiees fatalia toties, quoties opus fuerit,prorogare, & aduerſus lapſum reſtituere poſſe eoncedit.§. 8. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Illa clauſula (*toties, quoties opus fuerit, fatalia prorogandi*) ad quot viees extenditur?

RESP. Ad duas ſecundùm Mandoſ. in commiſſ. prorogationis fatal. verſ.

verſ. toties. Vel ad tres ſecundùm Marcheſan.de commiſſionib.par.2.cap.vlt.n. 7.& ſeqq. in impreſſione de anno 1604. Sed illi loquuntur in commiſſione Signaturæ Iuſtitiæ: hic autem Papa concedit ex gratia dictam facultatem, vnde ad vlteriores vices extendi verius videtur Alex.conſ.145.lib.2.num.3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fatalia currunt à die ſententiæ?

RESP. Non,ſed à die appellationis, clem. 3. de appellat. Bald. in l. litigatoribus. 14. C. de appellat. num.1. Felyn. in cap. Quoad conſultationem. 15.de re iudic.num.30. Scaccia de appellat. lib.3. c.2. quæſt.15.num. 162.ſubdens num.171. quòd ipſa dies interpoſitæ appellationis non computatur.

XXIII.

Edita Anno 1606. & 1607.

DIuina diſponente clementia, & infra pag.204. *Item*; In ſupereminentis Apoſtolicæ, & infra pag. 206.Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V.Congregationem B. MARIÆ Fullienſis Monachorum Ordinis Ciſtercienſis S.Benedicti,inſtituit in ſua Conſt. 32.de qua ſup.tom.2. & priuilegia conceſſit. §. 1. Clemens VIII. in ſua Conſt. 12. de qua ſup. illa ampliauit. §. 2. Hic Pontifex ea ampliat. §. 3.& 4. Et communicat priuilegia quorumcumque Ordinum Monaſteriorum. §. 5. Illam eximit à ſuperioritate Prælatorum Ordinis Ciſtercienſis, omniúmque Ordinariorum, & Iudicum Eccleſiaſticorum. §. 12. Congregationem hanc ſub immediata protectione Sedis Apoſtolicæ recipit.§. 13. Eiúſque Monachos à nemine ſuſpendi, vel interdici iubet, aut coram aliis Iudicibus,niſi iuxta formam Concilij Tridentini trahi prohibet. §. 14. Perturbatoribus pœnas imponit. §.15.Literas Martini V.& aliorum Pontt. circa exemptionem decimarum innouat. §. 16. Priuelegiis Ordinum Mendicantium vti poſſe indulget. §. 17. Executores huius Conſtitut. deputat. §. 18. Contrariiſque derogat. §. 19. Tranſumptis quoque credi iubet. §. 20.

Scholion primum.

Quæro. Poterunt hi Monachi ab Epiſcopis cogi, vt in eorum Monaſteriis ſacræ Theologiæ lectio habeatur,non obſtante hac exemptione?

RESP. Crederem poſſe,quia id Epiſcopi,vti Sedis Apoſtolicæ delegati,agere poſſunt ex diſpoſitione Concilij Tridentini ſeſſ.5.cap.1. de refor.ex notatis à Quarant. in ſuo Compend. in verb. Exemptio, vbi de aliis non abſimilibus caſibus meminit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Suſceptio ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione, de qua in §. 13.quid operatur?

RESP. Quod non poſſint ſe ſubmittere iuriſdictioni Ordinariorum. Rota in deciſ. Seraphin. 595. numer. 7. in nouiſſ.

XXIV.

MAieſtatis tuæ in nos, & infra pag.208.Bullarij. *Edita Anno 1606.*

COMPENDIVM.

Statutis Militiarum IESV CHRISTI S.Iacobi de Spatha, & S. Benedicti de Auis cauetur, milites earum Commendas, & beneficia conſequi non poſſe, niſi triennio in Aphrica cum duobus ſeruientibus contra Infideles militaſſent. §. 1. Philippus Hiſpaniarum Rex impetrat à Pontifice indulgeri ſatis eſſe militibus quinquennio cum duobus ſeruientibus in quacumque eius Claſſe militare aduerſus Infideles, aut Hæreticos. §. 2. & 3. Quibuſcumque non obſtantibus.§.4.

Scholion primum.

Quæro. Militiæ, de qua in hoc opere nihil ferè peculiare habemus, quis inſtitutionem, ſtatum, atque progreſſum edocebit?

RESP. Nihil de ea ſcriptum perlegi vſque ad hanc diem,præter quoddam Promptuarium F. Franciſci de Auelar. F. Emanueli Rod. directum: illud percurre,& notatu digna inuenies, impreſſum habetur in fine tom.1.eiuſdem Rod. de quæſt.Regular.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ex §.2.& 3. videtúrne arguendum, Infidelem, & Hæreticum differre inter ſe?

R E S P. Ita ſanè; Infidelis etenim propriè eſt qui nunquam Chriſtianam agnouit, & ſuſcepit fidem: Hæreticus autem propriè, qui à Chriſtiana fide per Baptiſmum ſuſcepta, pertinaciter errat contra id quod ſcit ab Eccleſia Catholica pro fide teneri,licèt impropriè multis modis quis dicatur Hæreticus, vt patet ex his quæ ſcripſit Hoſt. in Sum. in tit. de Hæretic. §. quis dicatur. Ambroſ. de Vignat.de Hæreſ.quæſt.2. & Turrecrem. in cap. caue.15. cauſ. 28. quæſt. 1.numer. 2.& 3.

X C V.

Edita Anno 1606. INter omnes vitæ Regularis Ordines,& infra pag.209.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confirmat omnia priuilegia, & gratias Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum. §. 1.& 2.Congregationem Reformatorum eiuſdem Ordinis comprobat cum eorum Regulis, & Generali eos vbique corrigendi facultatem tribuit. §.3. Eádémque Congregationem Generali,& Prælatis Ordinis totaliter ſupponit. §.4.

Scholion primum.

Quæro. Legata ad huiuſmodi redemptionem captiuorum, proderúntne ad ſubleuationem animæ Purgatorij?

R E S P.Prodeſſe innuit text.in Auth. vt cum, de appellat. cog. §. 13. ſi vnùm, quem ad hoc allegat Illephonſ. Perez in ſuo Tract.de Anniuerſar. & Cappellan. cap.22.lib.1.num.2.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Huiuſmodi Religionum reformationes cur his temporibus tam frequentes?

R E S P.Prætermiſſis aliis rationibus, illa mihi ſatisfacit, quòd Concilium Tridentinum eam præcepit in ſeſſ. 25. cap. 1.de Regular. Et de ea nonnulla recenſet ſcitu digna Rod. de quæſtionib. Regular. in quæſt. 73. artic. 1. per totum,tom. 2.

X X V I.

ROmanus Pontifex ea interdum, & infra pag.210.Bullarij. *Edita Anno 1606.*

C O M P E N D I V M.

Pius IV. in ſua Conſtit. 51.de qua ſup. tom.2.contra Religioſos ab Inquiſitoribus procedi poſſe decreuit, dummodo ab eorum Superioribus non eſſet præuentum. §. 1. Hic Pontifex quaſcumque facultates, cuiuſcumque Ordinis Prælatorum, cognoſcendi Regularium cauſas ad officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſpectantes, reuocat. Sed eas Ordinariis denunciari mandat. §. 3. Et pendentes coram dictis Superioribus, ad Inquiſitores & Ordinarios remittit. §. 4. Et omnia acta ad eoſdem tranſmitti iubet.§.5.Contrauenientibus pœnas imponit. §.6.Clauſulas huic Bullæ præſeruatiuas apponit. §. 7. Derogatoriáſque. §. 8. Formam, & effectum eius publicationis præſcribit. §. 9. Tranſumptíſque credi mandat.§.10.

Scholion primum.

Quæro. Quæ potuit eſſe cauſa huius Conſtitutionis?

R E S P. Rectiſſimè huiuſmodi cauſarum fidei cognitio à cæteris abdicata, & ad ſolos Inquiſitores delata fuit,quia in eorum tribunalibus magis iuridicè,& ſecretè cuncta geruntur; & ob quotidianam experentiam diligentiùs fabricantur proceſſus, vt aduertit Pegna in Director. Inquiſit. par. 3. comment. 77. verſ. iuſtiſſimè.vbi propter alias fortaſſe grauiores cauſas,quas prudens ibi omittere ſubdit, ſic decretum fuiſſe indicat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid agendum,ſi aliquis Magiſter Ordinis generalis de hæreſi ſuſpectus haberetur?

R E S P. Priuati Inquiſitores non debent de facili procedere, ſed rem Inquiſitoribus generalibus renunciare, qui cauſa cognita optimè decernent, quid facto opus ſit, vt notat Pegna in d. comment.77.in fine.

X X V I I.

AD vberes,& ſuaues fructus, & infra pag.211.Bullarij. *Edita Anno 1606.*

COM

COMPENDIVM.

Decernit, Fratres Capuccinos Ordinis S. Franciſci in Regnis Hiſpaniarum noua loca recipere poſſe, ſeruata ſolum forma ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini. §. 1. Derogat Conſtitutioni 99. Clem. VIII. & cæteris contrariis. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quæ eſt hæc in recipiendis nouis locis forma tradita à ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino?

RESP. Papæ tantummodo licentiam requiri ſcio ex cap. vnico. §. 1. de religioſ. domib. in 6. quam facultatem poſtea locorum, vbi erigenda ſint noua loca, Epiſcopis tribuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. in fin. de Regular.

Scholion ſecundum.

Quæro. Capuccini fuerunt ſolùm in Italia recepti (vt omnes ſciunt) quis ergo eis in Regnis Hiſpaniarum, vel aliis Monaſteria habere permiſit, vt ſupponitur in hoc indulto, quod circa modum ea recipiendi ſolummodo diſponit?

RESP. Perlege Gregorij XIII. diploma in Bibliotheca Genitoris mei repertum, quod dubio tuo plenè ſatisfacit.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

EX noſtri Paſtoralis officij debito ad ea libenter attendimus, per quæ ſingularum Religionum propagationi conſulatur, maximè verò illarum quæ alicubi ex ſpeciali populorum deuotione operantur. Cùm itaque Religio Ordinis Fratrum Minorum Congregationis Capuccinorum nuncupatæ, dudum in Italia ſalubriter inſtituta, nunc etiam in partibus Galliarum, & ſignanter in Alma Ciuitate Pariſienſi inſtitui cœpta, ad finem perduci deſideretur, ſed quia aliàs fel. record. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter ex certis tunc expreſſis cauſis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna dilectis filiis Vicario generali, & Fratribus dictarum Ordinis, & Congregationis Motu proprio præcepit, ne donec à ſe in Capitulo generali eiuſdem Ordinis, quod in Vrbe celebrandum erat, aliud ſuper eo determinatum foret, ſeſe vltra Montes transferre, aut loca de nouo inibi acceptare auderent: ipſi Vicarius & Fratres, etſi hoc præceptum dicti prædeceſſoris obitu creditum ſit expiraſſe, veriti tamen crimen transgreſſionis, nihil omnina contra illud abſque dictæ Sedis permiſſione auſi ſunt hucuſque attentare: Nos Religionis ampliandæ ſtudio prohibitionem prædictam, ac quicquid à dicto prædeceſſore eius cauſa decretum eſt, authoritate præſentium abrogamus, ac Vicarium & Fratres prædictas contra illa in integrum reſtituimus, quin etiam illis ad Gallias, ac cæteras omnes Orbis partes liberè transeundi, & ibidem domos, loca, Cuſtodias, & Prouincias, iuxta eorum morem fundandi, ac inſtituendi licentiam tribuimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcūque. Quia verò difficile eſſet præsētes quocumq; vbi illis opus erit, perferri; volumus, vt illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, pridie Nonas Maij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XXVIII.

EXimię fidelitatis, & prudentię, & infra pag. 212. Bullarij. *Edita Anno 1606.*

COMPENDIVM.

Officium Auditoratus cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, cum omnibus eius iuribus, emolumentis, & iuriſdictionibus Paulo confert Creſcentio Romano. §. 1. & ſeqq. Et facultatem in cauſis criminalibus abſque irregularitate ſe immiſcendi. §. 4. Cauſas per eius Auditores cognoſcendi. §. 5. In cauſis obligatiouum Cameralium, præterquàm in

in litibus alibi pendentibus, & inter Ciues Romanos iuxta Bullam Pij IV. procedendi. §. 6. Eáſque ab aliis Iudicibus reaſſumendi. §. 7. Solus vigore obligationum Cameralium, cenſuras promulgandi. §. 8. Cauſas ſpirituales, & Curialium, Communitatum, mercatorum, & penſionum cognoſcendi. §. 9. Cauſáſque appellationum à Iudicibus Vrbis (Vicario, Gubernatore, & Senatore exceptis) & etiam extra Vrbem. §. 10. In cauſis non excedentibus valorem ducat. 200. necnon mercatorum, & Notariorum Tribunalis ſummariè, & in aliis, prout in beneficialibus procedendi. §. 11. Cauſas criminales contra Curiales, & exemptos cognoſcendi. §. 12. Monitoria contra Epiſcopos præuio aſſenſu Papæ decernendi. §. 13. Literas Apoſtolicas ſolus, & dato alio executore cumulatiuè exequendi. §. 14. Sententias in Curia, & extra latas ſimili modo exequendi. §. 15. Pro contractibus in Curia initis, & Curiales, alióſque in Curia degentes citandi. §. 16. Compulſoriales, & remiſſoriales decernendi. §. 17. In vim Bullæ Eugenianæ Curiales tuendi. §. 18. Monitoria ad partes decernendi. §. 19. Inobedientes excommunicandi. §. 20. Excommunicati ab Aud. Cam. ab aliis non abſoluuntur, ſed è contra. §. 21. & 22. Obligationes Camerales contra debitorum decedentium bona exequitur. §. 23. Omnibus facultatibus aliis Auditoribus conceſſis vtitur. §. 24. Indultiſque. §. 25. Dilationes ab aliis Iudicibus datæ obligatis in forma Cameræ non ſuffragantur. §. 26. Cauſæ diſcuſſionum vbilibet pendentes, & appellationes non facientes mentionem de obligatione Camerali, executionem non retardant. §. 27. Præcedentia Aud. Cam. in Capella Papæ, & aliis actibus publicis datur. §. 28. Contradictores in prædictis coërceantur. §. 29. Carceratos etiam extra Curiam vigore ſuorum mandatorum relaxat. §. 30. Miſerabiles perſonas in cauſis diſcuſſionum aliis præfert. §. 31. In Curia & extra citat. §. 32. Cauſas cambiorum ſiccorum mercatorum Vrbis cognoſcit. §. 33. Alij in obligationibus Cameralibus ſe non intromittant. §. 34. Declarat ex his non derogare Concilio Tridentino, & reformationibus Pij IV. & Pij V. §. 38.

Scholion primum.

Quæro. Sub nomine Communitatum, de quibus in §. 9. continentúrne pupilli, ita vt conuenti vigore obligationis Cameralis ſui tutoris, non poſſint coram Aud. Cam. ſe tueri priuilegio l. vnicæ. Cod. quando Imper.

R E S P. Non poſſunt, vt petbellè poſt alios oſtendit Gratian. in ſuis diſceptat. forenſib. lib. 1. cap. 182. per totum. Quam ſententiam in facti contigentia Signaturam Iuſtitiæ amplexam fuiſſe ſcio in vna Bononienſi, die 12. Maij 1594. proponente R. P. D. Robuſterio, cuius votum per extenſum vidi in Bibliotheca Genitoris mei.

Scholion ſecundum.

Quæro. Auditor Cameræ poteritne cauſas alteri ſubdelegare?

R E S P. Poterit, quia eſt delegatus à Papa. Ita cenſuit Rota in deciſ. Seraph. 509. numer. 3. in ſuis nouiſſ. & deciſ. 857. num. 17. vbi aliæ allegantur deciſiones.

X X I X.

QVæ regulares perſonas, & infra pag. 216. Bullarij. *Edita Anno 1606.*

C O M P E N D I V M.

Clemens Octauus in ſua Conſtit. 12. de qua ſup. Congregationem Monachorum B. M A R I Æ Fullienſis, eorúmque bona, & Monaſteria exemit ab omnibus Prælatis Ordinis Ciſtercienſis. §. 1. Et ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recepit. §. 2. Facultatéſque datas Abbati Ciſtercij viſitandi omnes Congregationes, & loca Ordinis Ciſtercienſis, d. Congregationi non obeſſe declarauit. §. 3. Et modò hic Pont. Moniales etiã dictis gratiis, & exẽptione, gaudere & regimini Prælatorum d. Congregationis Fullienſis totaliter ſubiectas decernit. §. 4. & 5. Contraria remouet. §. 6. Huiúſque Bullæ tranſumptis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Monialis tranſlata de vno ad aliud Monaſterium, definitne eſſe filia primi Monaſterij, vbi profeſſionem emiſerat?

R E S P. Non, ſi fuit trãſlata cum habitu

habitu ſuæ Religionis gratiâ pœnitētiæ, vel ad euitandum rixas, vel ſcandala, aut ob aliam ſimilem cauſam, præſertim ſi alita fuit expēſis primi Monaſterij: ſecus ſi transferatur, vt liberetur à conſortio, & filiatione primi, & ibi profeſſionem emittat. Quod probandum eſt ab eo, qui id allegat. Nauar. de Regular. comment. 4. num. 4. plenè Rota in deciſ. Littæ 109. & 115. par. 2. in recentioribus ferè per totam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Num Monialis, quæ fuit dotata ea dote, quæ aliis Monialibus dari conſueuit, poſſit agere ad ſupplementum congruæ dotis, attenta magna patrimonij quantitate, & familiæ nobilitate?

R E S P. Fuit deſuper lis mota, & coram Illuſtriſſimo Cardinali S. Marcelli, cui placuit conſulere Rotam, quæ negatiuam ſententiam tenuit, eo quia competenter illa dicitur dotata, quæ iuxta conſuetudinem loci dotata eſt, & taliter dotata excluditur à ſtatuto; nec attenditur quantitas ampli patrimonij, cùm elegerit ipſa in paupertate Chriſto pauperi famulari, & Monaſterium reperiatur cū minori dote, quàm maritus, quia Moniales non egent familia, liberis carent, non quærunt pompam, aut honores, & neque nobilitas familiæ, quia inter Moniales ſunt omnes æquales. Gloſſ. fin. necnon Panormit. & alij in cap. 1. de purg. canonic. vt bene oſtendit ipſa Rota in deciſ. 60. par. 2. diuerſ. num. 1. & ſeqq. in recentiorib. vbi latè.

X X X.

Edita Anno 1606. ACcepimus inter alia laudabilia, & infra pag. 217. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Statuto Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani cauetur, vt in promotione Militum ad Magnam Crucem habeatur ratio meritorum magis, quàm antianitatis reſpectu temporis. §. 1. Quod Papa præcipit obſeruari, quatenus ſit in vſu. §. 2. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Huiuſmodi ſtatutum concordat cum iure communi, vel diſcordat?

R E S P. Concordat, vt mihi probat tex. in cap. licèt is, cauſ. 8. quæſt. 1. Rota, quæ alias authoritates allegat. in deciſ. Seraphini 942. in nouiſſ. num. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erit ergo ei, in quantum fieri poteſt, inhærendum?

R E S P. Ita quidem, quia fauorabile cenſetur, imò dicitur potiùs ius commune, quam ſtatutarium. Angel. conſ. 357. incip. Dominus Gregorius, num. 3. verſ. & maximè, vbi Bartolum, & Io. Andreā ad hoc allegat. Idémque tradit Caſſan. ſuper conſuetud. Burgund. rubr. 2. §. 1. num. 9. in addit.

X X X I.

POſtulat Apoſtolici muneris ratio, & infra pag. 218. *Item*; Cupientes regimini, & infra pag. ead. Bullarij. *Edita Anno 1607.*

C O M P E N D I V M.

Facultas Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, extendit ſe etiam ad Fratres Reformatos. §. 1. Miniſtri Prouinciales Reformati ordinariam habent poteſtatem ſuper Cuſtodibus, & Reformatis. §. 2. Miniſtri non Reformati eiſdem Cuſtodibus, & Reformatis præcedunt. §. 3. Cuſtodis, & eius vocalium in Capitulo Prouinciali facultas quæ. §. 4. Ad Miniſtrum Generalem appellatur. §. 5. Tranſitus de Reformatione ad familiam, & è cōtra, quando permittatur. §. 6. Nouitiorum electio eſt libera in Nouitiatus familia, vel Obſeruantia. §. 7. Conuentuum recipiendorum pro familia, diſpoſitio eſt Protectoris Ordinis. §. 8. Iuſſio prædicta obſeruandi. §. 9. Derogatio contrariorum. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Cuſtodum munus in quibus conſiſtit?

R E S P. Accipe à Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 70. art. 1. & ſeqq. vbi hác materiam fusè explicat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quanto tempore eius officium expletur?

R E S P. Quouſque alter Cuſtos eligatur; maximè enim expedit, vt ſemper ſit Cuſtos in Prouincia ad omnem

euentum. Ita aduertit Rod. vbi ſup. artic. 6.

XXXII.

Edita Anno 1607. EXpoſitum nobis nuper fuit, & infra pag. 219. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Rectores Parochialium Eccleſiarum in Indiis Occidentalibus exigebant maiorem eleemoſynam ab iis, qui in Eccleſiis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ſepeliri volunt, quàm ſi in ipſorum propriis Eccleſiis ſepelirentur. §. 1. Eleemoſynámque Miſſarum, quas pro anima ſua à dictis Fratribus dicendas relinquunt, cum ipſis eſſe diuidendam. §. 2. Ideo Pontifex decernit, eis eleemoſynam illam tantùm deberi, quæ præſcripta eſt à Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 13. & à Pio V. ſup. in ſua Conſtit. 41. tom. 2. explicata fuit. §. 3. & 4. Executores huius legis deputat. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6. Tranſumptiſque credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Qui primùm Religioſi ad Indos pro eorum conuerſione miſſi fuerunt?

RESP. Fratres Minores S. Franciſci, vt recenſet Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 52. artic. 1.

Scholion ſecundum.

RESP. Dic amabo, quo in loco Cõſtitutionis 41. Pij Quinti, de qua loquitur hic textus in §. 4. habetur explicatio quartæ funeralis, de qua hic agitur?

RESP. Sub num. 11. & in Conſt. ei adnexa, incip. Ad hoc nos Deus. §. 3.

XXXIII.

Edita Anno 1607. & 1608. CVm ſicut accepimus, in Ordine S. Benedicti, & infra pag. 219. *Item*; Romani Pontificis, & infra pag. 222. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendum abuſus exortos in Cõgregatione Caſſinenſi, aliàs Sanctę Iuſtinæ Monachorum Ordinis Sancti Benedicti ab eodem Sancto inſtituti, erigit hic Pont. in Italia, & Inſulis adiacentibus ſeptem Prouincias, in princip. & §. 1. Romanam, in qua eſt Monaſterium Sãcti Pauli extra mœnia Vrbis, & alia ſeptem Monaſteria. §. 2. Hetruſcam, ſeptem Monaſteriorum. §. 3. Neapolitanam, octo Monaſteriorum. §. 4. Siculam, ſeptem Monaſteriorum. §. 5. Venetam, decem Monaſteriorum. §. 6. Inſubrem, vndecim Monaſteriorum. §. 7. & 37. Liguram, ſeptem Monaſteriorum. §. 8. Ex dictis ſeptem Prouinciis nouem Abbates Diffinitores eligantur. §. 9. Quorum tres antiquiores quolibet anno vacent, & alij ſufficiantur. §. 10. Et eorum aliquo Diffinitorio excluſo, alter ex viciniori Prouincia eligatur. §. 11. Conſeruatores qui, & quod eorum munus. §. 12. Abbates quot eligendi ex qualibet Prouincia, & quæ ſit electio. §. 13. & ſeq. Eorum munus quinquennio expleatur. §. 15. Vita communis, & alia Ordinis inſtituta ſeruentur. §. 16. Studentibus plenè prouideatur. §. 17. Eadem vbique diſciplina ſeruetur. §. 18. Cellariorum munus quod. §. 19. & ſeq. Viſitatorum quod ſit munus, & electio. §. 21. & ſeq. Nouitiorum probatio, & educatio quæ. §. 23. Nouitiatus duo de nouo erigantur. §. 24. Nouitiorum numerus quis. §. 25. In Monaſterio Sancti Pauli ſex. §. 26. Quatuor in Monaſterio Sublacenſi. §. 27. Abbas d. Monaſterij Sancti Pauli, & Procurator Ordinis non ſint de eadem Prouincia. §. 28. Priuilegia his non contraria confirmantur. §. 30. Profeſſi in Monaſteriis ex quibus non ſunt oriũdi, gaudent priuilegiis, quibus gaudent oriundi. §. 38. Qui ad Abbatiam Sancti Pauli concurrant. §. 39. Prælatorum numerus qui. §. 40. Diaconorum approbatio quæ. §. 41. Comprobatio Conſtitutionum à Gregor. XIII. approbatarum. §. 42. Horæ Canonicæ in Choro recitandæ. §. 43. Culpæ Monachorum ſemel in hebdomada audiendæ. §. 44. Lectio caſuum conſcientiæ habeatur. §. 45. Et alia lectio in Refectorio. §. 46. Carnium eſus ſeruetur, vt in Bulla Gregor. XIII. §. 47. Contrauenientium pœnæ quæ. §. 48.

Scholion primum.

Quæro. Regulam S. Benedicti quis primùm Pontifex approbauit?

RESP. Gregorium I. anno 595. in Concilio Romano eam confirmaſſe, & reformaſſe, colligitur ex Ciacon in vita d. Gregorij. Et expreſſiùs id firmat Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 8. pag. 91. Et ante eos (licèt in temporis cõputatione erret) hoc

hoc idem tradit Baptiſta de Caccialup. in conſ. 4. poſt conſilia Cardin. Zabar. num. 37. & 43. Et ſubdit, Zachariam quoque Pontificem anno 542. ad Pontificatus apicem euectum, d. Regulam comprobaſſe, & initia Bullarum vtriuſque Pontificis recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis ob legitimum impedimentum eſſet exemptus à recitatione Horarum Canonicarum, de quibus in §. 43. diceretúrne exemptus etiam ab earum auditione?

R E S P. Affirmatiua ſententia verior videtur, cùm iſta auditio Clericis nunquam iniuncta fuerit, vt relatis aliis ſic ſcribit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 42. art. 10.

X X X I V.

Edita Anno 1607. Religioſorum ſub ſuaui, & infra pag. 223. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quidam locorum Ordinarij prætendebant Religioſos intra Clauſtra degẽtes coram eis conueniri debere in cauſis ciuilibus. §. 1. Sacra Congregatio ſuper interpretatione Concilij Tridentini cõtrarium ſtatuit, Religioſóſque coram eorum Superioribus, vel Conſeruatoribus iuxta ipſorum priuilegiorum normam conueniendos eſſe. §. 2. Hic Pontifex eorum ſanctionem approbat. §. 3. Et ſeruari præcipit. §. 4. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Conſeruatoria, de qua in §. 2 quanto tempore durat?

R E S P. Non vltra quinquennium, ex diſpoſitione Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. Quod limitatur quoad Conſeruatorias datas Religionibus, quæ perpetuę ſunt, vt aduertit Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 65. art. 6. & 9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Concilium ergo Tridentinum in d. cap. 5. locum non habet quoad Conſeruatorias Religioſorum?

R E S P. Non, vt patet ex textu met Concilij, & ſcribit Roder. vbi ſup. Et ita cenſuit etiam ipſa Congregatio S. R. E. Cardinalium interpretum d. Concilij, teſte Io. Franciſco Leon. in ſuo Theſaur. fori Eccleſ. par. 5. cap. 39. num. 58.

X X X V.

Qvoniam nemo debet ſibi, & infra pag. 224. Bullarij. *Edita Anno 1607.*

C O M P E N D I V M.

Regularium ambitum improbat, in princ. Et quia Canonici Regulares S. Saluatoris ad obtinendas dignitates Ordinis, fauores perſonarum extra Religionem requirunt. §. 1. Hunc ambitum eis interdicit. §. 2. Superioribúſque eos attendentes pœnas inobedientiæ, & excommunicationis latæ ſententiæ imponit. §. 3. Electiones irritat. §. 4. Contrauenientes eo ipſo pœnas incurrere declarat. §. 5. Ambitum ex ſola illarum perſonarum inſtantia, vel precibus etiã ore tenus porrectis probari decernit. §. 6. Et ita, & non aliter iudicari debere præcipit. §. 7. Contrariis omnibus derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Aliàs à te dictum fuit, quòd ambitus ſubtile malum eſt, dic amabo, cuius authoritate probetur?

R E S P. S. Bernardi in Pſal. 90. ſic ſcribentis. *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Ambitum eiuſmodi fugiendi quod pu tas remedium?

R E S P. Illud vnum ex pluribus Sanctorum exemplum B. Gregorij tibi propono, à Ioanne Diacono in eius vita relatum. Quòd is in Pontificem electus non modò aufugit, ſed Mauritium Imperatorem, ne ſuæ electioni conſentiret, literis compellauit; indicio autem cęleſti columnæ igneæ proditus, & Pontifex factus, primus ſe Epiſtolis Seruum Seruorum appellauit. Quod vltimum tenet etiam gloſ. in procem. 6. Decretal. in addit. & Io. And. ibid. n. 1. atq; Archid. n. 2.

XXXVI.

Edita Anno 1607.

EX credito nobis Paſtoralis, & infra pag. 225. Bullarij.

COMPENDIVM.

Summi Pontifices, & Concilium Tridentinum ſtatuerunt, inſtitui debere Confraternitates Doctrinæ Chriſtianæ. §. 1. Fuit propterea in Vrbe inſtituta nedum Confraternitas laicorum, ſed etiam Clericorum ad pueros inſtruendos in fidei rudimentis, & Chriſtianis virtutibus. §. 2. Quam hic Pont. erigit in Archiconfraternitatem in Baſilica S. Petri. §. 3. Eius Protectorem deputat Cardinalem Papæ Vicarium. §. 4. Archiconfraternitati facultatem elargitur, alias Confraternitates ſibi aggregandi, & Indulgentias communicandi. §. 5. Statutáque de conſenſu Protectoris condendi. §. 6. Indulgentiam plenariam Confratribus concedit pro die ingreſſus, diéque præcipuè feſtiuitatis Congregationis in articulo mortis. §. 7. & ſeqq. Alias Indulgentias elargitur in §. 10. & ſeq. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Cur puerorum hæc bona inſtructio præcipuè curanda?

RESP. Quia prima hæc ætas non differt à tabula raſa, in qua facilè quicquid libet imprimitur. Vnde diligenter cauendum, ne dediſcenda diſcant pueri; ſi quidem ad bonam frugem vix ſpes relinqueretur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ Congregatio, de quibus habetur in §. 2. quo tempore conſtituta fuit?

RESP. Hoc vnum ſcio, quòd in ſpeciali quodam Clementis Papæ VIII. die 29. Decembris 1595. obſignato diplomate, à Paulo V. die 21. Martij 1606. comprobato, enunciatur, Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ Congregationem iampridem in Vrbe fuiſſe inſtitutam, & non mediocres Dei Eccleſiæ fructus afferre. Quódque eam Congregationem à Cura Parochorum idem Clemens exemit, ac facultatem adminiſtrandi Sacramenta perſonis ipſius Congregationis conceſſit.

XXXVII.

Edita Anno 1607.

EX quo diuina Maieſtas, & infra pag. 226. Bullarij.

COMPENDIVM.

Communicat Congregationi Clericorum Regularium de Somaſca, aliàs S. Maioli, quæcumque priuilegia Ordinibus Mendicantium conceſſa, & concedenda. §. 1. Contrariis omnibus derogat. §. 2. Huiúſque Conſtitutionis tranſumptis credi iubet. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi non ſpecificè dediſſet priuilegia Mendicantibus concedenda?

RESP. Illa quidem non venirent, arg. tex. in l. ſi ita. 8. ff. de auro, & arg. leg. Et bene Mandoſ. in ſuo tract. de priuileg. ad inſtar, in gloſ. 14.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si aliquod ex priuilegiis Mendicantium ante huiuſmodi communicationem fuiſſet in vſu, præſumeretúrne fuiſſe etiam in vſu hoc tempore communicationis, vt comprehendatur in communicatione?

RESP. Affirmatiuam ſententiam probat Rod. de quæſtionib. Regular. tom. 3. quæſt. 51. art. 4. verſ. Dico ſecundò.

XXXVIII.

Edita Anno 1607.

CVpientes Cõſtitutionem à fel. record. & infra pag. 227. *Item*; Iampridem cupientes, & infra pag. ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cardinales ad executionem Conſtitutionis 10. à Clemente VIII. de bono regimine Communitatum Status Eccleſiaſtici editæ, de qua ſup. deputat. §. 1. Dat eiſdem iuriſdictionem per ſe, & alios, cauſas tam ciuiles, quàm criminales, & mixtas cognoſcendi. §. 2. Prælatos de aſſenſu Papæ in Conſultores adhibendi, Secretariúmque deputandi. §. 3. Declarat intellexiſſe de cauſis ſpectantibus ad prouentus, & redditus Communitatum, ſiue adminiſtrationes bonorum earumdem, non autem pœnarum maleficiorum, in Conſtitutionis ſubſeq. §. 1. & 2. Et ita, & non aliàs

aliàs iudicari mandat.§.3. Contrariiſque derogat.§.4.

Scholion primum.

*Quæro.*Harum Conſtitutionum ſecunda edita anno huius Pontificis tertio, ad declarationē alterius editæ anno 1. porrigeretúrne etiam ad cauſas pœnarum maleficiorum ante hanc vltimò promulgatam patratorum ?.

R E S P.Lex regulariter reſpicit futura.l.leges. 3. Cod.de leg.Fallit tamen in hac edita ad declarationem legis præcedentis.cap.fin.& ibi Canon.communiter de Conſtit.Bellam.conſ.33.num.40.Alex. conſ.7.lib.2.num.4.& 5.

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Clauſula(*Sublata*)de qua in §. 3.quid operaretur,ſi contingeret dubitari,an hæc lex reſpiciat præterita ?

R E S P.Operabitur,quòd ſi quis poſſidet,interim eſt manutenendus.Rota in deciſ. Seraphini 1471. numer.5.in nouiſſ.

XXXIX.

Edita Anno 1608.

ADmonemur Paſtoralis officij, & infra pag.228.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Gregorius XII.in ſua Conſt.62.de qua ſup.to.2.Prælatis Ordinis Fratrum Prædicatorum vetuit vllam facere gratiam cuiuis Religioſo d.Ordinis, vel pœnam remittere,ad inſtantiam perſonarum extra Religionem exiſtentium. §. 1. Vetuit etiam Fratribus, his modis aliquid ſibi procurare.§.2.Clemens VIII.in ſua Cōſt. 7.de qua ſup. huiuſmodi prohibitiones ampliauit. §. 3. Hic Pontifex eiuſmodi Conſtitutiones approbat. §. 4. Omnibúſque contrauenientibus pœnam excommunicationis latæ ſententiæ addit. §. 5. Contrariis inſuper derogat. §. 6. Et huius Bullę tranſumptis credi iubet.§.7.

Scholion primum.

*Quæro.*De eiuſmodi ambitionis vitio, de quo ſup.in Conſt. 35. S. Bernardi elegans dictum mihi ſignificaſti,aliúdne ſimile habes?

R E S P. Audi S. Ambroſium in Lucam ſic ſcribentem. *Hoc ipſo perniciosior eſt ambitio,quòd blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum , & ſæpe quos vitia nulla delectant,quos nulla potuit mouere luxuria,nulla ſubruere auaritia,facit ambitus criminoſos.*

Scholion ſecundum.

*Quæro.*Ecquod putas opportunum ad ambitionem fugiendam remedium ?

R E S P. Propone,vltra allatum à me tibi ſup. B. Gregorij , aliud D. Ambroſij Eccleſiæ Mediolanenſis vigilantiſſimi Paſtoris exemplum , qui Epiſcopus Mediolanenſis à populo,& Imperatore electus,noctu ex Vrbe aufugit, & cùm Ticinum iter intendiſſet,non ſine miraculo manè deprehendit ſe eſſe in porta Mediolani;ex Paulino in eius vita.

X L.

EX omnibus Chriſtianæ charitatis,& infra pag.228.Bullarij. *Edita Anno 1608.*

C O M P E N D I V M.

Dat facultatem Fratribus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis ad partes Infidelium ſe transferentibus pro redimendis captiuis, audiendi confeſſiones ibi degentium,eóſque abſoluendi.§. 1.Preſbyteróſque ſuper irregularitate diſpenſandi. §. 2. Captiuos à votis abſoluendi. §. 3.Bona incerta per eoſdem malè parta condonandi. §. 4. Paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica benedicendi. §. 5. Concedit, quòd Religioſi , & alij presbyteri etiam captiui certis horis Miſſam in altari portatili in illis partibus celebrent. §. 6. Sacramenta Eccleſiaſtica certo modo ad Chriſti fideles deferant. §. 7. Permittit dictis Fratribus bona eis data impendere in eorum , & captiuorum vſum , redemptionémque eorumdem.§.8.Miſſarúmque celebrationem pro animarum à Purgatorio liberatione.§.9.Indulgentiam plenariam Chriſti fidelibus in illis partibus degentibus ſtatis diebus confeſſis,& ſacra communione refectis elargitur. §. 10. Aliáſque indulgentias eiſdem pia quædam opera facientibus concedit.§.11.& ſeqq.Indulget prædictis in periculo mortis Sacerdoti etiam captiuo confiteri. §.13. Hanc conceſſionem ad decennium duraturam eſſe decernit.§. 15.Eiuſque exemplis credi iubet. §.16.

Scholion primum.

Quæro. Clerici nónne potiùs, quàm laici redimi debent?

R E S P. Ita ſanè tanquam digniores, & pariter adoleſcentes, & mulieres tanquam fragiliores. Franc. in deciſ. Neapol. 190. in fine, vbi ita ſeruari recenſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Facultas condonandi malè parta incerta, de qua in §. 4. extenditur etiam ad futura?

R E S P. Extenditur, & ex ea non datur materia delinquendi directè, nec indirectè, vt defendit Nauar. de Indulgent. notab. 34 num. 4. & ſequitur Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 42. art. 2.

X L I.

Edita Anno 1608. ROmanus Pontifex principatum, & infra pag 229. *Item*; Militiarum Ordinum, & infra pag. 231. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Henricus IV. Galliæ Rex, militarem Ordinem ſub regula, & denominatione B. MARIÆ de Monte Carmelo, pro nobilibus & ingenuis viris nationis Gallicæ de bonis ſuis merè laicalibus inſtitui cupiens, Papæ ſupplicat pro opportuna prouiſione. §. 1. Qui d. Ordinem erigit ſub d. denominatione, regula, & habitu in Conuentu per Regem deputando in locis ſibi ſubiectis. §. 2. Magiſtratus eius diſpoſitionem omnimodam Regi tribuit. §. 3. Magiſter ab eo prouiſus infra tres menſes à Sede Apoſtolica confirmationem impetret, & fidei profeſſionem ad eam tranſmittat, & antea in Magiſtratu ſe non intromittat. §. 4. Et is Magiſter principalem Ordinis Sedem in loco ex his, quæ Rex poſſidet, collocare, & Milites creare poſſit. §. 5. Statutáque pro Ordinis regimine condere. §. 6. Prioratus etiam, & beneficia conferre. §. 7. Priores, Præceptores, & Capellani habito Magni Magiſtri conſenſu, in Eccleſiis Ordinis Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrent. §. 8. Magiſtro pro ducatis 1500. & Militibus pro ſcutis 500. penſiones ſuper beneficiis Eccleſiaſticis in locis à Rege poſſeſſis, authoritate Apoſtolica reſeruandas, vnà cum Prioratibus, & aliis beneficiis d. militiæ habere poſſe concedit. §. 9. Militia, eiúſque perſonæ, & bona, ab impoſitionibus, & Ordinariorum ſuperioritate exempti ſint, & Magno Magiſtro totaliter ſubiecti. §. 10. Illiſque omnibus Indulgentias elargitur. §. 11. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 12. Contrariiſque derogat. §. 13. Milites fidei profeſſionem emittant, in ſubſeq. Conſt. §. 1. & 2. In habitus ſuſceptione Euchariſtiam ſumât. §. 3. Habitum eis præfinitum geſtent. §. 4. Vota caſtitatis coniugalis, & obedientiæ emittant. §. 5. Contra Rom. Eccleſiæ hoſtes pugnare promittant. §. 6. Officium B. M A R I Æ, vel coronam ſingulis diebus recitent. §. 7. Feſtis, & Sabbathi diebus Miſſam audiant. §. 8. Feria tertia ab eſu carnium ſe abſtineant. §. 9. Feſtis B. M A R I Æ Virginis Euchariſtiam ſumant. §. 10. Die Feſtiuitatis B. MARIÆ de Monte Carmelo ad eius celebrationem conueniant. §. 11. Militiæ ærario ſolitas penſiones perſoluant. §. 12. Sub quibuſuis ducibus abſque licentia Magni Magiſtri non militent. §. 13. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 14.

Scholion primum.

Quæro. Milites iſti debebúntne profiteri poſt annũ, vel ante iuxta Cõcilij Tridentini diſpoſitionem in cap. 15. seſſ. 25.

R E S P. Poſſunt ante, & poſt annum, quia d. Concilium non comprehendit Religiones militares, vt per multa cenſuit Rota in deciſ. Seraphini 591. par. 1. diuerſor. num. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si votum caſtitatis coniugalis vouent, & obedientiæ, vt habetur in §. 5. ſecundæ Conſtitutionis, erunt verè Religioſi?

R E S P. Veros Religioſos eſſe verius puto ex his, quæ ſcripſit de ſimilibus Militibus Rod. de quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 2. artic. 6. verſ. In hac igitur opinionum varietate.

X L I I.

MAieſtatis tuæ nomine, & infra pag. 232. Bullarij. *Edita Anno* 1608.

C O M P E N D I V M.

Statuto Ordinis Militiæ S. Spiritus cauetur,

uetur, non recipi exteros non habilitatos, aut non incolas Regni Franciæ, & tam Regem, quàm alios in die Congregationis generalis Euchariſtiam ſumere debere. §. 1. Rex dictæ Militiæ Adminiſtrator perpetuus, etiam ad exteros qualificatos Ordinem hunc extendi, & Euchariſtiam etiam ante diem Congregationis generalis, & admiſſionis ad habitum ſumi poſſe, & debere à Papa obtinet. §. 2. & 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hic Ordo à quo fuit inſtitutus?

R E S P. Ab Henrico III. Kal. Ianuarij anno 1579. inſtitutum fuiſſe ſcribit Petrus Gregor. Tholoſ. lib. 15. Syntagm. Iur. cap. 35. num. 12. vbi loquitur etiam de alia Militia Stellæ, & altera S. Michaëlis, ab aliis Galliæ Regibus inſtitutis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Miles huius Ordinis prætenderet ſe per vim, & metum ingreſſum fuiſſe hunc Ordinem, haberétne locum contra eum diſpoſitio Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de Regular. cap. 19.

R E S P. Affirmatiua ſententia tenta fuit in Congregatione Cardinalium ſuper interpretatione d. Concilij, attenta vi illius verbi vniuerſalis (*quicumque*) vt ſcribit Gonzal. ſuper 8. Reg. Cancellar. gloſ. 8. num. 62.

XLIII.

Edita Anno 1608. Romanum decet Pontificem, & infra pag. 232. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Clemens VIII. delegit Monachos Cõgregationis B. MARIÆ Fullienſis Ciſterctenſis Ordinis S. Benedicti in Vrbe, ad ſignandum Agnus Dei in cera toto tempore ſui Pontificatus. §. 1. Ipſiq; hoc eorum munus rectè impleuerunt. §. 2. Leo XI. eiſdem dictum munus comprobauit. §. 3. Hic Pontifex idem munus prædictis perpetuò demandat. §. 4. Cæteriſque omnibus illud prohibet. §. 5. Decretum irritans apponit. §. 6. Cõtrariáque remouet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Cur ad caput Agni aureolam Sanctorum, & in humeris vexillum Crucis plerique appingunt?

R E S P. Vt clariùs diſtinguatur à bruto Agno, ſic ſcribit Ioannes Molanus de Hiſtor. SS. Imagin. lib. 3. cap. 20. verſ. Pingitur. pag. mihi 130.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde eſt quod plerique, & præcipuè recenter Baptizati, Agnus Dei ad collum pendentes ferunt?

R E S P. Gentiles ſuis infantibus appendebant ad collum quaſdam Bullas re turpicula ſignatas, aut aliter ſuperſtitionibus auctas, ad auertendas faſcinationes, vt inquit Varro de lingua Latina l. 6. Sed placuit Chriſti fidelibus ſuperſtitione in religionem mutata, ad illas abolendas (vt de multis accidit) ex ſacris ceris Bullas confici, quas Agni Chriſtum præ ſe ferentis imagine inſignitas geniti in Chriſto geſtarent. Baron. lib. 2. Annal. Eccleſiaſticor. pag. mihi 520. litera C.

X L I V.

Maieſtatis tuæ votis, & infra pag. 233. Bullarij. *Edita Anno 1608.*

C O M P E N D I V M.

Regi Galliæ Chriſtianiſſimo concedit facultatem reformandi, & corrigendi ſtatuta Militaris Ordinis S. Spiritus, & alia edendi, licita tamen, & honeſta, & Concilio Tridentino, & Apoſtolicis Cõſtitutionibus non contraria. §. 1. Quibuſcumque Conſtitutionibus Apoſtolicis non obſtantibus. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Rex Galliæ cur Chriſtianiſſimus appellatur?

R E S P. Ob ſinceritatem fidei Catholicæ, quæ ſemper in Regibus Galliæ viguit, vt habetur in Hiſtoriis Gallorũ, & meminit Ioan. Ferald. de Priuileg. Regni Franc. n. 7. & ſeqq. vbi inſerit quandam Conſtitutionem Bonifacij IX. vbi eum Regem Chriſtianiſſimum appellat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si fuiſſet data ſolùm facultas reformandi ſtatuta, potuiſſétne Rex in totum tollere antiqua ſtatuta, vel contraria directè ſtatuere?

R E S P. Non, quia plus eſt tollere, quàm corrigere, ſecundùm Bald. in conſ. 129. incip. Eſt dicendum, lib. 5. ad medium. Et ideo bene addita eſt facultas etiam alia de nouo edendi.

XLV.

XLV.

Edita Anno 1608.

COeleſtis aquæ flumen, & infra pag. 233. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. Franciſca de Pontianis Romana, ſanctitate illuſtris, multiſque præclara virtutibus fuit. §. 1. & ſeqq. Infans ſæculi illecebras fugit, & in ſolitudine orationi vacauit. §. 4. Nupta virum habuit tanquam non haberet. §. 5. Deuotis meditationibus, ſanctiſque operibus ſtuduit. §. 6. Religioſam domum pro mulieribus oblatis Ordinis S. Benedicti inſtituit. §. 7. Quarum numero poſt viri obitum adſcripta ſanctiſſimam vitam duxit. §. 8. Humilitate, & in proximum charitate claruit. §. 9. Patientiáque, & fortitudine. §. 10. Aſperitate inſuper vitæ, ac maximè obedientia. §. 11. Ægrum comitiali morbo ſanauit. §. 13. Laborantem hernia liberauit. § 14. Mulieri brachij vſum reddidit. §. 15. Panes multiplicauit. §. 16. Vuæ Sororibus ſitientibus ea orante apparuerunt. §. 17. Aqua labens ei orante perſtitit. §. 18. Adoleſcentis occultum propoſitum ei patuit. §. 19. Infantis obitus ab ea præuiſus fuit. §. 20. Eius corpus poſt obitum odore fragrauit, & miraculis claruit. §. 21. & ſeq. Mulieri viſum reſtituit. §. 23. Peſte infectam aliam liberauit. §. 24. Alteram febre morituram ſanauit. §. 25. Et alium. §. 26. Puero greſſum reddidit. §. 27. De eius Canonizatione apud plures Pont. actum fuit. §. 28. & ſeqq. Hic Pont. multis deſuper peractis B. Franciſcam Sanctam pronunciauit, & canonizauit. §. 33. & ſeqq. Eius feſtum die 9. Martij agi iubet. §. 39. Indulgentias eius ſepulchrum viſitantibus elargitur. §. 40. Adſtantibus Canonizationi peccatorum remiſſionem concedit. §. 41. S. Franciſcæ præſidium implorat. §. 42. Huius Bullæ tranſumptis credi iubet. §. 43. Sanctionémque pœnalem apponit. §. 44.

Scholion primum.

Quæro. Oblatæ, quarum domum S. Franciſca inſtituit, vt in §. 7. erant, vel ſunt Moniales, quæ ad clauſuram teneantur?

RESP. Non, vt latiſſimè de hoc conſultus probat Nauar. conſ. 81. de Regular. lib. 3. pag. mihi 289. in impreſſis de anno 1610.

Scholion ſecundum.

Quæro. In quibus conſiſtit his temporibus practica, & modus canonizandi Sanctos?

RESP. In duodecim actibus, de quibus poſt alios meminit Maſchard. de probat. lib. 1. concluſ. 262. num. 58. Rocca vbi ſup. Graff. in ſuis deciſ. par. 2. lib. 2. cap. 13. num. 41. & ſeqq. ac Troyl. Maluet. de Canoniz. SS. in 4. & vlt. dubio.

XLVI.

Edita Anno 1608.

DVm generoſa Militum, & infra pag. 237. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in ſua Conſtit. 60. de qua ſup. tom. 2. multas gratias Militibus S. Stephani conceſſit, & ſignanter facultatem retinendi, & transferendi penſiones ducat. 200. §. 1. Pius V. in ſua Conſtit. 73. de qua ſup. eod. tom. hoc indultum obtinendi penſiones abſtulit, & obtentas poſt contractum matrimonium vacare decreuit. §. 2. Sixtus V. in ſua Conſt. 104. de qua ſup. eod. tom. Bullam Pij V. quoad iſtos Milites etiam bigamos, & illegitimos reuocauit. §. 3. Hic Pont. ob egregias contra Infideles huius Militiæ victorias, & ob alias cauſas, gratias à pio IV. & Sixto V. conceſſas reſtituit, & ad ſummam ducat. 400. extendit. §. 4. & 5. Clauſulas præſeruatiuas huius conceſſionis apponit. §. 6. Eiuſdem executores deputat. §. 7. Contrariiſque omnibus derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Verbum (*bigamus*) de quo in §. 3. quid operatur?

RESP. Abſque eo facultas Militum retinendi penſiones non obſtante matrimonio, intelligeretur de primo dumtaxat. Gloſſ. 1. in cap. vlt. cauſ. 33. quæſt. 2. & Rota in vna Placentina penſionis, 21. Nouembris 1596. coram Blanchetto.

Scholion ſecundum.

Quæro. Bigamus quis verè dicitur?

RESP. Qui cum vidua, vel corrupta contraxit, & conſummauit matrimonium

monium validè, vel diuiſis temporibus habuit duas vxores etiam autea non corruptas. Rota deciſ.1.de bigam. in nouiſſ. num. 9. vbi habetur etiam de alio ſimplici genere bigamiæ.

X L V I I.

Edita Anno 1608. Expoſitum nobis nuper fuit, & infra pag. 239. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Rectoribus Eccleſiarum in Indiis precipit, vt ea ſint contenti eleemoſyna pro his, qui in Eccleſiis Fratrum, & Monialium S. Franciſci de Obſeruantia eligunt ſepulturam, quæ à Concilio Tridentino ſeſſ.25.cap.3.præſcripta, & à Pio V.in ſua Conſtit.41.explicata fuit.§.1.& ſeqq.Nec in eorum Paroehialibus eoſdem ſepeliri cogant.§.6.Executores huius legis deputat. §. 7. Contrariis derogat. §. 8. Tranſumptiſque credi iubet. §.9.

Scholion primum.

Quæro. Hæc electio ſepulturæ quot teſtium numerum ad probationem requirit, ſi teſtamentum non appareat?

R E S P. Duorum ſaltem, cùm ſit ſpecies vltimæ voluntatis, & agatur de præiudicio Eccleſiæ Paroehialis, vt in ſpecie ſic tradit Sebaſt.Med. in ſuo tract. de ſepultur. quæſt. 8. & ſequitur Marcus Antonius Genueſ.in praxi Archiep. Cur. Neapolit.ſub num.14.in adnotat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si Iudex deſuper aditus pronunciaret conſtare de eiuſmodi electione, & Rector Parochialis appellaret, eſſétne eius appellationi ſuſpenſiuè deferendum?

R E S P. Non, quia agitur de re tempore peritura. Gloſ. penult. in cap. ex parte. 5.de ſepultur. Anchar. conſil. 189. num. 2.

X L V I I I.

Edita Anno 1608. Admonemur Paſtoralis officij, & infra pag. 240. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prælatis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, prohibet, ne ad inſtantiam perſonarum extra Ordinem conſtitutarum, etiam Principum, gratiam aliquam Religioſo d. Ordinis facere, aut honorem aliquem concedere audeant.§. 1. Fratres autem contra hoc decretum fauores procurantes, ad eos, & alios inhabilitat.§.2.Et ſub eiſdem pœnis huiuſmodi fauores procurare, aut ſponte oblatos recipere, vel munera aliqua exhibere interdicit.§.3.Contrariis quibuſcumq; non obſtātibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Procurans fauorem, ſeu literas commendatitias cuiuſdam Domini ad electores, vt ei faueant, & pœnitentia ductus non vtitur, incidet in pœnas huius Conſtitutionis?

R E S P. Non, vt in terminis non abſimilis Conſtitutionis firmat Rod. de quæſtionib. Regular.tom.2.quæſt. 56.a.2. verſ. circa prædicta, ea vtens ratione, quòd lex pœnalis intelligitur de actu procurationis quæ habuit effectum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi nedum literas illas impetrauit, verùm etiam miſit, non tamē peruenerunt ad manus electorum?

R E S P. In eadem ſententia, & per eamdem rationem ſtat idem Rod. ſequendo Nauar. in ſimili caſu hoc idem ſcribentem in conſ. 60. incip. Prohibuit, lib. 5.de ſent. excom. num. 1.& ſeq. pag. mihi 628.

X L I X.

Ad ea circumſpectioni tuæ, & infra pag. 240. Bullarij. *Edita Anno 1608.*

C O M P E N D I V M.

Confirmat omnia priuilegia, quæ aliis Archipreſbyteris Sacroſanctæ Lateranēſis Eccleſiæ conceſſa fuerunt. §. 1. Dat facultatem Cardinali Burgheſio moderno Archipreſbytero cognoſcendi quaſcumque cauſas intereſſe dictæ Eccleſiæ, Capituli, & aliarum perſonarum concernentes ſummariè, abſque terminorum ſubſtantialium, & alicuius telæ iudiciariæ obſeruantia §.2. Et in Curia, & extra citandi, omnibúſque Iudicibus inhibendi, & cauſas ab eis reaſſumendi.§. 3. Singulis diebus, & horis in honorem Dei non feriatis procedendi.§. 4. Canonicóſque & alios à iuramento abſoluendi, ad effectum agendi. §. 5. Et commiſ-

ſiones cauſarum non ſignatas manu Papæ non attendendi. §. 6. Clauſulas præſeruatiuas huius Bullæ apponit. §. 7. Et clauſulam, *Sublata*, &c. §. 8. Contrariiſque omnibus derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Illa clauſula (*abſque tela iudiciaria obſeruantia*) quid operatur?

RESP. Multa, quæ non poſſes portare modò; illud vnum accipias, quod non eſt neceſſaria repetitio teſtium. Rota in deciſ. Oradini 12. par. 1. diuerſor. n. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis introduxit terminos ſubſtantiales, de quibus in §. 2.

RESP. Ad abbreuiandum lites introduxit Vrbanus VI. vt refertur in deciſ. Rotæ 2. de reſcriptis in nouiſſ. num. 2. vbi habetur etiam, qui ſint termini ſubſtantiales, de quibus vide etiam Veſtr. in pract. Rom. Cur. lib. 5. cap. 1. num. 1. & ſeqq. & cap. 13. num. 1. ac Marcheſ. de commiſſion. par. 2. cap. 1. num. 66. pagina mihi 350.

L.

Edita Anno 1608.

NVper ad nos perlatum eſt, & infra pag. 242. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratres Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, prætextu cuiuſdam indulti à Clemente Octauo reuocati, recipiebant profeſſores Ordinis Sancti Franciſci Capuccinos, & alios Regulæ ſtrictioris. §. 1. Id iſte Pontifex interdicit. §. 2. Contrariiſque derogat. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Pro redimendis captiuis poterunt, Fratribus inſtantibus, bona eorum vendi per Iudicem Commiſſariũ dicti Ordinis, reclamantibus eorum filiis, aut coniunctis?

RESP. Quod ſic, vt tenet gloſ. in Auth. vt cum, de appellat. cognoſc. §. ſi vnum. & ita obſeruaſſe teſtatur Franch. in deciſ. 190. dum erat Commiſſarius cauſarum d. Ordinis.

Scholion ſecundum.

Quæro. De eleemoſynis collectis in aliquo Regno ad redemptionem captiuorum, ſuntne redimendi captiui eiuſdem Regni, vel alij?

RESP. Illi, ſi extant, & non alij, ex doctr. Barr. & aliorum in l. 2. Cod. de Annon. Ciuilib. lib. 11. num. 1. & ita ſeruaſſe affirmat in facti contingentia Franch. vbi ſuprà.

LI.

MInisterio ſacri Apoſtolatus officij, & infra pag. 242. Bullarij. *Edita Anno 1608.*

COMPENDIVM.

Quia Monachi Congregationis Beatæ MARIÆ Fulienſis ordinis Ciſtercienſis, in dies fructus afferunt maiores. §. 1. Indulget eis Papa, vt vbique de ſola Ordinariorum licentia noua loca acquirere poſſint. §. 2. Executores deputat. §. 3. Clementis VIII. Bullæ, & cæteris contrariis derogat. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si locum receptum vellent mutare hi Monachi de vno loco ad alium eiuſdem Ciuitatis, requireretur hæc licentia Ordinariorum?

RESP. Affirmatiua opinio verior videtur, quia mutare, & de nouo conſtruere, æquiparantur in hac materia ob identitatem rationis, vt mihi probat text. in cap. 1. de exceſſib. Prælator. in 6. & in clem. 3. de pœnis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi ſolummodo vellent ampliare?

RESP. Licentia non eſſet neceſſaria, quia additamentum diiudicatur ſicut antiquum Monaſterium, cui additur. Ita per tex. in cap. fin. de conceſſ. præb. in 6. tenet in puncto Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 49. artic. 9.

LII.

FAcultatum plura Monaſteria, & infra pag. 243. Bullarij. *Edita Anno 1608.*

COMPENDIVM.

Prohibet quamcumque cuiuſlibet præeminentiæ perſonam, cui data, vel danda ſit licentia, Monialium domos pluribus vicibus ingrediendi, ea licentia vti poſſe reſpectu ſingularium, ſed permittit ſolummodo reſpectu vniuerſarũ. §. 1. Aliter eiuſmodi licentias interpretari vetat ſub pœnis, & cenſuris. §. 2. Contrariis derogat. §. 3. Tranſumptis fidem tribuit. §. 4.

S.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi quis proponeret aliquam interpretationem, ſtante prohibitione, de qua in §. 2.

RESP. Proponat Papæ; eius namque eſt legem interpretari, cuius eſt condere. cap. fin. & ibi communiter ſcribb. de conſtit. Bald. conſ.305.lib. 1.n.1. Rota in deciſ. Seraphin. 992.num.3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quam putas Papæ interpretationem poſſe proponi?

RESP. Nullam, quia adeò ſunt clara verba huius legis, ſenſúſque ita manifeſtus, quod nulla mihi, & neque (vt credo) alteri ſuboriri poteſt. l. 3. in fin. C. de liber. præter. cum ſimilibus, & fusè ſcribit Tiraquell. de reuocan. donation. §. libertis. num. 5.

LIII.

Edita Anno 1608. CVm Ordo Fratrum Minorum Conuentualium, & infra pag. 243. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Cardinalem de Lante Protectorem Ordinis Fratrum Conuentualium. §. 1. Monet eumdem, vt Superiorum eiuſdem Ordinis authoritatem conſeruare curet. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quare Genitor tuus poſuit potiùs facultates Protectoris Fratrum Minorum Conuentualium, quàm de Obſeruantia?

RESP. Quia circa eiuſmodi Protectorum facultates non reperit alia Pontificum diplomata, quàm Greg. IX. & Six. IV. quæ ſolùm reſpiciunt ipſum Protectorem Fratrum Conuentualium: vnde congruentius erat, vt ex multis Pauli V. literis circa omnium Ordinum Protectores emanatis, eam ederet, quæ præcedentibus magis hæreret.

Scholion ſecundum

Quæro. Quid eſt, quod experientia nos docet, Protectores eiuſmodi Ordinum aliis, quàm hic deſcriptis, facultatibus vti?

RESP. Quia Summus Pontifex de multis Ordines concernentibus, ad eius aures peruentis, grauiora Protectoribus in eius Curia præſentibus, viuæ vocis oraculo frequenter, rarò autem abſentibus, in ſcriptis delegat, idque omnibus in Curia notiſſimum eſt.

LIV.

ECcleſiæ militantis regimini, & infra pag. 244. Bullarij. Edita Anno 1608.

COMPENDIVM.

Quia in dubium venit apud aliquos, an Fratres Capuccini ſint verè Fratres Minores, & filij S. Franciſci, cùm eius tempore non fuerint inſtituti; & an eorum Conſtitutiones ſint conſentaneæ Regulæ ipſius S. Franciſci. §. 1. Hic Pont. declarat eos eſſe verè Fratres Minores. §. 2. Et ſuas Conſtitutiones Regulæ illius eſſe conſentaneas. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, decernens inane quidquid in contrarium attentatur. §. 4. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 5. Contrariis quoque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Quid operatur decretum irritans, de quo in §. 4.

RESP. Quod non poſſit dici de ſubreptione, nec de defectu intentionis, niſi Papa os aperiat id poſtulanti. Rota in deciſ. Seraph. 761. n. 3. in nouiſſ. Alios autem effectus vide apud Gõzal. ſuper 8. Regul. Cancellar. gloſ. 67. num. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Comprehenditne etiam authoritatem Papæ?

RESP. Comprehendit authoritatẽ à Papa alteri delegatam, ſed non remanentem apud ipſum Papam, niſi in ipſo decreto dicatur, *etiamſi per nos, aut ſucceſſores noſtros contrarium contigerit attentari*, vt pluries fuit in Rota reſolutum, teſte Robuſter. in deciſ. 106. par. 1. diuerſ. num. 3. poſt Puteum in deciſ. 408. lib. 2. n. 2. in nouiſſ.

LV.

INter alias noſtræ Paſtoralis, & infra pag. 244. Bullarij. Edita Anno 1609.

COMPENDIVM.

Clemens VIII. in ſua Conſt. 44. de qua ſuprà, Fratribus Congregationis Ioannis Dei interdixit aſcenſum ad

Ordines ſacros.§.1. Hic Pont.vt vnus ex Fratribus pro vnaquaque domo ad eos promoueatur,concedit. §. 2. Nullum tamen ab eo officium exerceri decernit. §.3. Et Congregatione pulſum ob demerita, à ſacrorum Ordinum exercitio ſuſpendit. §. 4. Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices, &c. §. 5. Quibuſcumque non obſtantibus.§.6.

Scholion primum.

Quæro. Si ſuſpenſus ab Ordinũ exercitio,vt in § 4. abſolueretur ad effectum celebrandi in vno loco, dicetur abſolutus ſimpliciter?

R e s p. Non, Rota in deciſ.860.Seraph.num.2.in nouiſſ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Sub illa dictione abbreuiata (*&c.*) de qua in §. 5. quid includitur?

R e s p. Includuntur omnia verba.& partes decreti irritantis. Ita de ea poſt alios ſcribit Gonzal.ſuper 8. Regul.Cancellar.gloſ. 67.num. 2.& ſeqq. vbi multa cumulat.

L V I.

Edita Anno 1609.

Acceptimus non ſine animi noſtri, & infra pag. 245. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Regularibus, ad aliquas Indiarum partes pro fidei Catholicæ negotio per eorum Superiores tranſmiſſis,ad alias ſe non transferre,ſed ad illas rectà tranſmeare. §. 1. Non obſtantibus quibuſcumque. §.2.

Scholion primum.

Quæro. Poſſétne Regularis perſona ſuo non obedire Superiori, ſi ad Indos pro eorum conuerſione ipſum tranſmittere velit?

R e s p. Non poteſt cogi à Regno, in quo habitum quis ſuſcepit,diſcedere, & tam longum iter arripere, cùm non ſolùm ſit res multum difficilis, ſed etiam periculo ſpirituali non vacans.inter barbaras gentes commorari, niſi in Conſtitutionibus Ordinis id expreſsè caueatur, vt cauetur ſtatutis Societatis I e s v. Ita poſt D. Thomam, Sotum, & Lopez firmat Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 20. art. 7.

Scholion ſecundum.

R e s p. Quo medio Regularem ad obediendum etiam in aſperis, ad quæ ſtricto iure non tenetur,diſponeres?

R e s p. Perlege B. Leonem in Serm. 1. de Epiphan. Domini ſic dicentem. *Nihil arduum eſt humilibus, & nihil aſperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt ad effectum,quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Et D. Bernardum in Serm. 3. de Circumciſ. Domini. *Si tibi inobedientiæ via, aliqua fortaſſis dura & aſpera occurrere poſſunt, vt accipias interdum præcepta, quæ licèt ſalubria ſint, minus tamen ſuauia videntur, &c. neceſſe eſt, vt illuceſcat dies patientiæ, per quod omnia dura & aſpera, tacita amplectaris conſcientia*, &c.

L V I I.

Aliàs fel. record. Sixtus Papa Quintus, & infra pag. 245. Bullarij. *Edita Anno 1609.*

COMPENDIVM.

Sixtus V. in ſua Conſt.86.de qua ſup. tom. 2. Adminiſtratoribus Hoſpitalis mendicorum de Vrbe tribuit facultatem deputandi vnum Doctorem in Iudicem cauſarum illius. §. 1. A cuius ſententia ſemel tantùm appellari poſſit, & duæ conformes faciant rem iudicatam. §.2. Hic Pontifex dat authoritatem Cardinali dicti Hoſpitalis Protectori, deputandi vnum ex Iudicibus ordinariis Vrbis ad cognoſcendum cauſas huiuſmodi appellationis, firmo remanente Notario Hoſpitalis. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Si vna ſententia ſit ſuper negotio principali, & alia ſuper deſertione, erunt duæ conformes, de quibus in §. 2.

R e s p. Erunt, vt oſtendit Theſaur. in deciſ. Pedemont.122.num.16.vbi alios cumulat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Qui ſunt Iudices ordinarij in Vrbe, de quibus in §. 3.

R e s p. Vicarius Papæ, Auditor Cameræ, Gubernator Vrbis, & Sena

Senator, eorúmque Iudices, vt percipitur ex Pij IV. Conſt. 78. §. 2. & 6. de qua ſupra.

L V I I I.

Edita Anno 1609. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 246. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inhærendo Conſtitutioni 37. Pij V. de qua ſup. tom. 2. necnon Conſt. 19. Gregor. XIV. de qua ſup. tom. 2. moderatur hic Pont. quæcumque indulta S. R. E. Cardinalibus circa collationem beneficiorum Eccleſiaſticorum, non tamen ratione Eccleſiarum, quibus in titulum, aut denominationem ſui Cardinalatus præſumũt ad eos ſpectare, quomodolibet conceſſa circa ea, in quibus effectum ſortita non ſunt. §. 1. Declarationem addit quoad beneficia familiarium eorundem Cardinalium. §. 2. Hanc ſuam Conſtitutionem extendit ad indulta etiam de cætero concedenda. §. 3. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Erit ergo per hanc ad indulta futura ſe porrigentem Conſtitutionem, vt in §. 3. firmata de cætero qualitas priuilegiorum Cardinalium?

R E S P. Firmata erit quouſque aliquid ſucceſſores non immutent; aliquando enim ampliora, & aliquando reſtrictiora ſunt, Pontificum mutatione & arbitrio, & ad Cardinales affectione, vt inquit poſt alios Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancell gloſ. 24. num. 73.

Scholion ſecundum.

Quæro. Familiaritas Cardinalium quot modis probatur?

R E S P. Multis quidem; eos accipe à Simonet. in ſuo Tract. de Reſeruat. benefic. quæſt. 36. per totam, & Maſcard. de probat. lib. 2. concluſ. 755. num. 1. & ſeqq.

L I X.

Edita Anno 1609. EX debito Paſtoralis officij, & infra pag. 247. *Item*; In ſupremo, & infra pag. 247. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Clemens Octauus in ſua Conſt. 62. de qua ſup. in Regnis Hiſpaniarum Congregationem Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum approbauit. §. 1. Hic Pont. pro feliciori eius progreſſu, Miniſtros ab vniuerſo Capitulo Prouinciali quolibet triennio eligi mandat. §. 2. In futuro Capitulo duas Prouincias diſtingui, & earum quamlibet per vnum Miniſtrum Prouincialem regi iubet. §. 3. alterius annexæ Conſtitutionis. Et in eodem Capitulo Miniſtrum Prouincialem, Diffinitores, & alios domorum Miniſtros, ſtatuta pro bono regimine facere decernit. §. 4. Poſtea ad electionem Vicarij generalis deueniri præcipit, qui totius Congregationis Superior exiſtat, & Miniſtro generali totius Ordinis ſubiicit. §. 5. Et etiam ad electionem Diffinitorum, & Prouincialium. §. 6. Electionis Vicarij generalis Nuncius Apoſtolicus vt præſideat, declarat. §. 7. Vicarium generalem (hoc primo excepto) à Miniſtro generali totius Ordinis confirmationem petere mandat. §. 8. Statimque poſt electionem munus ſuum exercere indulget. §. 9. Contrariiſque omnibus derogat. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Potuiſſétne Congregatio ipſa abſque hac Papæ licentia, Prouincias, de quibus in §. 3. diſtinguere?

R E S P. Sicut diœceſis Epiſcopalis abſque Papa diſtinctio fieri nequit. cap. Felix. 50. cauſ. 15. quæſt. 1. cum ſimilib. Ita à ſimili firmat de diſtinctione Prouinciarum quoad Regulares, Rod. de quæſtionib. Regular. tom. 1. quæſt. 23. art. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si in §. 8. non eſſet expreſſum, quòd Vicarius generalis ſtatim electus munus ſuum exercere poſſit, quid de iure dicendum fuiſſet?

R E S P. Non potuiſſet liberè omnia adminiſtrare non obtenta priùs a Miniſtro generali totius Ordinis confirmatione, de qua in §. 7. Ita probat text. in c. Nihil. 44 de elect. vbi gloſ. & DD. communiter idem affirmant.

L X.

Edita Anno 1609. ECcleſiæ Catholicæ regimini, & infra pag. 248. Bullarij.

COMPENDIVM.

Adnumerat inter Ordines Mendicantes Fratres Reformatos Diſcalceatos Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. §. 1. & 2. Communicat eiſdem illorum Ordinum gratias, & priuilegia. d. §. 2. Iubétque deſuper non moleſtari. §. 3. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 4. Clauſulámque, *Sublata*, &c. §. 5. Executores deputat. §. 6. Contrariiſque omnibus derogat. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Mendicantes vnde dicti?

RESP. Quaſi manu dicant, & paupertatem ſuam manifeſtent, dum aliena quærunt. Archidiacon. in cap. Diaconi. 23. diſt. 93. num. 6. Calderin. conſ. 17. de Regular. ad med. Fulgoſ. conſ. 103. num. 3. & Mandoſ. ſuper Regul. Cancel. in reg. 23. de Mendicant. quæſt. 3. in princ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si immobilia poſſident hi Fratres, aut annuos redditus, amittunt nomen Mendicantium?

RESP. Non, ſi Papa id eis indultum concedit. Lapus alleg. 4. n. 4. vbi apoſtilla adducit concordantes, & etiam Mandoſ. vbi ſuprà in quæſt. 4. num. 6. & in ſuo tract. de priuileg. ad inſtar, gloſ. 11. per totam, Rod. de quæſt. Regular. tom. 1. q. 3. art. 9.

X L I.

Edita Anno 1610. QVæ piè, & ſanctè à Romanis Pontt. & inf. pag. 249. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Conſtitutionem 62. à Clem. VII. editam, de qua ſup. ſuper confirmatione Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. §. 1. Cõfirmátque. §. 2. Et quia Religioſos humilitatis virtutem inter alias habere oportet, vltra alia vota, præcipit etiam profiteri votum non prætendendi intra, vel extra Congregationem Prælaturam, aut officium etiam oblatum, niſi cogat is, qui cogere poteſt. §. 3. Interdicit commutationem horum votorum, & diſpenſationem. §. 4. Contrariiſque derogat. §. 5. Tranſumptis etiam huius Conſtitutionis credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Religioſus, qui humilis eſſe velit, cur à dignitatibus eiuſmodi debet abſtinere?

RESP. Audi, quo pacto D. Bernardus Religioſum honorum amatorem carpit Homil. 4. ſuper Miſſus eſt. *Sed video (quod magis doleo) poſt ſpretam ſæculi pompam, nonnullos in ſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub alis mitis humiliſque Magiſtri, grauiùs inſoleſcere, & impatientes amplius fieri in Clauſtro, quàm fuiſſent in ſæculo. Quodque magis peruerſum eſt, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſua non niſi contemptibiles eſſe potuerunt: vt quia videlicet, vbi à pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.*

Scholion ſecundum.

Quæro. E contrario forſan ſuperbus dignitates ambit?

RESP. Ita quidem, & hinc Baſilius in quadam eius admonitione ad filium ſpiritualem, præter alia ſic inquit. *Superbus non ſe patitur cuiquam eſſe ſubiectum, ſed ſemper primatum cupit, & ad maiorem gradum emergere, & quod ex meritis non poteſt, ambiendo feſtinat obtinere.*

L X I I.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra pag. 250. Bullarij. *Edita Anno 1610.*

COMPENDIVM.

Hic Pont. initio ſui Pontificatus prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, ſibi reſeruauit omnia beneficia Eccleſiaſtica vacatura per pacificam aſſecutionem quorumcumque aliorum beneficiorum à Sanctitate Sua, ſeu eius auctoritate conferendorum. §. 1. Quidam verò prouiſi ante illam reſeruationem huiuſmodi, alia cum eiſdem incompatibilia per eos tunc obtenta in fraudem d. reſeruationis

reſi

reſignant,vel dimittunt.d.§.1.Idem ergo Pont. eiuſmodi reſignationes, & prouiſiones,&c.irritat.§ 2. Et ſub dicta reſeruatione comprehendi decernit. ibid. Et ita,& non aliter iudicari mandat. §.3.

Scholion primum.

Quæro. Lex iſta dicitúrne fauorabilis?

R E S P. Sic profectò,quia edita eſt ad obuiandum fraudibus.Felyn.in cap.4.de præſcript.num.15. Rota in deciſ.215. Caputaq.par.3.num.1.& in deciſ.42.Cantacutij par.2.diuerſor.num.9.

Scholion ſecundum.

Quæro. Dicitur ergo conformis iuri naturali, ſecundùm quod fraus prohibita eſt?

R E S P. Ita poſt Bald. quem allegat in Auth.ingreſſi.Cod.de ſacroſan.Eccleſ. num.24.ſcribit in materia Pariſ. de reſignat.benefic. lib. 11.quæſt. 2.num.11.Caputaq.vbi ſuprà.& Gonzal.ſup.8. Regul. Cancellar.§.6. procem.num.41.

L X I I I.

Edita Anno 1610. PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia,& infra pag.251.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Anathematizat iuxta antiquum prædeceſſorum morem quoſcumque Hæreticos,eorum fautores, librόſque legentes,omnéſque Schiſmaticos. §.1. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium. §.2. Piratas, & eorum fautores.§. 3. Naufragorum bona ſurripientes. §. 4. Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes. §.5. Falſificantes literas Apoſtolicas, aut falsò fabricantes. §. 6. Deferentes arma, & alia vſui belli apta, ad Chriſtiani nominis hoſtes, & nunciantes eiſdem pertinentia ad Statum Reipublicæ Chriſtianæ. §. 7. Impedientes eos qui victualia ad Vrbem deferunt. §.8. Lædentes eos qui ad Sedem Apoſt. veniunt, aut vexantes ſine iuriſdictione eos qui in Curia commorantur. §. 9. Romipetas etiam in Vrbe commorantes, aut abeuntes lædentem. §. 10. Offendentémque S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.§. 11. Vel recurrentes ad Rom. Curiam. §. 12. Appellantem à grauamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum ad laicam poteſtatem.§.13.Impedientem quoque executionem literarum Apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum, aut gratiarum impetrationem. §. 14. Iudices ſæculares, qui ad forum eorum Eccleſiaſticas perſonas trahunt, aut libertatem Eccleſiaſticam perturbant. §. 15. Impedientes quemcumque Prælatum ne ſua iuriſdictione vtatur, recurrentéſque ad Curiam ſæcularem, eorúmque auxiliatores. §. 16. Vſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quorumcumque Eccleſiarum iuriſdictiones, aut fructus ſequeſtrantes. §. 17. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, vel eorum fructibus. §. 18. Iudices ſæculares immiſcentes ſe in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas. §. 19. Occupantes bona S. R. E. vel eius iuriſdictionem vſurpantes. §. 20. Hæc Bulla vſque ad alterius ſimilis publicationem ligat. §. 21. Abſolutio Papæ reſeruatur. §. 22.Alij ſi abſoluunt,excommunicantur. §. 23. Papæ abſolutio quos comprehendat. §. 24. Contraria omnia abrogantur. §. 25. Publicatio Bullæ in Vrbe omnes afficit.§.26.Ordinarij quotannis eam publicent. §. 27. Confeſſarij has literas apud ſe habeant.§.28.

Scholion primum.

Quæro. Quando hæc Bulla Cœnæ Domini nuncupata publicari cœpta eſt?

R E S P. Quidam putant tempore Martini V. circa annum 1420. quo Boëmorum hæreſes in Concilio Conſtantienſi damnatæ fuerunt,vt refert, & tenet Iacob. Graff. lib.4. deciſ. caſ. conſc. ſuper 18. cap.huiuſmodi Bullæ à Sixt.V. publicatæ,& Vgolin. pariter refert, ſed non ſequitur de cenſuris Eccleſ. par. 1. cap.5.Sed tamen eorum opinio detegitur minus vera in eo, quod dicunt de d. tempore Concilij:nam illud Concilium indictum fuit à Ioan. XXIII. pro anno 1414. & illud expletum electo Martino V.anno 1417. vt patet ex lectura Conſtitutionum eorumdem Ioannis & Martini in Bullar.pag.243.& ſeq.tom.1.Prout minus quoque vera detegitur circa tẽpus, quo initiata fuit publicatio huiuſmodi Bullæ; nam longè ante Martinum V. de ſolemni hac anathematizatione habetur in Vrb.V. Conſt.in Bull.pag.219.& priùs in Clem. V.in cap.Scu.clé.1.de Iudic. & antea in Bonif. V I I I. Extrauagan. de

de dol.& contumac. vbi generales proceſſus enunciantur à Rom.Pont.fieri ſoliti in diebus ſolemnibus, quos gloſſ. & ſcribb.dicunt eſſe diem 5. Hebdomadæ ſanctæ,diemque Aſcenſionis Domini, & Dedicationis Baſilicatum SS. Petri & Pauli;& de conſuetudine huiuſmodi publicationis meminerunt deinde Paulus II. & Sixtus IV.in Extrauagan. 3. & 5. de pœnit. & remiſ. quod aduertit etiam Vgolin. vbi ſuprà.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si quis in pluribus huius Bullæ capitibus contrauenit , incidítne in vnam , aut plures excommunicationes ?

R E S P. In plures incidit excommunicationes , & pluribus indiget abſolutionibus , aut vna complectente plures: nam quælibet contrauentio eſt actus de per ſe diuerſus,& continet delictum, & excommunicationibus multis quis ligari poteſt ob multa dicta. cap.fin.cauſ. 3. q.4.& ita firmat Tolet. in explicatione c. 26.ſimilis Bullæ Sixti V. necnon Vgolin. nihil dicẽs de Toleto in ſuo Tractat. de cenſur.par.1.cap.8. vbi ex Ioan. Andr. in cap.Delictum.76.de Regul.Iur.in 6.affert ſimile de eodem tempore,& eadem percuſſione plures Clericos offendente , & inquit illum in plures incidere excommunicationes.

L X I V.

Edita Anno 1610.

ECcleſiæ militantis regimini , & infra pag.254.Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli Decollati pergit aſſiduè in diuerſis mundi partibus , Deo & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ exhibere famulatum. §. 1. Hic Pontifex noua loca vbique eos conſtruere poſſe decernit de ſola licentia Ordinariorum. §. 2. Conſtitutioni Clementis Octaui , & cæteris contrariis quibuſcumque derogat. §. 3. Huius Bullæ tranſumptis credi iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. De iure ſufficiebátne licentia Ordinariorum ?

R E S P.Sic de iure antiquiori,ad tex. in cap.de Monachis. 12.cauſ.18. quæſt.2. Sed poſtea hæc licentia ſoli Papæ erat reſeruata.c.1.de exceſſ.Prælat. in 6.Concilium autem Tridentinum ſeſſ.25.cap.3. de Regularibus licentiam Epiſcopi ſufficere annuit , vt aduertit Cappucin. in Compend.Priuileg.Fratrum Minor. in §. Ædificare.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si hi Clerici reficere vellent Monaſterium antea deſtructum, licentia eſſet neceſſaria?

R E S P.Si totaliter eſſet deſtructum, licẽtia requireretur, quia perinde eſt ac ſi de nouo totaliter conſtrueretur, & viget eadem ratio prohibitionis Clem. VIII. de qua in §. 3. Secus verò ſi reficeretur. Ita determinat gloſ. in d. cap. de Monachis , & Hoſtienſ. in Sum. tit. de Eccleſ. ædificand. in fine. & ſequitur Marqu. de Suſa in Tract. de Iudæis cap. 3.num.12.

L X V.

APoſtolicæ ſeruitutis onere , & infra pag. 254. Bullarij.

Edita Anno 1610.

C O M P E N D I V M.

Inhærens Conſtitutioni Clem. V. in elem.1. de Magiſtr. decernit , in Studiis Regularium omnium Doctores linguarum Hebraicæ , Græcæ,& Latinæ, & in celebrioribus etiam Arabicæ haberi.qui illas actu & diligenter doceant.§.1.Protectores Ordinum, huius Conſtitutionis executores deputat.§.2.Scholares earum linguarum in promotione ad Doctoratus gradus cæteris præferri mandat. §.3. Contrariiſque derogat.§.4.

Scholion primum.

Quæro. Quæ harum linguarum antiquior?

R E S P. Omnium nationum vna fuit à principio lingua , & illa fuit Hebraica , vt notat Abbas Lapus in clem. 1. de Magiſtr. num. 1. & ſequitur Imola num.6. Vbi ſubdunt probabiliter credere , quòd in patria cœleſti vna pariter erit.

Scholion ſecundum.

Quæro. In toto orbe quot ſunt linguæ ſacræ,quótve vulgates ?

R E S P. Tres eſſe ſacras, nempe Hebraicam,

braicam, Græcam, & Latinam, affirmant Abbas Lapus vbi ſuprà, & etiam Imola num. 7. vulgares autem ſeptuaginta duas eſſe, & alias per communionem duarum, vel trium dialectorum, vt ſcribit Baron. in Annalib. Eccleſ. tom. 1. Romæ cuſo, pag. 216. litera B.

L X V I.

Edita Anno 1610. INter graues Paſtoralis officij, & infra pag. 255. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Orta fuit differentia inter Fratres Tertij Ordinis S. Franciſci familiæ vltramontanæ, & Fratres S. Franciſci de Paula, ſuper diſtinctione habitus, quam hic Pont. duobus Cardinalibus diffiniẽdam commiſit. §. 1. Qui pronunciarunt, Fratres d. Tertij Ordinis habitum geſtare debere ex humili panno confectum ex tribus partibus lanæ nigræ, & altera lanæ albæ. §. 2. Quod Papa approbat. §. 3. & 4. Et Fratres Tertij Ordinis illo tantùm habitu vti debere præcipit. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Si quis ex dictis Tertiariis hunc habitum non deferret ob aliquam iuſtam cauſam, incideret in hanc prohibitionem?

R E S P. Non, ſi temerè id non faciat, vt latè explicat Nauarr. in Manual. Confeſſor. cap. 27. num. 131. & ſequitur Capuccin. in adnot. ad Compend. Priuil. Fratr. Minor. in §. Habitus.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur hæc diſtinctio habitus eſt inducta inter Regulares?

R E S P. Multis de cauſis, & ſignanter ne Ordines Mendicantes in quærendis eleemoſynis ſibi ipſis præiudicarent, vt legere eſt in multis Conſtitutionibus Apoſtolicis indicatis in d. Compend. in verb. Habitus. Cederét etenim eleemoſynam dantes, quòd talis eſſet, qui eam quæreret, qualem habitus, quem defert, demonſtraret. cap. ſi Iudex. 12. de ſentent. excommunic. in 6. & ſcribit Federic. de Sen. conſ. 13. num. 3.

L X V I I.

Edita Anno 1610. VNigenitus æterni Patris Filius, & infra pag. 256. Bullarij.

Tom. 3. Compend.

C O M P E N D I V M.

C H R I S T V S variis temporibus ſuſcitauit in terris viros Sanctos ad maiorem Eccleſiæ ſuæ gloriam, & aliorum exemplum. §. 1. Pridem ſuſcitauit Carolum Borromæum multis virtutibus illuſtrem. §. 2. Eius Canonizatio contigit tẽpore huius Pont. qui de hoc plurimum lætatur. §. 2. Et quædam de illius virtutibus, & miraculis hic recenſeri voluit. §. 4. Ortus Caroli nocte magnum illuxit lumen ſuper cubiculo materno. §. 5. Puer, & adoleſcens virtutibus emicuit. §. 6. Cardinalis à Pio IV. auunculo creatur, necnon Archiepiſcopus Mediolani. §. 7. In cuius adminiſtratione laudabiliter ſe geſſit. §. 8. Eccleſiam ſuam ad verum Eccleſiaſticæ diſciplinæ nitorem reſtituit. §. 9. Sui ipſius, & familiæ reformationi ſtuduit. §. 10. Loca pia conſtruxit, vel ornauit, Seminaria inſtituit, aliáque pia opera compleuit. §. 11. Prædicationi, ieiuniis, & orationi aſſiduè intendit. §. 12. Eccleſiarum viſitationi etiam cum ſuæ vitæ diſcrimine incubuit. §. 13. Eccleſiæ patrimonium largè diſpenſauit, & auxit. §. 14. Hoſpitalitatem publicè profitebatur. §. 15. Eleemoſynas abundantiſſimè dedit. §. 16. Peſtilentiæ tempore mirabilia operatus eſt. §. 17. Eccleſiæ libertatis optimus conſeruator fuit. §. 18. Miſericors in omnes fuit. §. 19. Munera ſemper reiecit. §. 20. Tribunalia ſua ab iniquitatis labe præſeruauit. §. 21. Piis operibus ſemper ſtuduit. § 22. Caſtitatem præſeruauit. §. 23. Fide, doctrina, & charitate emicuit. §. 24. Pietatéque, & deuotione. §. 25. Quotidie ſacrificium Deo offerebat, genibúſque flexis orabat, & ſemel orans à ſclopi ictu in eum exploſi mirabiliter eſt ereptus. §. 26. Redditus patrimoniales, & Eccleſiaſticos dimiſit. §. 27. Ieiuniis corpus ſeueriſſimè caſtigauit. §. 28. Ciliciόque, & aſperà cubatione, atque frequentibus flagellationibus. §. 29. Annum agens 48. obdormiuit in Domino. §. 30. Miraculis, quorum aliqua recenſentur, claruit. §. 31. & ſeqq. Clemens VIII. Canonizationis eius negotium Congregationi Cardinalium ſuper Sacris Ritibus commiſit. §. 45. & ſeqq. Leo XI. ad vlteriora procedi iuſſit. §. 47. Hic Pont. idem negotium promouit. §. 48.

N. Reges.

Reges, & Principes poſtularunt. §. 49. Auditores Rotæ ad Canonizationem deueniri poſſe dixerunt. §. 50. Cardinales in idem conſenſerunt. § 51. Rex Philippus in publico Conſiſtorio eam poſtulauit. §. 52. In alio ſemipleno Conſiſtorio Papa de Canonizatione egit, & omnes B. Carolum canonizandum eſſe dixerunt. §. 53. Ipſe ergo Deo gratias egit. §. 54. Die 1. Nouembris ritè omnibus abſoluris illum Sanctum pronunciauit, & Sanctorum Confeſſorum numero adiunxit. §. 55. Eiuſque Feſtum die 4. dicti menſis agi voluit. §. 56. Ea die illius ſepulchrum viſitantibus Indulgentias elargitur. §. 57. Deinde ad Altare Sancti Petri præuiis ſolemniis Miſſam egit cum commemoratione S. Caroli. §. 58. Dat poſtremò gloriam Deo, omnéſque apud eum orare hortatur, vt B. Carolum Eccleſiæ ſuæ patronum præſtet. §. 59.

Scholion primum.

Quæro. Ad oſtendendum aliquem eſſe Sanctum, ſi vellem probare feciſſe miracula, poterúntne illa probari per teſtes ſingulares, vt putà vnus dicit illuminaſſe cæcum, alius ſanaſſe claudum?

RESP. Non, vt conſulendo ſcripſit Alex. in conſ. 72. lib. 1. ſub num. 3. Gabr. de teſtibus, concluſ. 2. num. 59. & Maſcard. de probat. lib. 2. concluſ. 1063. num. 13.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi miracula poterúntne directè à teſtibus probari?

RESP. Non, quia miraculum ex ſubiecto, in quo fit, principium non habet, & directa probatio eſt per rerum principia; indirectè autem probabitur, id eſt, per rationem argumentandi, vt explicat Archid. in cap. Nec mirum. 14. cauſ. 26. quæſt. 5. num. 6. & Troyl. Maluet. de Canonizat. Sanctorum, in 3. dub. num. 53. & ſeqq.

LXVIII.

Edita Anno 1610.

QVæ ſalubriter à prædeceſſoribus, & infra pag. 260. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus in ſua Conſt. 115. de qua ſup. præſcripſit formam omnibus Ordinibus Regularibus, Religionibus, & Inſtitutis, qua ſibi Confraternitates, & Congregationes, cum Indulgentiarum communicatione aggregare poſſent. §. 1. Hic Pontifex declarat Capitulum S. Ioannis Lateranenſis de Vrbe, & alia quæcumque Capitula in d. Conſtitutione comprehendi. §. 2. & 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quid eſt, quod dicitur innumerabiles eſſe Indulgentias huius Eccleſiæ, vel Baſilicæ Lateranenſis, de quarum communicatione hic habetur?

RESP. Tot eas eſſe Indulgentias, quot nemo, niſi ſolus Deus enumerare poteſt, vt habetur in Compendio Priuil. Fratrum Minorum in §. Indulgentiæ, & latiùs explicat Rod. de quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 89. art. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur d. Capitulum in generali prohibitione non comprehendi dicebatur?

RESP. Fortaſſe, quia de eo ſpecialis erat mentio facienda, cùm Eccleſia Lateranenſis ſit maior quacumque alia Vrbis Eccleſia, vt vidimus ſup. in Conſt. 1. Greg. XI. tom. 1.

LXIX.

Edita Anno 1611.

ROmanus Pontifex circa ſacrorum, & infra pag. 261. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregationi Fratrum Ioannis Dei, ſubleuationi pauperum infirmorum admodum vtili, Romani Pontifices nonnullas gratias elargiti ſunt. §. 1. Pius V. habitum eorum præſcripſit, eleemoſynáſque pro eorum Hoſpitalibus colligendi licentiam dedit, Ordinariorúmque obedientiæ ſuppoſuit. §. 2. Sixtus V. eoſdem in vnam Congregationem Ioannis Dei nuncupandam vniuit; Capitulum generale in vrbe cogendi, Prouinciáſq; diſtinguendi, ac vnum Generalem eligendi authoritatem tribuit. §. 3. Clemens VIII. vnum ab eis dumtaxat Hoſpitalibus inſeruiendi votum emitti, & ſub Ordinariorum obedientia degere ſtatuit. §. 4. Modò eorum Maior in Hiſpaniis, huic Papæ expoſuit, Clementis decretum in illis partibus effectum ſortitum non fuiſſe, & tria vota ſubſtantialia, cum quarto de iuuandis infirmis, emittere

con

conſueuiſſe §.5. Ideóque, & eos à ſæculo ſeiungi, & Congregationis munia ſub Regula S. Auguſtini obire ſatius eſſe. ibid. Papa igitur hos Fratres in illis Regnis ſic profeſſionem emittere indulget. §. 6. Et ſic profeſſos veros eſſe Religioſos, & Regulares declarat. §. 7. Eos autem ad habitum, & profeſſionem, qui pro numero infirmorum neceſſarij ſunt, admitti præcipit. §. 8. In ſingulis Hoſpitalibus duos Fratres presbyteros ad Sacramentorum adminiſtrationem permittit. §. 9. Omnes Ordinariorum iuriſdictioni & correctioni ſupponit. §. 10. Et ſi ceſſaret hoſpitalitas, illorum locorum adminiſtrationem ad Ordinarios ſpectare decernit. §. 11. Et durante hoſpitalitate, quotannis locorum Ordinariis rationem reddere iubet. §. 12. In prædictis aliorum iuribus non præiudicare declarat. §. 13. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 14. Contrarijſq; derogat. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Num verum eſt, in prædictis Regnis huius Congregationis regimini præeſſe Maiorem, à Prioribus illarum domorum ad ſexennium eligendum, quod tamen hic non legitur?

R E S P. Hic idem Pontifex id ſpecificè iam conceſſerat per alias ſuas literas in forma Breuis die 12. Aprilis 1608. vt in quadam earum copia in Bibliotheca Genitoris mei perlegi, caſque ideo ab eo typis datas non fuiſſe credo, quia mendum quoddam mihi habere viſæ ſunt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt quod audio, quamplures ab illis Maiore, & Congregatione pro eius ſalubriori regimine præfinitas fuiſſe ordinationes?

R E S P. Eas conſtitutiones iam in vnum fuiſſe collectas palàm eſt, earúmque tenorem hic inſerere prætermiſi, quia poſtmodum eædem ab iſtomet Pōt. examinatę, præfinitæ, & poſt hanc Bullam die 7. Auguſti anno 1611. approbatæ circumferuntur impreſſæ.

L X X.

Edita Anno 1611. PAſtoralis officij cura, & infra pag. 263. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad Annonæ, & Graſciæ vbertatem in ditione temporali, & præſertim eo magis curandam, vltra Congregationem Cardinalium à Sixto V. inſtitutam in ſua Conſt. 74. ſup. tom. 2. erigit, ac ſubordinat aliam Prælatorum Congregationem, quæ de ſtatu Annonæ, & Graſciæ diligenter agat, & ſibi referat, remanente in arduis d. Congregatione Sixti V. §. 1. Boues aratorios, vel aptos ad arandum, mercari prohibet ad effectum mactandi. §. 2. Omnibus illos mactare interdicit. §. 3. Prædeceſſorum Conſtitutiones deſuper editas confirmat. §. 4. Iuuencos 25. ex centum vaccis albis quotannis ali, & numerum vaccarum Præfecto Annonæ aſſignari iubet. §. 5. Vaſſallis Baronum cùm voluerint, alienos agros colere indulget. §. 6. Priuilegia exercentium artem agriculturæ approbat. §. 7. Extractionem frumentorum certo modo concedit. §. 8. Subuentionem pecuniariam eis dari mandat. §. 9. Obſeruantiam prædictorum huic Congregationi committit. §. 10. Contraria nō obſtare decernit. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Annonæ, & Graſciæ nomine quæ veniunt?

R E S P. Annonæ verbum latè ſumptum ſignificat panem, vinum, acetum, carnem, fœnum, paleas, & ligna. l. 1. & 2. & l. 8. Cod. de erogat. milit. Annon. lib. 12. necnon omnia vſualia, quæ ad pondus, vel menſuram venduntur. l. Annonam. ff. de extraord. criminib. & tradit Mandoſ. de annalib. caſibus ſub num. 45. verſ. Caſus 157. Sed non ita accipitur hic, cùm ex tenore Bullæ frumentum dumtaxat ſignificari videatur. Graſciæ autem verbum in Iure non reperitur, ſed ab vſu loquendi introductū, & ſecundùm eum eadem, quæ Annona, in ſua lata ſignificatione comprehendit, vt conſulendo explicat Caſtrenſ. in conſ. 40. lib. 1. num. 3. & per eademmet verba Fulgoſ. conſ. 115. incip. Iſtud nomen. Verumtamen neque in hac ſignificatione Graſcia hic ſumitur, ſed in ſpecie frumentorum tantùm, vt verba Conſtitutionis clarè indicant. Ideóque habemus in Vrbe alium Præfectum Graſciæ, vt notiſſimum eſt.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tantáne fuit etiam apud Romanos olim Annonæ cura, vt pluribus delegata eſſet, vt hic dicitur de duabus Congregationibus deſuper inſtitutis?

RESP. Maxima quidem: nam Caius Iulius Cæſar duos Ædiles, qui frumento præeſſent, & à Cerere Cereales dicerentur, conſtituit. l. 2. §. deinde Caius. ff. de orig. Iur. Præfecto etiam Vrbi Annonæ cura adiuncta erat. l. 1. Cod. de Præfect. Vrb. Et inſuper cùm inſtabat penuria, Præfectus Annonæ creabatur, qui præcipuè Annonam curaret, eiúſque magna erat dignitas, vt hęc omnia bene explicat Decian. lib. 7. ſui Tract. c. 22. de fraudât. Anno. num. 8. & ſeq.

LXXI.

Edita Anno 1611.

VNiuerſi agri Dominici curam, & infra pag. 264. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformationi Romanæ Curiæ intendens decreuit.

Signaturæ Iuſtitiæ, & Gratiæ Reformatio.

PRO Reformatione Signaturæ Gratiæ, & Iuſtitiæ eius (vltra diſpoſita in Conſt. 59. Pij IV.) Referendarios non expedire commiſſiones non habentes à tergo nomen impetrantis. §. 1. numero 1. Impetratoréſque de mendacio conuictos, pœna falſi puniri. numero 2. Partes vna die pro alia, aut factis diligentiis citari iubet. numero 3. In citationibúſque nomen Referendarij apponi. num. 4. In commiſſionibus appellationum ab interlocutoria partem citari mandat. numero 10. Qui commiſſionem aliquam doloſè extorſerit, & ob id reformata fuerit à Præfecto Signaturæ, ſtatim illum cogat ad refectionem expenſarum. num. 12. Commiſſio pro dilatione, vel alternatiua, & alia præterquàm à Signatura Gratiæ impetrata, non ſuffragetur. num. 13. Referendarij in commiſſionibus ſemper exprimant nullitates ex tribus, & attentata. numero 14. Commiſſionibúſque iactationum ſemper addant, *Dummodo iudicialiter non ſint illatæ.* numero 15. Inſtantia in cauſis diſcuſſionum, nonniſi ex magna cauſa per Signaturam Gratiæ prorogetur. num. 19. Quilibet Referendarius teneatur contra commiſſiones recipere, & proponere parte citata per quinque dies ante. num. 20. Regens Cancellariæ, & alij Officiales, abſque manu commiſſiones expediant, iuxta Turnum diſtribuant, & ad Banchum Curſorum tranſmittant. num. 23.

Cam. Apoſtolicæ Reformatio.

PRO reformatione Tribunalis Cameræ Apoſtolicæ decernit (vltra diſpoſita in Conſt. 55. & 87. Pij IV.) quod Clerici Cameræ nihil priuatim expediant, nec patentes, aut literas de aliqua re ſubſcribant, niſi ex commiſſione eis facta in plena Camera, vel niſi agatur de negotiis Guberniorum eis annuatim diſtributorum, Præſidentiarúmque & Præfecturarum. §. 2. num. 7. Appellationes à decreto vim diffinitiuæ habente, non recipiant, neque aliis appellationum cauſam committant, niſi grauamine ita expreſſo, vt Camera intelligere, & deliberare poſſit, an appellatio ſit admittenda, & ſemper parte citata. num. 15. Camerales non ſcribant in cauſis priuatorum in Camera pendentibus, exceptis cauſis pauperum, vel vbi de Fiſci, & Cameræ intereſſe agitur, aut Camera alicui adhærendo facit partem in iudicio. num. 16.

Gubernatoris Vrbis Reformatio.

PRO Reformatione Tribunalis Gubernatoris Vrbis decernit (præter diſpoſita in Conſt. 72. Sixti V.) Gubernatorem cumulatiuè procedere in omnibus cauſis criminalibus, in quibus Camerarius Ripæ procedere valet, ita vt inter eos ſit locus præuentioni. § 3. n. 8. Et iuriſdictionem habere in Hebræos, vt infra in §. 7.

Aud. Cameræ Reformatio.

PRO Reformatione Tribunalis Aud. Cam. decernit (præter diſpoſita in Cõſt. 113. Pij V. & Conſt. 59. Pij IV.) non concedi, *Non grauetur*, aut dilationes, præterquàm in vim ſuſceptionis cenſurarum, vel termini iudicialiter à debitore ſuſcepti, & hac conditione adiecta, *Dummodo ab ipſo Aud. Cam. vel alibi alium terminum non ſuſceperit.* §. 4. numero 4. In cauſis criminalibus, quando monitoria decerni poſſint, declarat. num. 5. Et citationes extra Vrbem executas, & infra menſem non reproductas pro circũductis haberi. n. 21. Permittit Locumtenentem in cauſis ciuilib. ſportulas recipere in cauſis per commiſſionem à principio introductis etiam ſui natura ordinariis. n. 28. Idem Locũtenens

man

mandata executiua non ſubſcribat, niſi priùs ipſemet ſua propria manu diem ſubſcriptionis notauerit in libro expeditionum. n. 29. Locumtenens Criminalis ſportulas non recipiat, ſuóque ſalario ſit contentus. num. 30. Locumtenens Ciuilis ſingulis menſibus ſcuta quinquaginta monetæ tantùm à Notariis habeat. num. 31.

Rotæ Reformatio. PRO Reformatione Tribunalis Rotæ decernit (vltra diſpoſita in Conſtit. 44. Pij IV.) Auditores poſſe præfigere terminum ad docendum de appellatione, & proſecutione ad effectum procedendi ad executionem ſententiæ latæ in cauſa appellabili, in qua condemnatus non appellauit. §. 5. num. 3. Commiſſionéſque diſtribui iuxta ordinem Turni. num. 24.

Curiæ Capitolij Reformatio. PRO Reformatione Curiæ Capitolij decernit (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) Senatorem, & Iudices primas inſtantias vna tantùm vice prorogare eorum arbitrio, abſque vlla commiſſione. §. 6. num. 1. Inquilinóſque domorum de penſione debita ratam ſoluendam inſtu Magiſtrorum Viatum pro ſternendis viis, retinere, non obſtante quacumque eorum obligatione, ſequeſtris, & aliis. num. 14. Conſulibus artium prohibet peritos æſtimatores à Iudicibus electos. num. 22.

In cauſis Hebræorum PRO Reformatione in cauſis Hebræorum decernit, Gubernatorem Vrbis contra eos procedere poſſe, etiam quòd agatur inter Hebræos tantùm. §. 7. num. 1. Camerariúmque & Præſidentes contra eoſdē procedere poſſe in cauſis Cameralibus, ſeu ad Cameram quomodocumque ſpectantibus, aut ad Camerarium, etiam ratione pignorum, & perſonarum Hebræorum bancheriorum. n. 2. In cauſis furtiuorum pignorum quoad Hebræos bancherios ſit locus præuentioni inter Camerarium, & Gubernatorem. num. 3. Vbi agitur de obligatione Camerali, Hebræi ſint ſuppoſiti Aud. Cam. priuatiuè quoad alios, præterquàm in dependentibus à cauſis, & actis aliorum Tribunalium: in cauſis verò criminalibus Aud. Cam. contra eos procedet, vt procedere conſueuit. num. 4. In cauſis in quibus adeſt mixtura Chriſtianorum, & Hebræorum, inter Vicarium Papæ, & Senatorem Vrbis, locum habeat præuentio ex officio, & non ad querelam: in aliis verò caſibus quando agitur inter Hebræos, Vicarius in eos iuriſdictionem habeat actiuè, & paſſiuè; quando verò inter alios, paſſiuè tantùm. num. 5.

Curiæ de Sabellis Reformatio. PRO Reformatione Curiæ de Sabellis, & Curiæ Turris Nonæ (vltra diſpoſita in Conſt. 26. Gregor. XIII.) decernit, quod deputatio Iudicis fiat cum participatione, & approbatione Gubernatoris Vrbis. §. 8. num. 2.

Curiæ Ripæ, & Ripettæ Reformatio. PRO Reformatione Curiæ Ripæ, & Curiæ Ripettæ (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) decernit, Ripettæ Præſidem, aut Iudicem, non niſi præuio legitimo proceſſu procedere poſſe ad compoſitionem, aut pœnæ, quamuis minimæ, impoſitionem. §. 9. num. 1. Et pro mala menſuratione lignorum, corporalem pœnam arbitrio Iudicis imponendam eſſe. num. 5. Camerarium verò Ripæ aliquas compoſitiones facere non poſſe, niſi præcedente legitimo proceſſu. Et omnes compoſitiones in libro adnotari debere. num. 6.

Iudicū Criminaliū Reformatio. PRO Reformatione Iudicum Criminalium Vrbis (vltra diſpoſita in Conſt. 18. Pauli III. & Conſt. 43. & 56. Pij IV. & Conſt. 93. Sixti V. & Conſt. 5. Clementis VIII.) decernit, Iudices Criminales, quibus certum ſalarium conſtitutum eſt, ſportulas, aut quicquam aliud etiam eſculentum, vel poculentum, etiam à ſponte dantibus recipere non poſſe in cauſis tam ordinariis, quàm commiſſariis. §. 10. num. 1. Quicumque habentes in Vrbe iuriſdictionem criminalem, & facultatē Iudices deputandi, deputare poſſint ſolummodo aliquem ex Iudicibus Criminalibus ſibi bene viſum, & vtatur proprio ſui Tribunalis Notario, niſi Notarius deputantis habeat Officium ex titulo oneroſo, & ius ſcribendi etiam in criminalibus. num. 2. Nullus Iudex in cauſis criminalibus procedat, niſi Procuratore Fiſcali, vel Commiſſario Cameræ reſpectiuè citatis. num. 3. Nec extra Vrbem monitoria tranſmittat, nec aliquod iudicium ad inſtantiam Fiſci, vel Cōmiſſarij Cameræ introducatur, abſque Procuratoris Fiſci, vel Commiſſarij Cameræ licentia. nu. 4. Neque concedat ſignificationes

tiones in cauſis coram eo non vertentibus. num. 6. Non procedat pro ſimplici contrauentione. num. 7. Contra contumaces quilibet Iudex procedat. num. 8. Non citet ſub mulcta pecuniaria,ſi habet indicia.num.9. Non comminetur in monitoriis pœnam corporalem maiorem pœna delicti. num. 10. Non fiat inuentarium bonorum Rei, niſi agatur de delicto pro quo ſit imponenda pœna capitalis, vel confiſcationis bonorum , aut alia notabilis pœna. num. 11. Inuentarium non ſcribatur in regiſtro , ſed moderata merces à Notario recipiatur. n. 12. Et vnicum fiat inuentarium. num. 13. Querela domini conuenti priùs pro mercede non recipiatur,niſi facto depoſito,vel data ſimili cautione , & non niſi in eo Tribunali , in quo mercedis cauſa pendet , ſi iuriſdictionem habeat criminalem.num. 16. Captus à Iudice incompetenti,vel ab eo, qui non proceſſit , remittatur ad eum,qui proceſſit ; ſed captus ab eo,qui proceſſit , non remittatur, etiam quòd fuiſſet procedendo , vel in contumaciam vnde præuentum. num.17. Si ex pluribus delictis conſortibus, quilibet aliquem habet carceratum , remittantur omnes ad eum , qui habet in manibus principaliorem. num. 18. Interrogentur Rei per interrogatoria extenſa. numero 20. Reſponſiones reorum per extenſum vti ab ore illorum profluunt , ſcribantur , etiam quòd ſint contra Fiſcum.num.21. Teſtes non interrogentur extraiudicialiter, nec ſi contra Fiſcum deponant, dimittantur. num. 22. Reorum recognitiones vt fieri debeant. num.23. Non cogantur Rei declarare , ſe habere teſtes pro ritè & rectè examinatis,& ſi voluerint,eorum declaratio recipiatur cum clauſula (*præter abſentes , & mortuos , & ſaluis exceptionibus , & iure repetendi.)* num. 27. Teſtes repetendi examinentur priùs ſuper interrogatoriis, num. 28. Iudices Gubernatoris,vel alterius habentis facultatem procedendi præter,aut contra formam iuris,quomodo ea vti valeant. num. 29. Tormento Vigiliæ quando Iudices vti poſſint.num. 30. Et tormento Funis non vltra horam pro qualibet vice. num. 31. Et à verbis, & factis iniurioſis in teſtes , & reos ſe abſtineant. num. 32. In ſententiis contumacialibus exprimantur pœnæ certæ. num. 33. Reis in contumaciam condemnatis,& captis ante executionem ſententiæ detur copia proceſſus, & actuum , ſi petatur , etiamſi non ſint admiſſi ad nouas defenſiones. num. 34. Inquiſiti non cogantur abolitionem petere. num. 35. Neque ad compoſitionem. num. 36. Pœnæ omnes penes Depoſitarium Cameræ dumtaxat deponantur.num.40. Nemo de eis aliquid retineat , ſed à Depoſitario Cameræ recipiatur. num. 41.

PRO Reformatione Iudicum ciuilium (vltra diſpoſita in Conſt. 58. & 59. Pij IV. & in Conſt. 27. Pij V.) decernit, quando *Non grauetur* concedi poſſint. §. 11. num. 1. Et quando ab aliis Iudicibus cauſæ reaſſumi valeant. num. 4. & 5. Cauſæ mercedum quæ ſint,vt depoſitum fieri debeat.num.6. Pro qua ſumma quis carcerari poſſit. num. 9. & 10. Significationes in vim commiſſionis pro dilatione,vel alternatiua obtinenda, vt concedendæ. num. 11. Debitoribus ſolus Aud. Cam. det terminum 30. dierum. num. 12. Iudices cauſarum reſtitutionis in integrum , abſque alia commiſſione terminum præfigunt ad docendum de cauſis reſtitutionis.num. 13. Et terminos ſubſtantiales reiterant. num. 14. Mandata de manutenendo vt dari poſſint.num. 15. Et mandata ſuſpicionis fugæ.num.16. & 17. Iuramentum calumniæ vt præſtandum. num. 18. Pro periurio , in d. iuramento commiſſo , in eo Tribunali, vbi commiſſum eſt,Iudices non de facili procedant. num. 19. Iuramenta litis deciſiua vt recipienda. num. 20. *Iudicium ciuilium Reformatio.*

PRO Reformatione Iudicum omnium tam ciuilium , quàm criminalium (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) decernit, quòd nemo Iudicum domi ſuæ familiariter retineat Aduocatum aliquẽ, vel Procuratorem , etiam conſanguineos , aut ſuæ Curiæ Notarium. §. 12. num. 1. Neque ſe ingerat in proponendis Aduocatis , Procuratoribus, vel Sollicitatoribus. num. 2. Nec exerceat munus Aduocati , vel Procuratoris. num. 3. Munera nullatenus recipiat.num. 4. Nec fideiuſſorem,aut mutuum. n. 7. Neque à Baroncellis ſuarum Curiarum quicquam recipere poſſint. num. 8. Innouat Conſt. Gregor.XIII.de datis,& receptis.num.9. *Iudicum tã ciuiliũ, quàm criminaliũ Reformatio.*

PRO-

Sportulatum, & propinarũ Reformatio.

PRO Reformatione ſportulatum, & propinarum (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) decernit, quod pro decreto mandati de manutenendo, moderationis, inhibitionis, vel taxationis expenſarum Iudices nihil recipiant. §. 13. num. 6. Declarat, qui decreta in contractibus interponant. num. 8. & 9. Propinas receptas ſcribant in libro ad hoc à Notariis retinendo. num. 12.

Commiſſariorũ Reformatio.

PRO Reformatione Commiſſariorũ decernit, quoſcumque Commiſſarios, eorũmque Notarios in eorum ad Vrbem reditu, conſignare debere ſcripturas, & omnia acta penes Notarium, vbi cauſa pendet, vel ſi dubium ſit, apud eum Iudicem, apud quem Procurator Fiſcalis elegerit. §. 14. num. 1. Notariis vt ſatisfaciendum ſit de eorum mercede, declarat. num. 2. Commiſſarij vt bona per eos capta deponere, & eorum mercedem conſequi poſſint, decernit. num. 3. Commiſſarij qui eligendi ſint, exponit. numero 4.

Procuratoris Fiſci, & ſubſtitutorũ Reformatio.

PRO Reformatione Procuratoris Fiſci, & ſubſtitutorum (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) decernit, ſubſtitutos quocumque prætextu nihil à Reis recipere. §. 17. num. 5. Vigeſimam Fiſci Procuratori, & centeſimam ſubſtituto de compoſitionibus, confiſcationibus, & pœnis eorum interuentu incameratis, perſolui mandat. num. 19. Et cùm ſubſtituti ad reformandos proceſſus extra Vrbem mittuntur, vltra victus, & equorum impenſas, taxata viatica recipiant. num. 20. Procurator Fiſci ſeptem ſubſtitutos habere debet, menſtruo ſalario ſcutorum quinque eis conſtituto. numero 21.

Aduocatorũ, Procuratorũ & Solicitatorum Reformatio.

PRO Reformatione Aduocatorum, Procuratorum, & Solicitatorum (vltra diſpoſita in Conſt. 44. Pij IV.) decernit, qui ad procurandum admittendi ſint. §. 18. num. 2. 3. & 4. Aduocati, & Procuratores de bibaliis ſe non immiſceant. num. 5. Stipendia nec vltra meritum, nec vltra taxas capiant. num. 6. De quota litis non conueniant. num. 7. Vnum Procuratorem, qui pauperibus patrocinium præſtet, ſingulis annis deputent, cũ ſalario competenti. num. 8. De gratiis regiſtrorum vt cum Notariis conuenire poſſint. n. 9. Procuratores, & Aduocati officium Notariatus non emant, neque cũ Notario ſocietatem ineant. numero 10. Appellare pro eorum principalibus abſentibus debent, vbi appellare licet, & cauſas committere, & fatalium prorogationem petete. num. 11. Cauſas pro viribus defendant, & ſecreta aduerſariis non pandant. num. 12. Procuratores, & Solicitatores ſalarium non conuentum non petant. num. 13. Pridie eius diei, quo Rota agitur, Auditorum ſtudia non perturbent. num. 14. Procuratores de Collegio, alios etiam antiquiores præcedant. num. 15. Qui pro vna parte patrocinium ſuſcepit, pro altera nequaquam patrocinetur. num. 16.

Notariorũ Reformatio.

PRO Reformatione Notariorum (vltra diſpoſita in Conſt. 44. & 58. Pij IV. & 26. Gregor. XIII.) decernit, quòd Notarij per ſe ipſos exerceant Officia. §. 19. num. 2. Iuramentum calumniæ vt recipiant. num. 4. In cauſis à quinque ſcutis infra nihil ſcribant, niſi aliter Iudex mandauerit. num. 5. In eis quid recipiant. num. 6. Terminum ad referendum pro alio Notario acceptum eadem die referant. num. 8. Ipſi, & eorum ſubſtituti non ſint Procuratores in eorũ Curia. num. 10. Prouiſiones extra Curiam non expediant, niſi notaro nomine obtinentis, & ſi ſit Procurator, ſit notus in Curia. num. 11. & ſeqq. Mandata executiua vt expedienda. num. 13. Aliæque expeditiones. num. 14. Inhibitionis moderatæ fides non retardetur. num. 15. Literæ miſſiuæ vt dandæ. num. 16. Summariáque teſtium. num. 17. Emolumenta vt adnotanda. num. 18. Arrhæ datio vt recipienda. num. 19. Manualia, broliarda, & alij libri vt tenendi. num. 20. & 21. Examina reorum, & teſtium, vt ſcribenda. num. 22. Curſorum, & Mãdatariorum relationes vt recipiendæ. nu. 23. 24. & 25. Sentẽtiarum publicatio non retardanda. num. 26. Cedulæ Depoſitorum ſtatim regiſtrandæ. num. 27. Copia decretorum, & ſcripturarum vnicuique petenti danda. num. 28. Inſtantia, vel productio pro aliquo non præſente, non ſcribatur. num. 29. Pro nullitatibus quis expenſas reficiat. num. 30. Proteſtationes in broliardo ſcribendæ, num. 31. Mandata à Iudice non ſubſcripta non expedienda. num. 32. Notario recuſato vna merces ei, vel

ſub

ſubrogato ſoluenda. num. 33. Scripturæ à Notariis vt cuſtodiendæ. num. 34. In Officiis Notariorum nemo non approbatus à Superioribus recipiatur. num. 35. Et ad rogandum inſtrumenta qui recipiendi. num. 36. Quid in eis rogandis aduertere debeant. num. 37. & ſeq. Diſdictæ ſocietatum Officiorum vt regiſtrandæ. num. 39. Quid ſeruandum in nominatione, vel tranſlatione periculi vitę. num. 40. Occaſione tractatus aliquorum contractuum Notarij, & eorum iuuenes nihil recipiant. num. 41. Inſtrumenta ſubſcribat, qui ea confecit. num. 42. Dietim illa extendantur. num. 43. Et infra tres menſes in prothocollum redocantur. num. 44. Teſtaměta vt cuſtodienda. n. 45. Copias omnium actorum, & inſtrumentorum, ſoluta mercede intereſſe habentibus dent. num. 46. Ad accipiendum inſtrumenta publica neminem cogant. n. 47. Taxa mercedis inſtrumentorū quæ. num. 48. & ſeqq. Circa legitimationes ſuperiorum confirmatur Conſt. Leonis X. edita pro Archiuiſtis. num. 54. Expenſa mandati ſuſpicionis fugæ, ad quem ſpectet. num. 55. Iuramenta ſuſpicionis fugæ, mandatum ſpeciale requirunt. n. 56. Sequeſtra vt concedenda. num. 57. Aduocati, Procuratores, & Solicitatores, pro fideiuſſoribus litis non recipiantur. num. & Significationes dandæ quæ. num. 59. 58. ſeq. Reſponſiones ad articulos, & iuramenta litis deciſiua, vt recipienda. n. 61. Notariorum circa decreta in cauſis criminalibus merces quæ. num. 62. & ſeqq. Notarij Cameræ quid circa annatas, & obligationes ſeruare debeant. n. 71. & ſeqq. Notarij Vicarij Vrbis non dent monitoria generalia, nec particularia extra Vrbem, & diſtrictum, neque cenſuras, neque terminum ſuper obligationibus in forma Cameræ. num. 99. Pro examine, & literis ordinandorum quid percipiant. num. 100. Notarij Rotæ quid ſeruare debeant circa regiſtra, broliardum, notas, manuale, remiſſoriales, & expeditiones. num. 101. & ſeqq. Paupertas vt probetur. num. 112. Notarij Capitolini quæ ſeruare debeant. num. 118. Notarij locorum piorum ſeruent taxam Notarij Vicarij Vrbis. num. 121. Notarius Ripettæ circa publicationem inſtrumentorum ſeruet ſtatuta. num. 122. Et circa extractus ſeruet normam Capitolinam. num. 123. In prima inſtantia non fiat ibi extractus. num. 124. Non det mandatum pro indiciis abſque Iudicis licentia. num. 125. Singulis diebus apertum teneat Officium. numero 126. Circa depoſita recipienda, & conſignanda, quid ſeruare debeat. numero 127.

Regiſtrorū, extractuū & copiatū Reformatio.

PRO Reformatione regiſtrorum, extractuum, & copiatum decernit, in cauſis à principio ordinariis non fieri regiſtra, ſed extractus, & quando. §. 20. numero 1. & ſeq. Secus in cauſis commiſſariis. numero 3. Quæ in extractibus ſeruanda, & quæ in regiſtris. numero 4. & ſeqq. Quid circa arrham aduertendum. num. 22. Merces quando exigenda. num. 23. Rotæ Notarij quid facere debeant circa rubricationes. num. 24. & ſeq. Pacta de parte lucri cum Aduocatis, Procuratoribus, & Solicitatoribus, ne fiant. num. 26.

Curſorū & Mandatariorū Reformatio.

PRO Reformatione Curſorum, & Mandatariorū (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) decernit, qui poſſint ad hæc Officia admitti. §. 21. num. 1. & ſeq. Munus eorum quod. num. 3. & ſeq. Circa citationes, & alia quæ ſeruare debeant. num. 5. & ſeqq. Et ſignanter circa commiſſiones appellationum. numero 28.

Barōcelli, & Executorum Reformatio.

PRO Reformatione Baroncelli, & Executorum (vltra diſpoſita in Conſt. 58. Pij IV.) decernit, vt taxam nuper editam obſeruent. §. 22. num. 1. & ſeq. Pignora in executione capta conſignent Depoſitario. num. 4. Et ab illo in libro deſcribantur. num. 5. In ſubhaſtatione pignorum obſeruanda quæ ſint. num. 6. & ſeqq. Quid Executoribus credendum de cautione per eos recepta in executionibus. num. 8. Mandata ciuilia quibus diebus exequenda. num. 9. Et infra quot dies. num. 10. Oſtenſa inhibitione, nihil pro mercede Executores exigant. num. 11. Et eius copiam ſumant. num. 13. Gratis reſtituant bona Iudice mandante. num. 13. In conſignandis pignoribus non morentur. num. 14. Qui Executores mandata alterius, quàm ſuæ Curiæ exequi poſſint. num. 15. Capti quando ad præſentiam Iudicis ducendi. num. 18. A carceratis nihil exigatur pro expenſis factis

in.

in exploratoribus. numero 19. Omnes Baroncelli extraordinariis Maioribus obediant. num. 20.

Carcerũ, carceratorum, eorũmque Viſitatorum, & Cuſtodum Reformatio.

PRO Reformatione carcerum, carceratorum, eorúmque Viſitatorum, & Cuſtodum (vltra diſpoſita in Conſt. 13. Pauli III. & 58. Pij IV.) decernit, carceres Curiæ Sabellorum, Turris Nonæ, & Capitolij, vt locari poſſint. §. 23. n. 1. Pro tranſportatione carceratorum, occaſione viſitationis, nihil recipiendum. numero 11. Citationes contra carceratos non niſi perſonaliter fiant. num. 15. Arreſta vt danda. num. 12. Alimenta debitoribus ex decreto Iudicis præſtanda, vt deponi debeant. num. 13. Inſtrumenta ſatisdationum pro carceratis in partibus, vt recipienda ſint, & producenda. num. 15. Iulius pro mandato de excarcerando vt ſoluendus Cancellario Baroncelli. num. 16. Relaxati per horæ ſpatium non carcerandi. num. 17. Et relaxati ob non præſtationem alimentorum, quãdo iterum carcerandi. num. 18. Notas carceratorum dent. num. 24. Infirmos pro cauſa ciuili ponant in Infirmariis. num. 25. Ducant detentos in carceribus publicis die quolibet ad Miſſam. num 26. Carcerandum quomodo in libro deſcribere debeant. num. 27. Nec prætextu alimentorum quicquam de veſtimentis carceratorum retineatur. num. 28. Alimenta in ſecretis detentis aliunde delata non prohibeant. num. 29. A carceratis in publicis nihil pro paſſegio, camera, vel alimentis, vltra quinque dies petant. num. 30. Pro tranſportatione ad alios carceres, vel extractione alicuius contractus nihil exigant Cuſtodes. num. 31. Quid pro arreſtis exigant. num. 32. Non permittant aliquem verſari cum mulieribus carceratis. num. 33. Obediant Iudici in mandatis de excarcerando, ſi apponit clauſulam, abſque alia manu. num. 34.

Viſitatorũ carcerum facultates.

DE facultatibus Viſitatorum carcerum (vltra diſpoſita in Conſt. 44. Pauli III.) decernit, quòd Viſitatorum arbitrio habeatur ratio paupertatis debitoris, naturæ debiti, & qualitatum creditoris. §. 24. num. 15. Notarius cauſæ carcerati remaneat, etiamſi cauſa alteri Iudici committatur. num. 16. Quòd in dilatione carceratis ſimpliciter data, intelligatur conceſſa etiam quoad executionem realem. numero 17. Iudex, cui à Viſitatoribus cauſa commiſſa eſt, cùm carceratum relaxauit, merita ſuo Iudici cognoſcenda relinquat. numero 18.

Protomedici, & Aromatariorũ Reformatio.

PRO Reformatione Protomedici, & Aromatariorum decernit, quod obſeruare debet Protomedicus in viſitatione Aromatariarum. §. 25. num. 1. Conſules eorum ſint illius iuriſdictioni ſuppoſiti. num. 2. Conſilium Aromatariorum an ille ſequi debeat, & quando. num. 3. Proconſulem illi non eligant. num. 4. Aromatarij abſque licentia Conſulum fidem fecere poſſint. num. 5. Pro pretio Aromatariæ quæ præſcriptio intret. num. 6. Aromatarij non exerceant iuriſdictionem criminalem: Protomedicus verò ſolùm, vbi venit imponenda pœna pecuniaria vſque ad aureos vigintiquinque. num. 7.

Contra tranſgreſſores pœnas infligit. §. 26. Et procedi mandat tam ex officio, & per inquiſitionem, quàm ad inſtantiam quorumcumque. §. 27. Omnéſque etiam maiores Magiſtratus hanc Conſtitutionem comprehendere decernit. §. 28. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 29. Contrariis derogat. §. 30.

Scholion primum.

Quæro. In caſibus non tactis in hac Reformatione, non erunt ſeruandæ aliorum Pontificum Conſtitutiones?

RESP. Erunt, quia hic in principio tolluntur ſolummodo Conſtitutiones contrariæ, ideo caſus omiſſi remanent decidendi iuxta antiquiores Conſtitutiones l. præcipimus. 32. Cod. de appellat. & in noſtris terminis Pariſ. conſ. 56. lib. 2. num. 25.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si aliquod emerſerit dubium circa intelligentiam huius Reformationis, poteritne ſumi declaratio ab antiquioribus Conſtitutionibus?

RESP. Poterit, iuxta communem DD. ſententiam, de qua in l. ſciendum. 25. ff. qui ſatiſd. cogant. Oſaſc. qui alios cumulat in deciſ. 167. n. 17. vbi ampliat, etiamſi iſta Reformatio diceret eius verba ad literam intelligi debere.

Digitized by Google

L X X I I.

Edita Anno 1611. CVm nos nuper generali, & infra pag. 286. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, nuper eo mandante editas fuiſſe taxas Notariorum, & Officialium Vrbis, eáſque confirmat. §. 1. Obſeruarique mandat. §. 2. Et in loco publico retineri. §. 3. Eaſdem taxas poſtea ſubiicit, quę ſummari non poſſunt. §. 1. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Iſta Conſtitutio dicetúrne fauorabilis, & latè interpretanda?

R E S P. Ita quidem, quia tendit ad emendationem abuſuum, vt in ea legitur. Scribb. in l. t. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Dec. conſ. 65. n. 2. & ſeq. Marſil. in pract. crim. §. Aggredior. num. 59. & 65.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid dicis, cùm ſit pœnalis?

R E S P. Fauorabilis adhuc cenſetur. Bald. in l. Benignius. 17. de legibus. num. 2. Marſil. in repetit. l. fin. ff. de iuriſd. omn. Iud.

L X X I I I.

Edita Anno 1612. CVm ſicut accepimus, & infra pag. 308. *Item*; Cùm poſt aliquas, & infra pag. 309. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Conſtitutionem 71. de qua ſup. ſuper Reformatione Romanæ Curiæ editam declarat in eius §. 19. numero 16. 26. 37. 11. 36. 62. & 122. Declarat etiam d. Conſtit. 44. in eius §. 20. num. 23. 25. 3. Declarat etiam eamdem Conſtit. 44. in eius §. 21. num. 21. Et addit quinque baiochos accipi poſſe pro citatione exequenda contra Epiſcopum, aut aliam perſonam qualificatam. Declarat eamdem ſuam Conſtit. 44. in §. 4. num. 14. Declarat antecedentem Conſtit. 44. in eius §. 1. numero 165. 166. & 184. Declarat eamdem Conſtitut. 44. in eius §. 2. numero 17. & 69. Declarat etiam d. Conſtitut. 44. in eius §. 4. & in §. 5. num. 16. & 62. Declarat eamdem Conſtit. 44. in eius §. 6. num. 44. & in §. 7. numero 4. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, contrariiſque derogat.

Scholion primum.

Quæro. Iſta declaratio Conſtit. 71. dicetur forſan noua diſpoſitio?

R E S P. Non, qui enim declarat, nihil de nouo facit, ſed iam factum aperit. clem. 1. de iur. patr. cum aliis congeſtis à Gabr. in tit. de Regul. Iur. concluſ. 3. n. 1. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Trahetur itaque ad præinſerta iſta lex declaratoria?

R E S P. Ita ſanè, quia lex declaratoria dicitur ineſſe legi declaratæ. Alex. conſ. 7. lib. 2. num. 4. latè Gabr. vbi ſup. num. 9. & ſeq.

L X X I V.

MOnialium ſtatui, quæ ſæcularia, & infra pag. 309. Bullarij. *Edita Anno 1612.*

C O M P E N D I V M.

Licentias quaſcumque ingrediendi Monaſteria Monialium, aut cum eis conuerſandi, & corporalem refectionem ſumendi ſub quibuſcumque tenoribus, & formis cuicumque, & cuiuſcumque conditionis, etiam Marchionalis, & Ducalis, conceſſas reuocat. §. 1. Eis vtentibus pœnam excommunicationis latæ ſententiæ imponit. §. 2. Abbatiſſis, & Superioribus illas admittentibus eamdem pœnam, ac priuationis Officiorum, & inhabilitatis ipſo facto incurrendam infligit. §. 3. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 4. Contrariis omnibus derogat. §. 5. Tranſumptis huius Bullæ credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Si licentiæ poſt hanc diem concedantur, eritne ſeruanda Conſtitutio 52. de qua ſup. circa vſum earum?

R E S P. Sine dubio, tum quia hæc lex eſt reuocatoria conceſſarum, tum etiam quia correctio prioris legis eſt in dubio euitanda. l. vnica. §. his tantummodo, cum ibi not. Cod. de caduc. tollend. Roman. conſ. 57. num. 3. & ſeq. vbi bonum refert exemplum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Monaſterij appellatione quid venit, dum prohibetur ingreſſus ad illud?

R E S P. Clauſtrum, domus, & officinæ interiores, & receptacula, & ſic non Eccleſia, nec domus Monaſterio contiguæ,

rigUæ, vbi extant Monalium ſeruientes, vel crates, & locutoria. Rod. de quæſt. Regular. tom.1. quæſt. 46. art.1. verſ. Et aduertendum.

L X X V.

Edita Anno 1612. IN Sede B. Petri meriti, & infra pag. 310. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Vrbem nouis Templis, ædificiis, viis, aliiſque modis illuſtraſſe.§.1. Eamdem aquarum fœcunditate illuſtrare volens, aquas multas à locis ab Vrbe longè diſtantibus magno ſumptu, maximáque omnium lætitia, vno aquæductu ad eam duci fecit.§.2.& 3. Et modò pro aquarum,& aquæductus cura, & conſeruatione, Congregationem Aquæ Paulæ nuncupandam erigit. §. 4. Protectorem dictæ Congregationis Cardinalem Burgheſium deputat. §. 5. Secretarium dictæ Congregationis Io. Iacobum Bulgarinum eligit. §. 6. Congregationis authoritatem,& iuriſdictionem præſcribit.§.7.Viſitatores aquęductus duos eſſe, deputarique mandat. §. 8. Loca ducenta Montis non vacabilis pro dote aſſignat, cuius fructus pro aquæductus conſeruatione deſeruiant.§.9.Obſeruantiam præmiſſorum iniungit. §. 10. Contrariis derogat.§. 11. Sanctionem pœnalem apponit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Franciſcus compater noſter, per cuius prædia aquæductus commeat, poterit in dextra, læuáque ſormarum illius arbores habere, vt exoptat?

R E S P. Non, niſi quindecim pedibus intermiſſis,& ſi quo tempore pullulauerint, excidentur, ne earum radices fabricæ formam corrumpant.l.t. Cod.de aquæduct.lib.11.verſic.Præterea,& notat Barthol. ibidem num. 1.

Scholion ſecundum.

Quæro. Fontium opus huiuſmodi, Sanctum dici poterit?

R E S P. Audi Frontinum de aquæductibus ſic dicentem. *Fontium memoria Romæ cũ ſanctitate adhuc extat, & colitur.* Refert hoc idem Petrus Gregorius Tholoſanus in Syntagmate Iuris libro 3.capite vltimo, numero 2. vbi ſubdit, quòd ſalubritatem etiam ægris corporibus afferre ſolet.

L X X V I.

SEdis Apoſtolicæ circumſpecta,& infra pag. 312. *Item*; Aliàs fel. record. Clementi Papæ VIII. & infra pag. 312. Bullarij. Edita Anno 1612.

C O M P E N D I V M.

Dat poteſtatem deputatis à Capitulo Conuentuali Eremi Montis Senarij, Ordinis Fratrum Seruorum Beatæ MARIÆ, Nouitios recipiendi.§.1.& 2. Mitigátque eorum ieiunium in pane, & aqua pro quarta feria.§.3.& ſeqq. Quibuſcumque non obſtantibus. §.6.

Scholion primum.

Quæro. Si in ſecunda, & ſexta feriis, in quibus remanet ieiunium in pane, & aqua, occurrat aliquod Feſtum ſolemne, quid agendum de ieiunio?

R E S P. Superior Eremi illud anticipat, vel transfert, ſed non remittit, vt expreſsè cauetur in cap.19.nouarum Eremi Conſtitutionum, à Paulo V. anno 1612. confirmatarum, & Florentiæ anno 1613. impreſſarum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ieiunium huiuſmodi in ij. iiij. & vj. feriis, fuitne antiquis temporibus in pane,& aqua obſeruatum?

R E S P. Temporibus Pij I. qui ad Petri Solium aſcendit anno 154. cognitum, & obſeruatum fuiſſe liquet ex c. 1. cauſ. 22.quæſt.5.vbi gloſ. vltima eas tres ieiuniorum ferias, de quibus text. loquitur, ſecundam, quartam, & ſextam eſſe declarat,& fuſiùs proſequitur Azor. de Inſtit.Moral:tom.1.lib.7.pag.mihi 823.

L X X V I I.

QVoniam faternitatis tuæ nomine, & infra pag. 313. Bullarij. Edita Anno 1612.

C O M P E N D I V M.

Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno benedictionem Apoſtolicam impartitur. §. 1. & 2. Dat eidem facultatem alios Maronitas authoritate

O 2 Apo

Apoſtolica ſemel tantùm benedicendi. §. 3. Benedictionique intereſſentibus, confeſſis, ac ſacra communione refectis, remiſſionem peccatorum elargiendi. §. 4. Deum precatur, vt ipſum Patriarchã, totámque Maronitarum nationem ſua impleat benedictione. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Sola benedictio Papæ, de qua in §. 5. quid importat?

R E S P. Remittit peccata venialia his, qui nõ ſunt in peccato mortali. Gloſ. fin. communiter approbata in proœm. 6. Decretal. Io. Franciſ. Leon. in Theſaur. fori Eccleſ. c. 6. de benedict. & Vitalin. in proœm. Clemen. num. 63.

Scholion ſecundum.

Quæro. Maronitarum Patriarcha acceſſit vnquam ad aliquod Concilium generale?

R E S P. Acceſſit ad Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum, vbi pleniſsimè res ſpectantes ad Catholicam fidem, ritúſque ſacros edoctus, ſuos eoſdem ſequi voluit, ſicque perſtiterunt immobiles in ſancta fide Catholica, licèt ſemper Infidelium preſſuris agitati, vt ſcribit Baron. in Annalibus Eccleſ. tom. 12. anno 1182. ad finem pag. mihi 766.

L X X V I I.

Edita Anno 1613. ROmani Pontificis prouidentia, & infra pag. 313. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Seminarium in Vrbe erigit pro Fratribus Diſcalceatis Carmelitis Congregationis Italiæ. §. 3. Vt diuerſas linguas, & ſcientias edocti ad Hæreticorum, Schiſmaticorum, Sarracenorum, Gentilium, & Iudæorum, aliorúmque Infidelium conuerſionem, ab eorum Superioribus mitti poſſint. d. §. 3. Priuilegia quorumcumque Ordinum elargitur. §. 4. Clauſulas huius legis præſeruatiuas apponit. §. 5. Contrariíſque derogat. §. 6. Huius Bullæ tranſumptis credi iubet. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Nónne Iudæi, & Gentiles veniebant ſub nomine Hæreticorum, de quibus in §. 3.

R E S P. Largè Hæreticorum ſumpto vocabulo, veniebant etiam Iudæi, & Gentiles, non autem propriè, & ſtrictè. Scribb. in cap. 3. de Hæretic. & etiam Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. pag. mihi 167. ſecundùm impreſſionem de anno 1587. Romæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Inter varias linguas, de quibus in §. 3. quæ præcipua?

R E S P. Latina, vt pluribus demonſtrat Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 1. pag. 90. & ſeq. ſecundùm impreſſionem Romæ de anno 1588.

L X X I X

ALiàs per nos accepto, quòd, & infra pag. 314. Bullarij. *Edita Anno 1613.*

C O M P E N D I V M.

Ad reprimendum ambitum Monachorum Congregationis S. Bernardi Ciſtercienſis in Italia, prohibet eiſdẽ extra Religionem fauores conquirere ad obtinendos honores in ea, necnon gradus, & dignitates. §. 1. Ambientibúſque, & Superioribus eorum fauores attendentibus pœnas infligit. §. 2. & 3. Contrariis derogat. §. 4. Hanc legem in Monaſteriis publicè legi mandat. §. 5. Tranſumptíſque huius Bullæ credi iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Cuius naturæ ſunt ambitioſi?

R E S P. Ambitioſus ſemper eſt pauidus ne quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum diſpliceat, humilitatẽ ſimulat, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, cunctos honorat, vniuerſis inclinat, frequentat Curias, viſitat optimates, aſſurgit, & amplexatur, applaudit, & adorat: vbi putauerit diſplicere improbat mala, deteſtatur iniqua, ſed cum aliis probat; & improbat vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab omnibus, vt à ſingulis approbetur. Hæc, & alia refert Archidiac. in cap. 3. diſt. 47. num. 2. cui adhæret Petrus Andreas Gammarus in repetit. Extrauag. Iul. II. de ſimon. Papæ elect. ſub num. 102.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ proponeres ſpiritualia remedia ad ambitum reprimendum?

R E S P. Longa verborum ſerie opus eſſet,

eſſet,quam non admittit hæc breuis noſtra diſcuſſio. Perlege Ioan. Buſæum Societatis IESV Theologum in ſua Summa remed. contra animi morb. in §. Ambitio, vbi quamplura ſcitu digna cumulauit.

LXXX.

Edita Anno 1614. Paſtoralis noſtra ſolicitudo,& infra pag. 315. *Item*; Nuper à nobis, & infra pag. 315. Bullarij.

COMPENDIVM.

Electiones Prioris generalis,aliorũmque Officialium Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini decernit in Capitulis fieri per ſuffragia ſecreta, & clauſa, non aperienda, niſi datis omnibus ſuffragiis.§.1. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 2. Huius ſanctionis publicationem io Congregatione Vocalium fiendam ſufficere declarat. §. 3. Prædictorum electiones abſque Scriba fieri mandat. §. 4. & 5. Aliorum autem per fabas ſecretas fieri iubet.§.6. Et ita, & non aliter iudicari decernit.§.7. Contrariiſque derogat. §. 8. Publicationem huius declarationis in Capitulo Conuentuali Monaſterij de Vrbe, vbi Prior generalis, & Procurator generalis, & Aſſiſtentes eſſe debeant, factam ſufficere decernit. §. 9. Tranſumptíſque credi iubet. §. 10.

Scholion primum.

Quæro. Si quis in ſuo voto diceret, eligo Petrum, vel Andream, vel eligo, quem Ioannes elegerit, recténe ſuffragium ferret?

RESP. Non, quia eſſet incertum. Text. eſt.& ibi gloſ.& Doctores in cap. 2. de elect.in 6. Et exinde fiet,quòd aliorum vota illis reieictis eſſent attendenda. Rod. de quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 51. art. 4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erítne idem dicendum de eo qui in vrna poſuit ſchedulam albam?

RESP. Idem, quia non eligendo, ſed actum fruſtratorium faciendo, videtur ſuæ voci renunciare. Ita ſcribit Rod. vbi ſup. art. 13. per ea,quæ dixit Panormit. in cap. Cùm nobis. 19. de elect, numero 3.

LXXXI.

Inter Paſtoralis officij curas, & infra pag. 316. Bullarij. *Edita Anno* 1641.

COMPENDIVM.

In Vrbe inſtitutum fuit opus Scholarum Piarum, ad pauperes in literis, & bonis moribus gratis erudiendos. §. 1. Quod vt perpetuò duret, hic Pont. eius curam, & regimen delegat Congregationi Clericorum ſæcularium in communi viuentium B. MARIÆ, deficientibus præſentibus Præfectis earumdem Scholarum.§.2.& ſeqq. Eorum Congregationem de cætero Congregationem Matris Dei nuncupari decernit. §.5. Has literas perpetuò durare declarat. §. 6. Ita,& non aliter iudicari præcipit. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore, quâue cauſa, hoc pium opus introductum fuit?

RESP. Circa annum 1597. in Parochiali Eccleſia S. Dorotheæ, regionis trans Tyberim initiũ habuit, prout à D. Ioſepho Calaſantio Clerico ſæculari, dictarum Piarum Scholarum primo Præfecto, & aliis pariter Clericis ſæcularibus eiuſdem ſociis accepi. Quia experientia compertum eſt, quamplures in Vrbe pueros,& iuuenes,ob inopiam improuidos ruiſſe in flagitia. Vnde cum Ambroſio in Examer. dici poſſe videtur. *Quod cùm paupertas hos inopes cogeret ad crimina, deficeréntque humana præſidia, diuina miſeratione eis ſalubriter prouiſum fuit.*

Scholion ſecundum.

Quæro. Regimen iſtud fuítne à dicta Congregatione B. MARIÆ aſſumptum?

RESP. Non, & ideo hic Pont. aliam inſtituit Congregationem, cui illud demandauit, vt in eius diplomate, cuius hic habes tenorem.

PAVLVS PAPA QVINTVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea,per quæ Chriſti fideles piis moribus, & doctrina maturè imbuantur, ſolicitæ conſiderationis dirigentes

 intui

intuitum, ea quæ proinde interdum facta ſunt, iuſtis ita ſuadentibus cauſis, immutamus, ac aliàs vt pium, & maximè laudabile opus pauperes erudiendi & inſtituendi huiuſmodi in dies magis ad Dei gloriam promoueatur, officij noſtri partes fauorabiliter interponimus, prout perſonarum, & temporum qualitatibus penſatis conſpicimus ſalubriter in Domino expedire.

§. 1. Aliàs ſiquidem cùm accepiſſemus, quòd opus Scholarum Piarum à nobis in Vrbe noſtra ad pauperes erudiendos, & inſtituendos erectarum, vberes fructus ferebat, nos felici eiuſdem operis progreſſui conſultũ eſſe cupientes, curam, regimen, & adminiſtrationem dictarum in Vrbe erectarum, & aliarum Piarum Scholarum, pro tempore erigendarum, dilectis filiis Præpoſito generali, & Clericis ſæcularibus Congregationis Beatæ MARIAE cum certis tunc expreſſis conuentionibus inter eos, & dilectum etiam filium Præfectum Scholarum huiuſmodi, de conſenſu Venerabilis fratris noſtri Benedicti Epiſcopi Præneſtin. Cardinalis Iuſtiniani nuncupati, earumdem Scholarum Protectoris initis, commiſimus & demandauimus, & aliàs, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Breuis ſub die 4. Ianuarij 1614. expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis haberi volumus, plenius continetur.

§. 2. Cùm autem, ſicut accepimus, Clerici ſæculares præfati bonorum ſtabilium poſſeſſione ſe abdicare nolint, propterea quòd aliis muneribus, & exercitiis, iuxta regularia eiuſdem Congregationis inſtituta, Apoſtolica authoritate confirmata, ne vacent, impediri ſe ſentiant, & huiuſmodi exercitiis potiùs operam dare, quàm prædictas Scholas regere malint.

§. 3. Nos ne tam pium, ac præſertim pauperum liberorum Chriſtianæ educationi, & eruditioni proficuum opus aliquod propterea detrimentum patiatur, quantum cum Domino poſſumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, literas noſtras prædictas, omniáque, & ſingula in illis contenta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac reuocatas, caſſatas, & annullatas, nulliúſque roboris, vel momenti eſſe, & fore decernimus, & declaramus.

§. 4. Præterea in domo earumdem Scholarum Vrbis prædictæ vnam Congregationem Scholarum Piarum ab vno Præfecto regendam & gubernandam, quæ de cætero perpetuis futuris temporibus, Paulina pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupari, nec vltra viginti ab Vrbe milliaria extendi debeat, neque vllum locum, in quo Scholæ Piæ non ſint, domibus Nouitiorum exceptis habere, & qui eidem Congregationi nomen dare voluerint, finitis duobus probationis annis, omnes tam ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines promoti, & Clerici charactere dumtaxat inſigniti, quàm Fratres operarij tria ſimplicia vota, paupertatis videlicet, ac caſtitatis, & obedientiæ, ſuper quibus à nemine, præterquàm à Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari poſſit, emittere, & gratis, & nullo ſtipendio, mercede, ſalario, aut honorario accipien. pueros in primis elementis, Grammatica, cõputo, ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis erudiendos, bonis, & piis moribus imbuẽdos ac demum Chriſtiano more educandos, operam, laborem, ac ſtudium conferre debeat, ſine alicuius præiudicio de nouo erigimus, & inſtituimus, ita videlicet, vt qui ſimplex paupertatis votum, vt præfertur, emiſerint, quamdiu in præfata Congregatione permanſerint, cuiuſcumque dominij, iuris, & proprietatis incapaces ſint, idémque paupertatis votum ſummam in iis paupertatem inducat, tam in particulari, quàm in communi, ita vt nihil omnino iuris habeant, ſed nec habere, aut acquirere quouis titulo poſſint in bonis, ſeu ad bona, quæ vocantur immobilia, vel quæ pro immobilibus habentur, huic verò paupertati omnia ad eorum vſum pertinentia, cibos, veſtes, ſupellectilem, tam ſacram, quàm profanam ſtatui, & inſtituto conuenientia, domos verò, hortos contiguos domibus, Eccleſias, Sacriſtias, Oratoria, ac Scholas, & huiuſmodi immobilia, quæ pariter vſui eorum deſtinantur, ſimiliter conuenientia, vt prædicitur, & præterea in dominio Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, mobilia verò in dominio ipſorũ in communi tantùm eſſe debere, ſimiliter decernimus, & declaramus.

§. 5. Dictarum verò in Vrbe, & extra eam infra viginti milliaria erectarum, & pro tempore erigendarum Piarum Scholarum, & Congregationis prædictæ ſic erectæ præfecturam, curam, regimen, & adminiſtrationem

tionem dilecto filio Ioſepho Calaſantia, Scholarum prædictarum nunc Præfecto ad noſtrum beneplacitum committimus, & demandamus, ita quod liceat Ioſepho, & Congregationi huiuſmodi earumdem, & aliarũ Scholarum huiuſmodi ſimulatque erectæ fuerint bonorum corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem præſentium vigore capere, & apprehendere, & illa in Scholarum prædictarum beneficium poſſidere.

§. 6. *Inſuper duodecim eiuſdem Congregationis Clericis, qui votum paupertatis, vt præfertur, emiſerint, vt arbitrio nunc, & pro tempore exiſtentis apud nos, & Sedem Apoſtolicam earumdem Scholarum Protectoris ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines, à quocumque maluerint Catholico Antiſtite gratiam, & communionem eiuſdem Sedis habente ad titulum paupertatis huiuſmodi promoueri, & promoti in illis, etiã in Altaris miniſterio miniſtrare, dummodo tamen ad hoc idonei reperti fuerint, neque aliud illis canonicum obſtet impedimentum, ita tamen, quòd ſi ex dicta Congregatione exire, ſiue emitti contigerit, tandiu ſuſpenſi ab executione Ordinum ſuſceptorum remaneant, quandiu in redditibus tantum habuerint, quantum ad congruam eorum ſuſtentationem ſufficiat.*

§. 7. *Inſuper Ioſepho, & Congregationi huiuſmodi de conſenſu dicti Benedicti Epiſcopi, & Cardinalis, ac pro tempore exiſtentis Protectoris, vt pro felici Congregationis prædictæ, illiuſque domorum, & Scholarum regimine quæcũq; ſtatuta, Capitula, ordinationes, & decreta neceſſaria, & opportuna, licita tamen, & honeſta, ſacriſque Canonibus, & Concilij Trident. decretis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, per Apoſtolicam Sedem approbanda, & confirmanda, facere, & edere, illáque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit, praua ſimili approbatione, mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare, liberè, & licitè valeant, auctoritate & tenore paribus concedimus & indulgemus.*

§. 8. *Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & eſſe, ſuóſq; plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Præfecto, eiuſque ſociis prædictis, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quocumque quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit.*

§. 9. *Non obſtantibus literis noſtris prædictis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Datum Romæ apud Sanctã Mariã Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die vi. Martij 1617. Pontif. noſtri anno duodecimo.

L X X X I I.

ONeroſa Paſtoralis officij cura, & infra pag. 316. Bullarij. *Edita Anno 1615.*

C O M P E N D I V M.

Ne pecuniæ Montium Pietatis Status Eccleſiaſtici, ad vſus pauperum mutuò dandæ, in alios vſus conuertantur, decernit, pecunias quaſcumque ad hos Montes pertinentes, tam pro ſorte principali eis aſſignatas, quàm pro eius augmento poſtea requiſitas, in alios, quàm pauperum vſus iuxta formam in erectione præſcriptam, conuerti non poſſe abſque Sedis Apoſtolicæ licentia. §. 1. & 2. Imponit pœnas contrauenientibus. §. 3. Derogátque contrariis. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Pecuniæ appellatione quid veniet in hac prohibitione?

R E S P. Pecuniæ verbum latiſſimum eſt, & in hac fauorabili diſpoſitione libenter dicerem eius nomine omnia contineri, quæ ad pecuniam reduci poſſunt. l. Nam quod. 14. §. fin. ff. ad Trebellian. vbi gloſ. & ſcribb. Sed contrarium cogor reſpondere ponderãdo illa verba (*mutuò danda*,) quæ pecuniam dumtaxat numeratam ſignificant, vt in caſu ſimili cenſuit Rota in deciſ. Seraphini 965. in nouiſſ. num. 2. iuncto principio.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si ante hanc prohibitionem Officialis aliquam pecuniæ Montis partem, quam vltra quantitatem veriſimiliter pauperibus mutuandam ſupereſſe credebat, in aliquod aliud beneficium Montis expendiſſet, eritne excuſatione dignus?

R E S P. Excuſandum putat Franc. Cur. Iun. in conſ. 19. lib. 1. num. 16. eo quòd bona fide id egerit, & ſine dolo, & eius

eius ſententiæ adhæret Tib. Decianus lib.8. ſui tract. crim. cap. 32.ſub num. 9.

L X X X I I I.

Edita Anno 1615. Aliàs fel. record. Sixtus Papa V. & infra pag. 317. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat, Sixtum V. in ſua Conſtitut. 7. de qua ſup.tom. 2.formam recipiendi Nouitios ad Religionem præſcripſiſſe. §. 1. Eiuſdémque Pont. menti ſatisfieri, ex inquiſitione,quam ſecũdùm ſua inſtituta à Sede Apoſtolica confirmata Congregatio Clericorum Regularium Sancti Pauli decollati in illis recipiendis facere conſueuit. §. 2. Subdit, eandem Congregationem pro opportuna prouiſione ſibi ſupplicaſſe. §. 3. Indulget itaque eidem Congregationi, Nouitios de voto Præpoſiti generalis, & quatuor Aſſiſtentium ad habitum, & Religionem admitti. §. 4. Et in reliquis d. Bullam Sixti V. ſeruari præcipit. §. 5. Contrariiſque derogat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. In Religione, in qua vna die Nouitius induitur tunica, vel imponitur nouum nomen, & in alia, in Miſſa ſolemni induitur ſcapulari, vt fieri conſueuit inter Monachos, à quo die incipiet annus Nouitiatus?

R E S P. A ſecunda die,quia tunc verè datur habitus Religionis, & ita cenſuit Iacob. Graff. lib. 3.par.1.ſuarum deciſ.cap.5.num.17.& 71.

Scholion ſecundum.

Quæro. An ſtatim finito anno probationis, Nouitius erit à Religione repellendus, vel ad profeſſionem admittendus?

R E S P. Affirmatiuam ſententiam videtur tenuiſſe Rod. de quæſt. Regul. tom.3.quæſt. 15. art.10. in fine. Sed contrariam,quæ verior eſt, ſententiam,nempe Prælatum ex iuſta cauſa arbitio ſuo tempus illud prorogare poſſe, probauit Graff. vbi ſup. numero 16. vbi refert ſic inueniſſe deciſum à Cardinalibus Congregationis ſuper interpretatione Concilij Tridentini.

L X X X I V.

In ſupereminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, & infra pag. 317. Bullarij. *Edita Anno 1615.*

C O M P E N D I V M.

Theodorus Epiſcopus Padebornenſis, Sacri Imperij Princeps, Collegium Societatis I E S V à Præpoſito d. Societatis regendum, ad promouendam Religionem, & bonas artes in ſua Ciuitate Padebornenſi conſtitui fecit,redditúſque aſſignauit. §. 1. Et in dicto Collegio Vniuerſitatem Studij generalis ad Catholicæ fidei profectum ab iſto Pont. inſtitui petit. §. 2. Qui propterea eam inſtituit. §. 3. Regiminique Societatis I E S V ſupponit. §. 4. Gratiis,& priuilegiis ſimilium Studiorum generalium exornat. §. 5. Rectori illius facultatem Studentes ad gradus promouendi concedit. §. 6. Promotis gratias, in ſimilibus Studiis promotis competentes,elargitur. §. 7. Præpoſito generali Societatis I E S V authoritatem ſtatuta pro bono eius regimine condendi tribuit. §. 8. Eiúſque Officiales,& Miniſtros deputandi.ibid.Bona, & iura ab ipſo Theodoro concedenda dicto Collegio, eidem perpetuò applicat. §. 9. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 10. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 11. Contrariiſque derogat. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Si hoc Collegium non eſſet expreſsè confirmatum, ſed Papa de eo mentionem feciſſet, diceretur illud confirmaſſe?

R E S P. Ita ſanè,ſi ex certa ſcientia Papa id feciſſet, ad ſcripta per Innoc.in cap.3.de offic. Ordinar.num.2. Butr. Panor.& Felyn.in procem.Decret.Panorm. conſil.55.lib.1.num.4.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi Collegium annumeratur inter beneficia Eccleſiaſtica?

R E S P.

RESP. Non, quia nemini confertur, nec debetur graduatis, aut nominatis ad beneficia. Petr. Greg. Tholoſ. lib. 15. Syntag. Iuris cap. 32. num. 8. verſ. Hæc portò.

L X X X V.

Edita Anno 1614. Apoſtolicæ Sedi per abundantiam, & infra pag. 318. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Pium V. ad reſtituendam ſacrorum Rituum obſeruantiam in ſacrificio Miſſæ, diuinóque Officio, & ad retinendum vnum pſallendi, & orandi ordinem, Breuiarium in ſua Conſt. 64. de qua ſup. tom. 2. edidiſſe, & in alia Conſt. 106. de qua ſup. tom. 2. Miſſale reformatū approbaſſe. §. 1. Clementémque VIII. Epiſcopis, & inferioribus Prælatis Pontificale in Conſtit. 38. de qua hic ſup. reſtitutum dediſſe. Et Cæremoniale, pro cæremoniis in Cathedralibus, & inferioribus Eccleſiis in Conſt. 69. de qua hic ſup. ordinaſſe. §. 2. Et modò hic Pont. Rituale edit pro norma rituum in adminiſtratione Sacramentorum, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus obſeruandorum. §. 3. Hortatur Epiſcopos, & alios, vt inuiolatè illud obſeruent. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Tanta igitur eſt ſacrorum Rituum à Catholica Eccleſia approbatorum obſeruantia?

RESP. Tanta quidem, vt qui illos in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios mutari poſſe dixerit, anathema ſit, ex diſpoſitione Concil. Trid. ſeſſ. 7. de Sacram. can. 3. Ideóque poſt d. Conc. & iure quidem Pius IV. in Conſt. 88. de qua ſup. tom. 2. decreuit, vt promouendi ad gradus, & dignitates, in fidei profeſſione huiuſmodi ritus expreſsè debeant approbare.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid eſt ergo quod audio, Hæreticorum ritus aliquando Eccleſiam Catholicam toleraſſe?

RESP. Tolerauit, quando magna erat infidelium multitudo, vt paulatim ſic tolerati conuerterentur ad Catholicam fidem. Ita ſcribit Præpoſit. in c. 4. diſt. 45. num. 5. verſ. propter hoc. & Turrecremat. ibid. ſub n. 1. verſ. Aliorum verò. vbi tamen ſubdunt, quòd non propriè Eccleſia illis ritibus conſenſit, prout neque hodie ritibus Iudæorum, quos tolerat, conſentit, ſicuti latè ipſi ibidem proſequuntur.

L X X X V I.

Immenſæ bonitatis Creator omnium Deus, & infra pag. 319. Bull. *Edita Anno 1615.*

COMPENDIVM.

B. MARIÆ nonnulla ex innumeris merita, & laudes narrat, in procem. Eámque ſe ſemper adiutricem habuiſſe, & eius Imaginem in Baſilica S. MARIÆ Maioris de Vrbe aſſeruatam præcipuè coluiſſe, & ideo in illius honorem, nouam Capellam in eadem Baſilica erigere, & d. Imaginem ad eam transferre deliberauiſſe. §. 1. Pro dicta Capella inſignē locum, & ambitū elegit. § 2. Altare ibid. mirificè exſculptum, gemmíſque pretioſiſſimis ornatum erexit. §. 3. Ad Capellæ limina, Sacellum S. Franciſci, & S. Caroli extruxit. §. 4. In loco Capellæ monumentum Clementi VIII. poſuit, & aliud ſibi ad ſepulturam reſeruauit. §. 5. In veſtibulo ſepulchrum pro ſanguine ſibi coniunctis collocauit. §. 6. Sacriſtiam ad dictæ Capellæ vſum, pluréſque ad maiorem commoditatem manſiones ædificauit. §. 7. Ad d. Capellam poſtea Imaginem ipſam tranſtulit. §. 8. Pro cuius maiori veneratione ſacra ibidem, & diuina officia celebrari decernit. §. 9. Vnum ideo Prioratum, duodecim Capellanias, & quatuor Clericatus in ea inſtituit. §. 10. Et ex eis Sacriſtam, & Camerarium eligi mandat. ibid. Dotem omnibus aſſignat. §. 11. Aliam dotem Capellæ concedit. §. 12. & ſeq. Patrono Capellæ facultatem capiendi poſſeſſionem bonorum Capellæ concedit. §. 14. Ex eorum redditibus patronus expendet arbitrio ſuo pro ſalario Cantorum, & Scopatiorum,

& aliis Capellæ vſibus.§.15. Munus Prioris,Sacriſtæ,Camerarij, Capellanorum, & Clericorum præſcribit.§.16. Prædicti Collegium faciunt, & habent inſignia Collegialia.§. 17. Sacriſta à Patrono deputatur. §. 18. Qui bona Capellæ alteri non concedat.§. 19. Camerarius à Priore,& Capellanis eligitur.§. 20. Camerarij munus quod.§.21. & ſeq. Scoparius à Patrono deputatur cum ſalario ſcutorũ 200.§.23.Scopario, & Clericis veſtes talares coloris violacei anno quolibet dētur ex redditibus Capellæ.§.24.Feſta celebranda in d.Capella,& litaniæ decantandæ quæ.§ 25. Salarium Cantorum, & Miniſtrorum quod.§.26. Prior,& Capellani interſint dictis litaniis.§.27.Clericorũ deputatio à Patrono fiat,& Priori,Capellanis, & Sacriſtæ deſeruiant. §. 28. Prædictorum omnium ſalarium quod. §. 29. & ſeq. Et vbi eorum habitatio. §. 31 Officia hæc reſignari non poſſint, neque permutari.§.32. Prior,Capellani, & Clerici exempti ſunt à ſeruitiis d. Baſilicæ.§.33. Capitulum,& Canonici d. Baſilicæ quando celebrare debent in Capella.§. 34. & ſeq. Cuſtodia ſacræ Imaginis ad quem ſpectet. §. 36. Tabernaculum eius quando aperiendum. §. 37. & ſeq. Cura ornandi ſacram Imaginem cui incumbat.§. 39. Lampadúmque & candelarum perpetuò ibi accenſarum. §. 40. Reliquiæ extra Capellam non aſporrentur.§.41. Legata, & pallia iam data Capellæ, remaneant Capitulo cum onere ornandi Capellam.§. 42. Largitiones de cætero ſpectent ad Capellam.§. 43. Collegio Capellæ communicantur priuilegia ſimilium Collegiorum.§. 44. Omnes perſonæ d. Capellæ ſubiiciuntur iuriſdictioni Patroni Capellæ.§.45.& ſeqq.Protectio Capellæ ad quem ſpectet. §. 48. Facultas eius condendi ſtatuta.§.49.Cognoſcendíque omnes cauſas Capellæ. §. 50. Diſponendíque de manſionibus Capellæ adiacentibus. §. 51. Iuſpatronatus conſtituitur, & forma ſuccedendi datur. §. 52. Cardinali Burgheſio datur facultas conferendi Prioratum, & Capellanias, necnon ad nutum deputandi Sacriſtam, Clericos, & Scoparium. §.53. Ordo primogenituræ in ſucceſſione d. iuriſpatronatus præfinitur.§. 54. Præſentationiſque & collationis. §.55. Noua ſit reſeruatio iuriſpatronatus.§. 56. Necnon donario expenſarum à Camera, & ceſſio iurium eidem competentium. §. 57. Declaratur iuſpatronatus, & præſentandi eſſe ex vera fũdatione, &c.§.58. Et quod non cadit ſub quauis derogatione. §.59. Vniones, de quibus ſuprà, non poſſint immutari.§. 60. Clauſulæ obreptionem, & ſubreptionem excludentes apponuntur.§.61.Derogatur Bullæ de regiſtrando eam in Camera. §. 62. Tollitur facultas aliter iudicandi.§.63.Derogatur pleniſſimè omnibus contrariis. §. 64. Adiungitur ſanctio pœnalis. §. 65.

Scholion primum.

Quæro, Eſtne adeò inſigne, & magnificè ornatum Sacellum iſtud, vt quandoque ſcriptores ſint hiſtoriarum monumentis commendaturi?

Resp. Ita quidem, quinimò tantus illius eſt ornatus, quòd iam de eo fœcũda oratione ſcripſerit Carthagenſ. Homil.lib.15.in homil.23. vbi multa ſcitu digna de glorioſiſſima Maria Virgine,ac iſto Pōtifice diſertiſſimè enarrauit.

Scholion ſecundum.

Quæro, Hæc B. Virginis Imago num Sancti Lucæ manu ad viuum expreſſa, & Angelus de Cœlo eam allocutus fuit?

Resp. Accipe, quid de hac re ſcriptum reliquit Ciacon. in vita Gregorij I. pag.167.ſub litera B. & C. Quibus rebus permotus Gregorius, ad cætera cæleſtis iræ piacula, poſtero anno 593. religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, atque ſolemni in pompa ſanctam Virginis Dei Genitricis Imaginem extulit. Hæc ex Lucæ Euangeliſtæ manu ad viuum expreſſa, iam tum in æde B. Virginis ad præſepe in Exquiliis ſita, eximia populi religione conſeruatur. Factum eſt autem, vt Imaginem ipſam, quacumque ferretur tetra peſtilentia cæli grauitate cedente, optata ſalubritas ſequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, ecce Angelus Sanctam Virginem his vocibus de cœlo alloquens eſt auditus. *Regina cæli lætare, alleluia, Quia quem meruiſti portare,*

alle

alleluia, Reſurrexit ſicut dixit, alleluia. Quam vbi Gregorius auribus orationem excepit, ſtatim diuino inſtructus Spiritu in hunc modum expleuit, *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Exinde antiphona ſolemnis Eccleſiæ Paſchalis argumento lætitiæ manſit.

LXXXVII.

Edita Anno 1615. PAſtoris æterni, qui pro gregis ſalute, & infra pag. 328. Bullarij.

COMPENDIVM.

Laërtius Cherubinus Genitor meus, & alij Nurſia oriundi, ex qua SS. Benedictus & Scholaſtica prodierunt, ob maximam in eoſdem Sanctos deuotionem, Papæ ſupplicarunt pro erectione Confraternitatis ſub illorum inuocatione in Vrbe. §. 1. Quam Papa ſedulò erigit. §. 2. Confraternitati facultatem tribuit, diuina Officia in ſuo Oratorio recitandi, & ſtatuta pro illius bono regimine condendi. §. 3. Legatáque, & elargita recipiendi, & in pios illius vſus conuertendi. §. 4. Quotannis etiam vnum ex capitaliter condemnatis, non tamen pro crimine hæreſis, læſæ Maieſtatis, falſificationis monetæ, aut literarum Apoſtolicarum, aſſaſinij, aut ſacrilegij, homicidij deliberati, aut extractionis frumentorum extra Statum Eccleſiaſticum, habita pace ab offenſis, vel eorum hæredibus, liberandi. §. 5. Confratribus verè pœnitentibus, confeſſis, atque ſacra communione refectis, Indulgentiam plenariam elargitur in die ingreſſus, & in articulo mortis, & in die feſtiuitatis S. Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ, viſitantibúſque eorum Oratorium in die Natiuitatis Domini, vel ſecundo die Paſchatis, Reſurrectionis, vel Natiuitatis, aut Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis. §. 6. & ſeqq. Aliáſque Indulgentias pia quædam opera facientibus in forma Eccleſiæ conſueta, relaxat. §. 9. & ſeqq.

Scholion primum.

Quæro. Pro Antonio amico meo, vno ex Confratribus huius Confraternitatis, qui arduis eſt negotiis occupatus, num valeo has conſequi Indulgentias?

RESP. Non, quiá alteri applicare Indulgentias tibi ob viſitationem Eccleſiæ S. Benedicti, vel quid ſimile à Papa conceſſas, eſſet illi applicare merita Chriſti, quod ſolius eſt Pontificis ſecundùm D. Thom. in 4. ſentent. diſt. 20. q. 3. art. 4. & Richard. 3. ſent. diſt. 20.

Scholion ſecundum.

Quæro. Indulgentia conceſſa in §. 8. viſitantibus certis feſtiuitatibus ſemel, vel tantùm eadem die quæri poteſt?

RESP. Semel tantùm ſecundum D. Thom. in 4. diſt. 20. quæſt. 3. attic. 2. Gemin. & alij in cap. fin. de pœnit. & remiſſion. Nauar. qui alios cumulat in ſuo tract. de Iubil. & Indulg. notab. 31. num. 36. pag. mihi 162.

LXXXVIII.

IN ſuprema B. Petri Sede, & infra pag. 329. Bullarij. *Edita Anno 1615.*

COMPENDIVM.

Refert, Sixtum V. Conſtitutionem 93. de qua ſup. tom. 2. circa pœnas, & confiſcationes Status Eccleſiaſtici edidiſſe. §. 1. Clementéq; VIII. in ſua Conſt. 5. de qua ſup. illam confirmaſſe. §. 2. Præcipit diſtrictè omnibus Officialibus, etiã Sedis Apoſtolicæ de latere Legatis, in Prouinciis dicti Status dictarum Conſtitutionum obſeruantiam. §. 3. Decernit, Officiales teneri in ingreſſu Officij, obſeruantiam d. Bullæ Sixti V. medio iuramento promittere. §. 4. Et abſque cõſenſu Theſaurarij gratias non ſignare, nec recipere. ibidem. Irritat eas aliter ſignatas, & receptas. §. 5. Infligit pœnas Vicelegatis, & aliis Officialibus contrauenientibus. §. 6. Iubet compendia dictarum Conſtitutionum vulgari ſermone conſcripta affigi, & publicari, & in locis reſidentiarum affixa retineri. §. 7. Præcipit, quòd in deputationibus Legatorum d. Sedis Apoſtolicæ dictarum Conſtitutionum obſeruantia iniungatur. §. 8. Officiales de contentis in d. Bulla Sixti

V. ſyndicari mandat. §. 9. Et ita, & non aliter iudicari decernit. §. 10. Contrariis derogat. §. 11. Tranſumptíſque credi iubet. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Pœnarum inflictio, de qua in §. 6. extendit ſe forſan etiam ad Legatos de latere, de quibus in §. 3. & 8.

RESP. Non, quia in dicto §. 6. non ſolùm ipſi non leguntur, ſed conſultò prætermiſſi videntur, dum Vicelegati, & alij enunciantur, & non ipſi, de quibus tamen expreſſa mentio neceſſaria fuiſſet. cap. Sedes. 15. vbi omnes de reſcript. & ferè in terminis Rota in deciſ. Creſcent. 3. de priuileg. aliàs 83. numero 3.

Scholion ſecundum.

Quæro. Legati de latere ſúntne ſemper S. R. E. Cardinales?

RESP. Ita ſanè, quia ipſi ſolùm dicuntur pars corporis Papæ. cap. 1. de offic. legat. in 6. cum ibi notatis, & ſcribit Pariſ. de reſignat. lib. 7. quæſt. 13. numero 5. & Gonzal. ſup. 8. Regul. Cancel. gloſ. 24. numero 22.

FINIS TERTII TOMI.

APPENDIX.

EVGENIVS III.

CONSTITVTIO I. aliàs III.

Edita Anno 1145 QVANTVM præceſſores noſtri Romani Pontt. & infra pag. 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, præceſſores multum laboraſſe pro liberatione Terræ Sanctæ. §. 1. Et Vrban. II. maximum promouiſſe exercitum, & Francorũ auxilio partam fuiſſe victoriam. §. 2. Sed poſtea Paganos aliqua loca expugnaſſe. §. 3. Quod Chriſtianorum detrimento maximo cedit. §. 4. Implorat ergo Francorum Regis, & Principum auxilium pro ſubuentione. §. 5. Indulgentiam ab Vrban. II. inſtitutam proficiſcendi ad hoc bellum elargitur. §. 6. Eos, bona & familias ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recipit. §. 7. Lites poſt acceptam Crucem contra eos ſilere iubet. §. 8. Luxum & laſciuiam vetat. §. 9. Vſuras eis remittit. §. 10. Feudalium bonorum pignorationem permittit. §. 11. Peccatorum remiſſionem præuia contritione confeſſis, opus hoc perficientibus, vel in eo obeuntibus elargitur. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore, quóue loco Vrbanus II. egit de eiuſmodi expeditione, de qua in §. 2.

RESP. Anno 1095. in Concilio Claramontenſi, ad quod præſentialiter acceſſit, hoc opus promouit, teſte Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 11. pag. 662. & ſeq. vbi luculenter recenſet Synodales conciones, quas Vrbanus hac de re habuit in ipſo Concilio, vbi glorioſiſſima victoria parta fuit die 5. Iunij 1099. vt poſt Ciacon. in vita Vrbani II. & Baron. vbi ſup. ſic ſcribit Sebaſt. à Coſta in ſuis notis ad Bullam Cruciatæ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quæ Indulgentia eſt, quæ ab Vrbano II. dicitur inſtituta in §. 6.

RESP. Baronius iam citatus hæc eiuſdem Vrbani verba recenſet. Nos autem Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & onus ſibi huius peregrinationis aſſumpſerint, immenſas pro ſuis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia deceſſerint, & peccatorum Indulgentiam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros. Interim verò eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem iſtum aſſumpſerint, ſub Eccleſiæ defenſione, & Beatorum Petri & Pauli protectione tanquam veræ obedientiæ filios recepimus, & ab vniuerſis inquietationibus tam in rebus alienis, quam in propriis ſtatuimus manere ſecuros.

GREGORIVS VIII.

CONSTIT. I.

AVdita tremendi ſeueritate iudicij, & infra pag. 2. *Item*; Numquam melius, & infra pag. 3. Bullarij. *Edita Anno 1587.*

COMPENDIVM.

Recenſet miſerandum excidium Hieruſalem. §. 1. Hortatur vniuerſos Chriſti fideles ad puriorem vitam, & recuperationem Terræ Sanctæ. §. 2. Indulgentias eis elargitur. §. 3. Eos cum bonis, & familiis ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recipit. §. 4. Lites contra eos poſt acceptam Crucem ſilere mandat. §. 5. Vſurarum onus remittit. §. 6. Laſciuiam,

& oſtentationem prohibet. §. 7. Et in ſubſeq. annexa Bulla indicit ad quinquennium, qualibet feria ſexta ieiunium, & feria quarta, & Sabbato omnes à carnibus abſtinere, & Miſſam cantandam ad Nonam cantari. Interdicit ſibi, & Cardinalibus eſum carnium in ſecunda feria.

Scholion primum.

Quæro. Quid egit Vrbanus III. qui audito hoc triſti nuncio in Petri Solio ſedebat?

RESP. Exeunte menſe Septembri huius anni 1187. acerbo accepto nuncio, tanta fuit ægritudine affectus, quòd apud Ferrariam obierit die 20. Octobris eiuſdem anni, vt ex Rogerio cenſuit Baron. in Annal. Eccleſ. tom. 12.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid egit poſtea iſte Gregorius eius ſucceſſor, & Cardinales eius temporis?

RESP. Hic P.... optima iecerat fůdamenta, vt ex eius Bullis dignoſcitur, ſed nondum duobus expletis menſibus mors improba ipſum intercepit. Cui ſucceſſit Leo, qui nec menſem in Pontificatu expleuit. Cardinales autem eius temporis Gregorij, & de eius aſſenſu inter ſe firmiter promiſerunt, quod abiectis omnibus diuitiis & delicijs prædicarét Crucem Chriſti non ſolùm verbo, ſed etiam opere, & exemplo, & euntes mendicando acciperent Crucem primi, & præcederent alios in Terram Hieruſalem, vt ex eodem Rogerio ſcribit Baron. mox citatus.

GREGORIVS IX.

CONSTIT. I. aliàs XIV.

Edita Anno 1232. & 1233. FRaternitatis tuæ literis, & infra pag. 3. *Item*; Cùm iuxta, pag. 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Receptis literis, & Nuncio Patriarchę Conſtantinopolitani, duos ad illum tranſmiſit Religioſos viros. §. 1. Eique ſuam hanc dedit Epiſtolam dicens: Chriſtus eſt fidei primum fundamentum. §. 1. & 2. Secundum fuerunt Apoſtoli. §. 3. Quorum primus fuit Beatus Petrus. §. 4. Eiúſque, & Pauli vnus fuit lucrandi Deo animas zelus. §. 5. Vnáque doctrina, vna fides, & vnum Baptiſma. §. 6. Paulus primatum Petri recognouit. §. 7. Cuius primatus veritas multifariam probatur. §. 8. Succeſſor ergo Petri eſt caput Eccleſiæ, ad eúmque omnis quæſtio eſt remittenda. §. 9. A cuius vnione cùm Græci diſceſſerunt, in acerbiſſimum ſeruitutis iugum lapſi ſunt. §. 10. Idem quoque Samariæ euenit. §. 11. Deus permiſit errare Petrum, vt alios ſciret pati, & compati aberrantibus. §. 12. Hortatur ergo Patriarcham, vt Romanam Eccleſiam caput, & Magiſtram agnoſcat. §. 13. Reminiſcens malorum, quæ Græci ob ſciſſuram patiuntur. §. 14. Et in ſubſeq. Conſtit. ponit explicationem de vtroque gladio Eccleſiæ, & eius vſu. §. 2. Diuerſoque ritu circa Sacramétum Euchariſtiæ. §. 3. Addit hortationem ad vnitatem amplectendam. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Quis erat Patriarcha, cuius nomen hic non exprimitur?

RESP. Germanus eius nominis Secundus, ſi Panuino, aliiſque feriem, & Chronographiam Patriarcharum Conſtantinopolitanorum referétibus credendum eſt; quod comprobat Gerardus Voſſius in ſuis ad has Pontificis literas notis, anno 1586. Romæ editis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Apud quem de primatu Petri, & vtroque gladio Eccleſiæ abundantiùs habere potero?

RESP. Innumeros Authores prætermittito, & læto eorde Scholia prædicti Gerardi ad hanc Bullam doctiſſima quidem perſæpe legito.

INNOCENTIVS IV.

CONSTIT. I. aliàs XX.

DEi virtus, & Dei ſapientia, & infra pag. 5. Bullarij. Edita Anno 1243.

COMPENDIVM.

Enarrat, indixiſſe Concilium generale Lugduni ex vrgentiſſimis, quas indicat, cauſis. §. 1. Conuocat ad illud Abbates, & Priores Angliæ pro die 24. Iunij,

Iunij 1245. §. 1. Inquit citaſſe Principem diſſidentem ab Eccleſia ad idem Concilium. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Ad iſtud Concilium venit forſitan ille Princeps, qui citatus dicitur in §. 3.

R E S P. Accedere recuſauit Princeps ille Fridericus, quamuis etiam ex decreto Conciliimet iudicialis dilatio ad hoc ſibi data fuiſſet, vt teſtantur acta d. Concil. ſecundùm Matth. Pariſ. rerum Anglicarum ſcriptorem, impreſſa Coloniæ Agrippinæ poſtremò cuſa, cum notis Seuerini.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tranſmiſit ſaltem Fridericus Procuratores, qui eius tuerentur iura?

R E S P. Tranſmiſit, & eorum præcipuus, magnæ prudentiæ, & eloquentiæ vir Magiſter Thadæus de Sueſſa iura omnia, & excuſationes Friderici diſertiſſimè deduxit, & eis non obſtantibus promulgata per hunc Pont. in Concilio ſententia excõmunicationis, memoratus Thadæus, emiſſo flebili eiulatu ait: *Dies iſta, dies iræ, calamitatis & miſeriæ*. vt in actis præcitatis eiuſdem Conc. habetur.

II. aliàs XXI.

Edita Anno 1247.

NOuum Matris Eccleſiæ gaudium, & infra pag. 6. Bullarij.

COMPENDIVM.

Agit de ſtudio B. Eadmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi circa ſuam ſalutem, quam affectuosè quæſiuit. §. 1. & 2. Refert quamplurimas eius virtutes, quibus viuens illuſtris fuit. §. 3. Recenſet aliqua miracula, quibus poſt obitum coruſcauit. §. 4. Hortatur Eccleſiam Cantuarienſem ad exultandum de iſto Confeſſore, ſicut & de Thoma martyre, vtroque eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo. §. 5. Adnumerat inter Sanctos. §. 6. Inſtituit eius Feſtum pro die 16. Nouembris. §. 7. Elargitur Indulgentias illius ſepulchrum viſitantibus. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Quot annis ante eius Canonizationem obierat B. Eadmundus?

R E S P. Anno præcedenti ex hac vita migrauerat, hac eadem die 16. Nouembris, qua canonizatus fuit, vt inquit Baron. in Martyrolog. Nec ita celeriter Sedes Apoſt. ad Canonizationem deuenire conſueuit, niſi celeberrima, & clariſſima ſint canonizandi opera, atque miracula, vt nouiſſimè ſcribit Rocca de Canoniz. Sanctor. cap. 6. & 31.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis de hoc Sanctó Archiepiſcopo vberiùs præclara acta recenſet?

R E S P. Conſcripſit accuratè Robertus Ricchius, Robertúſque Beuoſus eius diſcipulus, Vincen. Beluatenſ. eius temporis ſcriptor l. 31. c. 67. ac Surius de Hiſtor. Sanctor. tom. 6. ſub hac die 16. Nouembris, vbi etiam affert duas rationes, ob quas Eadmundi nomen habuit.

VRBANVS IV.

CONSTIT. I. aliàs III.

Edita Anno 1262.

VT negotium fidei valeatis, & infra pag. 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis indulget, vt cùm ob iniunctum eis officium ad ſuos Priores recurrere non valent, adinuicem ſe poſſint abſoluere, à quibus per Priores d. Ordinis abſolui poſſent. §. 1.

Scholion primum.

Quæro. Ergo à contrario ſenſu, cùm poſſunt recurrere ad hos Priores, ceſſat hæc facultas?

R E S P. Benignior, & fortaſſe verior eſt contraria ſententia, cùm ſit fauorabilis; & in his terminis argumentum à cõtrario ſenſu non recipit. Pegna in ſuo ad hanc Bullam comment. 72. par. 3. Director. Inquiſit. verſ. Et quamuis.

Scholion ſecundum.

Quæro. Eſtne reſtricta hæc facultas ad eos caſus, quorum abſolutio Prioribus Ordinis ab Apoſtolica Sede conceſſa eſt?

R E S P. Reſtrictam ſic eſſe liquet ex ipſis verbis Bullæ, prout perpendit etiam Pegna in ſuo ad hanc Bullam comment. 73. parte 3. Directór. Inquiſit. verſ. Rurſus.

CLEMENS IV.

CONSTIT. I. aliàs XIII.

Edita Anno 1265. AD extirpanda de medio, & infra pag. 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius IV. edidit leges contra Hæreticos in eius Conſt. 9. de qua ſup. tom. 1. §. 1. Quas cum declarationibus Alex. IV. & ſuis obſeruari præcipit. §. 4. Eas leges ſubnectit, quas non ſummo, quia earum ſummarium feci in d. Conſt. Innoc. IV.

Scholion primum.

Quæro. Leges autem Friderici, de quibus ſup. in 1. Conſt. Innoc. IV. tom. 1. erûntne obſeruandæ, cùm ſint ciuiles, in negotiis fidei?

RESP. Proculdubio obſeruandæ, quia ab ipſo Innoc. IV. & aliis Summis Pont. fuerunt approbatæ, vt ibi patet; quinimò & procuratæ, vt inquit Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. pag. 158. in fin. ſecundùm vltimam impreſſionem.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ergo de per ſe Principes ſæculares non poſſunt contra Hæreticos pœnas augere, ne videantur ponere manum in crimine Eccleſiaſtico?

RESP. Si ad hunc finem Principes facerent, intraret dubium à te permotum, ſed ſimpliciter augendo ſuis legibus pœnas, vel iam latas leges in vſum reuocando, ceſſat huiuſmodi dubitatio, quinimò Pegna hoc optandum eſſe oſtendit in comment. 135. par. 3. Director. Inquiſ. verſ. De Principibus.

II. aliàs XIV.

Edita Anno 1267. TVrbato corde audiuimus, & infra pag. 11. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert ad ſe perlatum, quoſdam Iudæos, ad fidem Chriſtianam conuerſos, ad Iudaicam redire perfidiam, in princ. Et quoſdam Chriſtianos ad Iudaiſmum ſe transferre. ibid. Præcipit ideo Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, vt contra illos vti Hæreticos, eorúmque auxiliatores procedant. §. 1. Iudæi autem Chriſtianos ad eorum ſectam trahentes debita pœna plectantur. §. 2.

Scholion primum.

Quæro. Quo pacto intelligitur, Chriſtianos ad ad ritum Iudæorum tranſire?

RESP. Cùm eorum cæremonias obſeruant, ſolemnitates eorum, & feſtiuitates celebrant, & cætera, quæ Iudæi communiter facere ſunt aſſueti. Hæc ſunt verba Eymeric. in Director. Inquiſ. lib. 2. quæſt. 44. num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Lex iſta procedit etiam contra reiudaizantes, ſi baptizati fuerunt, dum erant infantes?

RESP. Procedit, ſi abſolutè, & actu baptizati fuerunt. cap. contra Chriſtianos. 13. vbi gloſ. Gemin. & alij de Hæret. in. 6 & ſcribit Bernard. in Lucerna Inquiſit. in verb. Iudæi. §. 2.

GREGORIVS X.

CONSTIT. I. aliàs III.

TVrbato corde audiuimus, & infra pag. 11. Bullarij. *Edita Anno 1267.*

COMPENDIVM.

Summatur hæc Bulla, vt præcedens, cùm eiuſdem ſit argumenti.

Scholion primum.

Quæro. Quo ritu recipiuntur reiudaizantes, & etiam qui tranſeunt ad Iudaiſmum?

RESP. Hæc omnia bene explicat Eymeric. in Director. Inquiſit. lib. 2. q. 44. num. 6. & 7. ad ea te remitto, cùm prolixo hic ſermone opus eſſet.

Scholion ſecundum.

Quæro. Iſti Inquiſitores ſoli punient hos delinquentes, vt hic dici videtur, vel vnà cum Epiſcopo?

RESP. In cauſis ad fidem ſpectantibus non poſſunt abſq; Epiſcopo, nec ipſe abſque Inquiſitoribus punire, quéadmodum neque cõdemnare, vt deinde ſtatuit Clem. V. in clem. 1. §. 1. de Hæret. & tradit Squillacenſ. de Hæretic. cap. 46. circa fin. Quod & tutiſſimum, & propterea penitùs obſeruandum eſſe ſcribit Pegna in Direct. Inquiſit. par. 2. comment. 62. verſ. Illud.

BONI

BONIFACIVS VIII.

CONSTIT. I. aliàs X.

Edita Anno 1303. Conditoris omnium immenſa benignitas, & infra pag. 11. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Studia, & ſcientias, in princ. Studia generalia in locis aptis propterea putat inſtituenda. §. 1. Inter quæ loca Ciuitatem Auenionenſem adnumerat. §. 2. In ea Studium generale inſtituit. §. 3. Doctorandi formam tradit. §. 4. Lectoribus eius vbique legendi priuilegium donat. §. 5. Eos præuio iuramento recipi iubet. §. 6. Eiſdem, & Scholaribus priuilegia Studiorum generalium elargitur. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Si Scholares de præſenti renunciarent his priuilegiis, præiudicarentne Scholaribus futuris?

RESP. Non præiudicarent, ſi vt ſinguli renunciarent, ſecus ſi vt Vniuerſitas, ſecundùm Alberic. in Auth. habita. Cod. ne filius pro patre, ſub num. 5.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si alicui interdicto ſubiiceretur hæc Ciuitas, ceſſarent huius Studij priuilegia?

RESP. Ceſſarent, quia interdictum morti æquiparatur. Bald. in d. Authen. habita, num. 12. vbi ſub num. præced. hoc idem affirmat de Ciuitate damnata ob rebellionem.

BENEDICTVS XI.

CONSTIT. I. aliàs XV.

Edita Anno 1304. Cvm leuamus in circuitu oculos, & infra pag. 13. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat Congregationem Fratrum Seruorum B. MARIÆ Virginis, Ordinem Sancti Auguſtini profitentium. §. 1. & 2. Cuius Regulam ab eis profiteri mandat. §. 3. Contrariis derogat. d. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore iſta Congregatio inſtituta fuit?

RESP. Anno Domini 1233. quo in Solio Apoſtolico ſedebat Gregor. IX. & ei valde infenſus Federicus II. Imperator totam Romanæ Eccleſiæ ditionem vexabat. Ita ſcribit Rod. de qq. Regular. tom. 1. quæſt. 3. art. 6. & Azor. de Inſtitut. Moralib. tom. 2. lib. 13. cap. 11. pag. mihi 1661. ac nouiſſimè, & luculenter F. Archang. Gianius eiuſdem Ordinis profeſſor, in illius Annal. lib. 1. cap. 1. Vnde recedendum videtur à Ciacon. qui in vita Innocentij IV. hunc Ordinem inchoatum ſcribit anno 1252.

Scholion ſecundum.

Quæro. Nónne, vt fertur, fuit iſta Congregatio à d. Gregorio IX. confirmata?

RESP. Sic ſcribit Rod. mox allegatus, necnon F. Archang. vbi ſuprà, eſtque veriſſimum, cùm Greg. XIII. in quadam eius Conſtitutione die 20. Aprilis anno 1578. edita ſuper Indulgentiis huic Ordini elargitis, à Gregorio IX. hunc Ordinem initium ſumpſiſſe aſſeueret, cuius Gregorij XIII. Bullæ authenticum in Bibliotheca Genitoris mei ſæpius vidi, & incip. Dum ad vberes.

II.

Religioſam vitam eligentibus, & infra pag. 13. Bullarij. *Edita Anno* 1304.

COMPENDIVM.

Ordinem Monachorum Cæleſtinorum ſub protectione Sedis Apoſt. ſuſcipit, contemplatione Cæleſtini V. eiuſdem Ordinis profeſſoris. §. 1. Regulam S. Benedicti præcipit. §. 2. Licentiam retinendi, & recipiendi quæcumque bona tribuit. §. 3. Quædam loca Ordinis recenſet. §. 4. Abbatis generalis officium triennio expleri decernit. §. 5. Confirmatione Sedis Apoſtolicæ non indigere declarat. §. 6. Eumdem antea non benedictum à quocumque Catholico Epiſcopo benedici poſſe mandat. §. 7. Et quotannis à tribus Prioribus viſitari iubet, ne à rectitudine Regulæ detur. §. 8. Eximit Ordinem à decimis fructuum terrarum acquiſitarum. §. 9.

Reliĉtáque ab omni canonica portione. §.10. Facultatem dat Abbati diſpenſandi cum intrantibus Ordinem. §. 11. Eximit ipſum à Synodis,& Proceſſionibus.§.12. Tranſitum ad alium Ordinem interdicit. §.13.

Scholion primum.

Quæro. Cæleſtinus V.de quo in §.1.& quem aliàs dixiſti Congregationem Cæleſtinorum inſtituiſſe antequam ad Pontificatum aſſumeretur,quo loco, quóue tempore eam inſtituit?

R E S P. Apud Ciuitatem Sulmonæ in loco nuncupato Mogella, vt ſcribit Rod.de quæſt. Regular.tom.1.q.3. art. 7. Eremiticam namque ſolitudinem circa annum 1131. ingreſſus eſt, in qua mira cum abſtinentia delituit ſpatio annorum 32. vt legitur in epilogo vitæ ipſius Cæleſtini.

Scholion ſecundum.

Quæro. Erat ergo iſta Congregatio Eremitarum, non Monachorum in principio?

R E S P. Dum ipſe Petrus de Morono ante Pontificatum in dicta ſolitudine Eremitica degeret, quamplures ad eum Monachi conuenerunt, ſanctitatis ſuæ odore attracti, & ſic reformata quædam Monachorum Congregatio initiata fuit, quam ipſe idem profeſſus eſt,& Cæleſtinorum poſtea appellata ab inſtitutore ad Pontificatum euecto.

IOANNES XXII.

CONSTIT. I. aliàs XV.

Edita Anno 1324. CVm à nobis non petitur quod iuſtum eſt,& infra pag.14.Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat Congregationem Monachorum B. MARIÆ Montis Oliueti,Ordinis S.Benedicti, Abbatem,& Conuentum,& eorum bona,ſub protectione Sedis Apoſtolicæ ſuſcipiens. §. 1. Sanctionémque pœnalem apponit.§.2.

Scholion primum.

Quæro. Quando,& à quo fuit inſtituta Congregatio iſta?

R E S P. Anno 3.huius Pontificis,ſalutis verò 1318. à Bernardo Ptolomæo, & duobus eius ſociis, vt ſcribit Ciacon. in vita huius Pōtificis, vel veriùs anno 1319. ſecundùm Rod.quæſt.Regular.tom. 1. q. 3.art.3.ſubdens,illos ſocios fuiſſe Senenſes,& iuſſu dicti Pont. Epiſcopum Ciuitatis Aretij viſione B. MARIÆ Virginis præhabita, habitum albi coloris, quem nunc Monachi ferunt,eis dediſſe,& Regulam S. Benedicti obſeruandam præſcripſiſſe. Azor.autem de inſtitut.Moral. tom.1.lib.12.cap.21.pag.mihi 1570. prædictum Ptolomæum Senatorem nobiliſſimum Senenſem, duóſque eius ſocios Ambroſium Piccolomineum, ac Patritium æquè nobiliſſimos Senatores appellat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vnde nomen Montis Oliueti ſortita eſt?

R E S P. A loco, in quo initiata fuit, quippe in Monte Oliueto, qui eſt apud Ciuitatem Senarum,vt teſtatur Rod.vbi ſuprà,eſtque omnibus notiſſimum.

MARTINVS V.

CONSTIT. I. aliàs XV.

SEdis Apoſtolicæ prouidentia, & infra pag. 15.Bullarij. *Edita Anno* 1424.

COMPENDIVM.

Confratres, & Sorores Tertij Ordinis Fratrum Seruorum B. MARIÆ Virginis, obtinent confirmationem eorum Regulæ. cap. 1. & 2. De admittendis ad hunc Ordinem.d.cap.1. Habitu.d.cap.2. Modo recipiendi ad Ordinem. cap. 3. Modo profitendi. cap. 4. Statu permanentium. cap. 5. Horis canonicis recitandis. cap. 6. Surgendo ad matutinum. cap. 7. Confeſſione, & communione. cap. 8. Silentio. cap. 9.Reuerentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis.cap.10.Ieiunio. cap. 11. Cibo. cap. 12. Diſcurſu. cap. 13. Armorum prohibitione.cap. 14. Infirmis viſitandis, & procurandis.cap. 15. Obitu Confratrum, & ſuffragiis eorum.cap. 16. Inſtitutione Correctoris,& Priorifſæ. cap. 17. Officio eorumdem. cap. 18. Correctione Confratrum. c. 19. Subiectione Priori generali, & Prioribus prouincialibus Ordinis. cap.20.Diſpenſatione ex rationabili cauſa. cap.21. Obli

Obligatione Regulæ,ſeu forma viuendi. cap. 12.

Scholion primum.

Quæro. De clauſura harum Tertiariarum hic nihil expreſſum videtur, quid ergo dicendum?

RESP. Plura quidem quæ recenſet Corduba in adnot.ad Capuccin.in Compend. Priuileg. Fratr. Minor. in verb. Clauſura, pag. mihi 116. & ſeq. quæ hic transferre ſuperfluum viſum fuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Tertiariæ incluſæ veniunt appellatione Monialium?

RESP. Venire probat tex. in cap. Cauſa quæ.8.de elect.& Panormit.ibi in princ. & ſequitur Capuccin. vbi ſup. in verb. Ingredi Monaſteria. verſ. Circa huiuſmodi,pag. mihi 331.

II.

Edita Anno 1430. PEruigilis more Paſtoris, & infra pag. 17. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hic Pont. ſuam edidit Conſtit. num. 13.circa reformationem Fratrum Minorum Conuentualium,de qua ſup. tom. 1. Eam modò declarat circa curam Monialium, in §. 3. Et prohibitum ad eas ingreſſum.§. 4. Celebrationem Officij diuini.§.5. Sociόſque Generalis Miniſtri.§. 6. Poteſtatem d. Miniſtri.§.7.& 8. Veſtimenta Fratrum.§.9.Exactionem Prælatis Ordinis interdictam.§.10. Iuramentúmque d. Miniſtri circa obſeruantiam prædictæ Conſtitutionis. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Circa recitationem diuini Officij, de qua in §. 5. habent iſti Fratres alias ſucceſſorum Pontificum declarationes?

RESP. Habent, & cùm multæ ſint, eas legere poteris apud Rod. de quæſt. Regular. lib.1.q. 42.per plures articulos.

Scholion ſecundum.

Quæro. Licebitne his Fratribus diuinum recitare Officium cum alio Religioſo ſecundùm aliquod priuilegium, quod illi Religioſo conceſſum eſſet, & illo eodem priuilegio gaudere, ſuæque ſatisfacere obligationi?

RESP. Non abſolutè hoc eis licebit,ſed cùm ille Religioſus abſque ſocio ſuo non poſſet vti priuilegio, cæcitate, aut alia correptus infirmitate, ob quam ſolus Officium recitare non valeret,quia aliàs illi Religioſo d. priuilegium fruſtratorium eſſet,vt declarat Nauar.quem citat, & ſequitur Rod. d.quæſt. 42.art.9.

INNOCENTIVS VIII.

CONSTIT. I. aliàs XIX.

SAcroſanctam Matrem Eccleſiam, & infra pag. 19. Bullarij. *Edita Anno 1485.*

COMPENDIVM.

Quod in Pſalmo 44. inquit Dauid de Regina in veſtitu deaurato, plenè exponit de militanti Romana Eccleſia. §. 1. Quam ſubdit Deum multorum Sanctorum agmine roboraſſe. §. 2. Et inter eos Leopoldum Auſtriæ Principem multis virtutibus ornatum, & Marchionem Piũ cognomento appellatum ſuſcitaſſe.§.3.Is quadraginta annis Principatum Auſtriæ turbulentiſſimis etiam temporibus in pace rexit.§.4. Eiúſque vitæ exemplo amatorum ſæculi excuſationes diſrupit,& illecebrarum contemptum docuit. §. 5. Multis miraculis admodum claruit. §. 6. Anno 1136. ad Deum migrauit,& ad hæc vſque tempora populorum deuotio percrebuit. §. 7. Rodulphus ideo Auſtriæ Dux pro illius Canonizatione Innocentio VI. ſupplicauit. §. 8. Qui de eius vita inquiſitionem fieri edixit. §. 9. Eius ſuperueniente obitu, & bellorum turbinibus vſque ad Pauli II. tempora intermiſſa fuit.§.10.Qui ad Imperatoris, Principum, & Prælatorum Germaniæ preces, tribus Cardinalibus eam commiſit. §. 11. Illo defuncto, iidem apud Sixtum IV. pro d. Canonizatione inſtiterunt. §. 12. Is dictam inquiſitionem Cardinali in Germania Legato commiſit, qui eam perfecit, & Papæ attulit. §. 13. Proceſſibus per tres Card. ad hoc aſſumptos examinatis, & primùm Sixto, ac deinde in Conſiſtorio relatione habita, Canonizatio concluſa fuit. §. 14. Sixto defuncto, hic Pont. Leopoldum Sanctum eſſe pronunciat, & Confeſſorum numero adiungit.§. 15. Eius feſtum die 15. Nouembris agi decernit,

& eius ſepulchrum viſitantibus Indulgentias concedit. §. 16.

Scholion primum.

Quæro. Miracula hic indicata quis mihi explanabit?

R E S P. Cuncta perlege in libro, quę de eis conſcripſit Io. Franciſcus de Pauinis, & in Oratione in Conſiſtorio Pontificis à Franciſco Patauo Aduocato Conſiſtoriali de huius Sancti Canonizatione habita, quam refert Surius de Hiſtor. Sanctorum par. 6. ſub die 15. Nouembris.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur Marchio Pius cognomento appellabatur in §. 3.

R E S P. Quia Leopoldi Marchionis Auſtriæ natus erat: Pium verò ob ſuæ pietatis excellentiam dictum fuiſſe, colligitur ex his quæ Pauinus, & Surius præcitati ſcripta reliquerunt.

L E O X.

CONSTIT. I. aliàs XLVI.

Edita Anno 1519.

DVdum per nos accepto, & infra pag. 21. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Principium huius Bullæ cum §. 1. eſt in Bullario pag. 524. tom. 1. & ſumma reſidui ibi culpa Impreſſorum prætermiſſa hæc eſt. Subortum eſt dubium, an ſæculares potiantur Indulgentiis communicatis inter Ordines Mendicantium, vt Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus vnam Eccleſiam vnius Ordinis, dicantur conceſſæ etiam viſitantibus aliquam aliam Eccleſiam d. Ordinis. §. 2. Hic ideo Pont. non potiri declarat. §. 3. Contrarium pronunciari prohibet. §. 4. Obſtantia tollit. §. 5. Fidem tranſumptis dari iubet. §. 6.

Scholion.

Quæro. Vltra aliud quæſitum, de quo in Compendio huius Conſtitutionis, quod hic dicitur, ſæculares Indulgentias S. M A R I Æ de Populo Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini viſitantibus conceſſas, non conſequi viſitando vnam aliam domum eiuſdem Ordinis, habétne locum quoad Indulgentias alicui domui aliorum Ordinum elargitas?

R E S P. Ex identitate rationis in hac Bulla expreſſæ, eadem diffinitiuo quoad omnes tenenda eſt, prout Indulgentiis Eccleſiæ S. M A R I Æ de Angelis conceſſis Ordini Minorum, ſæculares non gaudere viſitando aliam Eccleſiam d. Ordinis, ſcribit Rod. de quæſtionibus Regular. tom. 1. quæſt. 55. num. 18.

II. aliàs XLVII.

Edita Anno 1520.

PAſtoris æterni, qui vt humanum genus, & infra pag. 2. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Confraternitas Roſarij antiquitus à B. Dominico inſtituta, mox renouata fuit in Ciuitate Colonienſi. §. 1. Cardinalis Legatus Papæ in Germania confirmauit. §. 2. Confratribus, & Conſororibus Indulgentias dedit. §. 3. Sixtus IV. eas ampliauit. §. 4. Orandíque modum approbauit. & Indulgentias omnibus ita orantibus conceſſit in ſua Conſt. 18. de qua ſup. tom. 1. §. 5. Innocentius VIII. alias Indulgentias elargitus eſt. §. 6. Alter Cardinalis Legatus in Germania, & alij Ordinarij alias etiam Indulgentias conceſſerunt. §. 7. Hic Pontifex omnia confirmat. §. 9. Illáſque auget. §. 10. Confeſſoribus Ordinis S. Dominici indulget audire Confratres confitentes, & eos abſoluere. §. 11. Ab ingredientibus Confraternitaté nihil téporale exigi iubet. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Quid ſi ſponte aliquam eleemoſynam in ingreſſu Confraternitatis darem?

R E S P. Licitè dares, quia aliud eſt exigere, aliud gratis datum recipere. Gloſ. in cap. 2. de cenſib. in 6. in verb. Exigère, & in terminis ſic tradit Nauar. de Orat. miſcellan. 25 num. 22. & 23.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi Pſalterium, ſiue Roſarium recitarem per alium?

R E S P. Non acquireres Indulgentias. Ita tenet de his Indulgentiis idem Nauar. vbi ſup. miſcell. 27. num. 33. verſ. Tertiò aduertendum.

ADRIA

ADRIANVS VI.

CONSTIT. I. aliàs V.

Edita Anno 1523. EXcelſus Dominus militantem Eccleſiam, & infra pag. 23. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sicuti Deus Eccleſiam ſuam multorũ Sanctorum agmine illuſtrauit §. 1. Sic B. Bennonem nuper in ea ſuſcitauit, qui eius meritis illam decorauit. §. 2. Ipſe etenim in vita miraculis multis claruit, & virtutibus. §. 3. Et poſt mortem etiam miraculis emicuit. §. 4. Quorum aliqua referuntur. d. §. 3. & 4. Carolus V. Imperator, & multi Principes pro illius Canonizatione huic Pontifici ſupplicarunt. §. 5. Qui poſt inquiſitionem, & proceſſum ab Alex. VI. Iulio II. & Leone X. inchoatos, ad vlteriora proceſſit, ſeruatiſque ſeruandis ad S. Bennonis Canonizationẽ die vltima Maij anni 1523. deuenit. §. 6. Ipſúmque Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit. §. 7. Eius Feſtum die 16. Iunij agi iubet, Indulgentiámque eius ſepulchrum ea die quotannis viſitantibus elargitur. d. §. 7. Huius Bullę tranſumptis credi iubet. §. 8. Sanctionem pœnalem apponit. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Huius Sancti, ad cuius tumulum in Eccleſia Miſnenſi fiunt miracula, quis vberiùs præclara geſta deſcribit?

RESP. Hieronymus Emſer, ſacrorum Canonum licentiatus, ſcriptis egregiè mandauit, & ad plenum recenſentur à Surio de vit. Sanctor. tom. 7. vbi inter alia ſub cap. 28. refert nedum miraculum aquæ ſigno Crucis in vinum conuerſæ à S. Bennone, ſed etiam ab eius puero, qui meritis Beati viri ſignum Crucis edidit ſuper vnda, quæ ſtatim vini ſaporem induit. Inſuper ſubdit quòd nedum ipſe S. Benno ſuis pedibus flumen Albis, vt in hac Bulla refertur §. 3. pertranſiuit, ſed quod id videns ruſticus quidam, qui eum cum plauſtro fœni ſequebatur, protinus per aquam inſecutus eſt, & incolumis tranſuexit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Papa (& de hoc ſæpe te volui aliàs interrogare) an in Canonizatione Sanctorum poſſit errare?

RESP. Pia ac firma fide credendum eſt, non errare, & Deum non permiſſurũ in tanta re eius Vicarium falli, cùm maximè ſpectet ad fidei Chriſtianæ Religionem; & aliter credere, vel eſt hæreticum, vel admodum temerarium, & punibile. Syluestr. in ſua Summa, in verb. Canonizatio, num. 2. Couar. var. reſolut. lib. 1. cap. 10. num. 13. Pegna in Director. Inquiſit. par. 2. comment. 42. ad finem, & latiùs Rocca de Canoniz. Sanctor. c. 39. vbi alios cumulat. Verumtamen pium eſſe puto orationes ad Deum tempore huiuſmodi Canonizationis, ne Vicarium ſuum errare permittat, fundere.

PAVLVS III.

CONSTIT. I. aliàs XLIX.

CVm nobis inter alia innotuiſſet, & infra pag. 26. Bullarij. *Edita Anno 1534.*

COMPENDIVM.

Refert, edidiſſe prohibitionem, ne Iudices Romanæ Curię tranſumpta ſupplicationum ſuper prouiſionibus beneficiorum, & aliis, gratis ſignatarum, & regiſtratarum, darent, nec earum ſupplicationum prætextu mandata adipiſcendi poſſeſſionem concederent, literis Apoſt. priùs deſuper non expeditis. §. 1. Et modò d. prohibitionem innouat. §. 2. Inhibet omnibus Officialibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & pecuniariis pœnis, ne ſe intromittant in tranſumptis ſupplicationum, prærterquàm habentium clauſulam, quòd ſola Signatura ſufficiat, neque de decreto, & conceſſionibus dictorum mandatorum. d. §. 2. Vtentibus autem dictis tranſumptis, aut mandatis, ac poſſeſſionem apprehendentibus, pœnam infligit, quòd fructus ſuos non faciant, & ad eorum reſtitutionem teneantur, & ad ipſa beneficia inhabiles reddantur. §. 3. Et ità, & non aliter iudicari decernit. §. 4. Contraria remouet. §. 5. Et hanc Con-

ſtitutionem inter alias extrauagantes deſcribi, & publicari iubet. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Per ſolam ſupplicationem ſignatam, etiam literis non expeditis, gratia dicitur perfecta?

R E S P. Non, ſi non fuerit etiam registrata, quia antea Papa poteſt eam liberè lacerare. Rota in deciſ. Robuſter. 101. par. 1. diuerſor. verſ. Vnus tamen, & in deciſ. 791. Seraph. ead. par. 1. num. 15.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vacabit ergo beneficium morte eius, qui ſupplicationem regiſtrari fecit?

R E S P. Ita ſanè cenſuit Rota in deciſ. Pereg. 37. lib. 1. Manuſcr. & in deciſ. Iuſti in vna Toletana beneficij, 16. Decembris 1605. & 27. Ianuarij 1606. & Gonzàl. ſuper Reg. Cancell. gloſ. 15. §. 1. numero 34.

IVLIVS III.

CONSTIT. I. aliàs XXV.

Edita Anno 1556. CVm ſicut accepimus, licèt aliàs, & infra pag. 26. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerique Pontt. varias leges edixerunt contra homicidas, brigoſos, pacum fractores, & aliōs eiuſmodi delinquentes. §. 1. Contra eos tamen Officiales remiſſiùs proceſſerunt. §. 2. Hic ideo Pont. illas innouat, & Gubernatori Vrbis earum obſeruantiam, & executionem committit. §. 3. Et contra prædictos omni via procedi mandat. §. 1. Et per edictum citari poſſe decernit. §. 5. Summariéque, & nullo iuris ordine ſeruato. §. 6. Eorumdem receptatoribus, & fautoribus ignorantiæ excuſationem tollit. §. 7. Solam huius legis ſignaturam ſufficere decernit. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Senſus §. 7. quoad ignorantiæ excuſationem, nónne terribilis, & ferè obſcurus videtur?

R E S P. Ita ſanè, & Genitori meo obſcurum quoque viſum fuiſſe ab eo accepi, qui ideo eam mihi ſubdidit inter alias huius Papæ Bullas loco ſuo non conſtituiſſe, quia tunc temporis nec eius authenticum viderat, nec publicatam fuiſſe ſciebar.

Scholion ſecundum.

Quæro. Vbi authenticum, eiúſque publicationem reperit?

R E S P. In Archiuio Charitatis de Vrbe, vnde ipſe hunc §. 7. in modico concordauit, ibi etenim acta cauſarum criminalium Curiæ Gubernatoris Vrbis accuratè aſſeruantur; inuenítque in faſciculo bannimentorum à Phylo eo tempore Gubernatore, cui hæc Bulla directa fuit, publicatorum, & in folio impreſſo, ac aperto, ſicut Bullæ in locis conſuetis publicandæ imprimi ſolent; vnde publicatam fuiſſe pro certo credendum mihi ſignificauit, & præſertim quod eam inueniſſe affirmauit iuxta aliam Bullam ab hoc eodem Iulio Pont. contra blaſphematores editam, & à ſucceſſoribus Pontt. comprobatam, vt videre eſt in Bullar. lib. 1. fol. 715.

PIVS V.

CONSTIT. I. aliàs CL.

SAnctiſſimus Dominus noſter, & infra pag. 28. Bullarij. *Edita Anno 1570.*

COMPENDIVM.

Decernit, quòd literæ Apoſtolicæ de excommunicandis non reſtituentibus, vel reuelantibus bona deperdita, vel ſubtracta, dentur ad inſtantiam eorum, quorum ciuiliter intereſt. §. 1. Et exprimantur ipſa bona nominatim. §. 2. Committantúrque Epiſcopis locorum, aut eorum Vicariis generalibus. §. 3. Et ſic, & non aliàs fieri iubet. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Hæc lex ligat fortaſſe etiam Aduocatum, cui Clientes aliquid de meritis cauſæ ſuæ communicarunt?

R E S P. Non equidem, ne proditor cauſæ dicatur, niſi quando de alterius præiudicio ageretur, & illi alia via prouideri non poſſit, nec tunc reuelandum eſt pluſquàm ſit neceſſarium; imò neque quantum eſt neceſſarium, ſi maius ex eo damnum famæ in illum, qui detegitur, quàm in damnificatum in bonis redundat, vt explicat Nauar. in Manual.

Con

Confeſſor. cap. 25. ſub num. 42. & ſeq. ſequitur Guttier. de canon. quæſt. lib. 1. cap. 11. num. 58. nec non M. Antonius Genuenſis olim Epiſcopus Montis Marani, nunc verò Iſerniæ, in ſua praxi Cur. Archiepiſc. Neap. cap. 2. num. 2. verſ. Quintò Aduocati.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si is, à quo aliquid ego ſciebam, me præuenerit in illud denunciando, excuſari fortaſſe potero?

R E S P. Maximè, cùm iam amplius conſtet ex originali, quàm poſſit conſtare per copiam. Nauar. vbi ſup. num. 46. verſ. Quartum, & Guttier. in d. quæſt. 11. num. 72. vbi numeris præcedentibus & ſeqq. alios plures non abſimiles caſus enumerat.

II. aliàs C L I.

Edita Anno 1571. ILlius fulciti præſidio, & infra pag. 28. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert qualitates Ripæ Tranſonis in prouincia Marchiæ. §. 1. Eiúſque Vniuerſitatis ſupplicationem pro obtinenda erectione in Sedem Epiſcopalem. §. 2. Erigit d. oppidum in Ciuitatem, & Eccleſiam S. Benigni in Sedem Epiſcopalem. §. 3. Dotem aſſignat. §. 4. Dat Epiſcopo, & Canonicis facultatem edendi ſtatuta pro feliciori ſucceſſu Cathedralis Eccleſiæ. §. 5. Conſtituit quatuor parochiales Eccleſias in quatuor regionibus d. Ciuitatis. §. 6. Dat facultatem Rectoribus earum habendi in eis Vicarios perpetuos. §. 7. Conſtituit Archipresbyteratum, Archidiaconatum, & Cononicos prædictos. §. 8. Eorúmque præcedentiam. §. 9. Vnit beneficium Sancti Angeli ad Cathedralem Eccleſiam. §. 10. Aliáque loca, & perſonas pro Clero, populo, & diœceſi d. Eccleſiæ Ripanæ. §. 11. Contraria tollit. §. 12. Præſeruat iura aliarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quoad bona temporalia, & Monaſteria in bonis diſmembratis exiſtentia. §. 13.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt quòd hoc oppidum Ripæ Tranſonis appellatur?

R E S P. Ripa nuncupatur à P. Rupilio Coſ. Romano, eam olim incolente; Tranſon autem ab Aſone fluuio, trans quem ſita eſt, ſicuti teſtatur Theodor. Quatrin. Rip. lib. 2. ſuæ Hiſtor. cap. 2.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si alterius Eccleſiæ in Metropolim erectionem habere vellem, immediatè à Rom. Pontif. impetrabo?

R E S P. Non, ſed Congregationem Cardinalium à Sixto V. ad hoc inſtitutam adire primùm debes, vt examinato negotio, impetrare valeas à Pont. vt videre eſt in eiuſdem Sixti Conſt. 74. in Congreg. 3. fol. 612. lib. 2. in Bullario.

GREGORIVS XIII.

CONSTIT. I. aliàs C.

Edita Anno 1572. IN ſupereminenti Apoſtolicæ Sedis, & infra pag 30. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Carolus Cardinalis de Lotharingia & Carolus Dux Lotharingiæ decreuerunt in oppido Pontis Moſonij Studium erigere generale, & Collegium presbyterorum Societatis I E S V, ad iuuenes ſana doctrina, boníſque artibus inſtituendos. §. 1. Petunt à Papa quandam domum Hoſpitalis Sancti Antonij, & annuum redditum aſſignari. §. 2. Qui petita concedit, & Collegium prædictum inſtituit. §. 3. Lectorum munus, & numerum præſcribit. §. 4. Perſonis dicti Studij priuilegia Studij Bononienſis, & Pariſienſis concedit. §. 5. Doctorandi facultatem tribuit, & promotis dat priuilegia in dictis Studiis promotorum. §. 6. Carolo Cardinali facultatem ſtatuta condendi pro illius regimine largitur. §. 7. Iuriſdictionémque in omnes dicti Studij perſonas, non tamen d. Societatis I E S V. §. 8. Ius perſonas d. Studij eligendi conſtituit. §. 9. Huic inſtitutioni clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 10. Et decretum irritans. §. 11. Recuſantibus ſoluere Colgio annuos redditus aſſignatos, pœnas indicit. §. 12. Executores huius Conſtitutionis deputat. §. 13. Contrariíſque derogat. §. 14. Sanctionem quoque pœnalem adiicit. §. 15.

Scholion primum.

Quæro. Collegia non approbata, ſúntne capacia hæreditatum?

R E S P.

Resp. Non.l. Collegium.8. Cod.de hæred. inſtit. quod dubium non eſſe inquit ibi text.& locum habet etiam quod ſint religioſa. Panormita conſ. 55. lib. 1. num. 1. & ita intelligendus eſt Surd.(licèt ſimpliciter loquatur)in deciſ. 338. n. 10. Niſi dicamus, Collegia pia eiuſmodi ipſo iure cenſeri approbata, ad l. 1. cum ibi not. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.

Scholion ſecundum.

Quæro. Approbare diceretúrne Papa, ſi ſolummodò Indulgentias aliquas Collegio elargiretur?

Resp. Tacitè approbaſſe præſumeretur ex his, quæ Panormit. deducit d. conſ.55.num.4.& 5. vbi latè.

II. aliàs CI.

Edita Anno 1575. Copioſus in miſericordia Dominus, & infra par. 33. Bullarij.

COMPENDIVM.

Philippus Nerius Præpoſitus nonnullorum Clericorum ſæcularium in Vrbe, ſupplicat Papæ pro erectione Congregationis de Oratorio nuncupandæ. §. 1. Is illam erigit in Eccleſia S. MARIÆ in Vallicella de Vrbe. §. 2. Statuta, ordinationéſque pro eius felici regimine condendi facultatem tribuit. §. 3.

Scholion primum.

Quæro. Quo tempore horum Clericorum Congregationem Philippus prædictus inſtituere cœpit?

Resp. Anno Domini 1564. à B. Philippo initiatam ſcribit in ſuo, quem de illius vita libello conſcripſit, Antonius Gallonius illius Alumnus, & eiuſdem Congregationis presbyter, anno 1600. Romæ impreſſo, pag. mihi 108. & ſeq. & pag. 135. de hac Pontificis approbatione Congregationis meminit; ac pleniùs de his agit in ſua, quam deſuper cōtexit, hiſtoria mox Romæ typis danda Iacobus Creſcētius Abbas Sancti Euthichij Nob. Rom. qui eiuſdem B. Philippi viuentis filius ſpiritualis fuit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur denominationem ſumpſit (Oratorij) iſta Congregatio?

Resp. Quia B. Philippus ſpiritualibus colloquiis anno 1551. ad eum primum in ſuo cubiculo, poſtmodum in loco pro Oratorio deſtinato confluētes, ad reſipiſcentiam reduxit, & ex illis alumnos habere cœpit, vt enarrat idem Gallonius vbi ſup. pag. 35.& 62.& alibi.

III. aliàs CII.

Dum attenta conſiderationis, & infra pag. 35. Bullarij. *Edita Anno 1579.*

COMPENDIVM.

Valerianus Epiſcopus Ciuitatis Vilnenſis in Regno Poloniæ erexit in ea Collegium Societatis IESV, vnde grandis bonarum artium, ſcientiarúmque profectus habitus eſt, maiorque ſperarur, ſi ibidem Vniuerſitas Studij generalis à Papa inſtituatur. §. 1. Qui eam inſtituit. §. 2. Illíque priuilegia aliorum Studiorum generalium concedit. §. 3. Cum authoritate ſtatuta pro eius regimine condendi. §. 4. Moleſtiam ei dari prohibet. §. 5. Contrariíſque derogat. §. 6. Sanctionemque pœnalem apponit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Poſſétne quilibet eiuſmodi Collegia inſtituere?

Resp. Non, text. eſt in l.1.& DD. ibi communiter. ff. de Colleg. illicit. & tradit Petrus Greg. de Syntagm. Iur. lib. 15. cap. 32. num. 8.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſſétne etiam Collegium fundans cum licentia Superioris, leges poſtea ei conſtituere arbitrio ſuo, etiam non habita ſpeciali facultate?

Resp. Poſſet, niſi quid contra ius publicum conſtitueret. l. fin. ff. de Colleg. illicit. Nauar. de orat. in 24. miſcellan. n. 19. Intellige tamen vt perſonas de Collegio ligēt, non alios. Rota in deciſ. Cantucc. 103. par. 2. diuerſor. num. 9.& Surd. conſ. 460. lib. 4. num. 9.

SIXTVS V.

CONSTIT. I. aliàs CVI.

Edita Anno 1589. *&* 1590. CVm pro ſuprema, & infra pag. 36. *Item*; Cum S. R. E. & infra pag. 39. Bullarij.

COMPENDIVM.

Irritat alienationes Officiorum, ſeu iurium, & emolumentorum Officiis etiã maioribus S. R. E. annexorum, contra formam eorum primæuæ erectionis ab Officialibus factas. §. 1. & 2. Et omnia inſtrumenta deſuper celebrata. §. 3. Poſſeſſione detentores priuat. §. 4. Sic ſolùm iudicari iubet. §. 5. Prohibet eiuſmodi alienationes in futurum. §. 6. Officiáque integra Sedi, & Cameræ Apoſtolicę conſeruat. §. 7. Tranſgreſſores multis pœnis afficit. §. 8. Contrariis derogat. §. 9. Antiquum ſtatum Officialibus maioribus præſeruat. §. 10. Et in Conſt. annexa declarat, quæ Officia ſpectent ad S. R. E. Vicecancellarium. §. 1. Eiuſdem facultatem, & authoritatem comprobat, & ampliat. §. 2. & 3. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 4. Clauſulam, *Sublata*, addit. §. 5. Contrariis derogat. §. 6. Et ſolam ſignaturam ſufficere decernit. §. 7.

Scholion primum.

Quæro. Officia ſupradicta quæ ſunt ad vitam, poſſunt vendi abſque licentia Papæ?

RESP. Non, quia iſti Officiales æquiparantur vſufructuario, ideóque, ſicut vſusfructus non poteſt cedi niſi proprietario. l. ſi vſusfructus. 67. ff. de iure dot. ita eſt dicendum de huiuſmodi Officiis abſque Papa proprietario. Tuſch. in verb. Officiales, concluſ. 105. num. 6. & ita practicatur.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si emens Officium eiuſmodi vacabile in perſonam tertij, reſeruato ſibi dominio, decedat, ad eius hæredes, vel ad illum tertium ſpectat Officium?

RESP. Ad hæredes emptoris, cùm ille tertius habeat in Officio ſolummodo nudum nomen, & emptor ſolus ſit verus dominus, vt Rota ſic tenuit tam in Montibus vacabilibus (vt ſunt hæc Officia) in deciſ. 262. par. 1. diuerſor. num. 6. & 9. coram Aldobrand. quàm in Officiis etiam confirmauit coram eodem Aldobrand. in vna Romana Officij ſcriptoriæ, 13. Maij 1583. & in eadem cauſa coram Pamphilio, die 1. Aprilis 1582.

II. aliàs CVII.

CÆleſtis Patris prouidentia, & infra pag. 40. Bullarij. *Edita Anno* 1585.

COMPENDIVM.

Carolus Archidux Auſtriæ ad fidem Catholicam retinendam, & augendam in oppido Græcenſi Collegium presbyterorum Societatis IESV extruxit, & Greg. XIII. inſtituit. §. 1. Et modò idem Carolus huic Papæ pro erectione Studij generalis in d. Collegio ſupplicat ad maiorem profectum. §. 2. Is illud erigit ſub regimine d. Societatis IESV. §. 3. Priuilegiáque aliorum Studiorum generalium elargitur. §. 4. Præpoſito generali d. Societatis ſtatuta pro illius regimine edendi facultatem tribuit. §. 5. Lectoréſque & Officiales eligendi. §. 6. Bona per Carolum Collegio donata, perpetuò eidem applicat. §. 7. Annuum quoque redditum aſſignat. §. 8. Clauſulas huius Conſtitutionis præſeruatiuas apponit. §. 9. Executores eiuſdem deputat. §. 10. Contrariis derogat. §. 11. Sanctionémque pœnalem adiicit. §. 12.

Scholion primum.

Quæro. Si ſtatutis huius Collegij caueatur, ad illud ſolùm admitti originarios huius oppidi Græcenſis, quid dicendum de filio ciuis originarij caſu alibi nato?

RESP. Admittendus eſſet, & ita obſeruatum Paduæ inquit Caſtrenſ. in l. huiuſmodi. 86. §. Legatum eſt ita. ff. de legat. 1. num. 3. & Iaſ. ex Felyn. quem ibi allegat, ita Ferrariæ etiam ſeruatum refert num. 11.

Scholion ſecundum.

Quæro. Huiuſmodi Collegium poſſétne eſſe executor teſtamentarius?

RESP. Dubitauit Bald. in l. id quod. 24. Cod. de Epiſcop. & Cleric. num. 8. vbi tamen affirmatiuam ſententiam tenet.

R CLE

CLEMENS VIII.

CONSTIT. I. aliàs CIX.

Edita Anno 1593. QVoniam noſtro Paſtorali, & infra pag. 43. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Religioſis Ordinis Fratrum Seruorum B. MARIÆ Virginis, appellare à Prælatis eiuſdem Ordinis ad tribunalia ſæcularia, ſub pœna perpetuæ priuationis officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa,& alia,& vocis actiuæ,& paſſiuæ, abſque alia declaratione incurrenda, excommunicationiſque latæ ſententiæ. §. 1. & 2. Recurſum ad Generalem, & Protectorem permittit.d. §. 2. Fautoribus eaſdem pœnas imponit. §. 3. Attentanda irritat. §. 4. Contrariis derogat. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Illa verba (*abſque alia declaratione*) nónne ſunt ſuperflua,cùm verba (*ſub pœna priuationis*) à lege prolata importent canonem latæ ſententiæ?

RESP. Non, quia in contrarium eſt communis opinio, quod importent canonem ferendæ ſententiæ, abſque illis verbis, quam ſecuta eſt Rota in deciſ. Putei 129. lib. 3. in nouis, in verſ. Non obſtat.

Scholion ſecundum.

Quæro. Recurſus permiſſus in §. 2.intelligitur etiam in minimis negotiis?

RESP. Non, ſed in grauibus, quia ſi permitteretur in minimis, redundaret in maximum Religionis detrimentum,vt in his terminis ſcribit Rod. de quæſtionib. Regular. tom.1.quæſt.29.art.3.

II. aliàs CXX.

Edita Anno 1593. QVo viti qui tum ſalubribus, & infra pag. 43. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IV. ſtatuta Collegij Phyſicorum Vrbis confirmauit.§.1.Clemens VII. illa, & alia approbauit, ipſéque,& alij Pontifices multa d. Collegio, & Protomedico priuilegia dederunt ſuper approbatione Phyſicorum, Chirurgorum, & Aromatariorum, examinatione ſimplicium, compoſitorúmque medicinalium,exercitio Aromatariorum, facultate promouendi ad gradus, iuriſdictione cognoſcendi cauſas,correctione Aromatariorum,viſitatione Aromatariarum, & deſtinatione Commiſſariorum.§. 2. Protomedicus ideo, & Collegium incolumitati incolarum Status Eccleſiaſtici incumbentes, reformatis antiquis ſtatutis, alia pro feliciori Collegij regimine ſtatuerunt.§.3. Hic Pont. prædictas gratias, & ſtatuta confirmat.§. 4. & 5. Et ſic, & non aliter iudicari mandat. §. 6. Executorem deputat Aud. Cam. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8.

Scholion primum.

Quæro. Cur tot priuilegiis donatur Collegium Medicorum Romæ, ſi Romanimet ſexcentis annis Medicis carere voluerunt, & eis receptis res in deterius venit, vt ex Plinio lib. 29. vel 30. colligi ſcripſit Cagnol. in l. 2. §. poſt originem. ff.de orig.Iur.num.208.& ſeqq.

RESP. Quicquid hactenus egerint Romani, ars Medicinæ comperta eſt veriſſima, & eius regulæ ortæ ſunt ab experientia, vt ait Ariſt. in procem. Metaphyſ.& poſt Bal.& alios refert Boër. deciſ.323. num. 22. Non mirum ergo ſi priuilegiis decoratur, cùm circa hominum ſalutē verſetur.l.1.cum ibi not. ff. de var. & extraord.cognit. & l. Medico.6. Cod. de profeſſorib.& Medic.lib.10.

Scholion ſecundum.

Quæro. Si iſtud, vel ſimile Collegium reduceretur ad vnum, gauderet his priuilegiis?

RESP. Gaudere probat expreſſè Vlpian.in l.ſicut.7.§.1. ff. Quod cuiuſque Vniuerſ. nom. dum inquit, quòd ius omnium in vnum recidit, ſtátque nomen Vniuerſitatis, & tenet Panormit. conſ. 25.lib.2.num.2.

III. aliàs CXXI.

ASſidua pietatis,& infra pag.44. Bullarij. Edita Anno 1594.

COMPENDIVM.

Dat authoritatem Congregationi Clericorum miniſtrantium infirmis, vt in qualibet eorum domo tres ex antiquiſſimis Patribus à Capitulo Conuentuali deputati eamdem habeant poteſtatem

ſtatem in recipiendis Nouitiis,quę commiſſa fuit Capitulis generalibus,& Prouincialibus, aliſque deputandis iuxta Bullas Sixti V. §. 1. Contrariiſque derogat. §. 2.

Scholion primum.

Quaero. Vnde eſt, quòd Scipio vicinus noſter ad hanc Religionem admiſſus fuit poſt illas Sixti Conſtitutiones,& ante huius Pontificis diſpenſationem,eiúſque profeſſio valida fuit pronunciata?

RESP. Quia die 20. Martij 1592.hic idem Clemens huic Congregationi facultatem concesſerat ab iſta parum diſcrepantem.

Scholion ſecundum.

Quaero. Quæ erat huiuſmodi facultas?

RESP. Quod Superiores locorum, vnà cum duobus Fratribus grauioribus eiuſdem loci,in quo aliquis recipi vellet, informationes circa recipiendi qualitates,diligenter caperent, & iuxta formam Conſtitutionum Sixti V.& Gregor.XIII. idoneum repertum admitterent.

IV. aliàs CXXII.

Edita Anno 1601. SAnctiſſimus D. N. Clemens, & infra pag. 44. Bullarij.

COMPENDIVM.

Litaniarum vſum, præter in Breuiariis,Miſſalibus, Pontificalibus, & Ritualibus contentas,& Litanias de B. Virgine in Sacra Æde Lauretana decantari ſolitas, aut à Sacra Congregatione Rituum approbandas prohibet. §. 1. Contrauenientes, præter peccatum, arbitrio Ordinarij, & Inquiſitoris ſeuerè coërceri iubet. d. §. 1.

Scholion primum.

Quaero. Litaniarum nomen vnde ſumptum?

RESP. A verbo Græco λιτανεύειν, quod eſt ſupplicare, & vota ſuſcipere. cap.3.vbi gloſ. & ſcribb. communiter de Conſecr.diſt.3.Quibus ſupplicationibus, & Litaniis S. R. E. per vniuerſum Orbem, & quibuſcumque temporibus vti conſueuit,ad rogandum Deum, vt etiam interceſſione Sanctorum non ſolùm à peccatorum nexu,ſed & ab aliis calamitatibus, peſtilentiis,ſeditionibus, bellis, aliſque huius generis malis liberet, vt notiſſimum eſt.

Scholion ſecundum.

Quaero. Quid eſt quod fertur de Litaniis maioribus, & minoribus?

RESP. Litania maior fit in feſto S. Marci die 25. Aprilis, alia minor fit tribus diebus ante Aſcenſionem Domini. Illa vocatur maior, quia à Beato Gregorio Magno inſtituta, vel potiùs innouata fuit, ad euitationem maximi (qui tunc irrepſerat)morbi in Vrbe, quæ mũdi caput eſt.Iſta verò minor inſtituta fuit à B.Mamerto Epiſcopo Viẽnenſi ob maximam peſtem ferarum, quæ in Galliis homines crudeliter perimebant, vt ſcribit Turrecremat. in d. c. 3.de Conſecrat. diſt.3.num.1.& ſeq. De quibus tamen fuſiùs agit Couar. var.reſolut.lib.4.cap.20. ſub num.16. Baron. in Martyrolog. dicta die 25. Aprilis,& Gratian. Diſceptat.forenſ.cap.195.num. 29.

V. aliàs CXXIII.

EX quo diuina, & infra pag. 45. *Item*; Illos Apoſtolicæ, & infra pag.45.*Item*; Illos Apoſtolicæ, & infra pag. 46. Bullarij. *Edita Anno* 55. & 1604.

COMPENDIVM.

Alexander Epiſcopus Lucenſis anno 1583. inſtituit in illa Ciuitate Congregationem Clericorum ſæcularium in communi viuentium ſub inuocatione Beatæ MARIÆ Virginis. §. 1. Quam ipſe Papa approbat. §. 2. Et de nouo eam inſtituit. §. 3. Facultatem pro eius regimine ſtatuta condendi tribuit.§.4.Eiuſdémque Confeſſoribus authoritatem omnium ad eos confluentium confeſſiones audiendi concedit. §. 5. Illius Prælatis poteſtatem omnes abſoluendi à cenſuris non reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini impartitur. §. 6. Maiori dictæ Congregationis facultatem inobediẽtes coërcendi præſtat. §. 7. Recipiendos in Congregatione, ad votum reficiendi impenſas in caſu diſceſſus obligat. §. 9. & ſeqq. Eccleſiam B. MARIÆ in Porticu de Vrbe eidem Congregationi concedit. §.15. Licentiámque noua loca vbique de conſenſu Ordinariorum recipiendi relaxat. §. 15. Executores deputat. §. 16. Contrariiſque derogat. §. 17.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt quod iſta Congregatio volens modò nouum locum ædificare, non ſatis ei fuit licentia ab Ordinario de plano obtenta?

R E S P. Quia hic idem Clemens iam ſtatuerat in ſua Conſt. 99. quòd coram Ordinariis vocarentur alij Religioſi in eadem Ciuitate loca habentes, & licentiam cauſæ cognitio præcederet, ita quòd hoc ſimplex priuilegium noua loca conſtruendi de licentia Ordinarij, intelligendum eſt de licentia danda iuxta formam in præcedenti Conſtitutione firmatam.

Scholion ſecundum.

Quæro. Clauſula ſubſequens derogatoria contrariorum nónne continet derogationem d. præcedentis Conſtitutionis?

R E S P. Non, quia iſtæ Conſtitutiones inter ſe non contrariantur, vt dixi, quo caſu clauſulæ derogatoriæ ſolùm operantur roborationem, non autem extenſionem gratiæ. Roman. conſ. 498. n. 19. vbi apoſtilla adducit concord.

PAVLVS V.

CONSTIT. I. aliàs LXXXIX.

Edita Anno 1611.

POſtulat ratio Paſtoralis officij, & infra pag. 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monaſteria Congregationis Montis Virginis Ordinis Sancti Benedicti conſtituit eſſe viginti quatuor. §. 1. & 2. Quorum decem & tria per Abbates regantur. §. 3. Alia vndecim per Priores. §. 4. Qui Priores in locum decedentium Abbatum, iuxta eorum merita ſufficiantur. §. 5. Ex quibus tres eligantur, qui vocem electiuam habeant in Capitulo. §. 6. Decanus, Diffinitores, Procurator Generalis, & Abbates prædicti, in Capitulis, ac electione Abbatis, & Diffinitornm vocem habeant. §. 7. Abbates iſti gaudeant priuilegiis Abbatum Camaldulenſium. §. 8. Si officio ceſſerint, quando vocem habeant. §. 9. In aliis 19. Monaſteriis quæ prædictis vnita ſunt, qui Monachi ſint collocandi. 8. 10. Et qui in aliis domibus. §. 11. Si ex eis aliquod ad formam Monaſterij reducatur cum dote pro alēdis ſaltem ſex Monachis, reſtituatur ſub tit. Abbatis, ac Prioris gubernandum. §. 12. Nouitiatus quatuor erigantur de nouo. §. 13. & 18. Qui aliorum gratiis perfruantur. §. 14. Nouitij vt recipiendi, & alendi, & quot. §. 15. & ſeq. Abbas, Prior, & Cellarius in propria patria non eligantur. §. 17. Monachorum, ac Nouitiorum, ac aliorum habitus qui. §. 19. Filiationes permittuntur inſtar Congregationis S. Benedicti. §. 20. Abbates, & Priores vbi prædicare poſſint. §. 21. Doctoratus gradum qui, & quando ſuſcipiant. §. 22. Oblatorum profeſſio, & Nouitiatus qui. §. 23. & 24. Aliorum ſeruientium habitus qui. §. 25.

Scholion primum.

Quæro. Capitulum huius Congregationis quomodo celebratur?

R E S P. Longa oratione opus eſſet: perlege igitur Congregationis Conſtitutiones nuper cum declarationibus editas, cap. 64. num. 11. & ſeqq.

Scholion ſecundum.

Quæro. Abbas Generalis poterit vti Mozzetta, vt aliàs vti poſſe prætendebat?

R E S P. Accipe verba Decreti Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Cardinalium Congregationis ſuper Ritibus die 9. Maij 1609. editi.

Sacra Rituum Congregatio cenſuit, Abbati Generali Congregationis Montis Virginis poſſe concedi vſum Mozzettæ, ſeu Bauari lati, cum Caputio, & ſine Bireto, & in terris, & locis tantùm ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, & ita declarauit die 9. Maij 1609.

DOMINICVS CARDINALIS PINELLVS.

II. aliàs XC.

SEdis Apoſtolicæ prouidentia, & infra pag. 48. Bullarij.

Edita Anno 1608.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. cuiuſcumque Ordinis Regularibus prohibuit, ad regiones Chinæ, & Iaponnm abſque Sedis Apoſtolicæ licentia proficiſci, prædicandi cauſa, aut doctrinam Chriſtianam docendi, credens Religioſos Societatis

IESV

Iesv hæc ſufficienter implere poſſe. §. 1. Clemens VIII. in Conſt. 74. de quâ ſup. tom. 3. hos Religioſos non ſufficere videns, omnium Mendicantium Ordinum Superioribus indulſit, vt ſpectatæ vitæ Religioſos per Luſitaniam tantummodo tranſmittant ad Indos, & Iapones. §. 2. Prohibuitque ne ex Inſulis Philippinis, vel alia Indiarum Occidentalium parte in Iaponicas, vel finitimas regiones tranſirent. §. 3. Sed quia ex inſinuatione Regis Hiſpaniarum cognouit hic Pont. quòd dicta prohibitio nihil profecit, eam reuocat, & ad dicta loca aliàs quàm per Luſitaniam accedi permittit, & in reliquis d. Conſtitutionem Clementis VIII. ſeruari præcipit. §. 4. Contrariis omnibus derogat. §. 5. Tranſumptiſque huius Bullæ credi mandat. §. 6.

Scholion primum.

Quæro. Temporibus ſupradicti Greg. XIII. illi Societatis Iesv Religioſi, de quibus in §. 1. aliquidne profecerunt in in illis partibus?

Resp. Eorum opera (hoc vnum cæteris prætermiſſis dixiſſe ſufficiat) præceptis Chriſtianæ Religionis, & doctrinæ imbuti, Baptiſmi Sacramentum ſuſcipientes, anno 1582. Franciſcus Bungi, & Prothaſius Arimanorum Reges, ac Bartholomæus Omuranorum Principes, duos ex eorum conſanguineis præclaros Principes ad Gregorium Pontificem, duce Patre Viſitatore dictæ Societatis Iesv, tranſmiſerunt, quorum Legatio Regum Iaponis, nunquam antea audita, Deo fauente ad finem vſque perducta fuit de anno 1584. Quamobrem in Sacro Conſiſtorio collacrymatus præ lætitia Gregorius honorificè eos excepit. Vt autem quæ in eo Conſiſtorio tunc acta fuerunt vberiùs percipias, perlege literarum exempla prædictorum Regum è Iaponico idiomate in Latinum verſa in Bibliotheca Genitoris mei reperta, ac etiam reſponſi ab Antonio Buccapadulio Secretario Pontificis, eiúſque nomine eis dati.

EXEMPLAR LITERArum Regis Bungi.

Svmmi Dei auxilio ſuppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem V. ſcribere aggredior. Dominus rector Cæli, terræque, cuius imperium ſuper Solem, Lunā, & ſtellas, ignoranti mihi, & profundis immerſo tenebris, claritatis ſuæ lumen iuſſit ſplendeſcere, ac noſtratibus præcipuè populis reſerans arcana ſuæ miſericordiæ, atque gēmarū, dignatus eſt ante annos ampliùs quatuor, & triginta deſtinare in hæc Iaponis regna Patres è Societate Iesv, quorum è ſalutari, ac diuina ſemente, nonnihil in meum quoque, Dei benignitate, cecidit pectus. Quod tam inſigne beneficium, aliáque multa, ô Sanctiſſime totius Chriſtiani populi parens, veſtræ potiſſimum precationi, meritíſque accepta equidem refero. Ac proinde, niſi me bella, ſenium, & affecta valetudo impedirent, conferrem ipſe me ad viſenda, ac veneranda ſacratiſſima iſthæc loca, ac ſimul obedientiam exhibens pedes V. Sanctitatis poſt pia ipſorum oſcula, capiti meo ſuperimponerem, & Sanctiſſima veſtra manu pectus meū ſigno Crucis muniendum curarem. Sed quoniam iis, quas dixi, cauſis impedior, ſororis meæ filium D. Hieronymum Regis Fiungi filium cogitabam legare pro me. Verùm quando is in præſenti longè abeſt, & P. Viſitatoris inſtar profectio, D. Mancium eius conſobrinum eodem nomine mittere viſum eſt. à V. Sanctitate magni beneficij accipiam loco, ſi pro ea, qua fungitur in terris Dei vice, méque, & Chriſtianum hunc gregem, vti facit, fouere, atque adiuuare perrexerit. Reliquiariam thecam, per eundem P. Viſitatorem à Sanctitate mihi

dono tranſmiſſam accepi libens, ac meo vertici venerabundus impoſui, atque ob id V. Sanctitati gratias ago, habeóque tantas, vt explicandis iis nullæ, neque linguæ, neque ora ſufficiant. Non ero longior: quippe tum de regni huiuſce rebus, tum de me ipſo ipſo coram ex P. Viſitatore, & ex D. Mancio plura cognoſcet Sanctitas V. quam ego verè, & ex animo adorans, multo cum timore ac tremore haſce literas exaraui xj. die Ianuarij, anno poſt Domini aduentum 1582.

Supradictarum literarum hæc erat inſcriptio.

Adorando, & cœli Regis in terris locum obtinenti magno, & ſanctiſſimo Papæ.

EXEMPLAR LITERARVM *Regis Arimanorum.*

CVM Dei gratia demiſsè, & humiliter haſce literas offero Sanctitati V. ante hoc biennium, qui fuit annus ab aduentu Domini 1580. per Quadrageſimam, quibus maximè diebus pretioſa paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti recolitur, in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum, familiæque meæ perturbatione, denique in profundo Gentilium tenebrarum iacenti mihi, dignatus eſt Pater miſericordiarum lucem veritatis, & rectum ad ſalutem iter oſtendere per venerabilem Viſitatorem, alióſque verbi Dei Prædicatores è Societate IESV, qui enixè me adiuuerunt, pérque Baptiſmi ſacramentum, ſuper me, meóſque diuinæ gratiæ rorem è cœlo deuocarunt. Pro quo tali ac tanto beneficio mirè lætus, infinitas Regi Cœlorum ago gratias. Cúmque Sanctitas V. Chriſtianum gregẽ vniuerſum moderetur, & paſcat, valdè mihi fuit optatum iſtuc venire, corámque humi ſtratus magna cum ſubmiſſione exhibere illi obedientiam, & poſt pedum oſcula beatorum, eoſmet meo capiti ſuperimponere. Sed quoniam rebus variis impedito id mihi non licet, mitto cum eodem P. Viſitatore patruelem meum D. Michaëlem, vti pro me hoc munere pietatis, officiíque fungatur. Ex eo ipſo mea vota, & alia cognoſcet V. Sanctitas: ac proinde non ero fuſior. Quam ego ex animo ſincero, & humili venerabundus adoro. Die viij. Ianuarij, anno poſt Domini aduentum milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo.

Supradictarum literarum hęc erat inſcriptio.

Reddatur Epiſtola magno illi & ſancto Domino, quem adoro Dei Vicesgerentem.

EXEMPLAR LITERARVM *Bartholomæi Omuranorum Principis.*

VEreor ne crimen audaciæ ſubeam, attamen cum Regis Cœlorum gratia rudem hanc Epiſtolam offero Sanctitati V. quæ cùm in terris locum obtineat Dei, ac ſimul ex ipſius doctrina, & magiſterio Chriſtianus populus pendeat vniuerſus, æquum ſanè fuerat memet trans maria mittere, ipſúmque ad Sanctitatem V. inuiſendam venire, ſacróſque eius pedes poſt illorum oſcula, ſuper caput meum imponere. Sed quominus hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent cauſæ. Nuper ad hæc tam remota loca luſtranda P. Viſitator è Societate IESV venit, multiſq; rebus piè, & laudabiliter inſtitutis, iam nunc redit in patriam, qua ego tam præclara occaſione inuitatus deeſſe nolui, quin fratris mei filium D. Michaëlem cum eo mitterem iſtuc, qui licèt muneri tanto ſit impar,

impar, gratiſſimum tamen mihi fuerit ſi eum Sanctitas V. ad beatorum pedum oſcula admiſerit. Interea Sanctitatem V. ſupplex oro & obteſtor, vt mei memoriam conſeruare, méque & Iaponicos hoſce Chriſtianos fouere dignetur. Id vnum in votis mihi eſt, reliqua ex P. Viſitatore, & ipſo D. Michaële coràm cognoſcet S. V. quam ex animo adorans, cum timore ſcripſi die 27. Ianuarij anno poſt Domini aduentum 1582.

Supradictarum literarum hęc erat inſcriptio.

Sublatis manibus adorans Sanctiſſ°. D. Papæ magni Dei Viceſgerenti has literas offero.

EXEMPLAR SVPRADICTI reſponſi, Pontificis nomine dati ab Antonio Buccapadulio Secretario Apoſtolico, poſt habitam in Conſiſtorio publico ab Oratore præfatorum Principum obedientiam ei præſtantium Orationem.

QVod Franciſcus Bungi Rex, & Prothaſius Arimanorum, Prothaſiique patruus Bartholom. Omuræ Princeps, ab Iaponiorum Inſulis remotiſſimis vos ſuos propinquos huc ad ſe miſerint, eius quam obtinet Dei benignitate poteſtatis coràm venerandæ cauſa, piè illos, ſapientérque feciſſe: eſſe enim vnam fidem, vnam Eccleſiam Catholicam, vnum huic ipſi Eccleſiæ Præfectum, Chriſtique gregis vniuerſi, hoc eſt, Catholicorum omnium, qui vbique terrarum ſunt, Petri ſucceſſione Paſtorem, Romanum Pontificem. Hoc illos vnà cum cæteris fidei orthodoxæ myſteriis agnoſcere, & profiteri lætatur, immortaléſque agit gratias diuinæ bonitati Sanctiſſimus Dominus noſter, iudicátque hanc eſſe lætitiam veriſſimam à Dei gloriæ, atque animarum ſalutis ſtudio profectam. Itaque libentiſſimè vnà cum his venerabilibus Fratribus ſuis Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalibus, hanc illorum fidei, obedientiæ, deuotionis teſtificationem amplectitur. Optat atque orat, vt illorum exemplo, cæteri quoque illarum Inſularum, totíúſque orbis Reges, & Principes, omni idolorum cultu, atque errore abiecto, cognoſcat Deum verũ, & quem ille miſit Ieſum Chriſtum: hæc eſt enim vita æterna. Sic me veſtræ Orationi iubet reſpondere S. D. N. Iuuenes nobiliſſimi.

Scholion ſecundum.

Quæro. Poſt permiſſionem Clementis VIII. de qua in §.4. aliine alterius Ordinis Religioſi apud Iapones ſimile quicquam egerunt?

RESP. Id petis, quod his temporibus omnibus quippe notiſſimum eſt, Ludouicum ſcilicet Sotelo, & alios Fratres Sancti Franciſci de Obſeruantia multum circa Iaponum conuerſionem profeciſſe; ideóque ab Idate Maſſamune Voxij Rege, illum & Faxecura Rotuyemon nobilem ſuæ domus Equitem huius rei cauſa ad hunc Summum Pontificem Legatos veniſſe. Veruntamen, vt de his aliquid poſteritati innoteſcat, hic cudendum duxi literarum d. Regis exemplar, ac reſponſi, iuſſu eiuſdem Pauli Quinti illius Oratori dati poſt habitam nomine Legatorum prædictorum 3. Nouembris 1615. Orationem coram ipſo Pontif. in Aula pro Conſiſtorio deſtinata, in S. R. E. Cardinalium conſeſſu, atque nonnullorum Principum, Antiſtitum, & Prælatorum frequentia, cætera miſſa faciens quæ copioſiori tractatu proſecutus eſt Scipio Amatus Romanus I. V. D. & huius Legationis ad Summum Pontificem interpres, itinerisque comes.

EXEM

EXEMPLAR LITERARUM Regis Voxij.

CVm veniſſet Pater Frater Ludouicus Sotelo Ordinis Sancti Franciſci Religioſus ad meum Regnum, & in eo Chriſtianam legem prædicaſſet, me inuiſit, ab eóque eam audiui, & myſteria multa, quæ de ritu ſunt & cæremonia Chriſtianorum, aperuit, quæ ſanè in corde recondens, & perſcrutans, cognoſcens vera eſſe, & ſalubria; ſuſciperem profitenda, niſi me aliqua negotia deturbarent, & excuſabiles cauſæ detinerent, ſi tamen pro nunc ego non valeam, cupio ſaltem meas gentes, & ſubditos populos Chriſtianos fieri; hoc vt feliciter eueniat, ad me mittas quæſo, Beatiſſime Pater, Religioſos Ordinis Sancti Franciſci, qui de Obſeruantia nuncupantur; hos enim præcipuè diligo, & obſeruo; tua verò Altitudo ipſis amplè concedere non horreat omnes licentias, fauores, & quæcumque alia ad id neceſſaria. Ego autem iam terram hanc ingreſſos adiuuare non deſiſtam: ſed in Monaſteriis ædificandis, & in aliis rebus, quibus potero beneficiis inſeruiam; ſimilitérque expoſtulo, vt in meo Regno diſponas, gubernes, inſtituas omnia ea, quæ ad propagãdam ſanctam Dei legem vtilia tibi fore placuerint, præcipuè, vt in eo inſtituas, & erees quemdam magnũ Prælatum inſtanter ſupplico, cuius obſeruantia, & ſolicitudine omnes, qui in eo habitant, quamprimùm Chriſtianos fieri non dubito; de ipſius autem expenſis, & redditibus ne quæſo anxius ſis, quia vt copiosè fiat, noſtræ ſolicitudinis, & curę proprium eſſe volumus. Cuius rei cauſa ad te mitto præfatum Fratrem Ludouicum Sotelo Legatum meum, à quo poſſis de corde meo, quæ tibi viſa fuerint ſciſcitari; optimè namque nouit, quæ circa prædicta in eo ſunt, & hæc vt effectum habeant, ipſi roganter miſſo beneuolas aures concedat, & honorem præbeat tua Beatitudo, cui etiam comitabitur quidam nobilis Eques domus meæ, qui Faxecura Rotuyemon nominatur, qui ſimiliter Legatus meus exiſtit, vt ambo mei vices agentes obſequij, & obedientiæ cauſâ ad ſanctiſſimam vſque Romanam Curiam peruenientes, tuos beatiſſimos pedes pro me óſculétur, & ſi forte prędictus Pater Frater Ludouicus Sotelo in via fuerit vita functus, quilibet alius ab ipſo deſignatus, vt Legatus ad te admittatur tanquam ſi ipſe viueret. Cognoui præterea, quod meum à Nouæ Hiſpaniæ Regnis, quæ poteſtati, ac ditioni potentiſſimi Regis Hiſpaniæ Philippi ſubſunt, non multum diſtat. Quapropter cum deſiderio communicandi cum ipſo, & cum illis Chriſtianorũ Regnis, eius amicitiam exopto, quod equidem ſic fore confido, ſi tua auctoritas interueniat; precibus humiliter peto, vt hoc Altitudo tua incipiat, & ad finem vſque perducat, maximè quia neceſſaria via Religioſis à te in hoc Regnum miſſis eſt. Præ omnibus pro me orabis omnipotentem Deũ, vt ad eius amicitiam valeam peruenire. Si verò in hoc Regno aliqua videris tuo obſequio, & voluntati gratioſa, iubeat Altitudo tua, quoniam vt voluntati tuæ reſpondeamus, totis viribus adimplebimus. Hæc autem licèt exigua ſint dona, quia tamen ex longinqua regione adueniunt, cum reuerentia, & timore pauca, ex Iapone tibi offero. In omnibus aliis nos remittimus ad prædictum Patrem Sotelo, & Equitem Rotuyemon, & ea, quæ ex parte noſtra tractauerint, & rata fecerint, ipſa & rata eſſe volumus. Ex Ciui-

tate,

tate, & Curia noſtra Fendai anno decimo octauo ætatis Quecoquarto, die Lunæ nonæ, id eſt, anno ſalutis 1613. pridie Nonas Octobris.

Supradictarum literarum hęc erat inſcriptio.

Magni, & Vniuerſalis, Sanctiſſimique totius Orbis Patris Domini Pauli V. pedes cum profunda ſubmiſſione, & reuerentia oſculando, Idate Maſamune in Imperio Iaponico Rex Voxij ſuppliciter dicimus.

EXEMPLAR SVPRASCRIPTI reſponſi, Pontificis nomine à Petro Stroza Secretario Apoſtolico domeſtico dati.

IVcundiſſimum Sanctiſſimo Domino Noſtro nuncium attuliſtis, Oratores, pie, ac religioſe Dei Sacerdos Ludouice, & Eques generoſe Philippe Faxecura, Idatem Maſamunem Regem Voxij, cuius tam latum inter Iaponicos Imperium, tam amplæ, ac validæ copiæ, atque vires, adeò firma præſidia, cùm ex cōtinuo, expeditóque belli apparatu, tum ex arctiſſimo, ac duplici cum ſummo Iaponiæ Rege affinitatis vinculo; ſuccenſum diuini amoris ardore, Chriſtianam fidem recepiſſe, & adhuc Catechumenum, fidei propagationem, verúmque Dei cultum apud ſuos ſummo zelo curauiſſe, ac vos eadem de cauſa ad Sanctam Apoſtolicam Sedem legauiſſe. Gaudet ſummopere Sanctitas Sua, & Deo gratias ingentes agit, quòd miniſterij ſui Apoſtolici tempore, Chriſti Domini Euangelium feliciter audiri in Orientalibus Iaponiæ partibus cœperit, ciúſque rei nuncium allatum eſſe trigeſimo tertio anno poſtquam ex Occidentalibus illius ampliſſimæ Appendix. Inſulæ regionibus primi Chriſtianorum ad ſummum Pontificem legati nauem conſcenderunt. Quaſi verò ſpes, quæ affulſerat, abſoluendi per totum terrarum Orbem prædicationis Euangelicæ circulum, adimpleri, ac perfici debuerit myſterioſa annorum periodo, qua humani generis Redemptor in terris peregrinati dignatus eſt. Diuina igitur miſericordia fretus Sanctiſſimus Dominus Noſter vtique ſperat, Regem Idatem quantocyùs candidam ex fonte ſacri Bapriſmatis veſtem ſumpturū, ſicut ad eius animæ ſalutem illum efficaciſſimè hortatur. Qua fiducia amantiſſimè recipit vnà cum his venerabilibus fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus hanc eius piæ voluntatis declarationem, dclatúmque per vos ſibi, ac Sanctæ Apoſtolicæ Sedi obſequium, ac venerationem: & Deum toto cordis affectu precatur, vt per immenſam eius bonitatem perficiat, quod per ineffabilem ſuam clementiam in Rege Idate incepit, nihil & ipſe interea prætermiſſurus, vt quantum cum Domino fieri poterit, ipſius Regis piis ac iuſtis deſideriis ſatisfiat, ſubiectorúmque ei populorum ſpirituali ſolatio opportunè proſpiciatur. Sic me vobis reſpondere iuſſit.

III. aliàs CXXI.

SAcroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & infra pag. 49. Bullarij. *Edita Anno 1615.*

COMPENDIVM.

Henricus Epiſcopus Pariſienſis, & Maria Francorum Regina, ad reſtituendam, fouendámque Eccleſiaſticam diſciplinam, ſupplicant Papæ pro inſtitutione Congregationis Priorum Sacerdotum in eo Regno, eiúſque regimen committi Petro de Beralle presbytero Pariſienſi. §. 1. Qui ideo Pontifex eam inſtituit, & Congregationem Oratorij IESV Chriſti Domini noſtri nuncupari decernit. §. 2. Dictúmque Petrum Præpoſitum deputat dictorum Priorum

S

Digitized by Google

Sacerdotum, qui inſimul in communi viuant, eorúmque præcipuum ſit inſtitutum, perfectioni ſtatus ſacerdotalis totaliter incumbere. §. 3. Dat eidem facultatem in locis, ad quæ per Ordinarios vocatus fuerit, eiuſmodi Congregationes inſtituendi; & quæcumque neceſſaria pro earum regimine ſtatuendi. §. 4. Eas tamen à Congregatione Pariſienſi dependere iubet. §. 5. Quam Congregationem ad minus presbyteros duodecim, aliàs verò ſaltem decem habere præcipit. §. 6. Legatorum, & eleemoſynarum perceptionem permittit. §. 7. Contrariiſque derogat. §. 8. Indulgentias quoque perſonis d. Congregationis elargitur. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Quis author pridem deſcripſit, quæ ad perfectionem ſtatus ſacerdotalis, de quo hic dicitur in §. 3. neceſſaria videntur?

RESP. Ex antiquioribus D. Ambroſius in ſuo libello de Sacerdot. & ex recentioribus Petrus Beſſeus in opuſc. inſcripto Regale Sacerdotium, vltra alios quamplures, quos congerit in ſuo, quem edidit, Indice vniuerſali P. Fabianus Iuſtinianus presbyter Congregationis Clericorum ſæcularium Oratorij de Vrbe in verb. Sacerdos, & etiam in Appendice.

Scholion ſecundum.

Quæro. De de oratione autem circa paſſiones eiuſdem D. N. Ieſu Chriſti, de qua in §. 2. quis me edocebit?

RESP. Habes in d. Indice in verb. Paſſio, & Oratio, plures de hac re ſcribentes, quos longum eſſet hic recenſere.

IV. aliàs CXXII.

Edita Anno 1612. & 1613. CHriſti fidelium quorumlibet, & infra pag. 51. *Item*; Cùm dilecti filij, & infra pag. 60. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio presbyterorum ſæcularium Oratorij de Vrbe ſuas edidit conſtitutiones, & pro earum confirmatione Papæ ſupplicauit. §. 1. Quarum prima eſt circa Oratorium, & orationem, in cap. 1. Secunda circa Eccleſiam, & diuina officia, in cap. 2. Tertia circa vſum familiarium ſermonum, tam in Eccleſia, quàm in Oratorio, in c. 3. Quarta circa ſtatum perpetuum Congregationis, in cap. 4. Quinta circa munus, & electionem Præpoſiti Congregationis, & quatuor presbyterorum deputandorum, in cap. 5. Sexta circa perſonas in Congregatione recipiendas, vel inde eiiciendas, in cap. 6. Septima circa Tyronum inſtitutionem, in cap. 7. Octaua circa quaſdam præcipuas Congregationis obſeruationes, in cap. 8. Nona circa veſtitum, & conſuetudinem familiarem, in cap. 9. Decima circa Triclinium, & communem menſam, in cap. 10. Vndecima circa lectorem, & lectionem ad menſam, in c. 11. Duodecima circa dubia in menſa proponenda, in cap. 12. Decimatertia circa declarationem dubiorum emergentium in conſtitutionibus Congregationis, ibid. in verſ. Appendix. Decimaquarta circa Oratorium, & orationem, de qua in cap. 1. vt ibid. in verſ. Appendix. Decimaquinta circa interlocutiones Dominicis diebus, in c. 13. Decimaſexta circa exercitationes in diebus feſtis, in cap. 14. Decimaſeptima circa munus externorum in Oratorio, in cap. 15. Decimaoctaua circa ordinem electionis eorumdem exterorum in Oratorio, in cap. 16. Poſt hæc ſequitur B. inſtitutoris admonitio, in cap. 17. Et huius Pontificis prædictarum ordinationum confirmatio. §. 2. Et ejuſdem præceptum de eis obſeruandis. §. 3. Ac decretum irritans. §. 4. Contrariorúmque derogatio. §. 5. Subſequitur in annexa Conſtit. prohibitio, ne aliæ Congregationes ſtatuta vbique gentium edant ſub denominatione B. Philippi Nerij, neque huius inſtituti domos in Vrbe inſtituant. §. 3. Quibuſcumque non obſtantibus. §. 4.

Scholion primum.

Quæro. Vnde eſt quòd in Vrbe vidi de hoc Beato Philippo Miſſam, & officium celebrari in Eccleſia huius Congregationis Oratorij, vbi eius corpus requieſcit?

RESP. Accipe Pauli Papæ Quinti diploma, in quo hanc licentiam dictæ

Con

Congregationi primùm, & aliis poſtmodum concceſſam comperies, huius tenoris videlicet.

PAVLVS PAPA QVINtus Ad perpetuam rei memoriam.

Licentia Papa celebrandi Miſſã, & officium de B. Philippo Nerio, in die ſui obitus dãtur Cõgregationi Oratorij de Vrbe.

§. 1. *Aliàs nomine dilectorum filiorum Præpoſiti,& presbyterorum Congregationis Oratorij in Eccleſia Sanctæ* MARIÆ, *& S. Gregorij in Vallicella de Vrbe nobis expoſito, quod ob ſingularia virtutum, & gratiarum dona, quibus ſeruus Dei Philippus Nerius Florentinus dictæ Congregationis Fundator à Domino illuſtratus fuerat, & ob eum, quem propterea erga eundem Dei Seruum Chriſti fideles gerebant deuotionis affectum, Miſſam & officium de eodem Seruo Dei celebrare, ac recitare poſſe ſummopere deſiderabant. Nos Præpoſiti, & presbyterorum prædictorum ſupplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Præpoſito,& presbyteris dictæ Congregationis de eadem Vrbe, tunc,& pro tempore exiſtentibus, vt in die dumtaxat obdormitionis in Domino dicti Serui Dei Philippi Nerij in eadem Eccleſia Sanctæ* MARIÆ, *ac S. Gregorij in Vallicella de Vrbe Miſſam, & officium, aliis verò omnibus,& ſingulis, tam ſæcularibus, quàm regularibus presbyteris, vt Miſſam de dicto Seruo Dei Philippo tanquam de Confeſſore non Pontifice, iuxta formam,& rubricas Miſſalis, ac Breuiarij Romani in prædicta Eccleſia ſolummodo, vbi eius corpus requieſcere aſſerebatur, celebrare, & recitare, liberè & licitè reſpectiuè valerent, Apoſtolica auctoritate licentiam, & facultatem perpetuò conceſſimus & impartiti ſumus, proue in noſtris in ſimili forma Breuis ſub die 25. Maij 1615. deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.*

Et poſtmodũ eadem licentia aliis Cõgregationibus conceditur.

§. 2. *Cùm autem ſicut Præpoſitus, & presbyteri prædicti nobis nuper denuò exponi fecerunt, ipſi ad augendam per amplius Chriſti fidelium erga dictum Seruum Dei Beatum Philippum deuotionem, licentiam, & facultatem prædictas ad infraſcriptas Congregationis Oratorij domos extendi ſummopere deſiderent: Nos piis Præpoſiti, & presbyterorum prædictorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illóſque amplioribus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorũ ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes,& abſolutos fore cenſentes, poſterioribus huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum conſilio, presbyteris tantùm, & Clericis domorum Congregationis Oratorij ad inſtar primodictæ erectarum, Neapolitan. Firman. Panormitan. Camerinen. Fanen. & Aquilan. Ciuitatum nunc,& pro tempore exiſtentibus, vt in die tantum obdormitionis in Domino dicti Beati Philippi Nerij in Eccleſiis earumdem domorum ſolummodo Miſſam, & officium de dicto Beato Philippo tanquam de Confeſſore non Pontifice, iuxta formam, & rubricas Miſſalis,& Breuiarij Romani celebrare, & recitare liberè, & licitè valeant, dummodo tamen presbyteri,& clerici dictarum domorum, Ciuitatum prædictarum ordinationes,& inſtituta domus Congregationis Oratorij de Vrbe huiuſmodi aliàs à nobis confirmata receperint, & illa pro viribus obſeruare iueendant, dicta auctoritate tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur.*

Contrariis derogat.

§. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcũque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, & manu Præpoſiti domus dictæ Congregationis de Vrbe ſubſcriptis, & illius ſigillo munitis eadem prorſus fides in iudicio vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Dat. Pont. an. 11. die 19. Martij 1612.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 19. Martij 1616. Pontificatus noſtri anno vndecimo.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quis me edocebit acta, ac vitam ipſius B. Philippi?

RESP. Luculenter omnia in annos digeſta deſcripſit Alumnus eius Antonius Gallonius eiuſdem Congregationis presbyter, in ſuo deſuper libello Romæ edito anno 1600. & iterum

Neapoli anno 1608. & nouiſſimè Petrus Iacobus Baccius Aretinus eiuſdem Congregationis presbyter, in ſuo opere Romæ hoc ipſo currenti anno 1622. peruulgato, eiuſdem B. viri vitam ex proceſſu ſuper illius Canonizatione impetranda confecto, fuſiùs conſcripſit. At Sanctiſſimus D.N.D. Gregorius Decimuſquintus, Deo fauente, totóque Vrbis applauſu inter Sanctorum Confeſſorum numerum eumdem B. Philippum adſcripſit die 12. menſis Martij eiuſdem Sanctiſſimi Pontificatus anno 2. qua S. Gregorij Magni feſtum Romæ ſolemniter celebratur.

V. aliàs XCIII.

Edita Anno 1614. PRouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, & infra pag. 60. *Item*; Prouiſionis noſtræ, & infra pag. 61. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus inſtituit duos Aſſiſtentes Prioris generalis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini. §. 1. Eorum electio ad quem ſpectet declarauit. §. 2. Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecit. §. 3. De crimine vt inquiri poſſint decreuit. §. 4. Eorumdem authoritatem præfiniuit. §. 5. Præcedentiámque. §. 6. Ac ſtipendium. §. 7. Contrariis derogauit. §. 10. Hanc Conſtitutionem hic Pont. renouauit. §. 11. Supradictus Clemens d. eius Bullam omnino exequi iuſſit quibuſcumque non obſtantibus. §. 13. & ſeq. Et idem Paulus eamdem innouat. §. 15. Cardinalis Saulius dicti Ordinis Protector conſulto eodem Clemente nonnulla dubia exorta circa prædictam illius Bullam, declarauit. §. 17. & ſeqq. Capitulum generale de anno 1602. decreuit, dictos Aſſiſtentes ius habere ferendi ſuffragium in Comitiis generalibus, & locum ibi poſt electos habendi. §. 21.

Scholion primum.

Quæro. Inconſulto Papa, prædictus Cardinalis vti Protector potuiſſétne declarare dubia?

RESP. Non, quia limitata eſt cuiuſcumque Protectoris Religionum poteſtas in eorum deputationis literis, vt dictũ eſt ſuprà in huius Pontificis Conſt. 53.

Scholion ſecundum.

Quæro. Stante illa clauſula derogatoria contrariorum, de qua in §. 13. (& de hoc pluries te volui interrogare) erat fortaſſe neceſſaria derogatio Concil. Tridentini?

RESP. Negatiuam ſententiam probauit Rota coram Pamphilio in vna Sancti Angeli penſionis, die 16. Decembris 1594. & ita ſeruatur in Curia. Siquidem d. Concilium in fine præſeruat auctoritatem Papæ, & propterea dum aliquid ſtatuit contra d. Concilium, ei non derogat, ſed vtitur facultate Papæ reſeruata; & ita ſentit etiã Rod. qq. Reg. tom. 3. q. 39. a. 4. tenuítque Rota in vna Bononienſi Prioratus, 9. Iunij 1596. corã R.P.D. Manzanedo & Gonzal. ſuper Reg. 8. Cancel. de menſ. & alternat. gloſ. 6. ſub num. 120.

VI. aliàs XCIV.

AD Sacram B. Petri Sedem, & infra pag. 63. Bullarij. *Edita Anno 1616.*

COMPENDIVM.

Pro feliciori Congregationis Monachorum Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti regimine, ſtatuit, Monaſteria, quorum redditibus duodecim Monachi, computatis Oblatis, & famulis, ſuſtẽtari poſſint, regi debere per Abbates. §. 1. Alia, quorum fructibus ſex ali poſſunt, per Priores gubernari. §. 2. Abbatibus decedentibus Priores ſuccedere decernit. §. 3. Ipſorúmque priuilegia declarat. §. 4. Alia membra prædictis Monaſteriis annexa familiam cõſtituere vetat, quouſque ad formam maioris Monaſterij redigantur. §. 5. & 6. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 7. Et decretum irritans. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9.

Scholion primum.

Quæro. Oblati fortaſſe differunt à Monachis, vt videtur innuere textus in §. 2. vbi diuerſo nomine appellantur?

RESP. Regulariter differunt. cap. non eſt. 7. vbi Panorm. & alij notant de Regular. & in cap. 3. de ſucceſſ. ab inteſt. ſed in propoſito huius Bullæ, Oblati potuiſſent dici de familia Monaſterij, vt conſulendo dixit Feder. de Sen. conſ. 273. verſ. Ad tertium.

Scholion

Digitized by Google

Scholion ſecundum.

Quæro. Quid ſi quis ſe Oblatum offerat Monaſterio, & tria vota ſubſtantialia emittat in manu Abbatis?

RESP. Adhuc Monachus non efficitur, quia prædicta fecit, vt arctiùs viueret vti Oblatus, & latè probat Nauar. conſ. 49. lib. 1. de Regular. num. 5. & ſeqq. pag. mihi 552. in impreſſis de anno 1610. & poſt alios Rod. de quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 21. art. 1.

VII. aliàs XCV.

Edita Anno 1616. PAſtoralis officij cura nobis, & infra pag. 63. Bullarij.

COMPENDIVM.

Capitulum generale Ciſtercij vnam Congegationem in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Maioricarum, & Principatu Cataloniæ per Vicarium generalem, Viſitatores, & Diffinitores regendam inſtituit. §. 1. Authoritas tamen Abbatis, & Capituli generalis, & quatuor Abbatum Ordinis integra remaneat. §. 2. Ipſiúſque Capituli ſtatuta ſeruare, contributiones dare, & duos Abbates cum capitulis in prouinciali Capitulo editis illa Congregatio tranſmittere debeat. §. 3. Vicarius, Viſitatores, & Diffinitores ſtatim electi, Abbati, & Capituto generali non contradicere iurēt. §. 4. Eorum officiū quadriennio terminetur: Abbates autem perpetui ſint. §. 5. Eorum electionis forma traditur. §. 6. Abbas generalis, vel primi Abbates Ordinis, aut Commiſſarius à Capitulo generali deſtinandus, d. Capitulo prouinciali præſidere poſſit. §. 7. Alias nonnullas ordinationes d. Capitulum generale propterea ſtatuit. §. 8. Quibus examinatis, hic Pont. d. Congregationem erigit. §. 9 Abbatéſque ad quadriennium duraturos, & certo modo eligendos eſſe decernit. §. 10. Ab obedientia Generalis nullatenus diſcedere ſtatuit. §. 11. Commiſſarij prædicti auctoritatem declarat. §. 12. & 15. Appellationem ad Generalem in rebus grauibus d. Congregationi permittit. §. 13. Generalémque vnum, & plures Iudices deputare poſſe. ibid. Contributiones à generali Capitulo taxandas per eam ſolui iubet. §. 14. Opera Procuratoris generalis in Curia vti mandat. §. 16. Congregationi non mittenti Abbatem ad Capitulum generale pœnam imponit. §. 17. Officialibus eligendis in d. Capitulo prouinciali iuramentum fidelitatis erga Ordinem non præſtantibus, eorum electiones irritat. §. 18. Ad d. Congregationem Monaſteria Regni Nauarræ vniēda, & quartum Diffinitorem eligendum, Vicariúmque generalem decernit. §. 19. Vicario, Viſitatoribus, & Diffinitoribus d. Congregationis dat facultatem edendi ſtatuta, quæ tamen in generali Capitulo Ciſtercienſi examinari iubet. §. 20. Supradicta inuiolabiliter ſeruari præcipit. §. 21. Clauſulas præſeruatiuas apponit. §. 22. Et decretum irritans. §. 23. Contrariis derogat. §. 24. Tranſumptis credi mandat. §. 25. Abbatiarum vacantium quindennia Re uer. Cam. Apoſt. perſolui decernit. §. 26.

Scholion primum.

Quæro. Siquis non in re graui, vt præmittitur in §. 13. ſed in aliis ad Generalem accederet tanquam grauatus, nunquid fugitiuus dici poſſet?

RESP. Non, teſte Bald. in cap. 3. de appellat. num. 4. & clariùs Roder. lib. 1. quæſt. Regular. quæſt. 300. art. 3. Et ea eſt ratio, quod animus, & non fuga facit quē apoſtatam, vel fugitiuum.

Scholion ſecundum.

Quæro. Ex eo quod dicitur in d. §. 13. quod Generalis poſſit Iudicem deputare, nunquid deputare cogetur?

RESP. Non quicquid Iudicis poteſtati permittitur, id iuris neceſſitati ſubiicitur. l. ſæpe. 8. & l. ſeq. ff. de offic. Præſid.. & l. non quicquid. 40. ff. de Iudic. Verumtamen quia Papa direxit verba ad Iudicem per modum regulæ, & in materia fauorabili, & in rebus grauibus, verius eſt, quod cogitur, vt bene tradit Cuman. conſ. 148. num. 4. Bolognet. in l. 1. ff. de iuriſd. omn. Iudic. n. 21. vbi alios cumulat, & ibi de communi opinione teſtatur.

VIII. aliàs XCVI.

EX iniuncto nobis deſuper, & infra pag. 66. Bullarij. *Edita Anno 1616.*

COMPENDIVM.

Congregatio Clericorum ſæcularium Doctrinæ Chriſtianæ in Ciuitate Auenionis olim inſtituta, volens vniri

Congregationi Clericorũ de Somaſcha, capitula cum eis iniuit §.1. Quorum primum eſt, quòd Patres Doctrinę Chriſtianæ perpetuò retineant conſuetudinem illam docendi. cap. 1. Et Pater Cæſar de Bus habeatur pro inſtitutore huius Inſtituti in Regno Galliæ. cap. 2. Patres d. Doctrinæ vocentur, Patres Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Somaſchæ. cap. 3. Viuántque ſub obedientia Præpoſiti generalis Somaſchæ, qui eos ſingulis triennijs viſitabit, & regentur à Prouinciali Gallo in Regno Galliæ, eligendo ex tribus nominandis in Capitulo generali Somaſchæ à Capitulo prouinciali Galliæ. cap. 4. Quod d. Prouincialis, eiúſque ſocij munus ſit, & authoritas, deſcribitur. cap. 5. Et quis ſuccedat eo decedente. cap. 6. Et quæ ſpectent ad Capitulum generale. cap. 7. Quíue ad illud accedent. cap. 8. Et hic Pont. vnionem, & Capitula approbat, & regulas Congregationis Somaſchæ ab omnibus ſeruari mandat, excepto quòd Prouincialis prædictus exemptiones diurnas nonniſi ex cauſa cócedat. §. 3. Vt profeſſio emitti debeat, declarat. §. 4. In Statu Eccleſiaſtico Regni Galliæ Superiores, etiam ſi Galli non ſint, eligi poſſe permittit. §. 5.

Scholion primum.

Quæro. Congregatio Clericorum Somaſchę quando promota, & à Sedę Apoſtolica approbata fuit?

R e s p. Miror è tua excidiſſe memoria, quòd Pius V. in ſua Bulla 78. ſup. tom. 2. eam primùm approbauit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Quo tempore alia Doctrinæ Chriſtianæ Congregatio Auenioni inſtituta fuit?

R e s p. Anno 1592. ope Vicelegati Auenionis erecta, & anno 1597. à Clemente VIII. approbata eſt, gratiſque & Indulgentiis ditata, vt in eius authentico, quod nuper ad manus meas peruenit, & hic imprimendum duxi, percipere potes.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXpoſcit debitum noſtri Paſtoralis officij, vt in eam curam noſtræ ſolicitudinis partes intendamus, per quam Chriſti fidelibus ad doctrinam Chriſtianam addiſcendam via facilior aperitur, ita vt in ipſis huiuſmodi doctrina imbutis in dies creſcat diuinorum obſeruantia præceptorum.

An. 1592. in Ciuitate Auenione inſtituta fuit Congregat. Doctrinæ Chriſtianæ authoritate Vicelegati Papæ.

§. 1. Cùm itaque, ſicut accepimus, nonnulli pij Chriſti fideles Auenione commorantes, pro aliis Chriſti fidelibus in his, quæ ad ſalutem ſunt, iuuandis deſiderio ducti, & conſiderantes in iis Hæreticorum, & Schiſmaticorum tenebris non ſolùm pueros teneros in doctrina Chriſtiana educandos, ſed & homines prouectos, & natu maiores doctrinæ Chriſtianæ rudes in illa inſtruendos eſſe, ab anno Domini M. DXCII. authoritate Venerabilis fratris Ioannis Franciſci Epiſcopi Couallicenſis tunc in Ciuitate noſtra prædicta Auenionen. Vicelegati, vt pio huiuſmodi exercitio vacarent, & in vinea Domini fructus aliquos producerent, quamdam inter ſe Congregationem ad Chriſtianam doctrinam rudes edocendum inſtituerunt.

Et ope Epiſcopi Auenionen, & Card. in ipſa Ciuitate, & Comitatu Venayſſino multum profecit.

§. 2. Cuius Congregationis fideles poſtea dilecti filij noſtri Franciſci Mariæ Sancti Bartholomæi in Inſula presbyteri Cardinalis, túncque Eccleſiæ Auenionen. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præſulis ope, & fauore adiuti, in Eccleſia Sanctæ Praxedis Auenionen. & aliis quibuſdam locis Comitatus noſtri Venayſſini huc uſque opus huiuſmodi continuarunt, & adhuc magno cum fructu in illo perſeuerant.

Hunc modò Pont. ſuſ. idem Card. ſupplicat pro perpetua d. Congregationis approbatione.

§. 3. Cùm autem, vt idem Franciſcus Maria Cardinalis nobis nuper expoſuit, meſſis multa ſit, operarij verò pauci; ſintque ad tantum opus peragendum plures, & diuerſæ perſonæ, & aliqui redditus annui pro earum ſuſtentatione neceſſarij, ipſáque Congregatio nullos omnino redditus habeat, eleemoſynæ autem refrigeſcente charitate ita raræ ſint, vt vix ad trium, vel quatuor ſuſtentationem ſufficere poſſint. Et ideo ſi authoritate Apoſtolica huiuſmodi Congregatio perpetuò inſtitueretur, in quam homines in timore Domini enutriti tum Eccleſiaſtici, tum laici in continentia vitam ſuam ducere proponentes, qui huic exercitio ſingulis feſtiuis, & Dominicis aliis,

ne, pro hominibus probitæ vitæ, vitam ſuam in continentia ducere proponentibus.

aliis, ſi opus eſſet, diebus inuigilarent, reciperentur, ex hoc profecto pro opere prædicto admodum conſultum eſſet.

§. 4. Quare idem Franciſcus Maria Cardinalis nobis humiliter ſupplicauit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Qui illam ita approbat, ſiue de nouo erigit in d. Ciuitate Auenionis.

Nos qui piis operibus noſtri fauoris præſidium libenter impartimur, ſingulares dictæ Congregationis perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Congregationem præfatam, vt præfertur, erectam, authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ſeu quatenus ritè erecta non fuerit, de nouo vnam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ nuncupandam in Ciuitate prædicta Auenionen. in quam cuiuſuis ſtatus, & conditionis, probatæ tamen vitæ, homines, dummodo in continentia viuendi firmum propoſitum habuerint, recipi poſſint.

Munus d. Congregationis.

§. 5. Qui ſingulis feſtiuis, Dominicis, & aliis, cùm opus fuerit, diebus in Eccleſia Sancti Ioannis veteris nuncupati Ciuitatis noſtræ Auenionen. ad hoc opus per nos inſtituta, & deſignata, aut aliis Eccleſiis, ſeu locis per loci Ordinarium ad hoc deſignandis, pueros, & alios, cuiuſuis ætatis Chriſtianæ doctrinæ ignaros congregari faciant, ibique eoſdem bonis moribus, & perſonas huiuſmodi doctrina imbuant, ac in articulis fidei inſtruant, eóſque in viam mandatorum Domini, & Eccleſiæ dirigant & confirment; presbyteri verò à locorum Ordinariis ad id approbati confeſſiones audire, verbum Dei prædicare, & ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis adminiſtrare poſſint.

Quæſtus omnes in cõmuni arca reponi, & ex eo perſonas Congregationis ſuſtẽtari præcipit.

§. 6. Quæſtus verò ex laicorum prædictorum labore, & induſtria prouenientes cum cæterorum redditibus, tum ex Clericorum eorumdem beneficiis Eccleſiaſticis, ac patrimoniis, ſi quæ habeant, prouenientibus in arca communi reponantur, vt exinde habeant quo ſuſtentari poſſint.

Superiorem vnum eligi, & ei ab aliis obediri iubet.

§. 7. Eligatúrque in huiuſmodi Congregatione vnus ex dictis presbyteris, qui caput & Superior ſit, cuique reliqui obedire teneantur, tam in dicta Ciuitate Auenionen. quàm aliis locis quibuſlibet vicinis Apoſtolicæ authoritate, tenore præſentium erigimus, & inſtituimus.

Statutáque pro Congregationis regimine cõdendi facultatem tribuit.

§. 8. Ac Eccleſiaſticis, & aliis nunc & pro tempore exiſtentibus dictæ Congregationis perſonis, quæcunque ſtatuta, & ordinationes, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini non contraria, ac proſperum dictæ Congregationis ſtatum concernentia ab Ordinario loci poſtea approbanda, condendi, & condita quando opus fuerit de dicti Ordinarij licentia mutandi, aliáque ad id neceſſaria, & opportuna faciendi, licentiam & facultatem tribuimus.

Vt autem dictæ nunc, & pro tempore exiſtentes huius Congregationis perſonæ piis operibus promptiùs vacare ſtudeant, & Chriſti fideles ad dictam Congregationem ingrediendam magis inuitentur, quò ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe vberiùs eſſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur, die eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam, & in cuiuſlibet eorum mortis articulo, ſi pariter verè pœnitentes, & confeſſi, ſacráque communione refecti fuerint, vel quatenus id facere nequiuerint, ſaltem verè contriti nomen IESV ore, vel corde inuocauerint, etiam plenariam, ac tam ipſis iam deſcriptis, & in dicta Congregatione deſcribendis, quàm aliis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſanctiſſima communione refectis, qui prædictæ Congregationis Eccleſiam, vel Capellam in feſto Annunciationis Beatæ MARIÆ Virginis à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem feſti ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus in dicta Congregatione deſcriptis vtriuſque ſexus

ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Eccleſiam, vel Capellam in ſecundo die Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, & Epiphaniæ Domini feſtiuitatibus à primis veſperis vſque ad occaſum Solis feſtiuitatum huiuſmodi piè viſitauerint, & ibi, vt præfertur, orauerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties verò doctrinam Chriſtianam, vt præfertur, docuerint, aut Miſſis, & aliis diuinis Officiis in dicta Congregatione pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu congregationibus publicis, vel priuatis eiuſdem Congregationis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alterius compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procurauerint, necnon etiam qui corpora defunctorum, tam in Congregatione deſcriptorum, quàm aliorum ad ſepulchrum aſſociauerint, & quaſcumque per ipſam Congregationem proceſſiones de licentia Ordinarij faciendas, dictùmque ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tam in Proceſſionibus, quàm ad infirmos, aut aliàs vbicumque, & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut campana ad id ſigno dato ſemel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus defunctorum in dicta Congregatione deſcriptorum Chriſti fidelium recitauerint, aut demum aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcũque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum ſexaginta dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus pro deſcriptis in Congregatione prædicta perpetuò, per non deſcriptis verò Chriſti fidelibus ad decennium dumtaxat valituris.

Dat. Pont. an. 6. die 23. Decẽbris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima tertia Decẽbr. M. DXCVII. Pontificatus noſtri anno ſexto.

IX. aliàs XCVII.

Edita Anno 1616.

REgis pacifici quamquam, & infra pag. 68. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IV. Conſtitutionem ſuam edidit contra affirmantes hæreticum eſſe, aut peccatum mortale, B. MARIAM Virginem in ſua conceptione à peccati originalis macula præſeruatam fuiſſe, vel non fuiſſe, cùm nondum id eſſet à Sede Apoſt. & Romana Eccleſia deciſum. §. 1. Quam Conſtitutionem innouauit Conc. Trident. §. 2. Pius V. poſtea in popularibus concionibus de hoc articulo diſputare, aut vulgari ſermone ſcribere, vel dictare in eius Conſt. 114. de qua ſup. tom. 2. vetuit. §. 3. In Academiis autem, & Capitulis, vbi nulla occaſio ſcandali ſubeſſet, diſputari permiſit. §. 4. Quia tamen mox ſuper prædictis nouę ortæ ſunt quæſtiones, hic Pont. eaſdem Sixi IV. & Pij V. Conſtitutiones innouauit. §. 5. & 6. Tranſgreſſoribúſque pœnas auget. §. 7. Et Epiſcopis, Prælatis, Superioribus, & aliis locorum Ordinariis contra eos procedendi facultatem tribuit. §. 8. Contrariiſque derogat. §. 9. Huiuſque Conſtitutionis publicationem Romæ factam vbique ligare decernit. §. 10. Tranſumptis eiuſdem credi iubet. §. 11.

Scholion primum.

Quæro. Cur in §. 1. dicitur non fuiſſe articulum de conceptione B. MARIÆ Virginis deciſum, ſi in Synodo Baſileenſi ſeſſ. 36. iam diffinitum fuit, B. Virginem abſque peccati originalis macula conceptam fuiſſe?

RESP. Synodum illam non eſſe attendendam affirmo. Nam ante d. ſeſſ. 36. diſceſſerunt à vero Papa Eug. IV. in ſeſſ. 34. & ille eam Synodum iam tranſtulerat ad Ciuitatem Ferrariæ, vt habetur in ſua Conſt. 11. ſup. tom. 1. Quicquid ergo ibi poſtmodum actum fuit, irritum eſt & inane, vt in Concilio Lateranenſi 5. ſeſſ. 11. & Bulla 20. Leonis X. ibi firmata habetur, quæ eſt ſup. to. 1. in §. 6. Et etiã id ſupponit Concil. Trid. ſeſſ. 5. dum in c. de peccat. orig. obſeruari conſtituit ſupradictam Conſtitutionem Sixti IV. qui neutram opinionem damnat; & ideo iure merito Pius V. in præcit. eius Conſt. 114. vtrumque permittit.

Scholion ſecundum.

Quæro. Cur ab Eccleſia nihil adhuc de fide diffinitum circa hunc articulum conceptionis B. MARIÆ Virginis?

RESP.

Digitized by Google

